I D H

1610

Arest: 14.

FLAVI VEGETI
RENATI, VIRI INL.
DE RE MILITARI
LIBRI QVATVOR;

Post omnes omnium editiones, ope veterum librorum correcti,

A

GODESCALCO STEWECHIO *Heusdano.*

Accesserunt Sex. Ivli Frontini Strategematôn libri quatuor: Ælianvs De instruendis aciebus: Modestvs De vocabulis rei militaris: Castrametatio Romanorum ex historiis Polybii.

Accessit seorsum eiusdem G. Stewechi *in Fl. Vegetium* Commentarivs.

Adiuncta eiusdem G. Stewechi & Francisci Modi, in Ivl. Frontinvm Coniectanea, & Notæ.



Lvgdvni Batavorvm,
Ex officina Plantiniana,
Apud Franciscum Raphelengium.
cIↃ. IↃ. xcii.

25

IOAN. MATALIVS METELLVS SEQVANVS I. C.

Adversas equitum turmas, peditúmq. cohortes,
Infracto quisquis sternere Marte paras;
Classica qui medias gestis audire per vndas,
Et miscere truci prœlia sæua mari;
Oppida, sic arces subuertere; cædere castra,
Dum fas, dumque vocat sanus ad arma furor:
Hos, age, ne pigeat miles voluisse libellos,
Queis ducibus victor; queis sine victus eris.
Flavivs has docuit quondam Vegetivs artes,
Flavivs armisona doctor in arte potens.
Has Gopescalcvs solerte Stewechivs ausu
Illustrat prisca clarus in historia.
Res magna est, summi terris moderator Olympi
Quòd scelerum vindex bella cruenta ciet.
Res magna est. iustis respublica crescit ab armis,
Quæritur imperium, paxque serena subit.
Munere mox pacis faustissima quæque tuemur,
Viuimus; & Pietas, Relligióque viget.
Hinc tibi post superos quæ surgit gloria Flavi,
Hæc quoque Stewechi proxima te sequitur.
Vt quaquà properet festo Victoria plausu,
Hoc meritò semper fama loquatur opus.
Sic tua Stewechi populis modò prodit imago,
Laudibus ingenij suspicienda tui.

1714 w 1984
13894

SERENISSIMO, ILLVSTRISSIMO, POTENTISSIMO PRINCIPI CAROLO, CALABRIÆ, LOTHARINGIÆ, BARRI, AC GELDRIÆ DVCI, &c.

BELLVM *quidam à belluis ideò dictum volunt, Sereniſſime Princeps, quòd belluarum propria ſit, & ab omni humanitate aliena tam perniciosa diſſenſio. Cùm enim cæteris animantibus, quaſi arma quædam, ad ſui defenſionem, Natura tribuerit; illa ipſa ſolum hominem produxerit nudum, inermem, imbecillum. Nihilominus tamen, ſimul humanum genus ius naturale negligere; vinculum cognationis, quo vniuerſi coniuncti erant, reuellere; ſibi mutuo inſidiari; bonorum denique poſſeſſionem vi eripere cœpit; ſtatim, ipſo vſu hoc introducente, mos quidam inualuit, vt rebus repetitis, neque reſtitutis, non modò ad arma confugere; verùm ſi quos caperent, pœnæ nomine, in iuſtam ſeruitutem redigere liceret. Imò ea ipſa, quæ iure gentium contra ingenuitatem ſeruitus introducta*

est, iure quoque diuino confirmata. Hoc amplius, ipso iure Canonum id denique constitutum scimus, bellum videlicet licitum esse, & non sine merito geri: modò arma sumantur ex legum præscripto, hoc est auctoritate Principis aut reip.; tum iusta de causa, & legibus approbata; tum bona intentione, hoc est, vt bello nil nisi pax quæsita videatur. Hæc quòd obseruaret populus Israëliticus, neque latronum instar arma capessseret, eò factum, vt rerum omnium creator D. O. M. *Deum se exercituum ab iis vocari permiserit, quàm plurimas suo nomine expeditiones suscipi, regna extingui, transferri imperia passus sit. Si quis autem à Moyse, Iosue, Gedeone, Sampsone, aliis superatos recognouerit populos: si quis perpenderit ab Abrahamo, Dauide, Iuda Machabæo, & reliquis eius æui ducibus ad internecionem cæsos exercitus; illi res bellica non tantùm licita, verùm etiam honesta, ac grata Deo videatur necesse est. Ad vtilitatem belli, ne dicam necessitatem, varia quoque argumenta in medium proferri possunt. quale imprimis istud, quòd belli tempore vasalli à vitiis auocari queunt, mercatorum arrogantia, rusticorum insolentia corrigi. abducuntur sæpè ad vitam castrensem, qui*

qui domi otio solent torpescere; qui vias obsidere; maria infestare; vel denique latrocinia exercere solent. multi, inquam, bello vtiles reipublicæ, qui tempore pacis se ciues præbent nimis quàm pernicioſos. C. Marius Cimbrorum domitor, foris dux arduus, miles fortitudine & labori ferendo impar nemini; domi temeritate & ambitione ſua patribus ac reipub. non ſemel moleſtus fuit. Præterea (quod maximè hic conſiderandum venit) belligerandi ſcientiam non ſine maximo reipub. damno amitti, nemini dubium eſt. vtpote quæ ſola non tantùm quærendis, ſed & augendis conſeruandisque rebus conueniens ac neceſſaria ſit. Hæc ſubditos, ne quid aduerſus te moliantur, continet: hoſtes, ne quâ parte tua occupent aut inuadant, abſterret, defendit. Macedones armorum virtute Aſiam ſubegerunt, Græcorum exercitus deleuerunt: at Romanorum viribus, induſtriâ, toti Aphricæ atque Europæ iugum impoſitum. Qui ipſi Romani, non tam felicitate fortunæ, quàm ſuâ ſibi diligentiâ & labore victoriam parare ſoliti. Vſi quippe milite enucleatim & diligenter lecto; omni armorum arte, atque tentamine frequenter ac ſtrenuè imbuto; per doctores idoneos ad gradum militarem, curſum, ſaltum,

natatum, omnem denique castrensem prolusionem exercitato atque edocto. Mitto munera cetera, quæ subeunda istic fuerint, mitto lignorum adgestionem, castrorum munitionem, & mille alia. Atqui militem eiusmodi, quanquam satis iam superque exercitum, nihilominus tamen arctè contenteque habere consueuerant. neque enim sinebant aut luxuriâ diffluere animum, aut vires illius mollitie frangi. Continebant ergo etiam veteranum iã & plurima stipendia meritũ vigiliis multis, obedientia inuiolabili, ambulationibus, discursionibus, aliis laboribus atque occupationibus infinitis. Quàm graue, quàm periculosum sit militare otiũ, res Romana documento est. vix enim Carthagine deletâ, statim plebs in partes diuidi, Senatus in factiones abire cœpit: imò pro metu hostili, qui ciuitatem in bonis artibus retinuerat, ad iuuentutem acuendam pro cote fuerat; intrauere lasciuia atq. superbia, gloriæ, ac dominationis certamen: nobilibus dignitatem in superbiam, plebeis libertatem in lubidinem vertentibus. Neque Romæ solummodò, verùm foris quoque & in expeditionibus, quòd laxiùs remissiusque habiti essent milites, neque pro eo, vt par erat, exercitati, multæ seditiones ortæ, prœlia multa infaustis

stis auibus commissa, vt plenæ sint ea de re veterum historiæ. Dicendum porrò & illud est, duces ipsos præterquam quòd militum, præterea animi quoque sui imperio gnauiter intentos esse debere: ne videlicet in aduersis despondeant, in prosperis ne nimium efferantur. Multi partâ sudore gloriam nescio quâ lasciuiæ aut crudelitatis macula infecerunt: alij, re nõ malè gesta, cum laude regredi poterãt, si vnquam temeritas felix inueniisset modum: nonnulli, cùm in ipso limine starent victoriæ, pedem retulerunt, voluptatibus se totumq. exercitum immergentes. An non Magni Alexandri gloriæ densissimam nebulam luxus offudit? vbi Dario extincto, nationibus innumeris debellatis, Persarum vestitui ornatuique adsueuit? greges spadonũ in castris & tentoriis suis admisit? arbitrio scorti aliis regna dedit, aliis vitam ademit? Hannibalem ducem strenuum, si quem Carthago, si quem Italia vidit, Romam euntem vna voluptas reprehendit ac remorata est: & totius Italiæ imperium quasi è manibus illi extorsit, magisque Campaniæ delitiæ, quàm iuga Alpium Pœno militi obfuerunt. Rursum alij amœnitate Asiæ degeneres, atque emolliti, quam ipsi nacti erant victoriam, aduersario tradidêre. Neque tamen re-

rum ſucceſſui hæc, ſed immoderationi animi eorum, qui fortunam minùs ſuſtinuêre; aut qui uti victoriâ neſciuêre, imputanda ueniunt. Multi enim è contrario, voluptatibus atque inlecebris fortunæ non aliter, quàm Circeis poculis, & Sirenum uocibus poſthabitis, in curſu cœpto perſeuerárunt; quod ſemel decretum erat, prudenter vigilanterque perſecuti ſunt: imò, ſui ſuorumque obliti, pro patriâ ſe deuouere, quàm inglorij redire maluerunt. Vt Græcos ſilentio prætéream, vnde Marcellus, Decij, Scipiones, ſexcenti alij, nominis immortalitatem adepti, quàm rebus bello geſtis? Nobilitatis prima initia vnde quæſo, quàm ab armis? Vnde ipſa Ducum, Comitum, Marchionum, Baronum, aliáque inferiorum dignitatum nomina originem traxêre? non aliunde quàm à re militari. Taceo familiarum inſignia bellico honore parta, titulos inde reportatos, agros, & alia cõmoda ibi quæſita. Taceo ſtatuas, & tropæa in memoriam rerũ geſtarum Ducibus, & militibus erecta. Taceo ſummum illud, & ſeorſum bonis ſeruatum præmium, ius triumphi. Ex quibus omnibus liquidò cõſtare arbitror, illuſtri familiâ editos, nullâ re magis debere inclareſcere, quàm laude

laude bellicâ. imò conandum iis esse, vt actis saltem, si non auctis bello rebus, domesticam laudem propagent, patrum auorumque gloriam altiùs extollant atq. euehant. In eam rem quàm strenuè maiores tui, quàm gnauiter tu, Sereniſſime Princeps, incubueris, & noſtri, & ſuperioris æui hiſtoriæ loquuntur. in quibus Lotharingorum ac Barroducæorum Principum expeditiones, prælia, victoriæ, egregia Martiæ virtutis exempla adeò longè lateque recitantur ac produntur poſteris; vt eadem illa à nobis recenſeri minimè opus ſit. Ex Galliæ, & aliorum Annalibus Caroli Lotharingiæ quondam Cardinalis induſtria, religio, pietas populis omnibus innotuit: Guiſiæ & Aumaliæ Ducum fortitudinem, prudentiam, conſtantiam totus celebrat atque decantat orbis. Superſunt etiamnum, præter Guiſianos ſucceſſores, & alij, ex Illuſtriſſima Lotharingiæ Ducum ſtirpe, tanquam ex equo Troiano progeniti, Heroës magnæ famæ, ſpei maximæ. inter quos Carolus, in præſens Vaudemontij Cardinalis, Epiſcopus ac Comes Tullenſis, cuius diligentiam, eruditionem, pietatem nemo non prædicat & admiratur. Accedunt Illuſtriſſimus Dux Mercurianus, D. Marchio de Chaucy,

prædicto fratri suo magnanimitate, virtute non impares. Non minùs celebre nomen, nõn minor gloria eorum Principum, quos Serenissima atque Illustrissima D. Claudia, Christianissimi Francorum regis filia, charissima ac desideratissima coniunx, C.T. peperit. inter quos principem locum tenet Illustrissimus ac Generosissimus D. Henricus Marchio Mussopuntanus. quem sequitur cùm humanioribus, tum sacris litteris probè imbutus, ac singulari pietate inter ceteros conspicuus D. Carolus Episcopus Metensis. Hi piè ac Christianè semper ab ipsis incunabulis vsque instituti, omnem adhibent operam, vt maioribus suis pares aut superiores euadant. Multas quidem domi imagines habent, quas imitentur: at nulla imitatione dignior, quàm tua, hoc est genitoris. te vident, ac coram intuentur, dum res geris, dum principatum administras. adsunt, dum tuos vel exteros admittis, audis: dum supplicantibus aut ope aut re subuenis. Audiunt domi, audiunt foris, patrem fortitudine non inter Principes modò, sed inter illos quoque, quorum hæc sola est virtus, excellere. corporis tui staturam eximiam; membrorum compositionem, agilitatem; tum quod in te est supra quàm virile robur, ab omni-

omnibus audiunt commendari. Imò singula hæc & dignissima esse Principe, & prosapiæ Diui Caroli Magni congruentissima. Vident liberi tui, simulatque instantibus curis parumper animus tuus laxatus est, non iam voluptates, non intempestiua conuiuia, sed eas occupationes te excipere, quæ simul cum recreatione animi, corporis exercitionem non minorem coniunctam habent: quales sunt venatio, aucupium, equitatio, ac quorumlibet meditatio armorum. Quæ vna res sufficere mihi poterat, vt tibi, Serenissime Princeps, FL. VEGETIVM RENATVM, bellicæ disciplinæ scriptorem, multis à me laboribus emendatum & integritati restitutum, offerre auderem. Etsi reliqua sint multa, quibus ad hoc faciendum impelli poteram, æquè in te atque in aulâ tuâ suspicienda. In quibus sunt magnanimitas tua, moderatio animi temperatissima, felicitas, potentia, benignitas, &, quæ singulæ singulos Principes ornare solent, in vno te congruentes & coniunctæ virtutes; vt meritò inter optimos illustrissimus, inter illustrissimos optimus, & inter vtrosque clementissimus nominari debeas. Ne quid interim

terim dicam de venerandissimo consessu tuorum Consiliariorum, qui singuli ætate prudentes, eruditione ac scientia sapientes, pro Nestore esse possint. Taceo tam frequentem numerum illustrium, ac nobilissimorum aulicorum, qui, si res postulet, consilium pariter & auxilium adferre possint, mentem & manum, animum & gladium. Sed redeo ad Vegetium: quem vt ego post varias aliorum editiones recognoscendum atque emaculandum sumerem, solus in causâ fuit meus & in remp. & in litteras amor. Quidquid inibi laboris aut sumptus impendi, alteri quàm Celsitudini Tuæ consecrare nec volui, nec debui. Neque tamen id eò à me factum est, quasi te lectione istiusmodi librorum indigere arbitrer; sed tantummodò vt intelligant posteri, me hoc quale quale est munusculi, Serenissimæ atque illustrissimæ familiæ vestræ (quod bonum, faustum mihi sit) dare dedicare voluisse, meque vnà cum hoc opere tibi tuisque defendendum, promouendum tradidisse. Accipies spero, Serenissime Princeps, vtrumque æquo animo, & illa benignitate, qua ab ineunte ætate erga omnes bonos semper

per & vbique vsus es. Faxit Deus O. M. *qui te tuis, ac toti reipub. Christianæ diu seruet incolumem, & qua adhuc fructus es felicitate ac pace, in summis totius orbis Christiani tumultibus, eandem ille velit prouinciis tuis concedere perpetuam, salutarem. Vale. ex Academia vestra Mussipontana. Anno redempti Orbis* M. D. LXXXIV.

I. S. T.

humillimus cliens

Godescalcus Stewechius.

AD LE-

VETERES de veterum disciplina militari libros, si aliàs vnquam, hodie certè manibus omnium terendos arbitror. Vtinam supereſſent quotquot ſcripti à Græcis, quotquot ſcripti à Romanis! haberent affatim eius rei ſtudioſi, vbi deſiderium leuarent, vnde ſitim reſtinguerent. At longè aliter (neſcio quo fato) & his ſcriptoribus pariter cum aliis quoque accidit. nempe pro multis puris & Romanis vix aliud nobis reliquum fecit antiquitas præter vnam FL. VEGETII RENATI epitomen. Eam ad nos tranſmiſſam vidimus mutilam, corruptam, vt ipſum auctorem Renatum illam pro ſua non autumem agniturum fuiſſe. Laborâtunt in eâ perpurgandâ magni aliquot viri ante me; nihilominus tamen mendarum ſpicilegium tantum mihi relictum, vt illud meſſem illorum exiſtumem ſuperaturum. Damus hîc VEGETIVM ope multorum codicum impreſſorum, manuſcriptorum multo quàm antehac emendatiorem. Tum de nouo vocibus multis caſtrenſibus per me ditatum, quales palæ, rutra, armaturæ, ſamiatores, ſagmarij, drungi, aliæ multæ. Taceo, quæ hoc ſigno [ ] incluſa, abiicienda indicium feci. nimirum ab adulterina manu huc accita. Varias lectiones, ſeu mauis emendationes in marginem reiicere viſum fuit: in textu ipſo nihil mutare, niſi quod libris omnibus approbaretur, improbaret ſententia, aut mens ipſius ſcriptoris. Quiſquis de his iudicaturus es, quæſo ne graue ſit ad Commentarium noſtrum recurrere; quibusque rationibus vel auctoribus ſingula à me ſtabiliantur, corroborentur, cum iudicio expendere. SEXTI IVLII FRONTINI Strategemata,

mata,& NOTIS FRANCISCI MODII amici nostri & nostris CONIECTANEIS iuuare tantum conamur. MODESTO autem DE VOCABVLIS REI MILITARIS non aliunde,quàm ex comparatione cum scriptis Vegetij nostri medicinam facere quiuimus. Interea,quæ de nomine Modesti, quæ de opusculo ipso controuersia aut dubitatio est, eam tibi, beniuole Lector, excutiendam relinquere, quàm diiudicare malui. Scio esse, qui scriptori huic plagij notam inurere, & quasi Vegetij labores sibi suppositum iuerit, insimulare voluerint: verùm illi non animaduerterunt, puto, Vegetium sub Valentiniano; Modestum sub Tacito Imperatore floruisse. qui Tacitus tres Valentinianos,& vnde genus illi duxêre, Gratianum ipsum spatio x c. & quod excurrit annorum præcessit. Hoc amplius, Epitomen tantùm rei militaris ex diuersis scriptoribus illum conflasse nemini incognitum est. Hic verò quis fuerit, abhuc facilius est suspicari,quàm adfirmare. Vale,bone Lector,& fruere.

FRAGMENTA

FRAGMENTA FLAVI VEGETI.

Priscianus Grammat. lib. III.

VEGETIVS *Renatus, rei militaris lib. primo:* Sed latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint vulnus accipere; & proximior dextra sit, quæ possit plagam inferre.

Raphaël Volaterranus Commentar. vrbanorum libro XX.

FL. VEGETIVS *Renatus Comes Constantinopolitanus scripsit ad Valentinianum principem libros* V. *Epitomen videlicet Institutorum rei militaris, de Commentariis Catonis, Augusti, Traiani, & Hadriani principum, ac Frontini.*

ELENCHVS LIBRORVM FLAVI VEGETI RENATI.

PRIMVS *liber, lectionem edocet minorum; ex quibus locis, vel quales milites probandi sint, aut quibus armorum exercitiis imbuendi.*

SECVNDVS *liber, veteris militiæ continet morem; aut quemadmodum pedestris institui possit exercitus.*

TERTIVS *liber, omnium artium genera, quæ terrestri prælio necessaria videntur, exponit.*

QVARTVS *liber, vniuersas machinas, quibus vel oppugnantur ciuitates, vel defenduntur, enumerat; nauales que belli præcepta subnectit.*

FLAVI

FLAVI VEGETI
RENATI
VIRI INLVSTRIS
AD
Valentinianum Augustum
INSTITVTORVM
REI MILITARIS,
Ex Commentariis Catonis, Celsi, Traiani, Hadriani, & Frontini,
LIBRI PRIMI

Prologus.

ANTIQVIS *temporibus mos fuit, bonarum artium studia mandare literis, atque in libros redacta offerre principibus. Quia neque rectè aliquid inchoatur, nisi post Deum faucrit Imperator: neque quenquam magis decet, vel meliora scire, vel plura, quàm principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis. Quod Octauianum Augustum, ac bonos dehinc principes libenter habuisse, frequentibus declaratur exemplis. Sic regnantium testimoniis * creuit eloquentia, dum non culpatur audacia.*

* Malo, crebrat

dacia. Hac ego imitatione compulsus, dum considero clementiam vestram, ausibus literarum magis ignoscere posse, quàm cæteros, tanto inferiorem me antiquis scriptoribus esse vix sensi. licet in hoc opusculo, nec verborum concinnitas sit necessaria, nec acumen ingenij, sed labor diligens ac fidelis: vt, quæ apud diuersos historicos, vel armorum disciplinam docentes, dispersa & inuoluta celantur; pro vtilitate Romana proferantur in medium. De *delectu igitur atque exercitatione tyronum, per quosdam gradus, & titulos antiquam consuetudinem conamur ostendere. Non quò tibi, Imperator inuicte, ista videantur incognita, sed vt quæ sponte pro reipub. salute disponis, agnoscas olim custodisse Romani imperij conditores: & in hoc paruo libello, quicquid de maximis rebus, sempérque necessariis requirendum credis, inuenias.

*Scribo, dilectu, & hic, & infrà.

CAP.

CAP. I.

*Romanos, omnes gentes sola armorum *exercitatione vicisse.*

* *Liber* V. exercitione

IN omni autem prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent præstare victoriam. Nulla enim alia re videmus populum Romanum orbem subegisse terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum, vsuque militiæ. Quid enim aduersus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisset? Quid aduersus Germanorum proceritatem breuitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantùm numero, sed etiam viribus corporum nostris * præstitisse, manifestum est. Aphrorum dolis, atque diuitiis semper impares fuimus. Græcorum artibus, prudentiaque nos vinci, nemo [vnquam] dubitauit. Sed aduersus *omnia profuit tyronem * solertem eligere, ius (vt ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare, quæcunque euenire in acie, atque [in] præliis possint, omnia in campestri meditatione prænoscere, seuerè in desides vindicare. Scientia enim rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victoriam promptior est: rudis & indocta multitudo, exposita semper ad cædem.

* *Liber* V. præstasse,

* *Liber* V. hæc omnia

* *In aliquibus est* solerter, *quod probo.*

CAP. II.

Ex quibus regionibus tyrones legendi sint.

RERVM ordo deposcit, vt ex quibus prouinciis vel *regionibus tyrones legendi sint prima parte tractetur. Constat enim, in omnibus locis & ignauos & strenuos

* *Lego*, nationibus

strenuos nasci. Sed tamen, & gens gentem præcedit in bello, & plaga cæli ad robur non tantùm corporum, sed etiam animorum plurimùm valet, quo loco ea quæ à doctissimis hominibus comprobata sunt, non omittam. Omnes nationes, quæ vicinæ sunt soli, nimio calore siccatas, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicunt: ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere nouerunt. Contrà, Septentrionales populi, remoti à solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperationibus legendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortisque contemtum, & non possit deesse prudentia, quæ & modestiam seruat in castris, & non parum prodest in dimicatione, & consiliis.

CAP. III.

Vtrum ex agris an ex vrbibus vtiliores sint tyrones.

SEQVITVR, vtrum de agris, an de vrbibus vtilior tyro sit, requiramus. De qua parte nunquam credo potuisse dubitari, apriorem armis rusticam plebem, quæ sub diuo, & in * labore nutritur; solis patiens; vmbræ negligens; balnearum nescia; deliciarum ignara; simplicis animi; paruo contenta; duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est. Interdum tamen necessitas exigit, etiam vrbanos ad arma compelli: qui vbi nomen dedêre militiæ, primùm laborare, decurrere, portare pondus, & solem puluereḿque ferre condiscant. * parco victu vtantur & rustico, interdum sub diuo, interdum sub papilionibus, commorentur.

* *Quid si cum* VV. laboribus enutritur;

* *Omnes optimi libri*, paruo

Tunc

Tunc demum ad vsum erudiantur armorum: & si longior expeditio emergit, in angariis plurimùm detinendi sunt, proculque habendi à * ciuitatis illecebris: vt eo modo,& corporibus eorum * robur accedat,& animis. Nec inficiandum est, post vrbem conditam,Romanos ex ciuitate profectos semper ad bellum: sed tunc nullis voluptatibus, nullis deliciis frangebantur. Sudorem cursu & campestri exercitio collectum nando iuuentus abluebat in Tyberi. Idem bellator,idem agricola,genera tantùm mutabat armorum. Quod vsque adeò verum est,vt aranti Quintio Cincinnato * [viro optimo] dictaturam constet oblatam. Ex agris ergo supplendum robur præcipuè videtur exercitus. Nescio enim quomodo minùs mortem timet, qui minus deliciarũ nouit in vita.

Mss. ciuilib. inlecebris: **V V. Libri,* robor

** Boni libri non agnoscũt.*

CAP. IIII.

*Cuius ætatis tyrones * probandi sint.*

**alij, legendi*

NVNC, qua ætate milites legi conueniat, exploremus. Et quidem,si antiqua consuetudo seruanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat. Non enim tantùm celeriùs,sed etiam perfectiùs imbibuntur,quæ discuntur à pueris. Deinde militaris * alacritatis saltus & cursus antè tentandus est, quàm corpus ætate pigrescat. Velocitas enim est, quæ percepto exercitio strenuum efficit bellatorem. Adolescentes legendi sunt,sicut ait Salustius: * Nam primùm iuuentus, simul ac belli patiens erat, in castris * per laboris vsum militiam discebat. Melius enim est, vt exercitatus iuuenis causeturætatem nondum aduenisse pugnandi, quàm doleat præteriisse. Habeat etiam spacium vniuersa discendi. Neque enim parua, aut leuis ars videtur armorum, siue equitem, siue peditem sagittarium velis imbuere, siue scutatum armaturæ numeros

** Malo,* alacritas,saltus

** Emendo,* Iam primũ iuuentus simul belli patiens erat, ** Malunt alij Codices,* per laborẽ vsu

omnes, omnesque gestus docere; ne locum deserat; ne ordines turbet: vt missile & destinato ictu & magnis viribus iaciat; vt fossam ducere, sudes scienter figere norit, tractare scutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre. Huic taliter instituto tyroni, pugnare aduersum quoslibet hostes in acie formido non erit, sed voluptas.

CAP. V.

Qua statura sint probandi tyrones.

* *In membranis est*, Proce. tyr. quòdam scio semper exactâ, puta, vt senos

* *Membrana*, abduxerat

*PROCERITATEM tyronum, à consule Mario scio semper exactam, ita vt senos pedes, vel certè quinos, & denas vncias habentes inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur. Sed tunc erat amplior multitudo; & plures militiam sequebantur armatam. Necdum enim ciuilis pars florentiorem *adduxerat iuuentutem. Si ergo necessitas exegerit, non tam staturæ rationem conuenit habere, quàm virium. Et ipso Homero teste non fallimur, qui Tydeum minorem quidem corpore, sed fortiorem animis fuisse significat.

CAP. VI.

Ex vultu & positione corporis agnosci in eligendo, qui meliores possint esse tyrones.

* *Ms.* officia bellatorum.

SED qui delectum acturus est, vehementer intendat, vt ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant * officium bellatoris. Namq. non tantùm in hominibus, sed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indiciis, sicut doctissimorum hominum disciplina comprehenditur: quod etiam in apibus * Mantuanus auctor dicit esse seruandum:

* *Virg.* IV. *Georg.*

Nam

Nam duo sunt genera: hic melior, insignis & ore
Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
Desidia, latamq; trahens inglorius aluum.

Sit ergo adolescens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris musculosis, * valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior * cruribus, suris, & pedibus non superflua carne distentis; sed neruorum duritia collectis. Cùm hæc in tyrone signa deprehenderis, proceritatem non magnoperè desideres. Vtilius est enim fortes milites esse, quàm grandes.

* *Restituo*, valentibus brachiis, digitis longioribus

* *Libri* vv. & *membranæ*, clunibus,

CAP. VII.

Cuius artis tyrones, vel eligendi sint, vel respuendi.

SEQVITVR, vt cuius artis, vel eligendi, vel penitus respuendi sint milites, indagemus. Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesque qui aliquid tractasse videbuntur ad gynæcea pertinens, longè arbitror pellendos à castris. Fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & ceruorum aprorumq. venatores, conuenit sociare militiæ. Et hoc est in quo totius reipublicæ salus vertitur, vt tyrones non tantũ corporibus, sed etiam animis præstantissimi deligantur. Vires regni & Romani nominis fundamentum in prima * delectorum examinatione consistunt. Nec leue hoc officium putetur, aut passim quibuscunque mandandum, quod apud veteres inter tam varia genera virtutum, in Sertorio præcipuè constat esse laudatum. Iuuentus enim, cui defensio prouinciarum, cui bellorum committenda fortuna est, & genere, si copia supperat, & moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere, facit esse victorem. Quid enim prodest, si exerceatur ignauus? si pluribus

* *Liber scriptus* dilectuum

stipendiis moretur in castris? Nunquam exercitus profecit tempore *[belli,] cuius in probandis tyronibus claudicârit electio. Et quantum vsu experimentisque cognouimus, hinc tot vbique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentius incuriosiusque legit: dum honestiores quique ciuilia sectantur officia, dum *possessoribus indicti tyrones, per gratiam, aut dissimulationem *probantur, talesque sociantur armis, quales domini habere fastidiunt. A magnis ergo viris magna diligentia idoneos eligi conuenit iuniores.

* *Abest in aliquibus, & merito.*

* *Rectè Iac. Cuiacius emendabat, possessionibus*

**Melius*, probantium tales sociâtur

CAP. VIII.

Quando tyrones signandi sint.

* *Codices optimi*, scribendus

SED non statim punctis signorum *inscribendus est tyro dilectus: verùm antè exercitio prætentandus, vt vtrum verè tanto operi aptus sit, possit cognosci. Et velocitas in illo requirenda videtur & robur: & vtrum armorum disciplinam ediscere valeat, vtrum habeat confidentiam militarem. Plerique enim quamuis non improbabiles videantur in specie, tamen experimentis comprobantur indigni. Repudiandi ergo minus vtiles, & in locum eorum strenuissimi subrogandi sunt. In omni enim conflictu non tam prodest multitudo quàm virtus. Signatis itaque tyronibus per quotidiana exercitia, armorum est demonstranda doctrina. Sed huius rei vsum dissimulatio longæ securitatis aboleuit. Quem inuenias qui docere possit, quod ipse non didicit? De historiis ergo vel libris nobis antiqua consuetudo repetenda est. Sed illi res gestas & euentus tantùm scripsere bellorum, ista, quæ nunc quærimus, tanquam nota linquentes. Lacedæmonij quidem, & Athenienses, aliique Græcorum in libros retulere complura, quæ τακτικὰ vocantur. Sed nos disciplinam militarem populi Romani

debemus

debemus inquirere, qui ex paruissimis finibus imperium suum penè solis regionibus, & mundi ipsius fine distendit. Hæc necessitas compulit euolutis auctoribus, ea me in hoc opusculo fidelissimè dicere, quæ Cato ille Censorius de disciplina militari scripsit: quæ Cornelius Celsus, quæ Frontinus perstringenda duxerunt; quæ Paternus diligentissimus iuris militaris assertor in libros redegit; quæ Augusti, & Traiani, Adrianique constitutionibus cauta sunt. Nihil enim mihi auctoritatis assumo, sed horum, quos suprà retuli, quæ dispersa sunt, velut [in ordinem] epitomata conscribo.

CAP. IX.

Ad gradum militarem, & cursum & saltum exercendos tyrones.

PRIMIS ergo meditationum auspiciis, tyrones militarem edocendi sunt gradum. Nihil enim magis in itinere vel in acie custodiendum est, quàm vt omnes milites incedendi ordinem seruent. Quod aliter non potest fieri, nisi * [vt] assiduo exercitio ambulare celeriter, & æqualiter discant. Periculum enim ab hostibus semper grauissimum sustinet diuisus, & inordinatus exercitus. Militari ergo gradu, viginti millia passuum, horis quinque duntaxat æstiuis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor [millia] peragenda sunt. Quicquid addideris, iam cursus est, cuius spacium non potest diffiniri. *Sed ad cursum præcipuè assuefaciendi sunt iuniores, vt maiore impetu in hostem procurrant: vt loca opportuna celeriter, cùm vsus aduenerit, occupent; vel aduersariis idem facere volentibus, præoccupent: vt ad explorandum alacriter pergant, alacriùs redeant: vt fugientium terga faciliùs comprehendant. Ad saltum etiam

* *Vox ista nihili est.*

* *Quid si ex VV. recipiamus,* Sed & cursu

quo vel fossæ transiliuntur, vel impediens aliqua altitudo superatur, exercendus est miles: vt cùm eiusmodi difficultates euenerint, possit sine labore transire. Præterea in ipso conflictu ac dimicatione telorum bellator cum cursu saltuque veniens, aduersarij perstringit oculos, mentemque deterret, priusq. plagam infligit, quàm ille ad cauendum vel ad resistendum certè se præparet. De exercitio Cn. Pompei Magni Salustius hoc memorat: Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi sese, & suos milites, frequentibus exercitiis præparasset ad prœlia.

CAP. X.

Ad vsum natandi exercendos tyrones.

NATANDI vsum æstiuis mensibus omnis æqualiter debet tyro condiscere, non enim pontibus semper flumina transeuntur, sed & cedens & insequens natare cogitur frequenter exercitus. Sæpè repentinis imbribus vel niuibus solent exundare torrentes. Et ignorantia non solùm ab hoste, sed etiam ab ipsis aquis discrimen incurrit: ideoque Romani veteres, quos tot bella, & continuata pericula, ad omnem rei militaris erudierant artem, campum Martium vicinum Tyberi delegerunt: in quo iuuentus post exercitium armorum, sudorem pulueremque dilueret, ac lassitudinem cursus, natandi labore deponeret. Non solùm autem pedites, sed & equites ipsosque equos vel lixas (quos *galerios vocant) ad natandum exercere percommodum est, ne quid imperitis, cùm necessitas incumbit, eueniat.

* *Infrà Vegetio dicuntur galearij.*

CAP.

CAP. XI.

Quemadmodum ad scuta viminea, vel ad palos antiqui exercebant tyrones.

ANTIQVI (sicut inuenitur in libris) hoc genere exercuere tyrones. Scuta de vimine in modum cratium corrotundata texebant: ita vt duplum pondus cratis haberet, quàm scutum publicum habere consueuit. Idemque clauas ligneas, * duplicis æquè ponderis, pro gladiis tyronibus dabant. Eoque modo non tantùm manè, sed etiam post meridiem exercebantur ad palos. Palorum enim vsus nõ solùm militibus, sed etiam gladiatoribus plurimùm prodest. Nec vnquam aut arena, aut campus inuictum armis virum probauit, nisi qui diligenter exercitatus docebatur ad palum. A singulis autem tyronibus singuli pali defigebantur in terram, ita vt nutare non possent, & sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra aduersarium, tyro cum crate illa, & claua; velut cum gladio se exercebat, & scuto: vt nunc quasi caput, aut faciem peteret, nunc [à] lateribus minaretur, interdum contenderet poplites & crura succidere, * recederet, assultaret, insiliret, & quasi præsentem aduersarium, sic palum omni impetu, omni bellandi arte tentaret. In qua meditatione seruabatur illa cautela, vt ita tyro ad inferendum vulnus insurgeret, * ne qua ex parte ipse pateret ad plagam.

* *Quid si*, dupli

* *Suppleo ex duobus VV.* accederet, recederet,

* *Legé*, ne qua parte

CAP. XII.

Non cæsim, sed punctim ferire docendos tyrones.

PRÆTEREA non cæsim, sed punctim ferire discebant. Nam cæsim pugnantes nõ solùm facilè vicere, sed etiam derisere Romani. Cæsa enim quouis impetu

petu veniat, non frequenter interficit: cùm & armis vitalia defendantur, & ossibus. At contrà puncta, duas vncias adacta, mortalis est. Necesse est enim, vt vitalia penetret, quicquid immergitur. Deinde dum cæsa infertur, brachium dextrum latusque nudatur. Puncta autem tecto corpore infertur, & aduersarium sauciat antè quàm * videatur. Ideoque ad dimicandum hoc præcipuè genere vsos esse constat Romanos: * duplicis autem ponderis illa cratis & claua ideò dabantur, vt cùm vera & leuiora tyro arma sumsisset, velut grauiore pondere liberatus, securior alacriorque pugnaret.

* *In plerisque est*, videat.
* *Rectius*, dupli

CAP. XIII.

Armaturam docendos tyrones.

PRÆTEREA illo exercitij genere, quod armaturam vocant, & à campi * doctoribus traditur, imbuendus est tyro. Qui vsus vel ex parte seruatur. Constat enim etiam nunc in omnibus prœliis * armaturis melius pugnari, quàm ceteris. Ex quo intelligi debet, quantum exercitatus miles inexercitato sit melior. cùm armatura vtcunque eruditi, reliquos contubernales suos bellandi arte præcedant. Ita autem seuerè apud maiores exercitij disciplina seruata est, vt & doctores armorum *duplicibus remunerarentur annonis: & milites, qui parum in illa * prolusione profecerant, pro frumento hordeũ cogerentur accipere: nec antè eis in tritico redderetur annona, quàm sub præsentia præfecti legionis, tribunorum vel principum, experimentis datis, ostendissent se omnia, quæ erant in militari arte, complesse. Nihil enim neque firmius, neque felicius, neque laudabilius est repub. in qua abundant milites eruditi. Non enim vestium nitor, vel auri, argenti, gemmarumque copiæ, hostes, aut ad reuerentiam nostram, aut ad gratiam

* *Restitue*, doctoribus

* *Vulgò erat*, armaturam melius pugnare, quàm ceteros.

* *Libri optimi iterum*, duplis
* *Alibi*, prælusione, *vtrumque bonis auctoribus vsurpatum.*

tiam inclinant, sed solo terrore subiguntur armorum. Deinde in aliis rebus (sicut ait Cato) si quid erratum est, potest [postmodum] corrigi, præliorum delicta emendationem non recipiunt: cùm pœna statim sequatur errorem. Aut enim confestim pereunt, qui ignauè imperitéque pugnauerint: aut in fugam versi, victoribus vltrà pares esse non audent.

CAP. XIIII.

Ad missilia iacienda exercendos tyrones.

SED ad incœptum reuertor, tyro, qui cum claua exercetur ad palum, hastilia quoque ponderis grauioris, quàm vera futura sunt iacula, aduersus illum palum, tanquam aduersus hominem iactare compellitur. In qua re armorum doctor attendit, vt magnis viribus hastile contorqueat, vt destinato ictu vel in palum, vel iuxta dirigat missile. Eo enim exercitio & lacertis robur accrescit, & iaculandi peritia atque vsus acquiritur.

CAP. XV.

Sagittis tyrones exercendos diligenter.

SED propè tertia, vel quarta pars iuniorum, quæ aptior potuerit reperiri, arcubus ligneis, sagittisque lusoriis, ad illos ipsos semper exercenda est palos. Ac doctores ad hanc rem artifices eligendi: & maior adhibenda solertia, vt arcum scienter teneant, vt fortiter impleant; vt sinistra fixa sit, & dextera cum ratione ducatur; vt ad illud, quod feriendum est, oculus pariter animusque consentiant; vt siue in equo, siue in terra, rectum sagittare * doceant. Quam artem, & disci opus est diligenter, & quotidiano vsu exercitioque seruari. Quantum autem vtilitatis boni sagittarij in præliis habeant, & Cato in libris De disciplina militari euidenter

* *Ms.* docen-tur.

osten-

ostendit,& Claudius pluribus iaculatoribus* [antè] institutis atque perdoctis, hostem, cui prius impar fuerat, superauit. Aphricanus quidem Scipio, cùm aduersum Numantinos, qui exercitum populi Romani sub iugum miserant, esset acie certaturus, aliter se superiorem futurum [esse] non credidit, nisi in omnibus centuriis lectos sagittarios miscuisset.

* *Redundare libri clamant, si fortè & sententia.*

CAP. XVI.

Ad iactandos lapides exercendos tyrones.

AD lapides verò, vel manibus, vel fundis iaciendos, exerceri diligenter conuenit iuniores. Fundarum [autem] vsum primi Balearium insularum habitatores & inuenisse, & ita peritè exercuisse dicuntur, vt matres paruos filios nullum cibum contingere sinerent, nisi quem ex funda destinato lapide percussissent. Sæpè enim aduersum bellatores cassidibus, cataphractis, loricisque munitos, teretes lapides de funda, vel fustibalo destinati, sagittis sunt omnibus grauiores: cum membris integris, letale tamen vulnus importent: & sine inuidia sanguinis, hostis lapidis ictu intereat. In omnibus autem veterum prœliis funditores militasse nullus ignorat. Quæ res ideo ab vniuersis tyronibus frequenti exercitio discenda est, quia fundam portare, nullus est labor. Et interdum euenit, vt in lapidosis locis conflictus habeatur, vt aut mons sit aliquis defendendus aut collis, aut ab oppugnatione castellorum siue ciuitatum, lapidibus barbari fundisque pellendi sint.

CAP. XVII.

De exercitio plumbatarum.

PLVMBATARVM quoque * exercitatio (quos Martiobarbulos vocant) tradenda est iunioribus. Nam

* *In m.l.* exercitio.

Nam in Illyrico dudum duæ legiones fuerunt, quæ sena millia militum habuerunt: quæ quòd his telis scienter vtebantur & fortiter, Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore strenuissimè constat omnia bella confecta: vsque eò, vt Diocletianus & Maximianus, cùm ad imperium peruenissent, pro merito virtutis hos Martiobarbulos, Iouianos, atque Herculianos censuerint appellandos, eosque cunctis legionibus prætulisse doceantur. Quinos autem Martiobarbulos insertos scutis portare consueuerunt: quod si opportunè milites *iaciunt, propè sagittariorum scutati *mutuari videntur officium. Nam hostes, equosque consauciant, priusquàm non modò ad manum, sed ad ictum missilium potuerit peruenirì.

*VV. iactant, *In optimis Mss. & VV. imitari

CAP. XVIII.

Quemadmodum ad ascendendos equos tyrones exercendi sint.

NON tantùm autem à tyronibus, sed etiam à *stipendiariis militibus salitio equorum districtè est semper *exacta. Quem vsum vsque ad hanc ætatem, licet iam cum dissimulatione, peruenisse manifestum est. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos iuniores primò inermes, dum consuetudine proficerent, *demum armati cogebantur ascendere. Tantaque cura erat, vt non solùm à dextris, sed etiam à sinistris [partibus] & insilire & desilire condiscerent, euaginatos etiam gladios, vel contos tenentes. Hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet vt in tumultu prœlij sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.

*Ex Mss. & alijs lege, ab stipendijs *Ex iisdem, exercenda

*Scribo, deinde

CAP.

CAP. XIX.

Ad portandum pondus exercendos tyrones.

PONDVS quoque baiulare vsque ad 60. libras, & iter facere gradu militari, frequentissimè cogendi sunt iuniores, quibus in arduis expeditionibus necessitas imminet annonam pariter & arma portandi. Nec hoc credatur esse difficile, si vsus accesserit: nihil enim est, quod non assidua meditatio facillimum reddat. Quam rem antiquos milites factitauisse, Vergilio ipso teste, cognoscitur; qui ait: *

* *Virgil. III. Georg.*

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cùm carpit, & hosti
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

CAP. XX.

Quo armorum genere vsi sint antiqui.

LOCVS exigit, vt quo armorum genere, vel instruendi, vel muniendi sint tyrones, referre tentemus. Sed in hac parte antiqua penitus consuetudo deleta est: nam licet exemplo Gotthorum & Alanorum Hunnorumque equitum arma profecerint, pedites *[tamen] constat esse nudatos. Ab vrbe enim condita vsque ad tempus D. Gratiani, & cataphractis & galeis muniebatur pedestris exercitus. Sed cùm campestris exercitatio interueniente negligentia, desidiaque cessaret, grauia videri arma cœperunt, quæ rarò vtique milites induebant. Itaque ab imperatore postulant, primò cataphractas, deinde * cassides deponere: sic detectis pectoribus & capitibus, congressi contra Gotthos milites nostri, multitudine sagittariorum sæpe deleti sunt: nec post tot clades, quæ vsque ad tantarum vrbium excidia peruenerunt, cuiquam curæ fuit, vel cataphractas vel

* *Damnant libri, locutione non insolenti.*

* *Alij, cassides esse debere refundere: de quo vide Notas meas.*

vel galeas pedestribus reddere. Ita fit, vt non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. Quid enim pedes sagittarius sine cataphracta, sine galea, qui cum arcu scutum tenere non potest, faciat? Quid ipsi draconarij, atque signiferi, qui siniſtra manu hastas gubernant, in prœlio facient, quorum & capita nuda esse constat, & pectora? Sed grauis pediti lorica videtur, & galea fortasse, * rarò meditanti arma, rarò tractanti. Cæterùm quotidianus vsus non laborat, etiam si onerosa gestauerit. Sed illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum, ferre non possunt, detectis corporibus & vulnera sustinere coguntur & mortes: &, quod est grauius [& turpius] aut capi, aut certè fuga rempublicam prodere. Sic dum exercitium laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur, vt pecudes. Vnde enim apud antiquos Murus dicebatur pedestris exercitus: nisi quòd pilatæ legiones præter scuta etiam cataphractis galeisque fulgebant? vsque eò, vt sagittarij siniſtra brachia manicis munirentur. Pedites autem scutati, præter cataphractas & galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogerentur accipere. Sic erant muniti illi, qui in prima acie pugnantes Principes, in secunda Hastati, in tertia Triarij vocabantur. Sed Triarij genibus positis solebant intra scuta subsidere, ne stantes vulnerarentur, venientibus telis: & cùm necessitas postulasset, tanquam requieti vehementiùs inuaderent hostes, à quibus constat sæpe factam esse victoriam, cùm hastati illi, & qui priores steterant, interiissent. Erant autem apud veteres inter pedites, qui dicebantur leuis armaturæ funditores, & ferentarij: qui præcipuè in cornibus locabantur, & à quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi & velociſſimi & exercitatiſſimi legebantur. Nec erant admodum multi, qui cedentes (si prœlij necessitas compulisset) in-

* *Legendum coniecto*, rarò meditanti, rarò arma tractanti.

ter principia legionum recipi solebant, ita vt acies immota consisteret. Vsque ad præsentem propè ætatem consuetudo permansit, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus vterentur: quod propterea seruabatur, ne grauis galea videretur in prœlio homini, qui gestabat aliquid semper in capite. Missilia autem, quibus vtebatur pedestris exercitus, pila vocabantur, ferro subtili trigono præfixa, vnciarum nouem siue pedali, quod in scutum fixum non posset abscindi, & loricam, scienter ac fortiter directum, facilè perrumpit. cuius generis apud nos iam rara sunt tela. Barbari autem scutati pedites, his præcipuè vtuntur, quas bebras vocant, & binas etiam ac ternas in prœliis portant. Sciendum præterea, cùm missilibus agitur, sinistros pedes in antè milites habere debere: ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est. Sed cùm ad pila (vt appellant) venitur, & manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes in antè milites habere debent: vt & latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint vulnus accipere, & proximior dextra sit, quæ plagam possit inferre. Instruendos igitur ac protegendos omni arte pugnandi, quocunque genere armorum constat esse tyrones. Necesse est enim, vt dimicandi acriorem sumat audaciam, qui munito capite vel pectore non timet vulnus.

CAP. XXI.

De munitione castrorum.

CASTRORVM quoque munitionem debet tyro condiscere: nihil enim, neque tam salutare, neque tam necessarium inuenitur in bello: quippe si rectè constituta sunt castra, ita intra vallum securi milites dies noctesque peragunt, etiam si hostis quasi obsideat, muratam ciuitatem videantur secum vbique portare. Sed huius

huius rei scientia prorsus intercidit: nemo enim iam diu ductis fossis, præfixisque sudibus castra constituit. Sic diurno vel nocturno superuentu equitum barbarorum, multos exercitus scimus frequenter afflictos. Non solùm autem * confidentes sine castris ista patiuntur, sed cùm in acie casu aliquo cœperint cedere, munimenta castrorum, quò se recipiant, non habent, & more animalium * multi cadunt. Nec prius moriendi finis fit, quàm hostibus voluntas defuerit persequendi.

* *Corrigo*, confidentes, *etsi non iuuor libri.*

* *Lege meo periculo*, inulti

CAP. XXII.

In quibus locis constituenda sint castra.

CASTRA autem, præsertim hoste vicino, tuto semper facienda sunt loco: vbi & lignorum & pabuli & aquæ suppetat copia. Et si diutius commorandum sit, loci salubritas eligetur. Cauendum etiam ne mons sit * vicinus altior, qui ab aduersariis captus, possit offi- cere. Considerandum [etiam] ne torrentibus inundari consueuerit campus, & hoc casu vim patiatur exercitus. Pro numero autem militum, vel impedimentorum munienda sunt castra, ne maior multitudo constipetur in paruis, néve paucitas in latioribus vltrà quàm oportet cogatur extendi.

* *Malim*, vicinior, aut altior.

CAP. XXIII.

Quali specie delineanda sint castra.

INTERDVM autem quadrata, interdum trigona, interdum semirotunda, prout loci qualitas aut necessitas postulauerit, castra facienda sunt. Porta autem, quæ appellatur prætoria, aut Orientem spectare debet, aut illum locum qui [ad] hostes respicit: aut si iter agitur, illam partem debet attendere, ad quam est profecturus exercitus, intra quam primæ centuriæ, hoc est,

cohortes, papiliones tendunt,& dracones, & signa constituunt. Decumana autem porta, quæ appellatur, post * prætoriam est, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.

* *Mss.* prætorium

CAP. XXIIII.

Quo genere munienda sint castra.

CASTRORVM autem diuersa triplexque munitio est. Nam si nimia necessitas non premit,cespites circumciduntur è terra, & ex illis velut murus instruitur, altus tribus pedibus supra terram, ita vt * ante sit fossa de qua leuati sint cespites: deinde tumultuaria fossa fit lata pedes nouem, & alta pedes septem. Sed vbi vis acrior imminet hostium, tunc legitima fossa ambitum conuenit munire castrorum, ita vt 12. pedes lata sit, & alta sub linea (sicut appellant) pedes nouem. Suprà autem sepibus hinc inde factis,quæ de fossa egesta fuerit terra congeritur, & crescit in altum quatuor pedes. Sic fit vt sit alta tredecim pedes, duodecim lata: supra quam sudes de lignis fortissimis,quas milites portare consueuerunt, præfiguntur. Ad quod opus ligones, * rastra, qualos, aliaque vtensilium genera habere conuenit semper in promtu.

* *Vera lectio est*, in ante

* *Audeo legere*, rutra, *quanquam libris omnibus reclamantibus.*

CAP. XXV.

Quemadmodum munienda sint castra, cùm hostis immineat.

SED facile est absentibus aduersariis castra munire, verùm si hostis incumbat, tunc omnes equites, & media pars peditum, ad propulsandum impetum ordinantur in acie, reliqui post ipsos ductis fossis muniunt castra: & per præconem indicatur, quæ centuria prima, quæ secunda, quæ tertia,donec opus omne compleuerit.

Post

Post hoc à centurionibus fossa inspicitur, ac mensuratur, & vindicatur in eos, qui negligentiùs fuerint operati. Ad hunc ergo vsum instituendus est tyro, vt cùm necessitas postulauerit, sine perturbatione, & celeriter, & cautè possit castra munire.

CAP. XXVI.

Quemamodum exerceantur tyrones, vt in acie ordines & interualla custodiant.

NIHIL magis prodesse constat in pugna, quàm vt assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines * [indesinenter] seruent, nec * vltra, quàm expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Nam vt constipati perdunt spacia pugnandi, & sibi inuicem impedimento sunt: ita rariores atque interlucentes, aditum perrumpendi hostibus * præstant. Necesse est autem statim metu vniuersa confundi, si intercisa acie ad dimicantium terga hostis accesserit. Producendi ergo tyrones sunt semper ad campum, & secundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi, ita vt primò simplex extensa sit acies, ne quos sinus, ne quas habeat curuaturas: vt æquali legitimoque spacio miles distet à milite. Tunc præcipiendum, vt subitò duplicent aciem, ita vt in ipso impetu, is ad quem respondere solent, ordo seruetur. Tertiò præcipiendum, vt quadratam aciem repentè constituant: quo facto in trigonum (quem cuneum vocant) acies ipsa * mutanda est. Quæ ordinatio plurimùm prodesse consueuit in bello. Iubetur etiam vt instruant orbes, quo genere cùm vis hostium interrupetit aciem, resisti ab exercitatis militibus consueuit, ne omnis multitudo fundatur in fugam, & graue discrimen immineat. Hæc si iuniores assidua meditatione perceperint, faciliùs in ipsa dimicatione seruabunt.

* *Libri meliores notæ non recipiunt.*

* *Idem præ se ferunt*, necubi contra

* *In iisdem videas*, dabunt.

V V. *aliquot, itẽ Modestus*, vertenda est.

CAP. XXVII.

Quantum ſpacium ire, vel redire debeant, vel quoties in menſe exerceri, cùm educuntur milites ambulatum.

PRÆTEREA & vetus conſuetudo permanſit, & diui Auguſti atque Hadriani conſtitutionibus præcauetur, vt ter in menſe, tam equites quàm pedites, educantur ambulatum: hoc enim verbo, hoc exercitij genus nominant. Decem millia paſſuum armati inſtructique omnibus telis pedites, militari gradu ire, ac redire iubebantur in caſtra, ita vt aliquam itineris partem curſu alacriore conficerent. Equites quoque diuiſi per turmas, armatique, ſimiliter tantum itineris peragebant, ita vt *ad equeſtrem meditationem interdum ſequerentur, interdum cederent, & recurſu quodam * impetus repararent. Non ſolùm autem in campis, ſed etiam in cliuoſis & arduis locis, & aſcendere & deſcendere vtraque acies cogebatur, vt nulla res vel caſus prorſus pugnantibus poſſet accidere, quam non antè boni milites aſſidua exercitatione didiciſſent.

* *Liber Mſſ.* ad æqualem
* *Malũt membranæ* in prœliis repedarent.

CAP. XXVIII.

De adhortatione rei militaris, Romanæq; virtutis.

HÆC fidei ac deuotionis intuitu, Imperator inuicte, de vniuerſis auctoribus qui rei militaris diſciplinam literis mandauerunt, in hunc libellum enucleata congeſſi, vt in delectu atque exercitatione tyronum, ſi quis diligens velit exiſtere, ad antiquæ virtutis imitationem facilè corroborare poſſit exercitum. Neque enim degenerauit in hominibus Martius calor, nec effœtæ ſunt terræ, quæ Lacedæmonios, quæ Athenienſes, quæ Marſos,

Marsos, quæ Samnites, quæ Pelignos, quæ ipsos progenuêre Romanos. Nonne Epirotæ armis plurimùm aliquando valuerunt? Nonne Macedones ac Thessali, superatis Persis vsque ad Indiam bellando penetrarunt? Dacos autem & * Medos, ac Thraces, in tantum bellicosos semper fuisse manifestum est, vt ipsum Martem fabulæ apud eos natum esse confirment. Longum est, si vniuersarum prouinciarum vires enumerare contendam, cùm omnes in Romani Imperij ditione consistant. Sed longæ securitas pacis, homines partim ad *delectationem ocij, partim ad ciuilia traduxit officia. Ita cura exercitij militaris primò negligentiùs agi, postea dissimulari, ad postremum olim in obliuionem perducta cognoscitur: nec aliquis hoc superiore ætate accidisse miretur, cùm post primum Punicum bellum, viginti, & quod excurrit, annorum pax; ita Romanos illos vbique victores ocio & armorum desuetudine enerauerit; vt secundo Punico bello Hannibali pares esse non possent. Tot * itaque consulibus, tot ducibus, tot exercitibus amissis, tunc demum ad victoriam peruenerunt, cùm vsum exercitiumque militare condiscere potuerunt. Semper ergo legendi & exercendi sunt iuniores. Vilius enim constat erudire armis suos, quàm alienos mercede conducere.

*Libri optimi constanter, Mœsos, & id rectum est.

*VV. aliquos habent dilectionem

*Liber meus mauult vbique

FLAVI VEGETI RENATI DE RE MILITARI, LIBRI SECVNDI

Prologus.

INSTITVTA *maiorum artis armaturæ plenissimè clementiam vestram peritissimeq́ retinere, cõtinuis declaratur victoriis ac triumphis. Siquidem indubitata approbatio artis sit, rerum semper effectus. Verùm tranquillitas tua, Imperator inuicte, altiori consilio, quàm mens terrena poterat concipere, ex libris *antiqua desiderat, cùm ipsam antiquitatem factis recentibus antecedat. Igitur cùm hæc literis breuiter comprehendere, maiestati vestræ nõ tam discenda, quàm recognoscenda præciperer, certauit sæpius deuotio cum pudore. Quid enim audacius, quàm domino ac principi generis humani, domitori omnium gentium barbararũ, aliquid de vsu ac disciplina insinuare bellorum? nisi fortè iussisset fieri quod ipse gessisset. rursum tanti Imperatoris non obedire mandatis, plenum sacrilegij videbatur atque periculi. Miro itaque *timore in parendo audax factus sum, dum metuo videri audacior, si *negassem. Ad quam*

* Aliàs, *antiquorum ea*

* In plerisque est, *modo*
* In iisdem, *neglexissem.*

quam temeritatem, præcedens me indulgentiæ vestræ perennitas animauit. Nam libellum de delectu atque exercitatione tyronum, dudum tanquam famulus obtuli: nec tamen culpatus abscessi. Nec formido iussum aggredi opus, quod spontaneum cessit impunè.

CAP. I.

In quot genera diuidatur res militaris.

RES igitur militaris (sicut Latinorum egregius auctor, carminis sui testatur exordio) armis constat & viris. Hæc in tres diuiditur partes, Equites, Pedites, Classes. Equitum alæ dicuntur, ab eo quòd ad similitudinem alarum ab vtraque parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur * à velo, quia velis, hoc est, * flammulis vtuntur. Est & aliud genus equitum, qui legionarij vocantur, propterea quòd connexi sunt legioni: ad quorum exemplum ocreati equites sunt instituti. Classium item duo genera sunt. Vnum liburnarum, aliud lusoriarum. Equitibus campi; classibus maria & flumina; peditibus colles, vrbes, plana, & abrupta seruantur. Ex quo intelligitur, magis reipublicæ necessarios pedites, qui possunt vbique prodesse. Et maior numerus *peditum, sumtu & expensa minore nutritur. Exercitus ex re ipsa atque opere exercitij, nomen accepit, vt ei nunquam liceret obliuiscì, quod vocabatur. Verùm ipsi pedites, in duas diuisi sunt partes, hoc est, in auxilia & legiones. Sed auxilia à sociis, vel fœderatis gentibus mittebantur. * Romana autem virtus, præcipuè in legionum ordinatione præpollet. Legio autem ab elegendo appellata est: quod vocabulum eo-

* *Membranæ habent*, ab eo quòd velis, * *Forte*, flammeolis

* V V. *constanter*, militum, *quid si vtroque caucamus?*

* *Lege*, Romana autè res,

rum desiderat fidem atque diligentiam, qui milites probant. in auxiliis minor, in legionibus longè amplior consueuit militum numerus asscribi.

CAP. II.

Quid inter legiones, & auxilia intersit.

DENIQVE Macedones, Græci, Dardani, phalanges habuerunt, & in vna Phalange armatorum octo milia censuerunt. Galli atque Celtiberi, pluresque barbaricæ nationes, cateruis vtebantur in prœlio, in quibus erant sena milia armatorum. Romani legiones habent, in quibus singuli sena milia, interdum amplius, militare consueuerunt. Quid autem inter legiones, & auxilia interesse videatur, expediam. Auxiliares conducuntur ad prœlium, ex diuersis locis, ex diuersis *muneribus venientes: nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentiunt. Alia instituta, alius inter eos est vsus armorum. Necesse est autem tardiùs ad victoriam peruenire, qui discrepant antequam dimicent. Denique cùm in expeditionibus plurimùm prosit, omnes milites vnius præcepti significatione conuerti, non possunt æqualiter iussa complere, qui antè pariter non fuerunt. Tamen hæc ipsa si solennibus diuersisque exercitiis propè quotidie roborentur, non mediocriter iuuant. Nam legionibus semper auxilia, tanquam leuis armatura in acie iungebantur, vt in his prœliandi magis adminiculum esset, quàm principale subsidium. Legio autem propriis cohortibus plena, cùm grauem armaturam, hoc est, principes hastarios, triarios, antesignanos: item leuem armaturam, hoc est, ferentarios, sagittarios, funditores, balistarios; cùm proprios & sibi insitos equites legionarios, iisdem matriculis teneat: cùm vno animo, pariq́ue consensu castra muniat; aciem instruat,

* numeris *genuina lectio est.*

instruat, prœlium gerat; ex omni parte perfecta; nullo extrinsecus indigens adiumento; quantamlibet hostium multitudinem superare consueuerat. Documentum est magnitudo Romana, quæ semper cum legionibus dimicans, tantum hostium vicit, quantum vel ipsa voluit, vel rerum natura permisit.

CAP. III.

Quæ causæ exhauriri fecerint legiones.

LEGIONVM nomen in exercitu permanet hodieque, sed per negligentiam superiorum temporum, robur infractum est, cùm virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promouerentur milites, qui promoueri consueuerant per laborem. Deinde contubernalibus, completis stipendiis, per testimoniales ex more dimissis, non sunt alij substituti. Præterea necesse est, morbo aliquantos debilitari, atque dimitti, aliquantos * [militiam] deserere, vel diuersis casibus interire: vt nisi annis singulis, imò singulis penè mensibus in decedentium locum iuniorum turba succedat, quamuis copiosus exhauriatur exercitus. Est & alia causa, cur attenuatæ sint legiones. Magnus in illis labor est militandi, grauiora arma, * sera munera, seuerior disciplina. Quod vitantes plerique, in auxiliis festinant militiæ sacramenta percipere, vbi & minor sudor, & maturiora sunt præmia. Cato ille maior, cùm & armis inuictus esset, & consul exercitus sæpè duxisset, plus se reipub. credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in literas. Nam vnius ætatis sunt, quæ fortiter fiunt; quæ verò pro vtilitate reipublicæ scribuntur, æterna sunt. Idem fecerunt alij complures, sed præcipuè Frontinus diuo Traiano * ob eiusmodi comprobatur industriam. Horum instituta, horum præcepta, in quantum valeo, strictim fideliterque signabo. Nam cùm eadem expen-

* *Glossema est additum ab iis qui phrasin non intellexerunt.*

* *Exemplaria optimæ notæ constanter,* plura

* *Iterum libri optimi, ab* eiusmodi cõprobatus industria.

expensas faciat & diligenter & negligenter exercitus ordinatus, non solùm præsentibus, sed etiam futuris seculis proficiet: si prouisione maiestatis tuæ, Imperator Auguste, & fortissima dispositio reparetur armorum, & emendetur dissimulatio præcedentium.

CAP. IIII.

Quotenas legiones antiqui ad bellum duxerunt.

IN omnibus auctoribus inuenitur, singulos consules aduersus hostes copiosissimos, non amplius quàm binas duxisse legiones, additis auxiliis sociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, vt cuiuis bello duæ legiones crederentur posse sufficere. Quapropter ordinationem legionis antiquæ secundum normam militaris iuris exponam. Quæ descriptio si obscurior aut impolitior videbitur, non mihi, sed difficultati ipsius rei conuenit imputari. Attento itaque animo sæpius relegenda sunt, vt memoria intellegentiaque valeant comprehendi. Necesse est enim inuictam esse rempublicam, cuius Imperator militari arte percepta, quantos voluerit faciat exercitus bellicosos.

CAP. V.

Quemadmodum legio constituatur.

DILIGENTER igitur lectis iunioribus, animis corporibusque præstantibus, additis etiam exercitiis quotidianis, quatuor vel eò amplius mensium, iussu auspiciisque inuictissimi principis legio formatur. Nam * puncturis in cute punctis milites scripti * & matriculis inserti iurare solent. Et ideo militiæ sacramenta dicuntur. Iurant autem per Deum, & per Christum, & per Spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est &

* *Scribo*, victuris
* *Corrige*, cum matriculis inseruntur

est & colenda. Nam Imperatori, cùm Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & corporali Deo fidelis est præstanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus. Deo enim vel priuatus, vel militans seruit, cùm fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. Iurant autem milites, omnia se strenuè facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos [militiam,] nec mortem recusaturos pro Romana Republica. *Suspicor ab aliena manu esse.

CAP. VI.

Quot cohortes in vna sint legione, item quot milites in vna cohorte.

SCIENDVM est autem, in vna legione decem cohortes esse debere. Sed prima cohors reliquas, & numero militum & dignitate præcedit. Nam genere atque institutione literarum viros electissimos quærit. Hæc enim suscipit aquilam, quod præcipuum signum in Romano est semper exercitu, & totius legionis insigne. Hæc imagines imperatorum, hoc est, diuina & præsentia signa veneratur. Habet pedites mille centum quinque. Equites loricatos centum triginta duos: & appellatur cohors miliaria. Hæc caput est legionis, ab hac, cùm pugnandum est, prima acies incipit ordinari. Secunda cohors habet pedites 555. Equites 66. & appellantur cohors quingentaria. Tertia cohors similiter habet pedites 555. Equites 66. sed in hac cohorte tertia, validiores probari moris est, quia in media acie consistit. Cohors quarta habet pedites quingentos quinquaginta quinque. Equites 66. Cohors quinta habet pedites 555. equites 66. Sed & quinta cohors strenuos desiderat milites: quia sicut prima in dextro, ita quinta in sinistro ponitur cornu. Hæ quinq. cohortes in prima acie ordinantur. Sexta cohors habet pedites 555. Equites 66.

tes 66. In ipsa quoque * enucleati asscribendi sunt iuniores: quia in secunda acie post Aquilam & Imagines cohors sexta cõsistit. Cohors septima habet pedites 555: Equites 66. Cohors octaua habet pedites 555: Equites 66. Sed & ipsa animosos desiderat viros: quia in secunda acie consistit in medio. Cohors nona habet pedites 555: Equites 66. Cohors decima habet pedites 555: Equites 66. & ipsa bonos accipere consueuit bellatores: quia in secunda acie sinistrũ possidet cornu. His decem cohortibus legio plena fundatur, quæ habet pedites sex milia centum, equites septingentos viginti sex. Minor itaque numerus armatorum in *vna legione esse non debet. Maior autem interdum esse consueuit, si non tantùm vnam cohortem, sed etiam alias miliarias fuerit iussa susscipere.

*VV aliquot, enucleatum

*In V. & Modesto, vna quaque

CAP. VII.

Nomina & gradus principum legionis.*

* Liber v. principiorum

ANTIQVA ordinatione legionis exposita, principalium militum, & (vt proprio vtar vocabulo) * principum nomina, & dignitates secundum præsentes matriculas indicabo. Tribunus maior per epistolam sacram Imperatoris iudicio destinatur. Minor tribunus prouenit ex labore. Tribunus autem vocatur à tribu: quia præest militibus, quos ex tribu primus Romulus legit. Ordinarij dicuntur, qui in prœlio primos ordines ducunt. Augustales appellantur, qui ab Augusto ordinariis iuncti sunt. Flauiales item tanquam secundi Augustales, à diuo Vespasiano sunt legionibus additi. Aquiliferi, qui aquilam portant. Imaginarij vel imaginiferi, qui Imperatoris imagines ferunt. Optiones ab optando appellati, quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam * adoptati eorum, atque vicarij solent vniuersa curare. Signiferi, qui signa portant: quos nunc draconarios

* VV. tã editi, quàm Mſs. legunt, principiorum

* Membranæ aliquot, & Modestus, adoptati, cum eorum vicario.

narios vocant. Tesserarij, qui tesseram per contubernia militum nunciant. Tessera autem dicitur præceptum ducis, quo vel ad [aliquod] opus, vel ad bellum mouetur exercitus. Campigeni, hoc est, antesignani, ideo sic nominati, quia eorum opera atque virtute exercitij genus crescit in campo. Metatores, qui præcedentes, locum eligunt castris. Beneficiarij, ab eo appellati, quòd promouentur beneficio tribunorum. Librarij, ab eo, quòd in libros referant rationes ad milites pertinentes. Tubicines, Cornicines, & Buccinatores, qui tuba vel ære curuo, vel buccina committere prælium solent. Armaturæ duplares, quæ binas consequuntur annonas. Simplares, quæ singulas. Mensores, qui in castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant, vel hospitia in ciuitatibus præstant. Torquati duplares; Torquati simplares, quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit, quem qui meruisset, præter laudem interdum duplas consequebatur annonas: duplares duas, * simplares vnam. Erant & secundum annonam candidati duplares, candidati simplares. Hi sunt milites principales, qui priuilegiis muniuntur. Reliqui munifices appellantur, quia * munia facere coguntur.

*In membranis est, sesquiplares vnam semis.

*Libri aliquot, munera

CAP. VIII.

Nomina eorum, qui antiquos ordines ducebant.

VETVS autem consuetudo tenuit, vt ex primo principe legionis, promoueretur Centurio primipili: qui non solùm aquilæ præerat, verumetiam quatuor centurias, hoc est, quadringentos milites, in prima acie gubernabat. Hic tanquam caput totius legionis merita consequebatur & commoda. Item primus hastatus duas centurias, id est, ducentos homines ducebat in acie secunda, quem nunc ducenarium vocant. Princeps

ceps autem primæ cohortis centuriam ſemis, hoc eſt, centum quinquaginta homines gubernabat. Ad quem propè omnia, quæ in legione * ordinata ſunt, pertinent. Item ſecundus haſtatus centuriam ſemis, id eſt, centum quinquaginta homines regebat. Triarius prior, centum homines gubernabat: ſic decem centuriæ cohortis primæ, à quinque ordinariis regebantur: quibus magnæ vtilitates, & magnus honor eſt à veteribus conſtitutus: vt ceteri milites ex tota legione omni labore ac deuotione contenderent ad tanta præmia peruenire. Erant * enim centuriones, qui ſingulas centurias curabant: qui nunc centenarij nominantur. Erant decani, denis militibus præpoſiti: qui nunc caput contubernij vocantur. Secunda cohors habebat centuriones quinque. Similiter tertia, & quarta, vſque ad decimam cohortem: in tota autem legione erant centuriones quinquaginta quinque.

* *Rectius legeris* ordinanda

* *Legendum*, etiam

CAP. IX.

De officio præfecti legionis.

SED legati Imperatoris * ex conſularibus ad exercitus mittebantur, quibus legiones, & auxilia vniuerſa obtemperabant in ordinatione pacis vel neceſſitate bellorum, in quorum locum nunc illuſttes viros conſtat magiſtros militum ſubſtitutos, à quibus non tantùm binæ legiones, ſed etiam plures * numero gubernantur. Proprius autem iudex erat præfectus legionis, habens comitiuam primi ordinis dignitatem, qui abſente legato, tanquam vicarius ipſius poteſtatem maximam retinebat. Tribuni vel centuriones, ceteriſque milites, eius præcepta ſeruabant. Vigiliarum ſiue profectionis teſſera ab eodem petebatur. Si miles crimen aliquod admiſiſſet, auctoritate præfecti legionis deputabatur à tribuno ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, veſtes,

* *Reſtituo*, ex conſulibus

* numeri *vera ſcriptura.*

vestes, & annona, ad curam ipsius pertinebant. Disciplinæ ius, & seueritas: * exercitatio, non solùm peditum, sed etiam equitum legionariorum, præcepto eius quotidie curabatur. Ipse autem custos diligens & sobrius, legionem sibi creditam assiduis operibus ad omnem deuotionem, ad omnem formabat industriam: sciens ad præfecti laudem subiectorum redundare virtutem.

*Non malè libri Mſs. exercitio,

CAP. X.

De officio præfecti castrorum.

ERAT etiam castrorum præfectus, licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus causis: ad quem castrorum positio, valli & fossæ * destinatio pertinebat. Tabernacula vel casæ militum, cum impedimentis omnibus, nutu ipsius curabantur. Præterea ægri contubernales & medici, à quibus curabantur, expensæ etiam ad eius industriam pertinebant. Vehicula, * sagittarij, necnon etiam ferramenta, quibus materies * secatur vel cæditur, quibus aperiuntur fossæ, * contexitur vallum aquæ ductus. Item ligna vel stramina, arietes, onagri, balistæ, ceteraque genera tormentorum, ne deessent aliquando, procurabat. Is post longam probatamque militiam peritissimus omnium legebatur: vt rectè docerer alios, quod ipse cum laude fecisset.

* *Melior lectio* æstimatio

* *Emendo*, sagmarij.
* *Lege*, serrātur
* *Quidsi scripserimus*, cōsepitur vallum, aqua educitur.

CAP. XI.

De officio præfecti fabrorum.

HABET præterea legio * fabros lignarios, instructores, carpentarios, ferrarios, pictores, reliquosq. artifices ad hybernorum ædificia fabricanda; ad machinas, turres ligneas, ceteraque, quibus vel expugnantur aduersariorum ciuitates, vel defenduntur propriæ, præparatos: qui arma, qui vehicula, ceteraque genera

* *Rectè Modius emendabat* fabros, tignarios, structores,

tormentorum, vel noua facerent, vel quaſſata repararent. Habebant etiam fabricas ſcutarias, loricarias, arcuarias, in quibus ſagittæ, miſſilia, caſſides, omniaque armorum genera formabantur. Hæc enim erat cura præcipua, vt quicquid exercitui neceſſarium videbatur, nunquam deeſſet in caſtris: vſque eò, vt etiam cuniculatios haberent, qui ad morem Beſſorum, ducto ſub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfoſſis, improuiſi emergerent ad vrbes hoſtium capiendas. Horum iudex erat proprius præfectus fabrorum.

CAP. XII.

De officio tribuni militum.

DECEM cohortes habere legionem diximus: ſed prima erat miliaria, in qua cenſu, genere, literis, forma, virtute, pollentes milites mittebantur. Huic tribunus præerat, armorũ ſcientia, virtute corporis, morum honeſtate præcipuus. Reliquæ cohortes, prout principi placuiſſet, à tribunis, vel à præpoſitis regebantur. Tanta autem ſeruabatur exercendi milites cura, vt non ſolùm tribuni, vel præpoſiti contubernales ſibi creditos, ſub oculis ſuis iuberent quotidie meditari, ſed etiam ipſi armorum arte perfecti, ceteros ad imitationem proprio cohortarentur exemplo. Tribuni autem ſolicitudo *per hanc laudatur induſtriam: cùm miles veſte nitidus, armis benè munitus, ac fulgens, exercitij vſu, & diſciplina eruditus * incedit.

*Recipiendum ex VV. Tribuni laudabatur induſtria:

*Ex iiſdem legamus incedebat.

CAP. XIII.

De centuriis atque vexillis peditum.

PRIMVM ſignum totius legionis eſt Aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per ſingulas cohortes à draconariis feruntur ad prœlium. Sed antiqui, *quia ſciebant in acie, commiſſo bello, celeriter ordines, aciesque

*Liber V. & Mcdeſtus, qui

aciesque turbari, atque confundi; ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt: ita vt ex qua cohorte, vel quota esset centuria, in illo vexillo literis esset ascriptum, quod intuentes, vel legentes milites, in quantouis tumultu, à contubernalibus suis aberrare non possent. Centuriones insuper, qui nunc centenarij vocantur, transuersis cassidum * cristis, vt faciliùs noscerentur, quos singulas iusserunt gubernare centurias: quatenus nullus error existeret, cùm centeni milites sequerentur, non solùm vexillum suum, sed etiam centurionem, qui signum habebat in galea. Rursus ipsæ centuriæ in contubernia diuisæ sunt: vt decem militibus sub vno papilione degentibus, vnus * [quasi] præesset decanus, qui caput contubernij nominatur. Contubernium autem manipulus vocabatur, ab eo quòd coniunctis manibus pariter dimicabant.

* *Membranæ inserunt* cristis litteras habebant,

* *Fortean* quoque

CAP. XIIII.

De turmis equitum legionariorum.

QVEMADMODVM inter pedites centuria vel manipulus appellatur, ita inter equites turma dicitur. Et habet vna turma equites 32. Huic qui præest, Decurio nominatur. * Vt enim centum pedites ab vno centurione, sub vno vexillo gubernantur, similiter 32. equites ab vno decurione, sub vno vexillo reguntur. Præterea sicut centurio eligendus est, qui sit magnis viribus & procera statura; qui hastas vel missilia peritè iaculetur & fortiter; qui dimicare gladio, & scutum rotare doctissimè nouerit; qui omnem artem didicerit armaturæ, vigilans, sobrius, agilis, magis ad facienda, quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus: [qui] contubernales suos ad disciplinam retineat; ad armorũ exercitium cogat, vt benè vestiti, & calceati sint; vt arma

* *Emendandũ* Vt enim cẽtum, & decem pedites

omnium defricentur ac splendeant: similiter elegendus est decurio, qui turmæ equitum præponatur, imprimis habili corpore, vt loricatus,& armis circundatus omnibus, cum summa admiratione equum possit ascendere; equitare fortissimè; conto scienter vti; sagittas doctissimè mittere; turmales suos, id est, sub cura sua equites positos erudire ad omnia, quæ equestris pugna deposcit: eosdem cogere loricas, vel cataphractas, contos, & cassides frequenter tergere, & curare. Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum; cuius dissimulatione, situ, ac rubigine arma fœdantur? Non solùm autem equites, sed etiam ipsos equos assiduo labore conuenit edomari. Itaque ad decurionem & sanitatis,& exercitationis tam hominum, quàm equorum pertinet cura.

CAP. XV.

Quemadmodum legionum acies instruantur.

NVNC qualiter instruenda sit acies, si pugna immineat, declaretur vnius legionis exemplo: quod si vsus exegerit, transferri possit ad plures. Equites locantur in cornibus. Acies peditum à prima cohorte incipit ordinari in cornu dextro. Huic cohors secunda coniungitur. Tertia cohors in media acie collocatur. Huic annectitur quarta. Quinta verò [cohors] sinistrum suscipit cornu. Sed ante signa, & * citra signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes *vocantur, hoc est, ordinarij, ceteriqúe principales. Hæc erat grauis armatura, qui habebant cassides, cataphractas, ocreas, scuta, gladios maiores, quos spathas vocant, & alios minores, quos semispathas nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu iaciunt. Item bina missilia, vnum maius, ferro triangulo, vnciarum nouem, * hastili pedum quinque * [&] semis,

* *Libri melio. rei, & Modestus* circa
* *Idem*, vocabantur,

* *Verius* hastile
* *Abiiciendum est.*

semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, ad cuius iactum exercebantur præcipuè milites, quod arte, & virtute directum. & scutatos pedites, & loricatos equites sæpè transuerberabat: aliud minus, ferro triangulo vnciarum quinque, * hastili trium pedum [&] semis, quod tunc verticulum, nunc verutum dicitur. Prima acies principum: Secunda hastatorum, armis talibus docetur instructa. Post hos erant ferentarij & leuis armatura; quos nunc * auxiliatores, & armaturas dicimus; scutati qui plumbatis, gladiis, & missilibus accincti, sicut nunc propè omnes milites videntur armati. Erant item sagittarij cum cassidibus; cataphractis; & gladiis; sagittis; & arcubus. Erant funditores, qui ad fundas vel fustibalos lapides iaciebant. Erant tragularij, qui ad manubalistas, vel arcubalistas dirigebant sagittas. Secunda acies similiter armabatur: in qua consistentes milites, hastati vocabantur. Sed in secunda acie, dextro cornu, cohors sexta ponebatur: cui iungebatur septima. Octaua cohors mediam aciem tenebat, nona comitante. Decima cohors in secunda acie sinistrum semper obtinebat cornu.

* *Iterum lege* hastile

* *Libri saniores habẽt*, exculcatores,

CAP. XVI.

Quemadmodum triarij, vel centuriones armentur.

POST omnes autem acies, triarij cum scutis, cataphractis & galeis ocreati cum gladiis, semispathis, plumbatis [&] binis missilibus locabantur, qui genu posito subsidebant, vt, si prima acies vinceretur, ab his quasi de integro reparata pugna posset * sperari victoria. Omnes autem signarij vel signiferi, quamuis pedites, loricas minores accipiebant, & galeas ad terrorem hostium * vrsinis pellibus tectas. Centuriones verò habebant

* *Membranæ*, reparari, *fortean*, respirare

* *In vno V. est* hirsutis

bebant cataphractas, scuta, & galeas ferreas: sed transuersis & argentatis cristis, vt * faciliùs agnoscerentur à suis.

* *Libri scripti malunt* celerius.

CAP. XVII.

Commissa pugna grauem armaturam stare pro muro.

ILLVD autem sciendum est, & modis omnibus retinendum: quòd commisso bello, prima ac secunda acies stabat immota. Triarij quoque residebant. Ferentarij autem, * & leuis armatura scutatores, sagittarij, funditores, aduersarios prouocabant ante aciem procedentes: si hostes fugare poterant, sequebantur: si eorum virtute, * ac multitudine premebantur, reuertebantur ad suos, & post eos stabant. Excipiebat autem prœlium grauis armatura, quæ tanquã murus (vt ita dicam) ferreus stabat; & non solùm missilibus, sed etiam gladiis cominus dimicabat. Et si hostes fugasset, non sequebatur grauis armatura, ne aciem suam * ordinemque turbaret, & ad dispersos recurrentes hostes, incompositos opprimerent: sed leuis armatura cum funditoribus, sagittariis, & equitibus, fugientes sequebatur inimicos. Hac dispositione, atque cautela sine periculo legio vincebat, aut superata seruabatur incolumis: quia ius legionis est, facilè nec fugere, nec sequi.

* *Restituo*, armaturæ, ex culcatores, scutatores, sagittarij, funditores, hoc est leuis armatura.

* *Malim*, aut

* *Vegetius scripsit* ordinationemque

CAP. XVIII.

Nomina militum, & gradus in scutis eorum aduersis scribenda.

SED ne milites [aliquando] in tumultu prœlij à suis contubernalibus aberrarent, diuersis cohortibus diuersa in scutis signa pingebant: vt ipsi nominant σήματα, sicut etiam nunc moris est fieri. Præterea in aduerso

uerso scuto vniuscuiusque militis, literis erat nomen adscriptum, addito, ex qua esset cohorte, quáve centuria. Ex his ergo apparet, legionē benè institutam, quasi munitissimam esse ciuitatem, quæ omnia prœlio necessaria secum vbique portaret, nec metueret repentinum hostium superuentum, quę etiam in mediis campis subito *fossa valloque muniretur, quæ omne genus militum, omne genus contineret *armorum. Si quis igitur pugna publica superare Barbaros cupit, vt, diuinitatis nutu, dispositione Imperatoris inuicti, reparentur ex tyronibus legiones, votis omnibus petat. Intra breue autem temporis spacium, iuniores diligenter electi & exercitati quotidie, non solùm manè, sed etiam post meridiem, omni armorum disciplina vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum subegerunt, facilè coæquabunt. *Nec moueatur, [Cæsar, tua maiestas] quòd olim consuetudo est mutata, quæ viguit: *huius felicitatis ac prouisionis est perennitas tua, vt pro salute reipublicæ & noua excogitet, & antiqua restituat. Omne opus difficile videtur, *antequam tentes; ceterùm si exercitati, & prudentes viri dilectui præponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari, & diligenter institui. Quiduis enim efficit solertia, si competentes non denegentur expensæ.

*Malo cum membranis, fossa se valloque muniret, *Liber V. armaturarum.

*Nec moueat quod olim, *ita legendum monent ferè omnes libri.* *Restituo Sed huius, Sed, *valet* nam. *Mss. ante tentamentū:

CAP. XIX.

*Præter corporis *robur, notarum, & computandi artem in tyronibus eligendam.*

*Mss. robor.

SED quoniam in legionibus plures scholæ sunt, quæ literatos milites quærunt; ab his, qui tyrones probant, in omnibus quidem staturæ magnitudinem, corporis *robur, alacritatem animi, conuenit explorari: sed in quibusdam notarū peritia, calculandi, computandique

*robor,

dique vsus * exigitur. Totius enim legionis ratio, siue obsequiorum, siue militarium * numerorum, siue pecuniæ quotidie asscribitur actis maiore propè diligentia, quàm res annonaria, vel ciuilis, * polipticis annotatur. Quotidianas etiam in pace vigilias: item excubitum, siue * angarias, de omnibus centuriis, & contuberniis, * [quæ] vicissim milites faciunt; * vt ne quis contra iustitiam prægrauetur, aut alicui præstetur immunitas: nomina eorum, qui vices suas fecerunt, breuibus inseruntur. Quando quis commeatum acceperit, vel quot dierum, annotatur in breuibus. Tunc enim difficilè commeatus dabatur, nisi causis iustissimis * approbatis. Nec aliquibus milites instituti deputabantur obsequiis, nec priuata iisdem negocia mandabantur. Siquidem incongruum videbatur, Imperatoris militem, qui veste & annona publica pascebatur, vtilitatibus vacare priuatis. Ad obsequia tamen * iudicum vel tribunorum, nec non etiam principalium deputabantur milites, qui vocantur accensi, hoc est, postea additi, quàm fuisset legio completa, quos nunc Supernumerarios vocant. Fascicularia tamen, id est, lignum, fœnum, aquam, stramen, etiam legitimi milites in castra portabant. Munifices enim ab eo appellantur, quòd hæc * munia faciant.

* VV. *plerique* eligitur.
* *Fortè*, munerum,
* *Adi Commentarium.*
* VV. agrarias,
* *Miror vocem illam hactenus Vegetio adhæresecre.*
* *Legerim*, & ne
* *Quid si scribamus*, ac probatis.
* *Membranæ* iudicium
* *Aliàs*, munera

CAP. XX.

Donatiui partem dimidiam debent apud signa milites sequestrare [seruandam.]

ILLVD verò ab antiquis diuinitùs institutum est, vt ex donatiuo quod milites cõsequuntur, dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus seruaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem, à contubernalibus possit absumi. Plerique enim homines, & præcipuè pauperes, tantum erogant, quantum

tum habere potuerint. * Sepositio autem ista pecuniæ, primùm ipsis contubernalibus docetur accommoda. (Nam cùm publica sustententur annona, ex omnibus donatiuis augetur eorum pro medietate castrense peculium) Miles deinde qui sumtus suos scit apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat, magis diligit signa. Pro illis in acie fortiùs dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam. Denique decem folles, hoc est, decem sacci, per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam saccus vndecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa, vt si quis ex contubernalibus defecisset, de illo vndecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Hæc ratio apud signiferos (vt nunc dicunt) in cophino seruabatur. Et ideo signiferi non solùm fideles, sed etiam literati homines diligebantur, qui & seruare deposita, & scirent singulis reddere rationem.

* *Fortassean legendũ*, Sed depositio ista

CAP. XXI.

In legione ita fieri promotiones, vt per omnes cohortes transeant qui promouentur.

NON tantùm humano consilio, sed etiam diuinitatis instinctu, legiones à Romanis arbitror constitutas. In quibus decem cohortes ita sunt ordinatæ, vt omnium vnum corpus, vna videatur esse coniunctio. Nam quasi in orbem quendam per diuersas cohortes & diuersas scholas milites promouentur, ita vt ex prima cohorte ad gradum quempiam promotus vadat ad decimam cohortem: & rursus ab ea, crescentibus stipendiis, cum maiore gradu per alias recurrat ad primam. Ideo primipili centurio, postquam in orbem omnes co-

hortes per diuersas administrauerit scholas, in prima cohorte ad hanc peruenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda * consequitur. Sicut primicerius in officio præfectorum prætorio ad honestum, quæstuosumque militiæ peruenit *gradum : ita legionarij equites cohortes suas contubernij affectione veneranter, cùm naturaliter equites à peditibus soleant discrepare. Per hanc ergo contextionem, in legionibus, * & omnium cohortium, equitum, peditumque seruabatur vna concordia.

* *Veteres libri legunt, & distinguũt* consequatur : sicut p.

* *Iterum*, finem. Item legionarij,

* *Rectius ni fallor*, & omnibus cohortibus,

CAP. XXII.

Quid inter tubicines, & cornicines, & classicum interſit.

HABET præterea legio tubicines, cornicines, & buccinatores. Tubicen ad bellum vocat milites, & rursum receptui canit. Cornicines *[& buccinatores erant ornamentum totius legionis in ingressu conflictus & eius reditu. Hi] quotiens canunt, non milites, sed signa ad eorum obtemperant nutum. Ergo quotiens ad aliquod opus exituri sunt soli milites, tubicines canunt, *[& soli milites ad signa eorum obtemperant.] [*Quotiens mouenda sunt signa, cornicines canunt.] Quotiens autem pugnatur, & tubicines & cornicines pariter canunt. Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur imperij, quia classicum canitur Imperatore præsente, vel cùm in militem capitaliter animaduertitur : quia hoc ex *imperialibus legibus fieri necesse est. Siue ergo ad vigilias vel *angarias faciendas, siue ad opus aliquod, vel ad decursionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, & rursus tubicine admonente cessant. Cùm autem mouentur signa, aut iam mota figenda sunt, cornicines

* *Inclusa, ab alia, quàm Vegetij manu esse libri clamitat.*

* *Etiam illa ab adulterina manu.*

* *Etiam illa in meo V. non reperiuntur. vide hoc cap. versic.* Cùm autem

* *Alij*, Imperatoris

* *Libri optimi*, agrarias

nicines canunt. Quod ideò in omnibus exercitiis, & processionibus custoditur, vt in ipsa pugna facilius obtemperent milites, siue eos pugnare, siue stare, siue sequi, vel redire præceperint duces. Siquidem ratio manifesta sit, semper in ocio debere fieri, quod necessariò faciendum videtur in prœlio.

CAP. XXIII.

De exercitatione militum.

LEGIONIS ordinatione digesta, ad exercitium reuertamur: vnde (sicut iam dictum est) exercitus nomen accepit. Iuniores quidem, & noui milites; manè, & post meridiem, ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem & eruditi sine intermissione semel in die exercebantur [in] armis. Neque enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit. * Sed [continua exercitationis meditatio] post quanta volueris stipendia, inexercitatus miles semper est tyro. * Idcirco armaturam, quæ festis diebus exhibetur, non tantùm, qui sub campi doctore sunt, sed omnes æqualiter contubernales quotidiana meditatione discebant. Nam & velocitas vsu ipso acquiritur corporis, & scientia feriendi hostem, seque protegendi, præsertim si gladiis cominus dimicetur. Illud verò maius est, * quiddam, ordines seruare discunt, & vexillum suum in tantis permixtionibus in ipsa prolusione comitantur, nec inter doctos aliquis error existit, cùm multitudinis sit tanta confusio. Ad palum quoque, * vel sudes iuniores exerceri percommodum est, cùm latera, vel pedes, aut caput petere punctim, cæsimque condiscunt. Saltus quoque, & ictus facere pariter assuescant, insurgere * tripudiantes in clypeum, rursusque subsidere, nunc gestiendo prouolare cum saltu, nunc cedentes in terga resilire. Missilibus etiam palos ipsos procul ferire meditentur,

* Sed, *interpretor, nam, reliqua à mala manu.*

* *sic restituo.* Armaturam quæ festis diebus exhibetur in Circo: non tantùm armaturæ, quæ sub campi doctore sunt, * *Vide notas.*

* *Vegetius scripsit* sudibus

* *Mſ.* trepidantes

ditentur, vt & ars dirigendi, & dextræ virtus possit adcrescere. Sagittarij verò, vel funditores, scopas, hoc est, fruticum vel straminum fasces, pro signo ponebant: ita vt sexcentos pedes remouerentur à signo, vt sagittis, vel certè lapidibus ex fustibalo destinatis, signum sæpius tangerent. Propterea sine trepidatione in acie faciebant, quod ludentes in campo semper fecerant. Assuescendum est etiam, vt semel tantùm funda circa caput rotetur, cùm ex ea emittitur saxum. Sed & manu sola omnes milites meditabantur libralia saxa iactare: qui vsus paratior creditur, quia non desiderat fundam. Missilia quoque, vel plumbatas *iugiter perpetuoque exercitio dirigere cogebantur, vsque adeò, vt tempore hyemis de tegulis, vel *scandulis, quæ si deessent, certè de cannis, vlua, vel culmo, & porticus tegerentur ad equites, & quædam velut basilicæ ad pedites: in quibus tempestate, vel ventis aëre turbato, sub tecto armis erudiebatur exercitus. Ceteris autem etiam hybernis diebus, si niues tantùm, pluuiæque cessarent, exerceri cogebantur in campo: ne intermissa consuetudo, & animos militum debilitaret, & corpora. Siluam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari, siue fluminibus, gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequentissimè conuenit: vt quotidiani laborum vsus in pace, difficilis non videatur in bello. Siue ergo legio, siue auxilia fuerint, exerceantur assiduè. Nam quemadmodum benè exercitatus miles prœlium cupit, ita formidat indoctus. Postremò sciendum est, ~~in pugna vsum amplius prodesse, quàm vires~~. Nam si doctrina cesset armorum, nihil paganus distat à milite.

* *Lego*, iugi. perpetuoque

* *Malo*, scindulis,

CAP.

CAP. XXIIII.

Exempla adhortationum & exercitij militaris, de aliis artibus tracta.

ATHLETA, venator, auriga, propter exiguam mercedem, vel certè plebis fauorem, quotidiana meditatione * artes suas aut seruare, aut augere consuescunt. Militem (cuius est manibus seruanda respublica) studiosiùs oportet scientiam dimicandi, vsumque rei bellicæ iugibus exercitiis custodire: cui contingit non tantùm glorioſa victoria, sed etiam amplior præda: quemque ad opes, ac dignitates ordo militiæ, & Imperatoris iudicium consueuit euehere. Artifices scænici ab exercitiis non recedunt pro laude vulgi. Miles sacramento lectus, ab exercitiis armorum, vel nouellus, vel iam vetustus cessare non debet, cui pugnandum est pro salute propria, & libertate communi: præsertim cùm antiqua sit prudensque sententia, Omnes artes in meditatione consistere.

* *Legendum conueci*, artis suæ, aut certare, aut agere cõsueuit.

CAP. XXV.

Enumeratio ferramentorum, vel machinarum legionis.

LEGIO autem non tantùm militum numero, sed etiam genere ferramentorum vincere consueuit. Primùm omnium instruitur iaculis, quæ nullæ loricæ, nulla possunt scuta sufferre. Nam per singulas centurias singulas carrobalistas habere consueuit, quibus muli ad trahendum, & singula contubernia ad armandum vel dirigendum, hoc est, vndecim homines deputantur. Nam hæ quanto maiores fuerint, tanto longiùs ac fortiùs tela iaculantur. Non solùm autem castra defendunt, verùm etiam in campo post aciem grauis armaturæ

turæ ponuntur. Ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possunt obstare. In vna autem legione quinquaginta quinque carrobalistæ esse solent. Item decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes in carpentis * bobus [duobus] portantur armatis: vt si fortè hostes ad oppugnandum venerint vallum, sagittis & saxis possint castra defendi. Scaphas quoque de singulis trabibus excauatas, cum longissimis funibus, & interdum etiam ferreis cathenis, secum legio portat: quatenus contextis eisdem (sicut dicunt) monoxylis, supertectis etiam tabulatis, flumina quæ sine pontibus vadari nequeunt, tam à peditibus, quàm ab equitatu sine periculo transeantur. Habet ferreos harpagones, quos lupos vocant, & falces ferreas confixas longissimis contis. Item ad fossarum opera * facienda bidentes, ligones, * palos, rastra, alueos, cophinos, quibus portetur terra. Habet quoque dolabras, secures, ascias, serras, quibus materia ac pali dedolantur atque serrantur. Habet præterea artifices cum omnibus ferramentis, qui ad oppugnandas hostium ciuitates, testudines, musculos, arietes, vineas (vt appellant) turres etiam ambulatorias faciant. Verùm ne singula enumerando plura dicantur, vniuersa quæ in quoque belli genere necessaria esse creduntur, secum legio debet vbique portare, vt in quouis loco fixerit castra, armatam faciat ciuitatem.

* *In membranis, & VV. est, bobus portantur armati:*

* *Alias, faciendum*

* *Emendo, palas, rastra,*

FLAVI

FLAVI VEGETI RENATI DE RE MILITARI, LIBRI TERTII

Prologus.

ATHENIENSES & *Lacedæmonios ante Macedonas rerum potitos, prisci *testantur annales. Verùm apud Athenienses, nõ solùm rei bellicæ, sed etiam diuersarum artium viguit industria: Lacedæmoniis autem præcipua fuit cura bellorum. Primi namque experimenta pugnarum de euentibus colligentes, artem prœliorum scripsisse firmantur vsque eò, vt rem militarem, quæ virtute sola, vel certè felicitate creditur contineri, ad disciplinam peritiæq; studia reuocarint: ac magistros armorum (quos τακτικὸς appellauerunt) iuuentutem suam vsum, varietatémque pugnandi præceperint edoceri. O viros summa admiratione laudandos, qui eam præcipuè artem ediscere voluerunt, sine qua aliæ artes esse non possunt! Horum sequentes instituta Romani, Martij operis præcepta, & vsu retinuerunt, & literis prodiderunt. Quæ per diuersos autores librósque dispersa, Imperator inuicte, mediocritatem meam abbreuiare iussisti,*

*Probant libri V V. loquuntur.

iussisti, ne vel fastidium nasceretur ex plurimis, vel plenitudo fidei deesset in paruis. Quantum [autem] in prœliis Lacedæmoniorum disciplina profuerit (vt omittam ceteros) Xanthippi declaratur exemplo, qui Attilium Regulum, Romanúmque exercitum sæpe victorem, cùm Carthaginiensibus, non virtute, sed arte solus ferret auxilium, prostratis exercitibus, cepit, ac domuit; vnóque congressu triumphans, bellum omne confecit. Nec minus Hannibal petiturus Italiam Lacedæmonium doctorem quæsiuit armorum: cuius monitis tot consules, tantásque legiones, inferior numero ac viribus, interemit. Ergo qui desiderat pacem, præparet bellum. Qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter. Qui secundos optat euentus, dimicet arte, non casu. Nemo prouocare, nemo audet offendere, quem intellegit superiorem esse pugnaturum.*

* In VV. est, cetera

CAP. I.

Qui modus debeat esse exercitus.

PRIMVS liber tyronum delectum exercitumque depromsit, sequens legionis institutionem disciplinamque edocuit militarem; hic [autem] tertius classicum sonat. Ideo enim illa præmissa sunt, vt hæc, in quibus peritia certaminum, & victoriæ summa consistit, disciplinæ ordine custodito, & intelligerentur celerius, & amplius adiuuarent. Exercitus dicitur tam legionum, quàm etiam auxiliorum, nec non etiam equitum, ad gerendum bellum multitudo collecta. Huic modus à magistris quæritur armorũ. Nam cùm Xerxis, & Darij,

& Darij, & Mithridatis ceterorumque regum, qui innumerabiles armauerant populos, exempla releguntur, euidenter appâret, nimium copiosos exercitus, magis propria multitudine, quàm hostium virtute depressos. Nam pluribus casibus subiacet amplior multitudo. In itineribus pro mole sua semper est tardior, in longiore autem agmine, etiam à paucis superuentum assolet pati. In locis autem asperis vel fluminibus transeundis, propter impedimentorum moras sæpe decipitur. Præterea ingenti labore numerosis animalibus equisque pabula colliguntur. Rei quoque frumentariæ difficultas, quæ in omni expeditione vitanda est, citò maiores fatigat exercitus. Nam quantumlibet studiosè præparetur annona, tantò maturiùs * deficit, quantò pluribus erogatur. Aqua denique ipsa nimiæ multitudini aliquando vix sufficit. Quòd si casu acies verterit tergum, necesse est multos cadere de multis, & illos qui effugerint, vt semel territos, postea formidare conflictum. Veteres autem, qui remedia difficultatum experimentis didicerant, non tam numerosos, quàm eruditos [armis] exercitus habere voluerunt. Itaque in leuioribus bellis vnam legionem, mixtis auxiliis, hoc est, decem millia peditum, & duo millia equitum, crediderunt posse sufficere. quam manum Prætores velut minores duces, ad expeditionem sæpe ducebant. Quòd si magnæ hostium copiæ dicerentur, consularis potestas cum viginti millibus peditum, & quatuor equitum, tanquam comes maior mittebatur. Quod si infinita multitudo ex gentibus ferocissimis rebellasset, tunc nimia necessitate cogente, duo duces, & duo mittebantur exercitus, cum eiusmodi præcepto: Prouideant, ne quid Respublica detrimenti capiat, Coss. alter, vel alter, ambóve. Denique cùm in diuersis regionibus, contra diuersos hostes, à populo Romano annis propè omnibus pugna-

* Malo, defit.

retur, ideo sufficiebant militum copiæ, quòd vtilius iudicabant non tam grandes exercitus habere,* quàm armis instructos. Illa tamen ratio est seruata, ne vnquam amplior multitudo sociorum *auxiliarium esset in castris, [quàm] ciuium Romanorum.

*Libri aliquot præferunt quàm plures. Illa tamen r.

*Alij, auxiliariúmve

CAP. II.

Quemadmodum sanitas gubernetur exercitus.

NVNC (quod vel maximè prouidendum est) quemadmodum sanitas custodiatur exercitus, admonebo: hoc est, locis, aquis, tempore, medicina, exercitio. Locis, ne in pestilenti regione iuxta *morbosas paludes, ne aridis, & sine opacitate arborum campis, aut collibus, ne sine tentoriis æstate milites commotentur: ne tardiùs egressi, & calore solis, & fatigatione itineris contrahant morbum, sed potius in *æstate luce cœpto itinere ad destinata perueniant. Ne sæua hyeme iter per niues, ac pruinas noctibus faciant, aut lignorum patiantur inopiam, aut minor illis vestium suppetat copia. Nec sanitati enim, nec expeditioni idoneus miles est, qui algere compellitur. Nec pernicioſis vel paludosis aquis vtatur exercitus. Nam malæ aquæ potus, veneno similis, pestilentiam bibentibus generat. Iam verò vt *hoc casu ægri contubernales opportunis cibis reficiantur, ac medicorum arte curentur, Principiorum, Tribunorumque & ipsius Comitis, qui maiorem sustinet potestatem, iugis quæritur diligentia. Malè enim cum his agitur, quibus necessitas & belli incumbit, & morbi. Sed rei militaris periti, plus quotidiana armorum exercitia ad sanitatem militum putauerunt prodesse, quàm medicos. Itaque pedites sine intermissione, imbribus, vel niuibus sub tecto, reliquis diebus exercerí in campo voluerunt. Similiter equites non solùm in planis, sed etiam in *abruptis, & fossarum

*Editio Parisiensis, borboſas

*Membrana approbant, æſtu

*Quid ſi, occaſu

*Mſſ. arbuſtis,

hiatu

hiatu difficillimis semitis, seque & equos suos assiduè exercere iusserunt, vt nihil ijs in necessitate prælij accidere posset incognitum. Ex quo intelligitur, quanto studiosius armorum artem docendus sit semper exercitus, cùm ei laboris consuetudo & in castris sanitatem, & in conflictu possit præstare victoriam. Si autumnali, æstiuoque tempore diutius in iisdem locis militum multitudo consistat, ex contagione aquarum, & odoris ipsius fœditate vitiatis haustibus, & aëre corrupto, pernicioſissimus nascitur morbus, qui prohiberi non potest aliter, nisi frequenti mutatione castrorum.

CAP. III.

Quanta cura prouidenda sint, atque seruanda pabula, & frumenta.

ORDO postulat, vt de commeatu *pabuli frumentique dicatur. Sæpius enim penuria, quàm pugna consumit exercitum, & ferro sæuior fames est. Deinde reliquis casibus potest in tempore subueniri, pabulatio & annona in necessitate, remedium non habent, nisi antè condantur. In omni expeditione vnum est, & maximum *consilium, vt tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Antè igitur quàm inchoëtur bellum, de copiis, expensisq. solers debet esse tractatus, vt pabula, frumentum, ceteræque annonariæ species, quas à prouincialibus consuetudo deposcit, maturiùs exigantur, & in opportunis ad rem gerendam, ac munitissimis locis, amplior semper modus, quàm sufficit, aggregetur. Quod si tributa deficiunt *prærogato auro *comprobanda sunt omnia. Neque enim diuitiarũ secura possessio est, nisi armorũ defensione seruetur. Frequenter autẽ necessitas geminatur, & obsidio sæpe fit longior quàm

*Mss. pabulo, frumentoque

*Malunt VV. telum

* *Alij libri*, prorogato *& rectius hoc est.*

* *Vera lectio*, comparãda

putaris, cùm aduersarij etiam ipsi esurientes circumsidere non desinant, quos fame sperant vincendos. Præterea quicquid in pecore, vel quacunque fruge vinoque hostis inferens bellum ad victum suum poterit occupare, non solùm admonitis per edicta possessoribus, sed etiam coactis per electos *perscrutatores ad castella idonea, & armatorum firmata præsidiis, vel ad tutissimas conferendum est ciuitates, vrgendique prouinciales, vt ante irruptionem, seque & sua mœnibus condant. Reparatio etiam murorum, tormentorumque omnium antè curanda est. Nam si semel hostis præuenerit occupatos, metu vniuersa turbantur. Et quæ ex aliis vrbibus petenda sunt, intercluſis itineribus denegantur. Sed fidelis * horreorum custodia, & erogatio moderata, consueuit sufficere pro copia, maximè si ab initio procurentur. Ceterùm sera parsimonia est, tum seruare cùm deficit. In arduis expeditionibus, per capita magis militum quàm per dignitates ab antiquis præbebantur annonæ, * ita post necessitatem eisdem à republica redderentur. Hyeme lignorum & pabuli, æstate aquarum vitanda est difficultas. Frumenti verò, vini, aceti, nec non etiam salis omni tempore necessitas declinanda: ita vt vrbes, atque castella ab iis militibus, qui minus prompti inueniuntur in acie, armis, sagittis, fustibalis, fundis etiam, & saxis, onagris, balistisque defendantur. Præcipueque cauendum videtur, ne aduersariorum dolo, atque periuriis decipiatur prouincialium incauta simplicitas. Frequentius enim * conuentionum, pacisque simulatio credulis, quàm arma nocuerunt. Qua ratione famem collecti patiuntur hostes, dispersi verò crebris superuentibus facilè vincuntur.

* *Tribus apud me libris dicuntur* executores

* *Malè hactenus edebatur*, seruatorum

* *Supplee*, ita vt

* VV. *plerique*, commerciorum,

CAP.

CAP. IIII.

Quemadmodum oporteat prouidere, ne milites seditionem faciant.

INTERDVM mouet tumultum ex diuersis locis collectus exercitus: & cùm pugnare nolit, iratsci se simulat, cur non ducatur ad bellum: quod ij præcipuè faciunt, qui in sedibus ociosè delicatéque vixerunt. Nam asperitare insoliti laboris offensi, quem in expeditione necesse est sustinere, præterea metuentes prœlium, qui armorum exercitia declinant, ad eiusmodi præcipitantur audaciam. Cui vulneri multiplex medicina consueuit opponi, vt dum adhuc separati sunt, & in sedibus * suis, tribunorum vel vicariorum, nec non etiam principum ad omnem disciplinam arctissima seueritate teneantur, nihilque aliud, nisi deuotionem moderationemque custodiant. Campi cursionem (vt ipsi appellant) inspectionemque armorum assiduè faciant, nullis commeatibus vacent. Ad nomen, ad signa obseruare non desinant. Ad sagittas iaciendas, ad missilia dirigenda, ad iactandos lapides, vel funda, vel manu: ad armaturæ gestum, ad vectes [iactandos,] pro similitudine gladiorum, punctim cæsimque feriendo, multo die, vsque ad sudorem sunt frequentissimè detinendi. Cursu etiam & saltu ad transmittendas fossas nihilominus imbuendi. Seu mare, seu fluuius vicinus est sedibus, æstiuo tempore ad natandum cogendi sunt omnes. Præterea siluam cædere, iter per dumosa & abrupta facere, materiam dedolare, aperire fossam, occupare aliquem locum, & ne à contubernalibus detrudantur, in scutis inuicem obuiantibus niti. Ita exercitati, & eruditi in sedibus milites, siue illi legionarij, siue auxiliares, siue equites fuerint, cùm ad expeditio-

* *Liber* V. sunt.

* *Scribo*, numeris, * *Et illa inculcata sunt.*

nem ex diuersis conuenerint *locis, æmulatione virtutis, prœlium magis *[necesse est] habeãt optare, quàm ocium. Nemo cogitat de tumultu, qui fiduciam de arte vel viribus gerit. Dux autem debet esse attentus, vt in omnibus legionibus, siue auxiliis, vel vexillationibus à tribunis, vicariis, *principibusque, si qui turbulenti, vel seditiosi sunt milites, non pro inuidia suggerentium, sed pro rerum veritate cognoscat, eosque prudentiori consilio segregatos à castris, ad agendum aliquid, quod ipsis propè videatur optabile; aut ad castella, vrbesque deputet muniendas, atque seruandas, tanta subtilitate, vt cùm abiiciuntur, videantur electi. Nunquam enim ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit, sed incitantur à paucis, qui vitiorum, scelerumque impunitatem sperant peccare cum plurimis. Quòd si *fieri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est, more maiorum, in auctores criminum vindicari: vt ad omnes metus, ad paucos pœna perueniat. Laudabiliores tamen duces sunt, quorum exercitus ad modestiam labor & vsus instituit, quàm illi, quorum milites ad obedientiam, suppliciorum formido compellit.

* *Restituo ex* VV. *principiisque,*

* *Plerique, ferte*

CAP. V.

*Signorum militarium * quot sint genera.*

* Libri emẽdant, *quanta* * *Quid si ex* VV. *legamus dicenda,*

MVLTA quidem sunt *ediscenda, atque obseruanda pugnantibus: siquidẽ nulla sit negligentiæ venia, vbi de salute certatur. Sed inter reliqua nihil magis ad victoriam proficit, quàm monitis obtemperare signorum. Nam cùm voce sola inter prœliorum tumultus regi multitudo non possit, & cùm pro necessitate rerum plura ex tempore iubenda, atque facienda sint, antiquus omnium gentium vsus inuenit, quomodo quod solus dux vtile iudicasset, per signa totus agnosceret &

ret & sequeretur exercitus. Tria itaque genera constat esse signorum, vocalia, semi-vocalia, muta. Quorum vocalia & semi-vocalia percipiuntur auribus: muta verò referuntur ad oculos. Vocalia dicuntur, quæ voce humana pronunciantur, sicut in vigiliis, vel in prœlio pro signo dicitur: vt puta, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris, & alia quæcunque voluerit dare is, qui in exercitu habet maximam potestatem. Sciendum tamen est, ista * vocabula quotidie debere variari, ne ex vsu hostes signum agnoscant, & exploratores inter nostros versentur impunè. Semivocalia sunt, quæ per tubam, aut cornu, aut buccinam dantur. Tuba, quæ directa est, appellatur. Buccina, quæ in semetipsam æreo circulo flectitur. Cornu, quod ex vris agrestibus, argento nexum, temperato arte spiritu, quem canentis flatus emittit, auditur. Nam indubitatis per hæc sonis agnoscit exercitus, vtrùm stare, vel progredi, an certè regredi oporteat: vtrùm longè persequi fugientes, an receptui canere. Muta signa sunt aquilæ, dracones, vexilla, * flammulæ rufæ, pinnæ. Quocunque enim hæc ferri * iusserit ductor, eò necesse est signum suum comitantes milites pergant. Sunt & alia muta signa, quæ dux belli in equis, aut indumentis, & in ipsis armis, vt dignoscatur hostis, præcipit custodiri. Præterea manu aliquid, vel flagello, more barbarico, vel certè mota qua vtitur veste, significat. Quæ omnia in sedibus, in itineribus, in omni exercitatione castrensi, vniuersi milites & sequi, & intelligere consuescant. Continuus enim vsus necessarius videtur in pace eius rei, quæ in prœlij confusione seruanda sit. Item mutum, & commune signum est, quotiens proficiscente turba excitatus puluis ad similitudinem nubium surgit, hostiumq. prodit aduentum: similiter si diuisæ sint copiæ, per noctem flammis, per diem fumo significant sociis, quod aliter

* *Aliàs*, vocalia

* *De coniectura muto in flammeolæ*

* *Liber meus*, dixerit

non potest nunciari. Aliquanti in castellorum, aut vrbium turribus appendunt trabes: quibus aliquando erectis, aliquando depositis indicant quæ geruntur.

CAP. VI.

Quanta sit seruanda cautela, cùm vicinis hostibus mouetur exercitus.

QVI rem militarem studiosiùs didicerunt, asserunt plura in itineribus, quàm in ipsa acie pericula solere contingere. Nam in conflictu armati sunt omnes & hostem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere minus armatus minusque attentus est miles,* & superueniente impetu, vel fraude repentè turbatur. Ideoque omni cura, omnique diligentia prouidere debet dux, ne proficiscens patiatur incursum, vel facilè, ac sine damno repellat illatum. Primùm itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissimè debet habere perscripta: ita vt locorum interualla, non solùm passuum numero, sed etiam viarum qualitates perdiscat: compendia, diuerticula, montes, flumina, ad fidem descripta consideret: vsque eò, vt solertiores duces, itineraria prouinciarum, in quibus necessitas * geritur, non tantùm adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur, vt non solùm consilio mentis, verùm aspectu oculorum viam profecturis eligerent. Ad hoc à prudentioribus & honoratis ac locorum gnaris, separatim debet vniuersa perquirere, & veritatem colligere de pluribus. Præterea sub periculo eligendarum viarum, duces idoneos, scientesque * percipere, eosque custodiæ mancipare, addita pœnæ ostentatione vel præmij. Erunt enim vtiles, cùm intellegent, nec fugiendi sibi copiam supereſſe, & fidei præmium, perfidiæ parata supplicia. Prouidendum quoque, vt sapien-

* *Placet coniectura*, & superuentus impetu, vel fraude subsessæ repentur.

* VV. *habent*, gerebatur,

* *Suspicor legi posse*, præcipere,

sapientes exercitatiq. quærantur, ne duorum aut trium error discrimen pariat vniuersis. Interdum autem imperita rusticitas plura promittit, & credit se scire, quæ nescit. Sed cautelæ caput est, vt * per quæ loca, vel quibus itineribus sit profecturus exercitus, ignoretur. Tutissimum namque in expeditionibus creditur, faciendæ *[ab hostibus] nesciri. * Ob hoc veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt, vt quemadmodum ille in intimo & secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper occultum esset. Securum iter agitur, quod agendum hostes minimè suspicantur. Verùm, quia exploratores altrinsecus missi, profectionem * suspicionibus, vel oculis deprehendunt, & interdum transfugæ proditoresque non desunt, quemadmodum occurri ingruentibus debeat, intimetur. Dux cum agmine exercitus profecturus, fidelissimos, argutissimosque cum equis probatissimis mittat, qui loca per quæ iter faciendum est, in progressu, & à tergo, dextra lævaque, perlustrent, ne aliquas aduersarij moliantur insidias. Tutiùs autem operantur exploratores noctibus quàm diebus. Nam quodammodo ipse sui proditor inuenitur, cuius speculator fuerit [ab aduersariis] comprehensus. Primi ergo equites iter arripiant, inde pedites: impedimenta, * sagittarij, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita vt expedita pars peditum & equitum subsequatur. Nam ambulantibus, interdum quidem à fronte, sed frequentiùs à tergo superuentus infertur. A lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda sunt. Nam insidiatores transuersos frequenter incursant. Illud quoque præcipuè seruandum est, vt ea pars, ad quam hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitibus, & leui armatura, necnon etiam peditibus sagittariis, muniatur. Quòd si vndique circumfunduntur inimici, vndique

* *Sententia & libri volunt,* ad quæ
* *Absint ista.*
* *Liber meus,* Sed ob hoc
* *Reduro ex* VV. suspectionibus,
* *Repono,* sagmarij,

debent præparata esse subsidia. Ne verò repentinus tumultus amplius noceat, antè * commonendi sunt milites, vt parati sint animo, vt arma in manibus habeant. In necessitate subita quæ terrent, prouisa non solent esse formidini. Antiqui diligentissimè præcauebant, ne à calonibus interdum vulneratis, interdum timentibus, & * sagittariis clamore pauefactis, [pugnantes] milites turbarentur: ne dispersi longiùs aut conglobati amplius, quàm expedit, impedirent suos, hostibusque prodessent. Et ideo ad expemplum militum, etiam impedimenta sub quibusdam signis ordinanda duxerunt. Denique ex ipsis calonibus (quos galearios vocant) idoneos ac peritos vsu legebant, quos non amplius quàm ducentis * sagisarciariis puerisque præficerent. Hisque vexilla dabant, vt scirent ad quæ signa deberent impedimenta colligere. Sed * pugnatores ab impedimentis laxamento aliquo diuiduntur, ne constipati lædantur * in prælio, ambulante exercitu. Vt locorum varietas aduenerit, ita defensionis ratio varietur. Nam in campis patentibus equites magis solent impugnare, quàm pedites. At verò in locis siluestribus vel montuosis, siue palustribus pedestres magis formidandæ sunt copiæ. Illud quoque vitandum, ne per negligentiam aliis festinantibus, aliis tardiùs incedentibus, interrumpatur acies, aut certè tenuetur. Continuo enim hostes * inter prolata peruadunt. Interponendi ergo sunt exercitatissimi campi * doctores, vicarij, vel tribuni, qui alacriores tardent, & pigriùs incedentes accelerare compellant. Nam qui multum præcesserint, superuentu facto, non tam redire, quàm effugere cupiunt. Qui verò extremi sunt, deserti à suis, vi hostium, & propria desperatione superantur. Sciendum etiam, quòd aduersarij in his locis quæ sibi opportuna intelligunt, subsessas occultius collocant, vel aperto

* commouendi *in aliquibus est.*

*Iterum, sagmariis

*sagmariis

*Verius, propugnatores

*Distingue, in prælio, Ambulante exercitu vt loc. var.

* *Melior lectio*, interpolata

*doctores,

Marte

Marte impetum faciunt. Sed ne secreta noceant, ducis præstat industria, quem omnia prius conuenit explorare. Deprehensa verò subsessa, si circumueniatur vtiliter, plus periculi sustinet, quàm parabat inferre. Aperta autem vis si præparetur in montibus, altiora loca præmissis sunt præsidiis occupanda, vt cùm hostis aduenerit, reperiatur inferior, nec audeat obuiare, cùm tam à fronte, quàm supra caput suum cernat armatos. Quòd si angustæ sint viæ, sed tamen tutæ, melius est præcedere cum securibus, ac dolabris milites, & cum labore vias aperire, quàm in optimo itinere periculum sustinere. Præterea nosse debemus hostium consuetudinem: * vtrùm nocte, an incipiente die, an hora reficiendi, lassis superuenire consueuerint: & deuitare quod illos facturos putamus ex more. Iam verò vtrum peditibus, an equitibus, vtrùm contatis, an sagittariis amplius valeant, vtrùm numero hominum, an armorum munitione præcellant, scire nos conuenit: & ordinare quod nobis vtile, illis doceatur aduersum. Tractare quoque, per diem, an per noctem iter expediat inchoari: quanta locorum interualla sint, ad quæ cupimus peruenire: ne æstate, aquæ penuria obsit euntibus, ne hyeme, difficiles, aut inuiæ occurrant paludes, maioresque torrentes: & impedito itinere circumueniatur exercitus, priusquam ad destinata perueniat. Vt enim nostra commoditas est, sapienter ista vitare: ita si aduersariorum imperitia vel dissimulatio occasionem nobis dederit, non oportet omitti, sed explorare solicitè, proditores, ac transfugas inuitare. vt quid hostis moliatur, in præsenti, vel in futurum possimus agnoscere: paratisque equitibus, ac leui armatura, ambulantes eosdem *[clàm,] vel pabula, victumque quærentes, improuiso terrore decipere.

* *In membranis*, vtrum de nocte.

* *Facile eo carebit Vegetius.*

CAP.

CAP. VII.

Quemadmodum flumina, quæ maiora sunt, transeantur.

* *An'ne conuenientius grandis*

IN transitu fluuiorum * grauis moleſtia negligentibus frequenter emergit. Nam ſi aqua violentior fuerit, aut alueus latior, impedimenta, pueros, & ipſos interdum ignauiores ſolet mergere bellatores. Ergo explorato vado, duæ acies equitum, electis animalibus ordinantur, interuallis competentibus ſeparatæ, vt per medium pedites & impedimenta tranſeant. Nam acies ſuperior, aquarum impetum frangit: inferior, qui rapti ſubuerſíque fuerint, colligit atque tranſponit. At cùm altior fluctus nec equitem nec peditem patitur, ſi per plana decurrat, ductis multifariam ſpargitur foſſis, diuiſusque facilè tranſitur. Nauigeri verò amnes,* haſtilibus fixis, ac ſuperpoſitis tabulatis peruij fiunt: vel certè tumultuario opere colligatis inanibus cuppis, additisque trabibus tranſitum præbent. Expediti verò equites faſces de cannis aridis vel vlua facere conſueuerunt, ſuper quos loricas & arma, ne * prodentur, imponunt. ipſi equíque natando tranſeunt, colligatosque ſecum faſces pertrahunt * ſociis. Sed commodius repertum eſt, vt monoxylos, hoc eſt, paulò latiores ſcaphulas, ex ſingulis trabibus excauatas, pro genere ligni & ſubtilitate leuiſſima, carpentis ſecum portet exercitus, tabulatis pariter, & clauis ferreis præparatis. Ita abſque mora cõſtructus pons, & funibus (qui propterea habendi ſunt) vinctus, lapidei arcus ſoliditatẽ præſtat in tempore. Sed * inſtantes aduerſarij ad tranſitus fluminum, inſidias, vel ſuperuentus facere cõſueuerunt. Ob quam neceſſitatem in vtraq. ripa collocantur armata præſidia, ne alueo interueniente, diuiſi opprimantur ab hoſtibus.

* *Duo libri genuinam ſuggerunt lectionẽ, ſtylis fixis,*

* *Vera ſcriptura, vdentur,*

* *Suſpicor mutandum in* lõris.

* *Locum antè depranatum, ita reſtitui.*

Cautius

Cautius tamen est, sudes ex vtraque parte præfigere, ac sine detrimento, si qua vis illata fuerit, sustinere. Quod si pons non tantùm ad transitum, sed etiam ad recursum & commeatus necessarius fuerit; tunc in vtroque capite, percussis latioribus fossis, aggereque constructo, defensores milites debet accipere, à quibus tam diu teneatur, quàm diu locorum necessitas postulat.

CAP. VIII.

Quemadmodum castra debent ordinari.

CONSEQVENS videtur, itineris obseruatione descripta, ad castrorum (in quibus manendum est) venire rationem. Non enim [belli tempore] ad statiua, vel mansionem ciuitas * murata semper occurrit, & incautum est plenumque discriminis, exercitum passim sine aliqua munitione considere: cum militibus ad capiendum cibum occupatis, ad * munera facienda dispersis, facilè nectantur insidiæ. Postremò noctis obscuritas, necessitas somni, pascentium equorum dispersio, occasionem superuentibus præstat. In metandis castris non sufficit locum bonum legere, nisi talis sit, vt alter eo non possit melior inueniri: ne vtilior prætermissus à nobis, & ab aduersariis occupatus, apportet incommodum. Cauendum quoque, ne per æstatem, aut morbosa in proximo, aut salubris aqua sit longius: Hyeme, ne pabulatio desit, aut lignum: ne subitis tempestatibus campus, in quo manendum est, soleat inundari: ne sit in abruptis ac deuiis, ne circumsedentibus aduersariis difficilis præstetur egressus: ne ex superioribus locis, missa ab hostibus in eum tela perueniant. Quibus cautè studioseque prouisis, pro necessitate loci, vel quadrata, vel rotunda, vel trigona, vel oblonga castra constitues. Nec vtilitati præiudicat forma. Tamen pulchriora creduntur, quibus, vltrà latitudinis spacium,

* *Aliàs*, munita

* *Aliàs*, munimina

ſpacium, tertia pars longitudinis additur. Ita autem ab agri menſoribus podiſmum menſuræ colligi oportet: vt ad quantitatem concludatur exercitus. Nam propugnatores anguſta conſtipant, & vltrà quàm conuenit, latiora diffundunt. Tribus autem modis diffiniunt caſtra muniri poſſe. Primum in vnius noctis tranſitum, & itineris, occupatione leuiore cùm ſublati ceſpites ordinantur, & aggerem faciunt, ſupra quem valli, hoc eſt, ſudes, vel tribuli lignei per ordinem digeruntur. Ceſpes autem circumciditur ferramentis, qui herbarum radicibus continet terram: fit altus * ſemis pedem, latus pedem, longus pedem ſemis. Quòd ſi terra ſolutior fuerit, vt ad ſimilitudinem lateris, ceſpes non poſſit abſcindi, tunc opere tumultuarto * foſſa perducitur, lata pedes quinque, alta tres: cuius inrrinſecus agger excreſcit, vt ſine metu ſecurus requieſcat exercitus. Statiua autem caſtra æſtate vel hyeme, hoſte vicino, maiore cura ac labore firmantur. Nam ſingulæ centuriæ, diuidentibus campi doctoribus & principiis, accipiunt pedaturas, & ſcutis, ac ſarcinis ſuis in orbem circa propria ſigna diſpoſitis, cincti gladio, foſſam aperiunt, latam aut nouem, aut vndecim, aut tredecim pedibus: vel, ſi maior aduerſariorum vis metuitur, pedibus decem & * ſeptem (imparem enim numerum obſeruari moris eſt) tum ſepibus ductis, vel interpoſitis ſtipitibus, ramiſque arborum, ne terra facilè dilabatur, agger erigitur. Super quem ad ſimilitudinem muri, & pinnæ, & propugnacula componuntur. Opus hoc centuriones decempedis metiuntur, ne minus foderit, aut errauerit alicuius ignauia. Id etiam tribuni circumeunt, nec antè diſcedunt, [qui ſtrenui ſunt,] quàm fuerint vniuerſa perfecta. Ne tamen aliquis ſuperuentus laborantibus fiat, omnes equites & pars peditum, quæ non operatur, priuile-

*Malo, ſemiſſem, latus pedem,

*Legendum de cõiectura mea, foſſa percutiatur,

*Supplendum ex libris, ſeptem, vel nouem

priuilegio dignitatis ante fossam in procinctu armata consistit, vt ingruentes repellat inimicos. Prima igitur signa locis suis intra castra ponuntur, quia nihil est venerabilius eorum maiestate militibus. Deinde Duci prætorium, eiusque comitibus præparatur, * ac tribunis tabernacula collocantur, quibus per contubernales deputatos ad * munia, aqua, lignum, & pabula ministrantur. Tunc pro gradu legionibus & auxiliis, equitibus, & peditibus, loca in quibus papiliones tendant, deputantur in castris: ac de singulis centuriis quaterni equites & quaterni pedites, excubitum noctibus faciunt. Et quia impossibile videbatur in speculis per totã noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius quàm tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committuntur. Et finitis horis à cornicine reuocantur. Idoneos tamen tribuni & probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuntient, si qua emerserit culpa, quos circuitores appellabãt. Nunc militiæ factus est gradus, & * circitores vocantur. Sciendum tamen est, equites extra vallum nocturnas excubias facere debere. Per diem autem castris positis, * alij mane, alij post meridiem propter fatigationem hominum equorumque * angarias faciunt. Inter præcipua conuenit ducem prouidere siue in castris, siue in ciuitate consistat, vt animalium pascua, subuectio frumenti, ceterarumque specierum, aquatio, lignatio, pabulatio secura ab hostium reddatur incursu. Quod aliter non potest euenire, nisi per loca idonea, qua nostrorum ambulat commeatus, præsidia * disponantur, siue illæ ciuitates sint, siue castella murata. Quòd si non reperitur antiqua munitio, oportunis locis circundata maioribus fossis tumultuaria castella firmantur. Nam à castris diminuto vocabulo sunt nuncupata castella. Intra

* *Melius est* Hinc

* *Alias*, munera.

* *Vnus m. l.* circatores

* *Duo VV. paulò plenius*, alij mane, alij meridie, alij p. m.

* *Restituendum* agrarias

* *In VV. aliquot*, dispartiantur, *quod male.*

quæ

quæ in * angariis aliquanti pedites, equitesque degentes, tutum iter commeantibus præstant. Difficile enim hostis ad ea loca audet accedere, in quibus & à fronte & à tergo nouit aduersarios commorari.

* *Libri optimi legunt*, agrariis

CAP. IX.

Quæ & quanta considerandasint, vt intelligatur, vtrùm superuentibus & insidiis, an publico debeat marte confligi.

QVISQVIS hos artis bellicæ commentarios, ex probatissimis autoribus breuiatos legere dignabitur, quamprimùm * legem prælij, depugnandique cupit audire præcepta: sed conflictus publicus duarum vel trium horarum certamine diffinitur: postquam partis eius, quæ superata fuerit, spes omnis intercidit. Ideò omnia antè cogitanda sunt, antè tentanda, antè facienda, quàm ad vltimum veniatur abruptum. Boni enim duces, non aperto Marte [prælium,] in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, vt integris suis, * quantos possint hostes interimant certè vel terreant: in qua parte, * quæ necessaria admodum sunt, ab antiquis reperta perscribam. Præcipua* res, & vtilitas ducis est, vt adhibitis ex vniuerso exercitu scientibus belli, & sapientibus viris, de suis & hostium copiis sæpius tractet; omni, quæ plurimum nocet, adulatione summota; vtrùm maiorem numerum pugnatorum ipse, an hostes habeant; vtrùm ipsius, an aduersariorum homines magis armati sint, & muniti. Qui magis exercitati, qui sint in necessitatibus fortiores. Quærendum est etiam, vtra pars equites, vtra pedites habeat meliores. Sciendumque in peditibus, vel maximè consistere robur exercitus: & inter ipsos equites, quis contatis, quis sagittariis antecedat. Quis plures loricas

* *Lege cum* VV. ratione

* *Alij*, quantum

* *Liber* V. quę necessaria sunt, quemadmodum ab an. r. p.

* *Restituo*, ars,

loricas induat, quis vtiliores equos adduxerit. Postremò loca ipsa, in quibus pugnandum est; vtrùm inimicis, an nobis videantur accommoda. Nam si equitatu gaudemus, campos debemus optare; si pedite, loca eligere angusta, fossis, paludibus, vel arboribus impedita, & aliquoties montuosa: cui magis victus abundet, aut desit: nam fames (vt dicitur) intrinsecus pugnat, & vincit sæpiùs,* quàm ferrum. Maximè autem tractandum est, vtrùm expediat necessitatem protrahi, an celeriùs dimicari: interdum enim sperat aduersarius expeditionem citò posse finiri: & si dilata fuerit in longum, aut penuria maceratur, aut desiderio suorum reuocatur ad propria: aut nihil magnum faciens, per desperationem abire compellitur. Tunc fracti labore & tædio plurimi deserunt, aliquanti produnt, aliquanti se tradunt. Quia aduersis rebus rarior fides est, & nudari incipit, qui copiosus aduenerat. Ad rem pertinet qualis ipse aduersarius, vel eius comites [optimatesq.] sint, nosse: vtrùm temerarij, an cauti; audaces, an timidi; * scientes artem bellicam, an ex vsu temerè pugnantes; quæ gentes cum his fortes, quæ've ignauæ pugnauerint; nostra auxilia cuius fidei, quarumque sint virium; quos animos illius copiæ, quos habeat noster exercitus, quæ pars sibi magis victoriam repromittat. Eiusmodi enim cogitationibus virtus augetur, aut frangitur. Desperantibus autem crescit audacia adhortatione ducis, & si nihil ipse timere videatur. crescit animus, si ex insidiis, vel occasione aliquid fortiter feceris; si hostibus aduersæ res cœperint euenire; si vel infirmiores, aut minus armatos ex inimicis potueris superare. Cauendum autem est, ne dubitantem, aut formidantem exercitum ad pugnam publicam aliquando producas. Interest, tyrones, an veteres milites habeas; vtrùm ante breue tempus in expeditionibus fuerint, an per annos aliquos in pace durârint.

*Libri accedo, qui habent sine ferro. Vel maximè autem

*Recipiamus ex m.l. scientes artè bellicam, an non; ex vsu, an temerè pugnantes;

rarint. Nam pro tyronibus accipiendi sunt, qui pugnare longo tempore desierunt. Sed cùm legiones, auxilia, vel equites ex diuersis * aduenerint locis, dux optimus, & separatim singulos numeros per tribunos electos, quorum scitur industria, omni genere exercere debet armorum: & pòst in vnum collectos, quasi depugnaturos conflictu publico, * exercebit. Ipse sæpius tentabit quid artis possint habere, quid virium. quemadmodum sibi ipsi consentiant, vtrùm ad tubarum monita, ad signorum indicia, ad præcepta, vel nutum suum diligenter obtemperent. Si errant in aliquibus, exerceantur, atque doceantur, quàm diu possint esse perfecti. Si verò in campi cursione, in sagittando, in iaculando, in ordinanda acie ad plenum fuerint eruditi, ne sic quidem temerè, sed occasione captata, ad publicam * ducendi sunt pugnam. Sed antè minoribus prœliis imbuendi. Dux itaque vigilans, sobrius, prudens, tanquam de ciuili caussa inter partes iudicaturus, adhibito consilio, de suis & aduersarij copiis iudicet. Et si multis rebus superior inuenitur, oportunum sibi ne differat inire conflictum. Si verò aduersarium intellegit potiorem, certamen publicum vitet. Nam pauciores numero, & inferiores viribus, superuentus & insidias facientes, sub bonis ducibus reportauerunt sæpe victoriam.

* *Amo, quod in libro meo est*, euenerint

* *Malè hactenus omnes. distinguo*, exercebit ipse. Sæpius tentabit,

* *Malim*, educendi

CAP. X.

Quid oporteat fieri, si quis desuetum à pugna exercitum habeat vel tyronem.

OMNES artes, omniaque opera quotidiano vsu & iugi exercitatione proficiunt. Quod si in paruis verum est, quanto magis decet in maximis custodiri? Quis autem dubitat, artem bellicam rebus omnibus esse potiorem, per quam libertas retinetur, & dignitas propagatur,

pagatur, prouinciæ conseruantur, & imperium? Hanc quondam relictis doctrinis omnibus Lacedæmonij, & post coluere Romani. Hanc solam hodieque Barbari putant esse seruandam. cetera aut in hac arte consistere, aut per hanc assequi se posse confidunt. Hæc dimicaturis est necessaria, per quam vitam retineant, & victoriam consequantur. Dux ergo, cui tantæ potestatis insignia tribuuntur; cuius fidei, atque virtuti possessorum fortunæ, tutelæ vrbium, salus militum, reipublicæ creditur gloria, non tantùm pro vniuerso exercitu, sed etiam pro singulis contubernalibus debet esse solicitus. Si quid enim illis eueniat in bello, & ipsius culpa, & publica videtur iniuria. Ergo si tyronem, vel diu armis desuetum exercitum ducit, singularum legionum siue auxiliorum, necnon etiam vexillationum vires, animos, consuetudinem, diligenter exploret. Sciat etiam (si potest fieri) nominatim, quis comes, quis tribunus, quis domesticus, quis contubernalis, quantum possit in bello, autoritatemque maximam seueritate sumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errantium credatur ignoscere, in diuersis locis, in diuersis occasionibus omnium experimenta præcipiat. His (vt oportet) curatis, cùm dispersi ad prædandum securi oberrant hostes, tunc probatos equites, siue pedites cum tyronibus, aut inferioribus mittat, vt ex occasione fusis inimicis, & illis peritia, & reliquis crescat audacia. Ad transitus fluuiorum, ad præcipitia montium, ad siluarum angustias, ad paludum, & viarum difficultates, superuentus nullo sciente disponat, atque iter suum ita temperet, vt aut cibum capientes, aut dormientes, aut * vacantes certè, securos, inermes, discalciatos, * distractis equis, nihil suspicantes ipse paratus inuadat, quatenus in huiusmodi certaminibus sui fiduciam colligant. Nam qui ante longum tempus, aut omnino nunquam videre

* *Suspicer*, vacantes
* *Scribendum*, distratis

homines vulnerari, vel occîdi, cùm primum aspexerint, perhorrescunt: & pauore confusi, de fuga magis quàm de conflictu incipiunt cogitare. Præterea si excurrant aduersarij, longo itinere fatigatos aggrediatur, & vltimos vel certè insperatos superueniat. Eos etiam, qui longè à suis aut pabuli, aut * prædæ gratia commorantur, subitò occupet cum dilectis. Illa enim antè tentanda sunt, quæ si malè cesserint, minus noceant; si benè, plurimum prosint. Inter hostes discordiarũ serere caussas, sapientis est ducis. Nulla enim, quamuis minima natio, potest ab aduersariis perdeleri, nisi propriis simultatibus se ipsa consumpserit. Nam ciuile odium ad inimicorum perniciem præceps est, ad vtilitatem suæ defensionis incautum. Vnum illud in hoc opere prædicendum est, vt nemo desperet fieri posse, quæ facta sunt. Dicat aliquis: Multi anni sunt, quibus nullus fossa, vel aggere, valloque mansurum circumdat exercitum. Respondebitur, Si fuisset ista cautela, nihil nocturni aut diurni superuentus hostium nocere potuissent. Persæ imitantes Romanos, ductis fossis castra constituunt: & quia arenosa sunt propè omnia, saccos, quos inanes portant ex puluerulenta (quæ effoditur) terra complent, eorumque cumulo aggerem faciunt. Omnes barbari, carris suis in orbem connexis, ad similitudinem castrorum, securas à superuentibus exigunt noctes. Veremur ne discere nequeamus, quæ à nobis alij didicerunt? Hæc ex libris discenda, quæ vsu antea seruabantur. sed omissa diu nemo quæsiuit; quia vigentibus pacis officiis, procul aberat necessitas belli. Sed ne impossibile videatur disciplinam, cuius vsus intercidit, reparari, * doceamur exemplis. Apud veteres * res militaris in obliuionem sæpius venit, * sed à libris repetita est, posteà ducum auctoritate firmata. Scipio Aphricanus sub aliis Imperatoribus Hispanienses exercitus frequenter victos accepit:

*M.l. potus, & quidem de præda paulò antè dixit.

* M.l. ducemur

*Vera scriptura, ars

* Excidit vox, sed prius

pit: hos disciplinæ regula custodita, omni opere, fossisq. faciendis ita diligenter exercuit, vt diceret fodientes luto inquinari debere, qui madere hostium sanguine noluissent. Ipsos denique Numantinos, capta ciuitate, sic concremauit, vt nullus enaderet. Metellus in Aphrica, Albino imperante, subiugatum accepit exercitum, quem ita emendauit veteribus institutis, [& disciplina maiorum,] vt postea eos, à quibus sub iugum missi fuerant, superarent. Cimbri quoque Cæpionis, & Manlij, * [& Syllani] legiones inter Gallias * deleuerunt: quarum reliquias cùm C. Marius suscepisset, ita erudiuit scientia & arte pugnandi, vt innumerabilem multitudinem non solùm Cimbrorum, sed etiam Teutonum & * Vmbrorum publico Marte deleret. Facilius autem est ad virtutē nouos * instruere, quàm reuocare perterritos.

* *Repudiant hæc plerique codices, sed minus rectè.*

* *Quin scribamus cum VV.* debellarunt:

* *Emendo,* Ambronum

* *Alias,* imbuere

CAP. XI.

Quæ ipso die procuranda sint, quo publica committitur pugna.

PRÆMISSIS leuioribus artibus belli, ad publici conflictus incertū, & ad fatalem diē nationibus ac populis, ratio disciplinæ militaris inuitat. Nam in euētu aperti Martis victoriæ plenitudo consistit. Hoc ergo tempus est, quo tantò magis duces debent esse soliciti, quantò maior speratur diligentibus gloria, & maius periculum comitatur ignauos: in quo momento peritiæ vsus, pugnandi doctrina, consilium dominatur. Veteribus seculis mos fuit, parco cibo curatos milites ad certamen educere, *vt citatiores sumpta esca redderet, & longiore conflictu non fatigarentur inedia. Præterea obseruandū est præsentibus hostibus, siue ex castris, siue ex ciuitate producas ad prœliū, ne dum per angusta portarum particulatim procedit exercitus, à collectis & præparatis

* *Meliorū notæ libri constanter legunt,* vt audaciores sumptus escæ redderet,

debilitetur inimicis. Ideoque prouidendum est, vt antè omnes milites egrediantur portas, & aciem construant antè, quàm hostes adueniant. Quòd si intra ciuitatem manentibus,* parati aduenerint, aut differatur egressus, aut certè dissimuletur: vt cùm aduersarij insultare cœperint his, quos non putant exituros; aut cùm ad prædam, vel redeundum conuerterint animum, & ordines soluerint; tunc illis stupentibus *lectissimi prorumpant, & conferti aggrediantur ignaros. Obseruatur autem, ne longo spacio fatigatum militem, ne lassos post cursum equos ad publicum prælium cogas: multum virium labore itineris pugnaturus amittit. Quid facies, qui ad aciem anhelus aduentat? Hoc & veteres declinarunt, & superiori *nostra ætate, cùm Romani duces per imperitiam non cauissent (ne quid amplius dicam) exercitus perdiderunt. Impar enim conditio est, lassum cum requieto, sudantem cum alacri, currentem cum eo qui steterit, subire conflictum.

Lege meo periculo, impatatisque

* *Repono*, lectissimi quique erumpant.

Alij, vel nostra

CAP. XII.

Inuestigandum, quid sentiant milites pugnaturi.

IPSA die, qua certaturi sunt milites, quid sentiant, diligenter conuenit explorare. Nam fiducia vel formido ex vultu, verbis, incessu, motibusque cernitur. Nec cõfidas satis, si tyro prælium cupit: inexperto enim dulcis est pugna. Et noueris te oportere differre, si exercitati bellatores metuunt dimicare. Monitis tamen, & oratione ducis exercitui virtus crescit, & animus: præcipuè si futuri certaminis talem acceperint rationem, quasi sint facilè ad victoriam peruenturi. Tunc inimicorum ignauia, vel error ostendendus est: vel si antè à nobis superati sunt, commemorandum. Dicenda etiam, quibus militum mentes in odium aduersariorum, ira, & indignatione moueantur. Animis penè omnium hominum

minum hoc naturaliter euenit, vt trepident, cùm ad conflictum venerint. Sine dubio autem *formidolosiores sunt, quorum mentes ipse confundit aspectus. Sed hoc remedio formido lenitur, si antequam dimices, frequenter exercitum tuum locis tutioribus ordines, vnde & videre hostem, & agnoscere consuescant. Interdum audeant aliquid ex occasione, aut fugent, aut interimant inimicos. [Inimicorum] mores aduersariorum, arma, equos recognoscant. Nam quæ ex vsu sunt, non timentur.

*infirmiores, *non malè videtur conuenire.*

CAP. XIII.

Quemadmodum idoneus locus eligatur ad pugnam.

BONVM ducem conuenit nosse magnam partem victoriæ, ipsum locum, in quo dimicandum est, possidere. Elabora ergo, vt cõserturus manum, primum auxilium captes ex loco, qui tantò vtilior iudicatur, quantò superior fuerit occupatus. In subiectos enim vehementiùs tela descendunt, & maiore impetu obnitentes, pars altior pellit. Qui aduerso nititur cliuo, duplex subit & cum loco & cum hoste certamen. Sed illa distantia est, quòd si de pedibus tuis victoriam speras contra equites hostium, loca aspera, inæqualia, montuosa debes eligere. Si verò de equitibus tuis contra aduersarij pedites victoriam quæris, sequi debes paulò quidem editiora loca; sed plana, atque patentia; neque siluis, neque paludibus impedita.

CAP. XIIII.

Quemadmodum acies debeat ordinari, vt in conflictu reddatur inuicta.

ORDINATVRVS aciem tria debet antè prospicere, solem, puluerem, ventum. Nam sol ante faciem eripit visum: ventus contrarius tua inflectit ac deprimit,

hostium adiuuat tela. Puluis à fronte congestus oculos implet & claudit. Hæc momento eo, quo acies ordinantur, etiam imperiti vitare solent: sed duci prouido cauendum est in futurum, ne pòst paululum accedente die noceat solis mutata conuersio; ne ventus aduersus hora solita eo pugnante nascatur. Ita ergo constituantur ordines, vt hæc post occipitium nostrum sint, & (si fieri potest) aduersariorum impetant faciem. Acies dicitur exercitus instructus: frons quæ aduersus hostem spectat. Hæc in pugna publica, si sapiẽter disponitur, plurimum iuuat: si imperitè, quamuis optimi bellatores sint, mala ordinatione franguntur. Instructionis lex est, vt in primo ordine exercitati & veteres milites collocentur, quos antea principes vocabant. In secundo ordine circumdati* cataphractis, nec non optimi milites cum spiculis, vel lanceis ordinentur, quos priùs hastatos vocabant. Singuli autem armati in directum ternos pedes inter se occupare consueuerunt, hoc est, in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in longum: vt nec acies interluceat, & spacium sit arma tractandi. Inter ordinem autem & ordinem à tergo in latum sex pedes distare voluerunt, vt haberent pugnantes spacium accedendi atque recedendi: vehementiùs enim cum saltu cursuq́ue tela mittuntur. In his duobus ordinibus, & ætate maturi, & vsu confidentes, & muniti etiam grauioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi * alium cogendi sunt, ne ordines turbent: sed venientes aduersarios excipere, & stando pugnandoq́. repellere vel fugare. Tertius ordo disponitur de armaturis velocissimis, de sagittariis iuuenibus, de bonis iaculatoribus, quos antea ferentarios nominabant. Quartus item ordo construitur de scutatis expeditissimis, de sagittariis iunioribus, de his qui alacriter * verutis vel martiobarbulis (quas plumbatas nominant)

*Repono quod exciderat, cataphractis sagittarij, ex libris & cap. XV. lib. II.

*In VV. reperias, aliquando

*Inserit m. l. se agunt verutis

minant) dimicant, qui dicebantur leuis armatura. Sciendum ergo est, stantibus duobus primis ordinibus, tertium, & quartum ordinem ad prouocandum, cum missilibus, & sagittis primo loco semper exire. Qui si hostes in fugam vertere potuerint, ipsi cum equitibus persequuntur. Sin verò ab hostibus pulsi fuerint, redeunt ad primam & secundam aciem, & inter ipsas recipiunt se ad loca sua. Prima autem & secunda acies, cùm ad spathas, & ad pila (vt dicitur) ventum fuerit, totum sustinet bellum. In quinta acie ponebantur interdum carrobalistæ, manubalistarij, * fundibulatores, funditores. *Fundibulatores sunt, qui fustibalis lapides iaciunt. Fustibalus fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio: & vtraque manu impulsus, propè ad instar onagri dirigit saxa. Funditores sunt, qui fundis [ex] lino vel setis factis (has enim dicunt esse meliores) contorto circa caput brachio dirigunt saxa. Quibus scuta deerant, siue lapidibus manu iactis, siue missilibus in hoc ordine dimicabant, * [quos accensos, tanquam iuniores & postea additos nominabant.] Sextus ordo post omnes à firmissimis, & scutatis, & omni genere armorum munitis bellatoribus tenebatur; quos antiqui Triarios appellabant. Hi, vt requieti & integri acriùs inuaderent hostes, post vltimas acies sedere consueuerant. Si quid enim primis ordinibus accidisset, de horum viribus reparationis spes tota pendebat.

* *Aliàs*, fustibulatores, * Fustibulatores

* *Desunt in aliquot libris.*

CAP. XV.

Ratio podismi, quantum spacium in acie inter singulos homines in longum, vel inter singulos ordines in latum debeat custodiri.

EXPLANATO autem qualiter debeant acies instrui, nunc podismum, mensuramq. ipsius ordina-

tionis exponam. In mille passibus campi, vna acies mille sexcentos sexaginta sex suscipit pedites: propterea quia singuli pugnatores ternos occupant pedes. Quòd si sex acies in mille passibus campi volueris ordinare, nouem millia nongenti nonaginta sex pedites sunt necessarij. Si autem in ternos ordines hunc numerum volueris tendere, duo millia passuum comprehendes. Sed melius est plures acies facere, quàm militem* spargere. Senos autem pedes à tergo inter singulas acies in latum diximus interpatere debere; & ipsi bellatores stantes singulos obtinent pedes. Ideoque si sex acies ordinaueris, quadraginta* duos pedes in latū, & mille passus in longum decem millium hominum tenebit exercitus. [Si autem in ternos ordinare volueris 21. pedes in latum, & duo millia passuum in lōgum, 10000. tenebit exercitus.] Ad hanc rationem siue 20000. siue 30000 peditum fuerint iuxta mensuram podismi, sine aliqua dubitatione difficultatis poterūt ordinari, nec dux fallitur cùm sciat, qui locus quantos capere possit armatos. * Denique si angustior locus sit, vel multitudo sufficiat, inde etiā nouem, vel amplius acies ordinari [conuenit.] Magis enim expedit, vt conferti pugnent, quàm longius separati. Nam si nimium fuerit acies* attenuata, citò ab aduersariis facta impressione perrumpitur, & nullum postea potest esse remedium. Qui autem numeri in dextro cornu, qui in sinistro, qui in medio debeant ordinari, vel iuxta dignitates eorum seruatur ex more, vel certè pro qualitate hostium commutatur.

* *Lege*, exspargere.

* *Membrana*, duo

* *Adulterina hæc esse libri clamitant.*

* *Malunt* VV. Dicunt

* *Genuinum est*, tenuata.

CAP. XVI.

De equitibus ordinandis.

CONSTRVCTA acie peditum, equites ponuntur in cornibus, ita vt loricati omnes, & contati iuncti sint peditibus. Sagittarij autem, vel qui loricas non habent,

bent, longius euagentur. A fortioribus nanque equitibus, peditum protegenda sunt latera: & à velocioribus atque expeditis, hostium cornua* superfundenda, atque turbanda [sunt.] Scire dux debet, contra quos * grumos, hoc est, globos hostium, quos equites oporteat poni. Nam nescio qua occulta ratione, immò penè diuina, alij contra alios dimicant meliùs: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpè vincuntur. Quod si equites impares fuerint, more veterũ velocissimi cum scutis leuibus pedites, ad hoc ipsum exercitati iisdem miscendi sunt, quos expeditos *velites, *[quasi volitantes] nominabant. Quo facto quamuis fortissimi hostiũ *venerint equites, tamen aduersus mixtum agmen pares esse non possunt. Vnum hoc remediũ veteres omnes duces inuenerunt, vt assuefacerent iuuenes currentes egregiè, & inter binos equites, singulos ex his pedites collocarent, cum leuioribus scutis, gladiis, atque missilibus.

* *Magis placet*, perfindẽda, * *Verissimam lectionem reduco*, drungos,

* *Liber meus*, veteres, * *Absint ista.* * *Emendo*, uenerint

CAP. XVII.

De subsidiis, quæ post aciem collocantur.

SED optima ratio est, & ad victoriam plurimum confert, vt lectissimos de peditibus, & equitibus cum vicariis, comitibus, tribunisq. vacantibus, habeat dux post aciem *[in subsidiis] præparatos: alios circa cornua, alios circa medium, vt sicubi hostis vehementius insistit, ne rumpatur acies, prouolent subitò, & suppleant loca: additaque virtute, inimicorum audaciam frangant. Hoc primi Lacones inuenerunt: imitati sunt Carthaginienses; Romani postea vbique seruauerunt. Hac dispositione nulla melior inuenitur. Nam directa acies hoc solùm agere debet, si potest, vt hostem repellat, aut fundat. Si cuneus sit agendus, aut forfex, superfluos habere debes post aciem, de quibus cuneum aut forficem facias. Si ducenda sit Serra, item ex abundantibus ducetur:

* *Damnant omnes libri, at contrà Modestus tuetur.*

ducetur: nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis. Si globus hostium separatus, aut alam tuam, aut partem aliquam * vrgere cœperit, nisi superfluos habeas, quos cõtra globum possis opponere, siue pedites, siue equites de acie tuleris, dũ alia vis defendere, alia periculosiùs denudabis. Quòd si bellatorum tibi copia nõ abundat, melius est aciem habere breuiorem, dummodo in subsidiis colloces plurimos. Nam circa medias partes campi, ex peditibus bene armatis debes habere lectissimos, de quibus cuneum facias, & statim aciem hostium rumpas. Circa cornua autem, de contatis, loricatisque equitibus ad hoc reseruatis, & leui armatura peditum, alas hostium circumuenire te conuenit.

* *Membrana, vrguere, neque solum hoc loco.*

CAP. XVIII.

In quo loco primus dux stare debeat, in quo secundus, in quo tertius.

DVX qui præcipuam sustinet potestatẽ inter equites, & pedites, in parte dextra stare consueuit. Hic enim locus est, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus est, liberque procursus. Ideò autem inter vtrosque consistit, vt & consilio regere, & autoritate tam equites quàm pedites ad pugnam possit hortari. Hic de equitibus supernumerariis, mixtis peditibus expeditis, aduersariorum sinistrum cornu, quod contra ipsum stat, circuire, & à tergo semper vrgere debet. Secundus dux in media acie ponitur peditum, qui eam sustentet & firmet. Hic fortissimos pedites, & bene armatos de illis superfluis secum habere debet, de quibus aut ipse cuneum faciat, & aciem hostium rumpat: aut si aduersarij cuneum fecerint, ipse forficem faciat, vt cuneo illi possit occurrere. In sinistra parte exercitus, tertius esse dux debet, satis bellicosus & prouidus, quia sinistra pars diffi-

difficilior est, & velut manca in acie consistit. Ideò bonos equites supernumerarios & velocissimos pedites habere debet, de quibus sinistrum cornu semper extendat, ne circumueniatur ab hostibus. Clamor autem (quem barritum vocant) prius non debet attolli, quàm acies vtraque se iunxerit. Imperitorum enim, vel ignauorum est, vociferari de longè; cùm hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit. Semper autem studere debes, vt prior instruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi vtile iudicas, cùm nullus obsistit: deinde & tuis auges confidentiam, & aduersariis fiduciam minuis. quia fortiores videntur, qui prouocare non dubitant. Inimici autem incipiunt formidare, qui vident contra se acies ordinari. Huic additur maximum commodum, * quia tu instructus paratusque ordinantem & trepidum aduersarium præoccupas. Pars enim victoriæ est, inimicum turbare antequam dimices.

* *Mss.* si tu

CAP. XIX.

Quibus remediis virtuti vel dolis hostium resistatur in acie.

[EXCEPTIS superuentibus vel incursionibus repentinis ex occasione, quam nunquam dux exercitatus amittit.] Nam in itineribus, iam fatigatis, in fluminum transgressione diuisis; in paludibus occupatis; in iugis montium laborantibus; in campis * sparsis atque securis; in mansione dormientibus, oportunum prœlium semper infertur: cùm aliis negotiis occupatus hostis, prius interimatur, quàm præparare se possit. Quòd si cauti sunt aduersarij, & insidiarum nulla sit copia, tunc aduersus præsentes, scientes, videntes, æqua conditione pugnatur. Tamen ars belli, non minùs in hoc aperto cõflictu, quàm in occultis fraudibus adiuuat eruditos.

* *Desiderantur ista in libris tribus.*

* *Emendo, exsparsis,*

eruditos. Cauendum vel maximè, ne ab ala, cornuque siniſtro (quod ſæpius euenit) aut certè dextro, (quod rarò contingit) circumueniantur tui à multitudine hoſtium, aut à vagantibus globis, quos vocant *grumos. Quod ſi acciderit, vnum remedium eſt, vt alam, cornuque replices, & rotundes: quatenus conuerſi tui, ſociorum terga defendant. Sed & in angulo ipſius extremitatis fortiſſimi collocentur, quia ibi impetus amplior fieri conſueuit. Item aduerſus cuneum hoſtium, certis reſiſtitur modis. Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ iuncta [cum] acie primò anguſtior, deinde latior procedit, & aduerſariorum ordines rumpit: quia à pluribus in vnum locum tela mittuntur. Quam rem milites nominant caput porcinum. Contra quod ordinatio ponitur: quam forficem vocant. Nam ex lectiſſimis militibus confertis *in V literam, ordo componitur: & illum cuneum excipit, atque ex vtraque parte concludit, quo facto, aciem non poteſt irrumpere. Item ſerra dicitur, quæ à ſtrenuis directa, ante frontem opponitur hoſtibus, vt turbata acies reparetur. Globus autem dicitur, qui à ſua ac[ie] ſeparatus, vago ſuperuentu incurſat inimicos, contra quem alter populoſior, vel fortior immittitur globus. Obſeruandum quoque, ne ſub tempore, quo iam committitur pugna, velis ordines commutare, aut de locis ſuis aliquos numeros ad alia tranſferre. Statim enim naſcitur tumultus, atque confuſio, & imparatis, conturbatisque faciliùs hoſtis incumbit.

* Redd. Vegetio, drungos.

* Legendum potius, in ſimilitudine V, litteræ,

CAP. XX.

Quot generibus pugna publica committatur, & quomodo etiam, qui inferior numero, & viribus eſt, valeat victoriam obtinere.

DEPVGNATIONVM ſeptem ſunt genera vel modi, cùm infeſta ex vtraq. parte ſigna confligunt. Vna depugna-

depugnatio est fronte longa * quadrato exercitu, sicut etiam nunc & propè semper solet prœlium fieri. Sed hoc genus depugnationis periti armorum nō optimum iudicant, quia cùm in prolixo spacio tenditur acies, non æqualis semper campus occurrit, & * cùm in eius parte sinus, aut curuatura fit, in eo loco acies frequenter inrumpitur. Præterea si multitudine aduersarius antecedit, à lateribus aut dextram, aut sinistram alam circumuenit. in quo periculum magnum est, nisi supernumerarios habeas, qui procurrant, hostemque sustineant. Hoc genere solus debet confligere, qui & plures, & fortes habuerit bellatores, vt ex vtroque cornu hostem circumueniat, & quasi in sinum sui concludat exercitus. Secunda depugnatio est obliqua, quæ plurimis melior. In qua si paucos strenuos loco idoneo ordinaueris, etiam si multitudine hostium & virtute turberis, tamen poteris reportare victoriam. Huius talis est modus: Cùm instructæ acies ad congressum veniūt, tunc tu sinistram alam tuam à dextra aduersarij longiùs separabis, ne vel missilia ad eam, vel sagittæ perueniant. Dextram autem alam tuā sinistræ alæ illius iunge, & ibi primum inchoa prœlium: ita vt cum equitibus optimis, & probatissimis peditibus sinistram partem illius, ad quam te iunxeris, aggrediaris atque circumeas, & detrudendo atque supercurrēdo ad hostiū terga perueniās. Quòd si semel aduersarios exinde pellere cœperis, accedentibus tuis indubitatam victoriā consequeris, & pars exercitus tui, quam ab hoste submoueris, secura durabit. Ad similitudinem autem A literæ, vel libellæ fabrilis, acies in hoc dimicandi genere cōstituitur. Quòd si prior aduersarius hoc fecerit, illos quos post aciem supernumerarios diximus debere poni, tam equites, quā pedites, ad sinistrum tuum colliges cornu, & sic aduersario resistes magnis viribus, ne arte pellaris. Tertia depugnatio est similis secūdæ: sed in hoc

* Restituunt VV. quadro

* Adi Commentarium.

in hoc deterior, quòd à sinistro cornu tuo cum illius incipis dextro confligere. Nam quasi mancus impetus est eorum, & aperti cum difficultate aggrediuntur hostes, qui in sinistro dimicant cornu. Quod apertius [vt sit] explanabo. Si quando alam sinistram longè habueris meliorem, cum ea fortissimos equites, peditesque coniunge, & in congressu ipsam primam applica ad alam hostium dextram, & quantum potest, aduersarij dextram partem pellere & circumire festina. *Tu autem aliam exercitus partem, in qua deteriores bellatores habere te nosti, à sinistra illius longissimè separa, ne vel gladiis inuadatur, vel ad eam tela perueniant. In hoc [genere] cauendum est, ne inimicorum cuneis transuersa tua acies elidatur. Hoc autem modo, vno casu vtiliter pugnabitur, si aduersarius infirmius dextrum cornu habuerit, & tu longè fortius sinistrum. Quarta depugnatio talis est: Cùm ordinaueris aciem, ante quadringentos, vel quingentos passus, quàm ab hostem perueniat, non sperante eo, subitò ambas alas tuas incitare te conuenit: vt ex vtroque cornu improuisos hostes verras in fugam, & celeriùs victoriam consequaris. Sed hoc genus certaminis, licet citò superet, si exercitatos fortissimosque produxerit, tamen periculosum est: quia mediam aciem suam, qui sic dimicat, nudare compellitur, & in duas partes exercitum separare. Et si primo impetu victus non fuerit inimicus, habet [postea] occasionem, qua inuadat & diuisa cornua, & mediam aciem destitutam. Quinta depugnatio est quartæ similis. Sed hoc vnum amplius habet, quòd leuem armaturam, & sagittarios ante* mediam aciem ponit; vt illis resistentibus, non possit irrumpi. Nam sic de dextro cornu suo, illius sinistrum: & de sinistro cornu suo, illius dextrum aggreditur. Quod si fugare potuerit, statim vincit: sin minus, media acies illius non laborat: quia à leui armatura, sagitta-

*Scribendum, Tuam autem

*Corrigunt libri omnes, primam

gittariisque defenditur. Sexta depugnatio optima est, propè similis secundæ: qua vtuntur, qui de numero suorum, & de virtute * desperant. Et si bene ordinauerint, quamuis cum paucioribus, sæpe victoriam consequuntur. Nam cùm instructa acies ad hostes accedit, dextram alam tuam sinistræ alæ hostium iunge, & ibi per equites probatissimos, & velocissimos pedites incipe prœlium. Reliquam autem partem exercitus tui, longissimè * à dextra parte aduersariorum remoue, & in directum porrige, quasi veru. Nam cùm partem sinistram illius, & à lateribus, & à tergo cœperis cædere, sine dubio vertes in fugam. Aduersarius autem nec de dextra parte sua, nec de media acie potest suis laborantibus subuenire, quia acies tua extenditur, & totam se porrigit ad similitudinem l literæ, longissimeque recedit ab hostibus. Quo genere in itineribus sæpè confligitur. Septima depugnatio est, quæ loci beneficio adiuuat dimicantem. In hac quoque, & cum paucioribus, & cum minus fortibus poteris aduersarium sustinere, hoc est si montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut ciuitatem, aut paludes, aut abrupta in vna parte habeas, ex qua hostis non possit accedere, & reliquum exercitum tuum directa acie ordines. Sed in illa ala, quæ munitionem non habet, omnes equites & ferentarios ponas. Tunc * securius, pro tuo arbitrio, cum hoste confliges; quia ab vna parte loci natura te munit, ab alia duplex propè ponitur equitatus. Illud tamen obseruandum est, quo nihil melius inuenitur, vt siue solo dextro cornu pugnare volueris, ibi fortissimos ponas: siue sinistro, ibi strenuissimos colloces: siue in medio cuneos facere volueris, per quos acies hostium rumpas, in cuneo exercitatissimos ordines bellatores. Victoria enim per paucos fieri consueuit. Tantum est, vt electi à duce sapientissimo, in his locis, in quibus ratio & vtilitas postulat, ordinentur.

* *Alius in libris*, diffidũt.

* *Rursus libri omnes* ab acie aduersariorum

* *Lego*, securus,

CAP. XXI.

Viam abscedendi hostibus dandam, vt deleantur faciliùs fugientes.

PLERIQVE rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt, si aduersarios, aut locorum angustiis, aut armatorum multitudine circumdederint, vt aditum non inueniant abscedendi. Sed clausis ex desperatione crescit audacia, & cùm spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugiant, muniendam. Nam cùm abscedendi aditu patefacto, mentes omnium ad præbenda terga consenserint,* multi more pecudum trucidantur. Nec insequentium vllum periculum est, cùm victi (quibus defendi poterant) arma conuerterint * [in fugam.] Hoc genere quantò maior fuerit exercitus, tantò faciliùs multitudo prosternitur. Neque enim ibi requirendus est numerus, vbi animus semel territus, non tam tela hostium cupit declinare, quàm vultum. Ceterùm clausi, licet exigui numero & infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliud ibi licere non posse. * Nam

* inulti, *Vegetius scripsit.*

* *Reiiciuntur illi ab optimis exemplaribus.*

* VV. *plerique habent* Sed

* *Virgil. 11. Æneid.*

* *Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

CAP. XXII.

Quemadmodum ab hostibus recedatur, si consilium pugnæ displiceat.

DIGESTIS omnibus, quæ ratio militaris experimentis & arte seruauit, vnum superest * docere, quemadmodum recedatur ab hostibus. Nam disciplinæ bellicæ, & exemplorũ periti nusquam maius periculum imminere testantur. Qui enim ante congressum recedit ex acie, & suis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam.

* *Scribe*, edocere,

ciam. Verùm quia hoc sæpius necesse est euenire, quibus modis tutò possit fieri, declarandum est. Primùm vt tui nesciant, ideo te recedere, quia declinas inire cõflictum, sed credant arte aliqua ideo se reuocari, vt ad oportuniorem locum inuitetur hostis, ac faciliùs superetur: aut certè insequentibus aduersariis secretiores collocentur insidiæ. Nam necesse est, ad fugam parati sint, qui ducem suum sentiunt desperare. Illud quoque vitandum est, ne hostes te recedere sentiant, & statim inruant. Propterea plerique ante pedites, equites posuerunt, vt discurrentes aduersarios videre non sinerent, quando pedites abscedebant. Item *articulatim incipientes à primis, singulas acies subducebant, retroq. reuocabant, in gradu suo manentibus reliquis: quos sensim postea cessimque ad illos iungebant, quos primùm subduxerant. Aliquanti exploratis itineribus, noctu cum exercitu recedebant: vt hostes die orto, cùm intellexissent, non possent comprehendere præcedentes. Præterea leuis armatura præmittebatur ad colles, sub quos subitò *tutò reuocaretur exercitus: & si hostes insequi voluissent, à leui armatura, quæ antè occupauerat locum, additis equitibus, *fundebantur. Nihil enim periculosius existimant, quàm si inconsultè insequentes, ab his qui in subsessa fuerint, vel qui antè se parauerint, obseruentur. Hoc tẽpus est, quo oportunè collocantur insidiæ, quia aduersus fugientes maior audacia & minor cura est. Necessariò autẽ amplior securitas grauius solet habere discrimen. Imparatis, cibũ capientibus, in itinere lassis, equos suos pascẽtibus, ac nihil tale suspicantibus superuentus assolent fieri. Quod & nobis vitandum est, & hosti in eiusmodi occasionibus pernicies inferenda. Hoc enim casu oppressis, nec virtus potest, nec multitudo prodesse: quia qui in acie, publica vincitur pugna, licet & ibi ars plurimum prosit, tamen ad defensionem suam potest accusare fortunam. Qui

*particulatim, *mihi pro genuino est.*

* *Lege*, totus

* *Lege*, defendebãtur.

verò ſuperuentus,& ſubſeſſas *[inſidias] paſſus eſt,culpam ſuam non poteſt excuſare: quia hæc & vitare potuit,& per ſpeculatores idoneos antè cognoſcere. Cùm receditur, talis fraus ita fieri conſueuit. Recto itinere pauci equites * conſequuntur,valida manus occultè per alia mittitur loca: vbi & agmen inimicorum peruenerunt equites, tentant leuiter atque diſcedunt. Illi credunt quicquid inſidiarum fuerit, præteriiſſe,& ſine cura reſoluuntur *in neglegentiam. Tunc illa manus, quæ ſecreto itinere deſtinata fuerat, ſuperueniens opprimit ignorantes. Multi cùm ab hoſte diſcedunt, ſi per ſiluas ituri ſunt, præmittunt, qui anguſta vel abrupta occupent loca, ne ibidem patiantur inſidias. Et rurſus poſt ſe præciſis arboribus vias claudunt, quas compedes vocant, vt aduerſariis facultatem adimant perſequendi,& penè vtrique parti in itinere ad ſubſeſſas communis occaſio eſt. Nam qui præcedit, opportunis vallibus, vel ſiluoſis montibus, *[quaſi] poſt ſe relinquit inſidias,in quas cùm inciderit inimicus, recurrit ipſe, & adiuuat ſuos. Qui verò ſequitur, *aduerſis ſemitis longè antè deſtinat expeditos,vt præcedentem aduerſarium arceat tranſitu, deceptumque à fronte & à tergo concludat. Dormientibus noctu aduerſariis,& qui præceſſit, poteſt regredi, & qui ſequitur, quantumuis interſit, poteſt ſuperuenire per fraudem. In transfretatione fluuiorum, qui præcedit,illam partem tentat opprimere,quæ prima tranſierit, dum reliqui alueo ſeparantur: qui autem ſequitur itinere feſtinato, illos qui nondum potuerunt tranſire, conturbat.

* *Hoc ego gloſſema ceuſeo verbi* ſubſeſſas

* VV. inſequuntur,

* *In* VV. ad

* *Abeſt in aliquibus, & facilè eo Vegetius careat.*

* *In m.l.* auerſis

CAP. XXIII.

De camelis & cataphractis equitibus.

CAMELOS aliquantæ nationes apud veteres in aciem produxerunt, vt Vtſiliani in Aphrica, Macetes hodieque

dieque producunt. Sed hoc genus animalium arenis, & tolerandæ siti aptum, confusas etiam, in puluere, vento vias, absq. errore dirigere memoratur. Cæterùm præter nouitatem, inefficax bello est. Cataphracti equites propter munimina quæ gerunt, à vulneribus quidem tuti, sed propter impedimentum, & pondus armorum, capi [eos] facile est, quoniam frequenter *obnixi contra dispersos pedites, quàm contra equites. In certamine meliores tamen, aut ante legiones positi, aut cum legionariis mixti. quando cominus (hoc est manu ad manum) pugnatur, acies hostium sæpe rumpunt.

*Scribe obnoxij

CAP. XXIIII.

Quomodo quadrigis falcatis, vel elephantis in acie possit obsisti.

QVADRIGAS falcatas in bello rex Antiochus & Mithridates habuerunt. Quæ vt primò magnum intulere terrorem, ita postmodùm fuere derisui. Nam difficilè currus falcatus planum semper inuenit campum, & leui impedimento retinetur: vnoque afflicto aut vulnerato equo decipitur. Sed maximè hac Romanorum militum arte perierunt. Vbi ad pugnam ventum est, repente toto campo Romani tribulos abiecerunt; in quos currentes quadrigæ cùm incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est *quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodo abieceris, tribus radiis stat, & erecto quarto infestum est. Elephanti in prœliis magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipsius nouitate, homines equosque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit. Postea Hannibal in Aphrica, Rex Antiochus in Oriente, Iugurtha in Numidia copiosos habuerunt, aduersus quos *diuersa excogitata sunt genera *armorum. Nam & centurio in Lucania gladio manu (quam promuscidem

*VV. *sequor in quibus*. est ex quatuor

**Antitius libri optimi*, resistendi diuersa

**Alij*. armatorum.

muſcidem vocant) vni abſcidit, & bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus inſidentes clibanarij, ſariſſas, hoc eſt, longiſſimos contos in elephantos dirigebant. Nam muniti ferro, nec à ſagittariis, quos vehebant beluæ, lædebantur, & earum impetum equorum celeritate vitabant. Alij contra elephantos cataphractos milites immiſerunt: ita vt in brachiis eorum, & in caſſidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur è ferro, ne *[manu ſua] elephas bellatorem contra ſe venientem poſſet apprehendere. Præcipuè tamen velites antiqui aduerſum * elephantos ordinauerunt. Velites autem erant iuuenes, leui armatura, corpore alacri, qui ex equis miſſilia optimè dirigebant. Hi equis præterçurrentibus ad latiores lanceas, vel maiora ſpicula beluas occidebant: ſed creſcente audacia, poſtea collecti, plures milites pariter pila, hoc eſt, miſſilia, in elephantos congerebant, eoſque vulneribus elidebant. Illud additum eſt, vt funditores cum fuſtibalis & fundis, rotundis lapidibus deſtinatis,* illos (per quos regebantur elephanti) cum ipſis turribus affligerent atque mactarent, quo nihil tutius inuenitur. Præterea venientibus beluis, * quà irrupiſſent aciem, ſpacium milites dabant. Quæ cùm in agmen medium peruenisſent, circumfuſis vndique armatorum globis, cum magiſtris abſque vulneribus capiebantur illæſæ. Carrobaliſtas aliquanto maiores (hæ enim longiùs & vehementiùs ſpicula dirigunt) ſuperpoſitas curribus, cum binis equis aut mulis poſt aciem ordinari conuenit, vt cùm ſub iactum teli acceſſerint beſtiæ, ſagittis baliſtariorum transfigantur. Latius tamen contra eas & firmius præfigitur ferrum, vt in magnis corporibus maiora ſint vulnera. Aduerſum elephantos plura exempla, & machinamenta retulimus, vt ſi quando neceſſitas poſtulauerit, ſciatur quæ ſint tam immanibus beluis opponenda.

*Damnatur ab optimis libris, & ipſo Modeſto.

* VV. elephantes quos non ſequor.

*. Exemplaribus optimis placet, Indos

*Veram lectionem erui, quaſi

CAP.

CAP. XXV.

Quid fieri debeat, si vel pars, vel totus exercitus fugerit.

SCIENDVM verò est, si pars exercitus vicerit, & pars fugerit, minimè desperandum, cùm in eiusmodi necessitate, ducis constantia totam sibi possit vendicare victoriam. Innumerabilibus hoc accidit bellis, & pro superioribus sunt habiti, qui minimè desperarunt. Nam in simili conditione fortior creditur, quem aduersa non frangunt. Prior ergo de cæsis hostibus spolia capiat, (quod ipsi dicunt) colligat campum, prior clamore, ac buccinis exultare videatur. Hac fiducia perterrebit inimicos, & suis fiduciam geminabit, quasi victor ex omni parte discesserit. Quod si aliquo casu omnis in acie fundatur exercitus, * pernicioſæ cladis tamen reparationis fortuna multis non defuit, & medicina quærenda est. Dux ergo prouidus sub ea cautela publico debet Marte confligere, vt si quid pro varietate bellorum, vel conditionis humanæ secus acciderit, absque graui detrimento liberet victos. Nam si vicini colles fuerint; si post terga munitio; si ceteris abscedentibus fortissimi quique restiterint, se suosque seruabunt. Frequenter iam fusa acies, dispersos, ac passim sequentes, reparatis viribus interemit. [Nam] nunquam exultantibus maius solet * esse discrimen, quàm cùm subitò ferocia in formidinem commutatur. Sed quicunque euentus fuerit, colligendi superstites, bello erigendi adhortationibus congruis, & armorum instauratione refouendi. Tunc noui dilectus, noua quæruntur auxilia: & (quod amplius prodest) * captatis occasionibus in ipsos victores per occultas insidias impetu faciendus est, ac sic audacia reparanda. Nec oportunitas * defit, cùm pro felicitate superbiùs, & incautiùs mentes efferantur humanæ.

* *Corrige à scriptura, & interpunctione,* pernicioſa clades; tamen

* *Malo cum* V V. euenire

* *Liber meus, & aliquot mſſ.* occupatis

* *Adſentior* V V. *qui ſcribunt,* delit,

manæ. Si quis hunc casum vltimum putat, cogitet euentus omnium prœliorum, inter initia contra illos magis fuisse, quibus victoria debebatur.

CAP. XXVI.

Regulæ bellorum generales.

IN omnibus prœliis expeditionis conditio talis est, vt quod tibi prodest, aduersario noceat: quod illum iuuat, tibi semper officiat. Nunquam igitur ad illius arbitrium aliquid facere, aut dissimulare debemus, sed id solum agere, quod nobis vtile iudicamus. Contra te enim esse incipis, si imiteris quod fecit ille pro se: & rursus quicquid pro tua parte tentaris, contra illum erit, si voluerit imitari.

In bello, qui plus in *angariis vigilauerit, plus in exercendo milite laborauerit, minus periculum sustinebit.

*VV. agrariis *quod probo.*

Nunquam miles in aciem producendus est, cuius antea experimenta non ceperis.

Aut inopia, aut superuentibus, aut terrore melius est hostem domare, quàm prœlio: in quo amplius solet fortuna potestatis habere, quàm virtus.

Nulla consilia meliora sunt,* quàm illa, quæ ignorauerit aduersarius antequam facias.

*Mſſ. nisi illa,

Occasio in bello amplius solet iuuare, quàm virtus.

In sollicitandis suscipiendisque hostibus, si cum fide veniant, magna fiducia est: quia aduersarium amplius transfugæ frangunt, quàm peremti.

Melius est post aciem plura seruare præsidia, quàm latiùs militem *spargere.

*Mihi perplacet, exspargere.

Difficile vincitur, qui verè potest de suis, & de aduersarij copiis iudicare.

Amplius iuuat virtus, quàm multitudo.

Amplius prodest locus sæpe, quàm virtus.

Paucos

Paucos viros fortes natura procreat, bona institutione plures reddit industria.

Exercitus labore proficit, ocio consenescit.

Nunquam ad certamen publicum produxeris militem, nisi [cùm] eum videris sperare victoriam.

Subita conterrent hostes, vsitata vilescunt.

Qui dispersis suis inconsultè sequitur, quam ipse acceperat, aduersario vult dare victoriam.

Qui frumentum, *necessariumque commeatum non præparat, vincitur sine ferro.

*VV *malunt*, necessariaq. nõ præparat:

Qui multitudine, & virtute præcedit, quadrata dimicet fronte, qui primus est modus.

Qui imparem se iudicat, dextro cornu suo sinistrum cornu pellat inimici, qui est secundus modus.

Qui sinistram alam fortissimam habere se nouerit, dextram alam hostis inuadat; qui est tertius modus.

Qui habet exercitatissimos milites, in vtroque cornu pariter prœlium debet incipere, qui est quartus modus.

Qui leuem armaturam optimam regit, vtramq. alam hostis inuadat, ferentariis ante mediam aciem constitutis, qui est quintus modus.

Qui nec numero militum, nec virtute confidit, si depugnaturus est, de dextra sua sinistram alam hostium pulser, reliquis suis porrectis in similitudinem veru, qui sextus est modus.

Qui pauciores, infirmioresque habere se nouit, septimo modo ex vno latere, aut montem, aut ciuitatem, aut mare, aut fluuium, aut aliquod debet habere subsidium.

Qui confidit equitatu, aptiora loca quærat equitibus, & rem magis per equites gerat.

Qui confidit pedestribus copiis, aptiora loca peditibus quærat: & rem magis per pedites gerat.

Cùm explorator hostium latenter oberrat in castris,

omnes ad tentoria sua per diem redire iubeantur,& statim deprehenditur explorator.

Cùm consilium tuum cognoueris aduersariis proditum, dispositionem mutare te conuenit.

Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid verò facturus sis, cum pauciſſimis, ac fideliſſimis; vel potiùs ipse tecum.

Milites pœna, & timor in sedibus corrigunt; in expeditionibus, spes, & præmia faciunt meliores.

Boni duces publico certamine nunquam nisi ex occasione, aut nimia necessitate confligunt.

Magna dispositio est, hostem fame magis vrguere, quàm ferro.

De equitatu sunt multa præcepta: sed cùm hæc pars militiæ, vsu exercitij, armorum genere, equorum nobilitate profecerit, ex libris nihil arbitror colligendum, cùm præsens doctrina sufficiat.

Quo genere depugnaturus sis, nesciant hostes: ne aliquibus remediis resistere moliantur.

DIGESTA sunt, Imperator inuicte, quæ nobiliſſimi auctores, diuersis probata temporibus, per experimentorum fidem, memoriæ prodiderunt, vt ad sagittandi peritiam, quam in serenitate tua Persa miratur: ad equitandi scientiam vel decorem, quæ Hunnorum, Alanorumque natio velit imitari, si possit: ad currendi velocitatem, quam Saracenus Indusque non æquat: ad armaturæ exercitationem, cuius campi * doctores, vel pro parte exempla intellexisse gaudent: nunc regula præliandi, imò vincendi artificium iungatur; quatenus virtute pariter ac dispositione mirabili, reipublicæ tuæ & Imperatoris officium exhibeas & militis.

* doctores malim.

FLAVI

FLAVI VEGETI RENATI DE RE MILITARI, LIBRI QVARTI

Prologus.

AGRESTEM, *incultámque hominum in initio sæculi vitam, à communione brutorum animalium, vel ferarum, vrbium constitutio prima discreuit. In his nomen reipublicæ* peperit *communis vtilitas. Ideo potentissimæ nationes, ac principes consecrati, nullam maiorem gloriam putauerunt, quàm aut fundare nouas ciuitates, aut ab aliis conditas in nomen suum, sub quadam amplificatione, transferre. In quo opere clementia serenitatis tuæ obtinet palmam.* Ab aliis *enim vel paucæ, vel singulæ, à pietate tua innumerabiles vrbes ita iugi labore perfectæ sunt, vt non tam humana manu conditæ, quàm diuino nutu videantur* paratæ. *Cunctos Imperatores felicitate, moderatione, castimonia, indulgentiæ exemplo, studiorum amore* præcellis. *Regni, animiq; tui bona cernimus: & tenemus, quæ anticipare & superior optauit ætas, & extendi in perpetuum ventura desiderat. Quibus rebus tantum vniuerso orbi præstitum*

* Alias, reppererit

* VV. *Ab illis*

* Malo cum VV. mss. enatæ.

* Restituo, præcedu.

ſtitum gratulamur [bonum,] quantum vel humana mens petere, vel gratia potuit diuina conferre. Sed diſpoſitionibus veſtræ clementiæ, quantùm profecerit murorum elaborata conſtructio, Roma documentum eſt, quæ ſalutem ciuium Capitolinæ arcis defenſione ſeruauit, vt glorioſius poſtea totius orbis poſſideret imperium. Ad complementum ergo operis maieſtatis veſtræ præceptione ſuſcepti, rationes quibus vel noſtræ ciuitates defendendæ ſint, vel hoſtium ſubruendæ, ex diuerſis auctoribus in ordinem digeram: nec laboris pigebit, cùm omnibus profutura condantur.

CAP. I.

Ciuitates aut opere, aut natura, aut vtroque debere muniri.

VRBES atque caſtella, aut natura muniuntur; aut manu; aut vtroque; quod firmius ducitur. Natura, aut loco edito vel abrupto, circumfuſo mari ſiue paludibus, vel fluminibus. Manu, foſſis, ac muris. * In illo naturali beneficio, tutiſſimum eligentis conſilium; in plano quæritur fundantis induſtria. Videmus antiquiſſimas ciuitates ita in campis patentibus conſtitutas, vt deficiente auxilio locorum, arte tamen, & opere * redderentur inuictæ.

* *Vide Commentarium.*

* *In VV. quibuſdam*, reddantur

CAP. II.

Non directos, ſed anguloſos muros faciendos.

AMBITVM muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum eſſet diſpoſitus, ſed, ſinuoſis anfractibus, iactis fundamentis, clauſere vrbes; crebrio-

crebrioresq. turres in ipsis angulis ediderunt propterea: quia si quis ad murum tali ordinatione constructum, vel scalas, vel machinas voluerit admouere, non solùm à fronte, sed etiam à lateribus, & propè à tergo, veluti in sinum circumclusus opprimitur.

CAP. III.

Quemadmodum muris terra iungatur egesta.

MVRVS autem, *vt nunquam possit elidi, hac ratione perficitur. Interuallo vicenûm pedum interposito, duo intrinsecus parietes fabricantur. Deinde terra, quæ de fossis fuerit egesta, inter illos mittitur, vectibusque densatur: ita vt à muro primus paries *parum inferior, secundus longè minor ducatur: vt de plano ciuitatis ad similitudinem graduum *quasi cliuo, mollioreque ad propugnacula possit ascendendi. Quia nec murus vllis potest arietibus rumpi, quem terra confirmat, & quouis casus destructis lapidibus, ea quæ inter parietes densata fuerit, ad muri vicem ingruentibus moles obsistit.

*Fortean ne vnquam

*Aliquot in libris pro rara

*Scribo, quasi cliuo molli, vsque ad p. p. adscendi.

CAP. IIII.

De cataractis, & portis, ne exurantur ab ignibus.

CAVETVR præterea, ne portæ subiectis ignibus exurantur. Propter quod sunt coriis, & ferro tegendæ. Sed amplius prodest, quod inuenit antiquitas, vt ante portam addatur propugnaculum, in cuius ingressu ponitur cataracta, quæ annulis ferreis, ac funibus pendet, vt si hostes intrauerint, demissa eadem extinguantur incluſi. Ita tamen supra portam murus est ordinandus, vt accipiat foramina, per quæ de superiore parte effusa aqua, subiectum restinguat incendium.

CAP.

CAP. V.

De fossis faciendis.

FOSSÆ autem ante vrbes latissimæ, altissimæque faciendæ sunt, vt nec facilè possint coæquari, replerique ab obsidentibus, & cùm aquæ cœperint *inundari ab aduersario cuniculum continuari minimè patiantur. Nam duplici modo opus subterraneum peragi, earum altitudine, & inundatione prohibetur.

*VV. redundare

CAP. VI.

Ne sagittis hostium homines lædantur in muro.

FORMIDATVR, ne multitudo sagittariorum, de propugnaculis exterritis defensoribus, appositisque scalis, occupet murum. Aduersum quod cataphractas atque scuta in ciuitatibus debent habere quàm plurimi. Deinde propugnacula duplicia, saga ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiunt sagittarum. Nec enim facilè transeunt spicula, quod cedit ac fluctuat. Inuentum quoque remedium est, vt de ligno crates facerent, quas metellas vocauerunt, lapidibusque complerent: ea arte inter bina propugnacula constitutas, vt si per scalas ascendisset hostis, & partem aliquam ipsius contigisset, supra caput suum vergerent saxa.

CAP. VII.

Quibus modis prouidendum sit, ne famem patiantur obsessi.

MVLTA defensionum, oppugnationumque sunt genera, quæ locis cõpetentibus inseremus. Nunc sciendum est, obsidendi duas esse species. Vnam, cùm aduersarius opportunis locis præsidiis ordinatis * [continuis insultibus impugnat obsessos. Alteram, cùm] vel aqua prohibet inclusos, vel deditionem sperat à fame, quando

*Inclusa adulterina esse libri clamant, sententia autem reclamat.

quando omnes prohibuerit commeatus. Hoc enim consilio, ipse ociosus, ac tutus fatigat inimicum. Ad quos casus, possessores, quamuis leui suspicione pulsati, omnem alimoniam victus intra muros debent studiosissimè collocare, vt ipsis exuberet substantia, aduersarios inopia cogat abscedere. Non solùm autem porcinum, sed & omne animalium genus, quod inclusum seruari non potest, deputari oportet ad lardum, vt adminiculo carnis frumenta sufficiant. Aues autem cohortales, & sine impensa, in ciuitatibus nutriuntur, & propter ægrotantes sunt necessariæ. * Pabula equis sunt præcipuè congerenda, & quæ apportari nequiuerint, exurenda. Vini, aceti, ceterarumque frugum, vel pomorum congerendæ sunt copiæ, nihilque, quod vsui proficiat, hostibus relinquendum. Nam vt hortorum cura in viridariis domorum, vel areis exerceatur, vtilitatis, & voluptatis ratio persuadet. Parum autem *proficit plurimum collegisse, nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos * [procuratores] erogatio temperetur. Nunquam periclitati sunt fame, qui frugalitatem inter copiam seruare cœperunt. Imbellis quoque ætas, ac sexus, propter necessitatem victus, portis frequenter exclusa est: ne penuria opprimeret armatos, à quibus mœnia seruabantur.

* VV. *aliquot.* Pabulaque sunt præcipuè

* *Aliàs*, prodest

* *Hæc vox nulla est in optimis exemplaribus.*

CAP. VIII.

Quæ species præparandæ sint pro defensione murorum.

BITVMEN, sulphur, picem liquidam, oleum, quod incendiarium vocant, ad exurendas hostiũ machinas, conuenit præparare: ad arma facienda ferrũ vtrinsque temperaturæ, & carbones seruantur in conditis: ligna quoque hastilibus, sagittisq. necessaria reponuntur. Saxa rotũda de fluuiis, quia pro soliditate grauiora sunt, & aptio-

& aptiora mittentibus, diligentissimè colliguntur; ex quibus muri replentur, & turres. Minima *fundis, siue fustibalis, vel manibus iacienda. Maiora per onagros diriguntur. Maxima verò pondere, formaque volubili, in propugnaculis digeruntur, vt dimissa per præceps, non solùm obruant subeuntes, sed etiam machinamenta confringant. Rotæ quoque de lignis viridibus ingentissimæ fabricantur, vel interciſi ex validissimis arboribus cylindri (quas taleas vocant) vt sint volubiles læuigantur: quæ per pronum labentia subito impetu bellatores sternunt, equosque solent deterrere. Trabes quoque & tabulata, vel diuersæ magnitudinis clauos ferreos esse oportet in promptu. Nam oppugnantium machinis per alias machinas consueuit obsisti, præcipuè cùm subitis operibus addenda sit muris vel propugnaculis altitudo, ne aduersariorum mobiles turres superemineant, & capiant ciuitatem.

* *Restituendum*, ad fundas, siue fustibalos,

CAP. IX.

Quid faciendum, si neruorum defuerit copia.

NERVORVM quoque copiam summo studio expedit colligi: quia onagri, vel balistæ, ceteraque tormenta, nisi funibus neruinis intenta, nihil prosunt. Equorum tamen setæ de caudis ac iubis ad balistas vtiles asseruntur. *Indubitatum verò est crines feminarum in eiusmodi tormentis non minorem habere virtutem, Romanæ scilicet necessitatis experimento. Nam in obsidione Capitolij corruptis iugi ac longa fatigatione tormentis, cùm neruorum copia defeciſſet, matronæ abscissos crines viris suis obtulere pugnantibus, reparatisque machinis, aduersariorum impetum repulerunt. Maluerunt enim pudicissimæ feminæ, deformato ad tempus capite, liberè viuere cum maritis; quàm hostibus integro decore seruire. Cornua quoque, vel cruda

* *Adi notas.*

coria

coria proficit colligi ad cataphractas tegendas, aliaque machinamenta, siue munimina.

CAP. X.

Quid faciendum, ne aquæ inopiam patiantur obsessi.

MAGNA vrbis vtilitas est, cùm perennes fontes murus includit. Quod si natura non præstat, cuiuslibet altitudinis effodiendi sunt putei, aquarumque haustus funibus extrahendi. Sed interdum *sicciora sunt loca, quæ montibus sunt, saxisque munita, in quibus superposita castella; extra murum inferiores reperiunt fontium venas, ac de propugnaculis, vel turribus destinatis protegunt telis, vt aquatoribus liber præstetur accessus. Quod si vltra iactum teli, in cliuo tamen ciuitatis subiecta sit vena, castellum paruulum (quem Burgum vocant) inter ciuitatem, & fontem conuenit fabricari, ibique balistas, sagittariosque constitui, vt aqua defendatur ab hostibus. Præterea in omnibus publicis ædificiis, multisque priuatis, cisternæ sunt diligentissimè substruendæ, vt receptacula aquis pluuialibus, quæ de tectis effluunt, præstent. Difficilè enim vincit sitis eos, qui quamuis exigua aqua, ad potum tantùm, in obsidione, sunt vsi.

Mſ. si altiora sunt

CAP. XI.

Si sal defuerit, quid faciendum.

SI maritima sit ciuitas, & *sal defuerit, liquor ex mari sumtus, per alueos atque patula vasa diffunditur, qui à calore solis duratur in salem. Quod si hostis ab vnda prohibeat (nam hoc sæpè accidit) harenas, quas exagitatum ventis mare *superfuderat, aliquando colligunt, & dulci aqua eluunt, quæ sole siccata nihilominus mutatur in salem.

Aliquot VV. sales defuerint,

** Libri optimi fuderat,*

CAP. XII.

Quid faciendum, cùm primo impetu venitur ad muros.

VIOLENTA autem impugnatio, quando castellis, vel ciuitatibus præparatur, mutuo vtrinque periculo, sed maiore oppugnantium sanguine, exercentur luctuosa certamina. Illi enim qui muros inuadere cupiunt, terrifico apparatu expositis copiis, in spem deditionis formidinem geminant, tubarum strepitu, hominumque permixto. Tunc, quia timor magis frangit insuetos, primo impetu stupentibus oppidanis, si discriminum experimenta non norunt, [dum] admotis scalis inuaditur ciuitas [resistere debent omni virtute.] Quòd si à fidentibus, siue militaribus viris repellatur prima congressio, statim clausis crescit audacia, & iam non terrore, sed viribus, & arte confligitur.

* *Inclusa cur remouēda sint, dicam postea in Commentario.*

CAP. XIII.

Enumeratio machinarum, quibus muri oppugnantur.

ADMOVENTVR * etiam testudines, arietes, falces, vineæ, plutei, musculi, turres, de quibus singulis qualiter fabricentur, quo etiam pacto prælientur, vel repellantur, ediseram.

* *Libri omnes, enim*

CAP. XIIII.

De ariete, falce, testudine.

DE materia, ac tabulatis testudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis, vel ciliciis, centonibusque vestitur. Hæc intrinsecus accipit trabem, quæ aut adunco præfigitur ferro, & Falx vocatur, ab eo quòd incurua est, vt de muro extrahat lapides: aut certè ipsius caput vestitur ferro, & appellatur Aries: vel quòd habet durissimam

durissimam frontem, quæ subruat muros: vel quòd more arietum retrocedit, vt cum impetu vehementius feriat. Testudo autem à similitudine veræ testudinis vocabulum sumsit: quia sicut illa modò reducit, modò profert caput; ita machinamentum interdum reducit trabem, interdum exerit, vt fortiùs cædat.

CAP. XV.

De vineis, pluteis, & aggere.

VINEAS dixerunt veteres, quas nunc militari, barbaricoque vsu causias vocant. E lignis leuioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus *sex. Huius tectum munitione duplici, *tabulatis, cratibusq. contexitur. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum, telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immissò concremetur incendio, crudis, ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Istæ, cùm plures factæ fuerint, *iunguntur in ordinem, sub quibus *subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta. Plutei dicuntur, qui ad similitudinem absidis contexuntur è vimine, & ciliciis, vel coriis proteguntur, ternisque rotulis, quarũ vna in medio, duæ in capitibus apponũtur, in quamcunq. partem volueris admouentur more carpenti: quos obsidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, sagittis, siue fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis ciuitatis exturbant, vt scalis ascendendi facilior præstetur occasio. Agger autem ex terra, ligniq. extollitur contra murum, de quo tela iactantur.

*Emendãdum libris omnibus auctoribus, sexdecim.

*An ne rectiũ sit, tabulis,

*Alter Susij coguntur

*VV. malunt obsidentes

CAP. XVI.

De Musculis.

MVSCVLOS dicunt minores machinas, quibus protecti bellatores, *si lutum obfuerit, ciuitatis

*VV. aliquot, fudatum aut ferum.

fossatum etiam apportatis lapidibus, lignis, ac terra, non solum complent, sed etiam solidant, vt turres ambulatoriæ sine impedimento iungantur ad murum. Vocantur autem à marinis beluis Musculi. Nam quemadmodum illi, cùm minores sint, tamen balenis auxilium, adminiculumque iugiter exhibent: ita istæ machinæ breuiores, deputatæ turribus magnis, aduentui illarum parant viam, itineraque præmuniunt.

CAP. XVII.

De turribus ambulatoriis.

TVRRES autem dicuntur machinamenta, ad ædificiorum speciem, ex trabibus, tabulatisque compacta: & ne tantum opus hostili concremetur incendio, diligentissimè [ex] crudis coriis, vel centonibus *communita, quibus pro modo altitudinis, additur latitudo. Nam interdum tricenos pedes per quadrum, interdum quadragenos, vel quinquagenos latæ sunt. Proceritas autem ipsarum tanta fit, vt non solùm muros, sed etiam turres lapideas altitudine superent. His plures rotæ mechanica arte subduntur, quarum lapsu volubili magnitudo tam ampla mouetur. Præsens autem periculum ciuitatis est, si ad murum fuerit turris admota. Plures enim accipit scalas, & diuerso genere conatur inrumpere. Nam in inferioribus habêt arietem, cuius impetu destruit muros: circa mediam verò partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, septumque de vimine, quem subitò prolatum inter turrim murumque constituunt, & per eum egredientes de machina bellatores in ciuitatem transeunt, & occupant muros. In superioribus autem turris illius partibus contati, & sagittarij collocantur, qui defensores vrbis [ex alto] contis, missilibus, saxisque prosternant. Quo facto ciuitas capitur sine mora. Quid enim auxilij supereſt, cùm hi qui de muro-

* *Scribe*, cõmunitur.

murorum altitudine sperabant, repentè supra se aspiciant altiorem hostium murum?

Cap. XVIII.

Quemadmodum ambulatoria turris possit incendi.

Huic tam manifesto discrimini multis occurritur modis. Primùm, si confidentia, vel virtus est militaris, eruptione facta, globus egreditur armatorum, & vi hostibus pulsis machinamentum illud ingens, direptis coriis, ignis exurit. Quòd si oppidani exire non audeant, * maiores balistas, malleolos, vel phalaricas cum incendio destinant, vt perruptis coriis, vel centonibus, intrinsecus flamma condatur. Malleoli velut sagittæ sunt, & vbi adhæserint (quia ardentes * sunt) vniuersa conflagrant. Phalarica autem, ad modum hastæ, valido præfigitur ferro: inter tubum, & hastile sulphure, resina, bitumine, stupisque conuoluitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, quæ balistæ impetu destinata, perrupto munimine ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit. Depositi quoque homines funibus, cùm hostes dormiunt, in laternis portant lucernas, &, incensis machinis, rursus leuantur in murum.

* *Restituo*, ad maiores balistas,

* *Exemplaria optima*, veniunt,

Cap. XIX.

Quemadmodum altitudo muris addatur.

Præterea partem muri, ad quam machina conatur accedere, cæmento atque lapidibus, vel luto, siue lateribus, postremò tabulatis exstruendo faciunt altiorem, ne defensores mœnium desuper vrbi ventura possit opprimere. Constat autem inefficax machinamentum reddi, si inueniatur inferius. Verùm obsidentes eiusmodi dolum adhibere consueuerunt. Primò

talem exstruunt turrem, quæ propugnaculis ciuitatis videatur inferior. Deinde secretò aliam de * tabulatis intrinsecus turriculam faciunt, & cùm muris fuerit machina sociata, subitò funibus, trochleisque de medio turricula illa producitur, de qua egredientes armati (quia altior inuenitur) statim capiunt ciuitatem.

* *Alij libri,* tabulis

CAP. XX.

Quo pacto suffodiatur terra, vt machina nocere non possit.

INTERDVM longissimas, ferratasque trabes opponunt machinæ venienti, eamque à muri vicinitate propellunt. Sed cùm Rhodiorum ciuitas oppugnaretur ab hostibus, & turris ambulatoria murorum altitudinem, ac turrium omnium superaret, mechanici ingenio inuentum est tale remedium. Per noctem sub fundamento muri cuniculum fodit, & illum locum, ad quem die postero turris fuerat promouenda, nullo hostium sentiente, egesta terra cauauit intrinsecus: & cùm rotis suis moles fuisset impulsa, atque ad locum qui subtus cauatus fuerat, peruenisset, tanto ponderi solo cedente, subsedit. nec iungi muris, aut moueri vlterius potuit. Ita & ciuitas liberata est, & machina derelicta.

CAP. XXI.

De scalis, sambuca, exostra, & tollenone.

ADMOTIS turribus, funditores lapidibus, sagittarij iaculis, manubalistarij vel arcubalistarij sagittis, iaculatores plumbatis ac missilibus, è muris submouent hostes. Hoc facto, scalis appositis occupant ciuitatē. Sed qui scalis nituntur, frequenter periculum sustinent, exēplo Capanei, à quo primū [hæc] scalarū oppugnatio perhibetur inuenta: qui tanta vi occisus est à Thebanis, vt extinctus fulmine diceretur. Et ideo sambuca, exostra, &

stra, & tollenone obsidentes in murum hostium penetrant. Sambuca dicitur * à similitudine citharæ. Nam quemadmodum in cithara chordæ sunt, ita in trabe, quæ iuxta turrim ponitur, funes sunt, qui pontem de superiore parte trochleis laxant, vt * ascendat ad murum, statimque de turri exeunt bellatores, & per eum transeuntes mœnia vrbis inuadunt. Exostra dicitur pons, quem superius exposuimus, qui de turri in murum repente * protenditur. Tollenon dicitur, quoties vna trabes in terram prælte defigitur, cui in summo vertice alia transuersa trabes longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, vt si vnum caput depresseris, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus siue tabulatis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes vno attracto depressoque, alio capite eleuati imponuntur in murum.

* *Lege*, ad similitudiné

* *Emendandum*, descendat

* *Ea lectio ex officinis est. Veteres libri, & editi plerique*, protruditur.

CAP. XXII.

De balistis, onagris, scorpionibus, arcubalistis, fustibalis, fundis, per quæ tormenta defenditur murus.

ADVERSVM hæc obsessos defendere consueuerunt balistæ, onagri, scorpiones, arcubalistæ, fustibali, sagittarij, fundæ. Balista *funibus, neruis, [chordisque] tenditur, quæ quantò prolixiora brachiola habuerit, hoc est, quantò maior fuerit, tantò spicula longius emittit: quæ si iuxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui mensuram eius antè collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percussierit. Onager autem dirigit lapides, sed pro neruorum crassitudine, & magnitudine, saxorum pondera iaculatur. Nam quantò amplior fuerit, tantò maiora saxa fulminis more contorquet. His duobus generibus nulla tormen-

* *Mss. aliquot mal'unt*, funibus neruiis,

tormentorum ſpecies vehementior inuenitur. Scorpiones dicebant, quas nunc manubaliſtas vocant: ideo ſic nuncupati, quòd paruis, ſubtilibusque ſpiculis inferant mortem. Fuſtibalos, arcubaliſtas, & fundas deſcribere ſuperfluum puto, quæ præſens vſus agnoſcit: ſaxis tamen grauioribus per onagrum deſtinatis, non ſolùm equi eliduntur, & homines, ſed etiam hoſtium machinamenta franguntur.

CAP. XXIII.

*Aduerſum arietes proſunt * culcitræ, laquei, lupi, & columnæ grauiores.*

* *Scribo*, culcitæ,

ADVERSVM arietes etiam vel falces, ſunt plura remedia. Aliquanti centones & culcitas * fuſtibus calcant, & illis opponunt locis, quà cædit aries, vt impetus machinæ materia molliore fractus, non deſtruat murum. Alij laqueis captos arietes, per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipſis teſtudinibus euertunt. Plures in modum forficis dentatum funibus illigant ferrum, quem lupum vocant, apprehenſumque arietem, aut * auertunt, aut ita ſuſpendunt, vt impetum nō habeat feriendi. Interdum baſes, columnæ marmoreæ, vibrato impetu iaciuntur è muris, arietesque confringunt. Quod ſi tanta vis fuerit, vt murus arietibus perforetur, & (quod ſæpe accidit) decidat, ſalutis vna ſpes ſupereſt, vt deſtructis domibus alius intrinſecus murus addatur, hoſtesque inter binos parietes (ſi penetrare tentauerint) perimantur.

* *Emenda*, funibus chalant,

* *Præferunt alij codices*, euertunt,

CAP. XXIIII.

De Cuniculis, per quos aut murus defoditur, aut ciuitas penetratur.

ALIVD genus oppugnationis eſt ſubterraneum, atque ſecretum, quod cuniculum vocant: à leporibus,

poribus,qui cauernas sub terris fodiunt,ibiq́ue condun-
tur. Adhibita ergo multitudine ad speciem metallo-
rum,in quibus auri argentiq́ue venas Bessorum rimatur
industria, magno labore terra defoditur, cauatoq́. specu
in exitium ciuitatis inferna quæritur via: quæ fraus du-
plicibus operatur insidiis. Aut enim penetrant vrbem,
& noctu non sentientibus oppidanis egrediuntur per
cuniculum,reseratisq́ue portis suorum agmen *ducunt, * *Lege*, indu-
hostesq́ue in ipsis domibus perimunt ignorantes: aut cunt,
certè cùm ad murorum fundamenta peruenerint, suf-
fodiunt eorum maximam partem, & appositis siccio-
bus lignis, ruinam muri tumultuario opere suspendunt.
Sarmenta insuper iungunt, aliaq́ue fomenta flamma-
rum. Tunc præparatis bellatoribus * subter ignis im- * *Liber* V. in
mittitur, combustisq́ue columnis ligneis, atque tabula- opera ignis
tis, muro subitò corruente * inruptione aditus reseratur. * *Malim* in-
ruptioni

CAP. XXV.

Quid facere debeant oppidani, si hostis inruperit ciuitatem.

INNVMERABILIBVS declaratur exemplis, sæpè cæsos
ad internecionem hostes, qui peruaserant ciuitatem.
Quod sine dubio euenit, si oppidani muros, ac turres
retinuerint, vel altiora occupauerint loca. Tunc enim
de fenestris, ac tectis; omnis ætas, ac sexus inrumpen-
tes obruunt saxis, aliisq́ue generibus telorum: quod ne
sustineant obsidentes, portas * ciuitatis aperire consue- * *Alij*, ciui-
uerunt, vt resistere desinant, fugiendi potestate concessa. bus
Necessitas enim quædam virtutis est desperatio. In hoc
casu vnum oppidanis auxilium est, siue per diem, siue
per noctem hostis intrauerit, vt muros, turresq́ue te-
neant, ac loca superiora conscendant, hostesq́ue per vi-
cos, & plateas vndiq́ue obruant dimicantes.

CAP. XXVI.

Quæ sit adhibenda cautela, ne hostes furtim occupent murum.

FREQVENTER dolum excogitant obsidentes, ac simulata desperatione longius abeunt. Sed vbi * postmodum, murorum vigiliis derelictis, requieuerit incauta securitas, tenebrarum ac noctis occasione captata, cũ scalis * clamculum veniunt, murosq. conscendunt. Propter quod maior est adhibenda custodia, cùm hostis abscesserit, & in ipsis muris, ac turribus *tuguriola collocanda, in quibus vigiles, hybernis mensibus, ab imbribus, vel frigore; æstiuis defendantur à sole. Illud quoq. vsus inuenit, vt acerrimos, ac sagacissimos canes in turribus nutriant, qui aduentum hostium odore præsentiant, latratuque testentur. Anseres quoq. non minore solertia nocturnos superuentus clamoribus indicant. Nam ingressi Capitolinam arcem Galli, Romanum nomen eruerant, nisi clamore * anseris excitatus Manlius restitisset. Mira diligentia siue fortuna viros, qui vniuersum orbem erant missuri sub iugum, auis vna seruauit.

* *Restituo*, post metũ.

* VV. clanculò

* *Membrana habent*, tegurciola

* *Libri aliquot*, anserum

CAP. XXVII.

Quomodo oppidanis inferantur insidiæ.

NON solùm in obsidionibus, sed in vniuerso genere bellorũ supra omnia ducitur, hostium cõsuetudinem explorare diligenter, ac nosse. Oportunitas enim insidiarum aliter non potest inueniri, nisi scias, quibus horis aduersarius à laboris intentione discedat, quibus reddatur incautior: interdum medio die, interdum ad vesperum, sæpe nocte, aliquando eo tempore, quo sumitur cibus, cùm vtriusq. partis milites ad requiem, aut ad curanda corpora disperguntur. Quod in ciuitate cùm cœperit fieri, obsidentes astu se à prœlio subtrahunt, vt aduersa-

uersaricrum neglegentiæ licentiam tribuant. Quæ ipsa impunitate cùm creuerit, repentè admoris machinis, vel appositis scalis occupant ciuitatẽ. Et ideo in muris saxa, ceteraque tormenta ponuntur in promptu, vt cognitis insidiis accurrentes, ad manum habeant quod supra capita hostium euoluant, atque iaculentur.

CAP. XXVIII.

Quid faciant obsidentes, ne ab oppidanis patiantur insidias.

CVM neglegentia interuenerit, paribus insidiis subiacent obsidentes. Nam siue cibo, siue somno fuerint occupati, siue ocio, aut aliqua necessitate dispersi: tunc oppidani repentè protumpunt; ignorantes perimunt; arietes, machinas, ipsosque aggeres ignibus concremant; omniaque in perniciem suam fabricata opera subuertunt. Propter quod obsidentes vltra iactum teli fossam faciunt, eamque non solùm vallo, & sudibus, sed etiam turriculis instruunt, vt erumpentibus ex ciuitate possint obsistere, quod opus Loriculam vocant, & sæpe cùm obsidio describitur, inuenitur in historiis, * Loricula vrbem esse circumdatam.

* *Membranæ legũt*, Lorica

CAP. XXIX.

Quo genere tormentorum ciuitates defendantur.

SED ex alto destinatà missilia, siue plumbatæ, siue lanceæ, veruta, vel spicula in subiectos vehementiùs cadunt. Sagittæ quoq. arcubus missæ, & saxa manibus, fundis, siue fustibalis directa, quantò de excelsiori loco exeunt, tantò longius penetrant. Balistæ verò, & onagri, si à peritis diligentissimè temperentur, vniuersa * præcidunt, à quibus nec virtus vlla, nec munimina possunt defendere bellatores. Nã more fulminis quicquid percusserint, aut dissoluere, aut intrumpere consueuerunt.

* *Rectè* VV. præcedunt,

CAP.

CAP. XXX.

Quemadmodum mensura colligatur ad scalas vel machinas faciendas.

AD capiendos muros, scalæ, vel machinæ plurimùm valent, si ea magnitudine compactæ fuerint, vt altitudinem exsuperent ciuitatis. Mensura autem colligitur duplici modo: aut enim linum tenue expeditum vno capite nectitur in sagitta, quæ cùm ad muri fastigia directa peruenerit, ex mensura lini, murorum altitudo deprehenditur: aut certè cùm sol obliquus vmbram turrium, murorumque iaculatur in terram, tunc ignorantibus aduersariis, vmbræ illius spacium mensuratur. itemque decempeda figitur, & vmbra ipsius similiter mensuratur. Quo collecto [numero,] nemo dubitat, ex vmbra decempedæ inueniri altitudinem ciuitatis, cùm sciatur quanta altitudo, quantum vmbræ emittat in longum. Quæ ad oppugnandas, vel defendendas vrbes auctores bellicarum artium prodiderunt, vel quæ recentior necessitatum vsus inuenit, pro publica (vt arbitror) vtilitate digessi, illud *iterumque commonens, vt solertissimè caueatur, ne quando aut potus inopia emergat, aut cibi, quibus malis nulla arte succurritur: ideoque intra muros tantò plura condenda sunt, *quantò scitur clausuræ tempus in obsidentium potestate consistere.

* *Explent alij* iterum, iterumque

* *Liber* V. quando

CAP. XXXI.

Præcepta belli naualis.

PRÆCEPTO maiestatis tuæ, imperator inuicte, terrestris prælij rationibus absolutis, naualis belli residua (vt opinor) est portio: de cuius artibus ideo pauciora dicenda sunt: quia iamdudum pacato mari, cum barbaris nationibus agitur terrestre certamen. *Romanus autem populus pro decore & vtilitate magnitudinis

* *In vno* V. *huc vsque præfatio libri quinti.*

suæ

ſuæ, non propter neceſſitatem tumultus alicuius claſſem parabat ex tempore: ſed ne quando neceſſitatem ſuſtineret, ſemper habuit præparatam. Nemo enim bello laceſſere, aut facere audet iniuriam ei regno, vel populo, quem expeditum, & promptum ad reſiſtendum, vindicandumque cognoſcit. Apud Miſenum ergo, & Rauennam ſingulæ legiones cum claſſibus ſtabant, ne longiùs à tutela vrbis abſcederent: & cùm ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes nauigio peruenirent. Nam Miſenatium claſſis, Galliam, Hiſpanias, Mauritaniam, Aphricam, Ægyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Claſſis autem Rauennatium, Epiron, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa nauigatione conſueuerat: quia in rebus bellicis celeritas amplius ſolet prodeſſe, quàm virtus.

CAP. XXXII.

Nomina iudicum, qui præerant claſsibus.

LIBVRNIS autem, quæ in Campania ſtabant, præfectus claſſis Miſenatium præerat. Eæ verò, quæ Ionio in mari locatæ fuerant, ad præfectũ claſſis Rauennatium pertinebant: ſub quibus erant [deni] tribuni, per cohortes ſingulas conſtituti. Singulæ autem Liburnæ ſingulos nauarchos, id eſt, quaſi nauicularios habebant, qui exceptis ceteris nautarum officiis, gubernatoribus, atq. remigibus, & militibus exercendis, quotidianam curam, & iugem exhibebant induſtriam.

CAP. XXXIII.

Vnde appellentur Liburnæ.

DIVERSÆ autem prouinciæ quibuſdam temporibus mari plurimùm potuerunt, & ideo diuerſa eis genera nauium fuerunt. Sed Auguſto dimicante

Actiaco

Actiaco prælio, cùm Liburnorum auxiliis præcipuè victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, [esse] Liburnorum naues ceteris aptiores. Ergo similitudine, & nomine vsurpato, ad earundem instar classem Romani principes texuerunt. Liburnia namque Dalmatiæ pars est, *Iadertinæ subiacens ciuitati, cuius exemplo nunc naues bellicæ fabricantur, & appellantur Liburnæ.

*Emendo, Iaderinæ, nisi malis, Iaderæ

CAP. XXXIIII.

Qua diligentia fabricentur Liburnæ.

*Membranæ pleraque substruendæ

SED cùm in domibus *struendis arenæ vel lapidum qualitas requiratur, tantò magis in fabricandis nauibus diligenter cuncta quærenda sunt, quantò maius periculum est, nauem vitiosam esse, quàm domum. Ex cypresso ergo, & pinu domestica, siue siluestri larice, & abiete præcipuè Liburna contexitur, vtilius æreis clauis, quàm ferreis *configenda. Quamlibet enim grauior aliquanto videatur expensa; tamen, quia amplius durat, lucrum probatur afferre. Nam ferreos clauos tempore, & humore, celeriter rubigo consumit; ærei autem, etiam in fluctibus, propriam substantiam seruant.

*Quis non recipiat ex membranis compingenda.

CAP. XXXV.

Qua obseruatione sit cædenda materies.

*Meliores libri secundam, *Iterum*, septem

OBSERVANDVM præcipuè, vt à quintadecima luna, vsque ad vigesimam *tertiam, arbores præcidantur, ex quibus Liburnæ contexendæ sunt. His enim tantum *octo diebus cæsa materies immunis seruatur à carie: reliquis autem diebus præcisa, etiam eodem anno interna vermium labe exesa in puluerem vertitur: quod, ars ipsa, & omnium architectorũ quotidianus vsus edocuit, & contemplatione ipsius religionis agnoscimus, quã pro æternitate his tantùm diebus placuit celebrari.

CAP.

CAP. XXXVI.

Quo mense cædendæ sint trabes.

CÆDVNTVR autem trabes vtiliter post solstitium æstiuum, id est, per menses, Iulium, Augustum, & per autumnale æquinoctium, id est, vsque ad kalendas Ianuarias. His namque mensibus arescente humore ficciora, & ideo fortiora sunt ligna. Illud etiam cauendum, ne continuò, vt deiectæ fuerint trabes, secentur; vel statim, vt sectæ fuerint, mittantur in nauem: siquidem & adhuc solidæ arbores, & iam diuisæ per tabulas; duplices, ad maiorem siccitatem, mereantur inducias. Nam quæ virides compinguntur, cùm natiuum humorem exsudauerint, contrahuntur, & rimas faciunt latiores, quo nihil est periculosius nauigantibus.

CAP. XXXVII.

De modo Liburnarum.

QVOD ad magnitudinem pertinet, minimæ Liburnæ remorum habent singulos ordines, paulò maiores binos, idoneæ mensuræ, ternos, vel quaternos, interdum quinos fortiuntur remigum gradus. Nec hoc cuiquã enorme videatur, cùm in Actiaco prælio longè maiora referantur concutrisse nauigia, vt senorũ etiam, vel vltrà ordinũ fuerint. Scaphæ tamen maioribus Liburnis exploratoriæ sociantur, quæ vicenos propè remiges, in singulis partibus, habeant: quas Britanni *pictas vocant. Per has & superuentus fieri, & cõmeatus aduersariorũ nauium aliquando intercipi assolet, & speculandi studio aduentus earũ, vel consilium deprehendi. Ne tamen exploratoriæ naues candore prodãtur, colore Veneto (qui marinis est fluctibus similis) vela tinguntur, & funes: cera etiã, qua vngere solent naues inficitur. Nautæ quoq. vel milites Venetam vestem induunt, vt nõ solùm per noctem, sed etiã per diẽ facilius lateant explorantes.

* *Fortasseam, picatas, nisi verius sit* picas

CAP.

CAP. XXXVIII.

Nomina ventorum & numerus.

QVICVNQVE exercitum armatis classibus vehit, turbinum signa debet antè prænoscere. Procellis namque,& fluctibus liburnæ grauius,quàm vi hostium sæpe perierunt. in qua parte naturalis philosophiæ tota est adhibenda solertia, qua ventorum, tempestatumque cœlesti ratione natura colligitur. Et pro acerbitate pelagi, sicut prouidos cautela tutatur, ita negligentes extinguit incuria. Igitur ventorum numerum atque vocabula ars nauigandi primùm debet inspicere. Veteres autē iuxta positionem cardinum, tantùm quatuor ventos principales à singulis cœli partibus flare credebant,sed experimento posterior ætas duodecim comprehendit. Horum vocabula ad submouendam dubitationem, non solùm Græca, sed etiam Latina protulimus, ita vt ventis principalibus declaratis, eos qui ipsis dextra læuaq. iuncti sunt,indicemus. * A verno itaque solstitio,id est,ab orientali cardine, sumimus exordium, ex quo ventus oritur ἀπηλιώτης, id est, subsolanus. Huic à dextra iungitur * καικίας. A sinistra εὖρος, siue vulturnus. Meridianum autē cardinem possidet νότος, id est, auster. Huic à dextra iungitur λευκονότος, id est, albus notus. A sinistra λιβονότος, id est,corus. Occidentalem verò cardinem tenet * ζέφυρος. Huic à dextra iungitur λίψ, siue Aphricus. A sinistra, ἰάπυξ, siue fauonius. Septentrionalem verò cardinem sortitus est ἀπαρκτίας siue septentrio, cui adhæret à dextra τραμοντίας, siue Circius. A sinistra βορέας, id est, aquilo. Hi sæpe singuli, interdum duo, magnis autem tempestatibus etiam tres pariter flare consueuerunt. Horum impetu maria, quæ sua sponte tranquilla sunt, & quièta, vndis æstuantibus sæuiunt. Horum flatu pro natura temporum vel locorum ex pro-

*Hyberno itaque, in VV.

*Supplent ex VV. καικίας, seu erobinus.

*Iterum supplea ζέφυρος, id est, subuespertinus.

ex procellis serenitas redditur, & rursus in procellas serena mutantur. Nam secundo spiramine optatos classis inuenit portus, aduerso stare vel regredi, aut discrimen sustinere compellitur. Et ideò difficilè naufragium pertulit, qui ventorum rationem diligenter inspexit.

CAP. XXXIX.

Quibus mensibus tutiùs nauigetur.

SEQVITVR mensium dierumque tractatus. Neque enim integro anno vis atque acerbitas maris patitur nauigantes; sed quidam menses aptissimi, quidam dubij, reliqui classibus intractabiles sunt lege naturæ. *Phænitæ decursu, id est, post ortum Pleadum à die sexto kalendarum Iuniarum, vsque in Arcturi ortum, id est in diem octauum decimum kalendarum Octobrium, vt secuta nauigatio creditur, quia æstatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: ita post hoc tempus vsque in tertium Idus Nouembris incerta nauigatio est, & discrimini propior: propterea, quia post Idus Septembris oritur Arcturus vehementissimum sidus. Et octauo kalendas Octobris æquinoctialis euenit acerba tempestas. Circa nonas verò Octobris Hœdi pluuiales, quinto Idus eiusdem Taurus. A Nouembri autem mense crebris tempestatibus nauigia conturbat Vergiliarum hyemalis occasus. Ex die igitur tertio Iduum Nouembris vsque in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur. Nam lux minima; noxque prolixa; nubium densitas; aëris obscuritas; ventorum; imbri, vel niuibus geminata sæuitia; non solùm classes à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat. Post natalem verò (vt ita dicam) nauigationis, qui solenni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur, plurimorum siderum, ipsiusque temporis ratione, vsque in Idus Maias periculosè

* *Adrianus Turnebus legit*, Pharmutu

maria tentantur: non quòd negociatorum cesset industria, sed quia maior adhibenda est cautela, quando exercitus nauigat cum liburnis, quàm cùm priuatorum mercium festinat audacia.

CAP. XL.

Quemadmodum tempestatum obseruanda sint signa.

* VV. aliorũ

PRÆTEREA * aliquorum ortus occasusque siderum, tempestates vehementissimas commouent. in quibus licet certi dies auctorum attestatione signentur, tamen quia diuersis casibus * aliquando mutantur, & quod confitendum est, cælestes caussas humana conditio ad plenum nosse prohibetur; ideò nauticæ obseruationis curam trifariàm diuidunt. Aut enim circa diem statum, aut antè, vel postea tempestates fieri compertum est. Vnde præcedentes προχείμασιν, nascentes die solenni ἐπιχείμασιν, subsequentes μεταχείμασιν, Græco vocabulo nuncupauerunt. Sed omnia enumerare nominatim longum est, cùm auctores plurimi, non solùm mensium, sed etiam dierum rationem diligenter expresserint, * transitusque siderum, quos planetas vocant, cùm præscripto cursu * dierum arbitrio creatoris suscipiunt signa, vel deserunt, frequenter assolent serena turbare. Interluniorum autem dies tempestatibus plenos, & nauigantibus quàm maximè metuendos, non solùm peritiæ ratio, sed etiam vulgi vsus intellegit.

* *Manuscripti aliquot*, aliquanta

* *Fortean* Transitus quoque

* *Alij* dici, *liber meus* dei

CAP. XLI.

De prognosticis, quibus noscitur serenitas & turbatio aëris.

MVLTIS quoque signis & de tranquillo procellæ, & de tempestatibus serena produntur, quæ velut in speculo lunæ orbis ostendit. Rubicundus enim color

color ventos, cæruleus indicat pluuias. Ex vtroque commixtus, * nimbos, & furentes procellas. Lætus orbis, ac lucidus serenitatem nauigiis repromittit, quam gestat in vultu: præcipuè si quarto ortu, neque obtusis cornibus tutila, neque infuso fuerit humore fuscata. Sol quoque exoriens, vel diem condens, interest vtrùm æqualibus gaudeat radiis, an obiecta nube varietur; vtrùm solido splendore fulgidus, an ventis vrguentibus igneus; néve pallidus, vel pluuia sit impendente maculosus. Aër verò, & mare ipsum, nubiumque magnitudo, vel species solicitos instruit nautas. Aliquanta ab auibus, aliquanta à piscibus significãtur. quæ Virgilius in Georgicis diuinò penè comprehendit ingenio, & Varro in libris naualibus diligenter excoluit. Hæc gubernatores * se scire profitentur, sed eatenus quatenus eos imperitiæ vsus instruit, quàm altior doctrina firmauit.

* *Aliàs*, imbres.

* *In membranis est*, si se scire profitentur, peritiam magis vsus instituit, quàm al. d. f.

CAP. XLII.

De æstuariis, hoc est, de rheumate.

ELEMENTVM pelagi tertia pars mundi est, quod præter ventorũ flatum suo quoque spiramine, motuque vegetatur. Nam certis horis, diebus pariter, ac noctibus, æstu quodam (quod rheuma vocant) vltrò citroque procurrit: & more torrentium fluminũ, nunc exundat in terras, nũc refluit in altitudinem suam. Hæc reciprocãtis meatus ambiguitas, cursum nauium secunda adiuuat, retardat aduersa: quæ dimicaturo magna sunt cautione vitanda. Neque enim auxilio remorum rheumatis impetus vincitur, cui interdum cedit & ventus. Et quoniam in diuersis regionibus, diuerso lunæ crescentis minuentisq. statu, certis horis ista variantur: ideò prælium nauale gesturus, consuetudinem pelagi vel loci, ante congressum debet * agnoscere.

* *In aliquibus erat*, cognoscere.

CAP. XLIII.

De locorum notitia, siue de remigibus.

NAVTICORVM, gubernatorumque solertia est, loca in quibus nauigatur, portusque cognoscere: vt infesta prominentibus, vel latentibus scopulis, vadosa ac sicca vitentur. Tanto enim securitas maior est, quanto mare altius fuerit. In nauarchis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur: propterea, quia naualis pugna tranquillo committitur mari, liburnarumque moles non ventorum flatibus, sed remorum pulsu aduersarios percutit rostris, eorumque rursum impetus vitat. In quo opere lacerti remigum, & ars clauum regentis magistri victoriam præstat.

CAP. XLIIII.

De telis tormentisque naualibus.

MVLTA quidem armorum genera prœlium terrestre desiderat; sed nauale certamen non solùm plures armorum species, verùm etiam machinas & tormenta flagitat, tanquam in muris dimicetur & turribus. Quid enim crudelius congressione nauali, vbi & aquis homines perimuntur, & flammis? Præcipua ergo esse debet *tegminum cura, vt cataphracti, vel loricati, galeati etiam, & ocreis muniti sint milites. De onere namque armorum nemo potest conqueri, qui stans pugnat in nauibus. Scuta quoque validiora, propter ictus lapidum; & ampliora sumuntur, propter falces & harpagones, aliaque naualia genera telorum. Sagittis, missilibus, fundis, fustibalis, plumbatis, onagris, balistis, scorpionibus, iacula inuicem diriguntur & saxa: & (quod est grauius) qui de virtute præsumunt, admotis liburnis iniectis pontibus in aduersariorum transeunt naues, ibique gladiis manu ad manum (vt dicitur) cominùs dimicant. In maioribus etiam liburnis propugnacula turresque

* VV. tegiminum

tesque constituunt, vt tanquam de muro, ita de excelsioribus tabulatis facilius vulnerent, & perimant inimicos. Oleo incendiario, stuppa, sulphure, bitumine obuolutæ, & ardentes sagittæ, per balistas in hosticarum nauium alueos infiguntur, inunctasque cera, & pice, & resina tabulas tot fomentis ignium repentè succendunt. Alij ferro interimuntur, & saxo, alij ardere coguntur in fluctibus, inter tanta tamen mortiũ genera (qui acerbissimus casus est) absumẽda piscibus insepulta sunt corpora.

CAP. XLV.

Quemadmodum nauali bello collocentur insidiæ.

ADINSTAR autẽ terrestris prœlij superuentus fiunt ignorantibus nauticis, vel circa opportunas insularum angustias collocantur insidiæ. Idque agitur, vt imparati facilius deleantur, si longo remigio fatigati sunt hostium nautæ, si vento vrguentur aduerso, si pro rostris est rheuma, si nihil suspicantes dormiunt inimici, si statio quam tenent exitum non habet, si dimicandi *optata venit occasio, fortunæ beneficiis iungendæ sunt manus, & ex opportunitate prœlium conserendũ. Quòd si cautela hostium, euitatis insidiis, publico Marte confligat, tunc liburnarum instruendæ sunt acies, non directæ vt in *campo, sed incuruæ ad similitudinẽ lunæ, ita vt productis cornibus acies media sinuetur: vt si aduersarij perruppere tentauerint, ipsa ordinatione circumdati deprimantur. In cornibus autem præcipuum *robur, & liburnatum collocetur, & militum.

*VV. *plerique optatè*

* *Libri meliores*, campis,

* *Membranæ*, robor,

CAP. XLVI.

Quid fiat cùm aperto Marte bellum nauale committitur.

PRÆTEREA vtile est, vt alto, & libero mari tua semper classis vtatur, inimicorum verò pellatur ad

littus: quia pugnandi impetum perdunt, qui detruduntur in terras. In huiusmodi certamine tria armorum genera solent plurimùm ad victoriam prodesse, asseres, falces, bipennes. Asser dicitur, cùm trabes subtilis ac longa, ad similitudinem antennæ pendet in malo, vtroque capite ferrato. Hunc siue à dextra siue à sinistra parte aduersariorum se iunxerint naues, pro vice arietis vi impellunt; qui bellatores hostium siue nautas sine dubio prosternit ac perimit, ipsamque nauem sæpiùs perforat. Falx autem dicitur acutissimum ferrum, curuatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatorios funes, quibus antenna suspenditur, repentè præcîdit, collapsisque velis liburnam pigriorem & inutilem reddit. Bipennis, est securis, habens ex vtraque parte latissimum & acutissimum ferrum. Per has in medio ardore pugnandi peritissimi nautæ vel milites *[cum minoribus scaphulis] secretò incîdũt funes, quibus aduersariorum ligata sunt gubernacula. Quo facto, statim capitur tanquam inermis & debilis nauis. Quid enim salutis superest ei, qui amiserit clauum? De lusoriis, queis in Danubio quotidianis vtuntur excubiis, reticendum puto, quia artis amplius in his frequentior vsus inuenit, quàm vetus doctrina monstrauerit.

* *Addita hæc ab iis, qui non intellexerunt per Vrinatores rem confici.*

FINIS.

SEXTI

SEXTI

IVLII FRONTINI

VIRI CONSVLARIS,

STRATEGEMATICΩN

LIBRI QVATVOR.

CAPITVM ELENCHVS.

LIB. I.

De occultandis consiliis.
De explorandis consiliis hostium.
De custodiendo statu belli.
De transducendo exercitu per loca hostium infesta.
De euadendo ex locis difficillimis.
De insidiis in itinere factis.
Quemadmodum ea quibus deficimur videantur non deesse, aut vsui eorum expleatur.
De distringendis hostibus.
De seditione militū compescēda.
Quemadmodū intempestiua postulatio pugnæ inhibeatur.
Quemadmodum sit incitandus exercitus ad prælium.
De dissoluendo metu, quo milites ex aduersis omnibus cōciderūt.

LIB. II.

De tempore ad pugnam eligēdo.
De loco ad pugnam eligendo.
De acie ordinanda.
De acie hostium turbanda.
De insidiis.
De emittendo hoste, ne clausus prælium ex desperatione redintegret.
De dissimulandis aduersis.
De constituenda per constantiam acie.
De his quæ post prælium fiunt si res prosperè cesserint: & de cōfirmandis reliquiis belli.
Si res duriùs cesserit, de aduersis emendandis.
De dubiorum animis in fide retinendis.
Quæ facienda sint pro castris, si satis fiducia in præsentibus copiis non habeamus.
De effugiendo.

LIB. III.

De repentino impetu.
De fallendis iis, qui obsidentur.
De eliciendis ad proditionem.
Per quæ hostes ad inopiam redigantur.
Quemadmodū persuadeatur obsidionem esse permansuram.
De destructione præsidiorum hostium.
De fluminum derivatione & vitatione aquarum.
De iniiciendo obsessis pauore.
De irruptione ex diuersa parte quàm expectamus.
De insidiis per quas eliciantur obsessi.
De simulatione regressus.
Ex contrario circa tutelā obsessorū, de exercitanda cura suorū.
De emittēdo & recipiēdo nuntio.
De introducendis auxiliis, & cōmeatibus suggerendis.
Quemadmodū efficiatur, vt abundare videantur quæ deerūt.
Qua ratione proditoribus & transfugis occurratur.
De eruptionibus.
De constantia obsessorum.

LIB. IIII.

De disciplina.
De effectu disciplinæ.
De continentia.
De iustitia.
De constantia.
De affectu, & moderatione.
De variis consiliis.

SEXTI

SEXTI IVLII FRONTINI VIRI CONSVLARIS, STRATEGEMATICΩN

Præfatio.

CVM ad astruendā rei militaris scientiam, vnus ex numero studiosorū eius accesserim, eiq́ destinationi, quantum cura nostra valuit, satisfeciſſe visus ſim, deberi adhuc inſtitutæ arbitror operæ, vt ſolertia ducum facta, quæ à Græcis vnâ στρατηγικῶν appellatione comprehenſa ſunt, expeditis amplectar commentariis. Ita enim conſilij quoque & prouidentiæ exemplis ſuccincti duces erunt, vnde illis excogitandi gerendique ſimilia facultas nutriatur. Præterea continget, ne de euentu trepidet inuentionis ſuæ, qui probatis eam experimentis comparabit. Illud neque ignoro, neque inficior, etiam rerum geſtarum ſcriptores indagine operis ſui, hanc quoque partem eſſe complexos: & ab auctoribus exemplorum, quicquid inſigne aliquo modo fuit traditum: ſed (vt opinor) occupatis velocitate conſuli debet: longum eſt enim, ſingula & ſparſa per immenſum corpus hiſtoriarum proſequi: & hi, qui notabilia excerpſerunt, ipſo velut aceruo rerum, confuderunt legentem. Noſtra ſedulitas impendet operam, vt quemadmodum res poſcet, ipſum quod exigitur, quaſi ad interrogatū exhibeatur:

circumspectis enim generibus, præparaui oportuna exemplorum veluti consilia. Quò magis autem discreta, ad rerum varietatem apiè collocarentur, in tres libros ea diducimus. In primo erunt exempla, quæ competant prælio nondum commisso. In secundo, quæ ad prælium, & confectam pacationẽ pertineant. Tertius, inferendæ soluendæq; obsidionis habebit στρατηγήματα, quibus deinceps generibus suas species attribui. Huic labori non iniustè veniã paciscar, ne me pro incurioso reprehẽdat, qui præteritum aliquod à nobis repererit exemplum. Quis enim ad percensenda omnia monumenta, quæ vtrâq; linguâ tradita sunt, sufficiat? vnde multa transire mihi ipse permisi, quod me non sine causſa fecisse scient, qui aliorum libros éadem promittentium legerint. Verùm facile erit, sub vnaquaque specie suggerere. Nam cùm hoc opus, sicut cetera, vsus potiùs aliorum, quàm meæ commendationis causſa aggressus sim, adiuuari me ab his, qui aliquid illi astruent, non arguí, credam. Si qui erunt, quibus volumina hæc cordi sint, meminerint, vt parent gratiã στρατηγηματικῶν & στρατηγημάτων, per quã possimus similem naturam discernere. Nam tum omnia, quæ à duce prouidè, vtiliter, constanter, magnificè fiunt, στρατηγηματικὰ habebuntur, si in specie eorum sunt στρατηγήματα. Eorum propriè vis in arte solertiaq; posita proficit, tam vbi cauendus, quàm vbi opprimendus hostis sit. Qua in re cùm verborum quoque illustris exstiterit effectus, vt factorum ita dictorum exempla posuimus.

SPECIES

SPECIES EORVM, QVÆ INSTRVENT DVCEM IN HIS, quæ ante prœlium gerenda sunt.

CAP. I.

De occultandis consiliis.

MARCVS Porcius Cato, deuictas à se Hispaniæ ciuitates existimabat in tempore rebellaturas, fiducia murorum: scripsit itaque singulis, vt diruerent munimenta, minatus bellum, nisi confestim obtemperassent: epistolasque vniuersis ciuitatibus eodem die reddi iussit: vnaquæque vrbium sibi soli credidit imperatum. Contumaces conspiratio potuit facere, si omnibus idem denuntiari notum fuisset.

Hamilcar dux Pœnorum, vt in Siciliam inopinatus appelleret classem, non pronuntiauit quò proficisceretur, sed tabellas, in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, vniuersis gubernatoribus dedit signatas, præcepitque, ne quis legeret, nisi vi tempestatis à cursu prætoriæ nauis abductus esset.

C. Lælius ad Syphacem profectus legatus, quosdam ex tribunis & centurionibus, per speciem seruitutis ac ministerij exploratores secum duxit, ex quibus, L. Statorium, quia sæpius in eisdem castris fuerat, quidam ex hostibus videbantur agnoscere, occultandæ conditionis eius caussa, baculo vt seruum castigauit.

Tarquinius Superbus pater principes Gabiorum interficiendos arbitratus, quia hoc nemini volebat commissum, nihil nuntio respondit, qui ad eum à filio erat missus: tamen virga, eminentia papauerum capita, cùm fortè in horto ambularet, decussit. Nuntius sine responsione reuersus, renuntiauit adolescenti Tarquinio, quid agen-

agentem patrem vidisset: ille intellexit idem esse eminentibus faciendum.

C. Cæsar qui suspectam habebat Ægyptiorum fidem, per speciem securitatis, inspectione vrbis, atq. operum, ac simul licentioribus conuiuiis deditus, videri voluit captum sese gratia locorum, & ad mores Alexandrinos vitamque deficere: atque inter eam dissimulationem præparatis subsidiis, occupauit Ægyptum.

Ventidius Parthico bello aduersus Pacorum regem, non ignarus Pharneum quendam, natione Cyresten, ex his, qui socij videbantur, omnia quæ apud ipsos agebantur, nuntiare Parthis; perfidiam Barbari ad vtilitates suas conuertit. Nam quæ maximè fieri cupiebat, ea vereri se ne acciderent: quæ timebat, ea vt euenirent optare se simulabat. Solicitus itaque, ne Parthi antè transirent Euphraten, quàm sibi superuenirent legiones, quas in Cappadocia trans Taurum habebat, studiosè cum proditore egit, vt solenni perfidia Parthis suaderet, per Zeugma traiicerent exercitum, quà & breuissimum iter est, & omisso alueo Euphrates decurrit. Namque si illac venirent, asseuerabat se oportunitate collium vsurum, ad eludendos sagittarios. Omnia autem vereri, si se in patentes campos proiecissent. Inducti hac affirmatione Barbari, inferiore itinere, per circuitum adduxerunt exercitum: dumque fusiores ripas, & ob hoc operosiores pontes iungunt, instrumentaque moliuntur, 40. amplius dies impenderunt: quo spacio Ventidius ad contrahendas vsus est copias: eisque triduo antequam Parthus aduerriret receptis, acie commissa, vicit Parthos, & interfecit.

Mithridates circumuallante Pompeio, fugam in proximam diem moliens, huius consilij obscurandi caussa, latius & vsque ad applicitas hosti valles, pabulatus, colloquia quoque cum pluribus, auertendæ suspicionis caussa,

cauſſa, in poſterum conſtituit. Ignes etiam frequentiores per tota caſtra fieri iuſſit. Secunda deinde vigilia præter ipſa caſtra hoſtium, agmen eduxit.

Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus Germanicus, cùm Germanos, qui in armis erant, vellet opprimere, nec ignoraret maiore bellum molitione inituros, ſi aduentum tanti ducis præſenſiſſent, profectionem ſuam cenſu obtexuit Galliarum. Sub quibus inopinato bello affuſus, contuſa immanium ferocia nationum, prouinciis conſuluit.

Cl. Nero, cùm cuperet Haſdrubalem, copiasque eius antequam Hannibali fratri iungerentur occidere, idcircoque feſtinaret, ſe Liuio Salinatori collegæ ſuo, cui bellum mandatum fuerat, (parùm fidens viribus, quæ ſub ipſo erant) adiungere, neque tamen diſceſſum ſuum ab Hannibale, cui oppoſitus erat, ſentiri vellet, decem millia fortiſſimorum militum delegit, præcepitque legatis, quos relinquebat, vt eædem ſtationes & vigiliæ æquè agerentur, totidem ignes arderent, eademque facies caſtrorum ſeruaretur, ne quid Hannibal ſuſpicatus, auderet aduerſus paucitatem relictorum. Cùm deinde in Vmbria, occultatis itineribus, collegæ ſe iunxiſſet, vetuit caſtra ampliari, ne quod ſignum aduentus ſui daret Pœno, detracturo pugnam, ſi Conſulum iunctas vires intellexiſſet. Igitur inſcium duplicatis aggreſſus copiis ſuperauit, & velociùs omni nuntio, rediit ad Hannibalem. Ita ex duobus callidiſſimis ducibus Pœnorum, eodem conſilio alterum celauit, alterum oppreſſit.

Themiſtocles Athenarum dux exhortans ſuos ad ſuſcitandos feſtinanter muros, quos iuſſu Lacedæmoniorum deiecerant, legatis Lacedæmone miſſis, qui interpellarent, reſpondit venturum ſe ad diluendam hanc exiſtimationem, & peruenit Lacedæmonem: ibi ſimulato morbo aliquantum temporis extraxit, & poſtquam intellexit

tellexit ſuſpectam eſſe tergiuerſationem ſuam, contendit, falſum ad eos rumorem perlatum, & rogauit, vt mitterent aliquos ex principibus, quibus crederent de munitione Athenarum. Suis deinde clàm ſcripſit, vt eos, qui veniſſent, retinerent, donec refectis operibus, confiterentur Lacedæmoniis, munitas eſſe Athenas, nec aliter principes eorum redire poſſe, quàm ſi ipſe remiſſus foret: quod facilè præſtiterunt Lacedæmonij, ne vnius interitum multorum morte penſarent.

L. Furius exercitu producto in locum iniquum, cùm conſtituiſſet occultare ſolicitudinem ſuam, ne reliqui trepidarent, paulatim ſe inflectens, tanquam circuitu maiore hoſtem aggreſſurus, conuerſo agmine, ignarum rei quæ agebatur exercitum, incolumem reduxit.

Metellus Pius, in Hiſpania interrogatus, quid poſtera die facturus eſſet, Tunicam meam, ſi id eloqui poſſet (inquit) comburerem.

M. Licinius Craſſus, percontanti, quo tempore caſtra moturus eſſet, reſpondit, Vereris, ne tubam nō exaudias?

CAP. II.

De explorandis conſiliis hoſtium.

SCIPIO Aphricanus, capta occaſione mittendæ ad Syphacem legationis, cum Lælio ſeruorum habitu tribunos & centuriones lectiſſimos ire iuſſit, quibus curæ eſſet perſpicere regias vires: hi vt liberiùs caſtrorum poſitionem ſcrutarentur, equum de induſtria dimiſſum, tanquam fugientem perſectati, maximam partem munimentorum circuierunt: quæ cùm nuntiaſſent, incendio confectum eſt bellum.

Q. Fabius Maximus bello Hetruſco, cùm adhuc incognitæ forent Romanis ducibus ſagaciores explorandi viæ, fratrem Fabium Cæſonem, peritum linguæ Hetruſcæ, iuſſit Hetruſco habitu penetrare Ciminiam ſil-

uam,

uam, antè militi nostro intentatam: quod is adeò prudenter atque industriè fecit, vt transgressus siluam, Vmbros Camertes, cùm animaduertisset non alienos nomini Romano, ad societatem compulerit.

Carthaginenses cùm animaduertissent Alexandri ita magnas opes, vt Aphricæ quoque immineret, vnum ex ciuibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, iusserunt simulato exilio ire ad regem, omniq́ue studio in amicitiam eius peruenire: qua is potitus, consilia eius nota ciuibus suis faciebat.

Iidem Carthaginenses miserunt, qui per speciem legatorum longo tempore Romæ morarentur, exciperentque consilia nostrorum.

M. Cato in Hispania, quia ad hostium consilia alia via peruenire non poterat, iussit trecentos milites simul impetum facere in stationem hostium, raptumq́. vnum ex his in castra perferre incolumem: tortus ille, omnia suorum arcana confessus est.

C. Marius cos. bello Cymbrico & Teutonico, ad excutiendam Gallorum & Ligurum fidem, literas eis misit, quarum pars prior præcipiebat, ne interiores, quæ præsignatæ erant, ante tempus certum aperirentur, easdem postea ante præstiturum diem repetiit, & quia resignatas repererat, intellexit hostilia agitari.

Est etiã aliud explorandi genus, quo ipsi duces nullo extrinsecus adiutorio, per se prouident. Sicut Æmilius Paulus cos. bello Hetrusco apud oppidum Coloniam demissurus exercitum in planiciem, contemplatus procul auium multitudinẽ citatiore volatu è silua cõsurrexisse, intellexit illic aliquid insidiarum latêre, quòd & turbatæ aues, & simul plures euolauerant. Præmissis igitur exploratoribus, comperit decem millia Boiorum, excipiendo ibi Romanorum agmini imminere: eaq́. alio, quàm expectabatur, látere missis legionibus, circumfudit.

Similiter

Similiter Thyamenus Horestis filius, cùm audisset iugum ab hostibus natura munitum teneri, præmisit scisciturros, quid rei foret: ac referentibus eis, non esse verum, quod opinaretur, ingressus iter, vt vidit ex suspecto iugo magnam vim auium simul euolasse, neque omninò residere, arbitratus est latêre illic agmen hostium: itaque circumducto exercitu elusit insidiatores.

Hasdrubal frater Annibalis, tunc Liuij & Neronis exercitum (quanquam hoc illi non duplicatis castris dissimularent) intellexit, quòd ab itinere strigosiores notabat equos, & coloratiora hominum, vt ex via, corpora.

CAP. III.

De custodiendo statu belli.

ALEXANDER Macedo, cùm haberet vehementem exercitum, semper eum statum belli elegit, vt acie confligeret.

C. Cæsar bello ciuili cùm exercitum veteranum haberet, hostium autem tyronem esse sciret, acie semper decertare studuit.

Fab. Maximus aduersus Annibalem, successibus prœliorum insolentem, recedere ab ancipiti discrimine, & tueri tantummodo Italiam constituit, Cunctatorisque nomen, & per hoc summi ducis meruit.

Byzantij aduersus Philippum omne prœliandi discrimen vitantes, omissa etiam finium tutela, intra munitiones oppidi se receperunt: assecutique sunt, vt Philippus obsidionalis moræ impatiens recederet.

Hasdrubal Gisgonis filius, secundo Punico bello in Hispaniam ductum exercitum (cùm P. Scipio instaret) per vrbes diuisit: itaque factum est, vt Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum distringeretur, in hyberna suos reduceret.

Themistocles aduentante Xerxe (quia neque prœlio pedestri,

pedestri, neque finium tutelæ, neque obsidioni credebat sufficere Athenienses) auctor fuit eis liberos & coniuges Trœzena, & in alias vrbes emittendi, relictoq. oppido, statum belli ad nauale prœliũ transferendi. Idem fecit in eadem ciuitate Pericles aduersum Lacedæmonios.

Scipio manente in Italia Hannibale, transmisso in Aphricam exercitu, necessitatẽ Carthaginensibus imposuit reuocandi Hannibalem; sicque à domesticis finibus hostile transtulit bellum.

Athenienses cùm Deceleam castellum ipsorum Lacedæmonij communissent, & frequentiùs vexarentur, classem, quæ Peloponesum infestaret, miserunt: consecutique sunt, vt exercitus Lacedæmoniorum, qui Deceleæ erat, reuocaretur.

Imperator Cæsar Domitianus Augustus, cùm Germani more suo è saltibus & obscuris latebris subinde impugnarent nostros, tutumque regressum in profunda siluarum haberent, militibus per centum viginti millia passuum actis, non mutauit tantũ statum belli, sed subiecit ditioni suæ hostes, quorum refugia nudauerat.

CAP. IIII.

De transducendo exercitu per loca hosti infesta.

ÆMILIVS Paulus Cos. cùm in Lucanos iuxta littus angusto itinere exercitum ducere, & Tarentini ei classe insidiati, agmen eius scorpionibus aggressi essent, captiuis latera euntium prætexuit, quorum respectu hostes inhibuere tela.

Agesilaus Lacedæmonius, cùm præda onustus ex Phrygia rediret, insequerenturque hostes, & ad locorum opportunitatem lacesserent agmen eius, ordinem captiuorum ab vtroque latere exercitus sui applicuit: quibus dum parcitur ab hoste, spacium transeundi habuerunt Lacedæmonij. Idem tenentibus angustias Thebanis,

per quas transire habebat, flexit iter, quasi Thebas contenderet: exterritis Thebanis digressisque ad tutanda mœnia, repetitum iter, quod destinauerat, emensus est, nullo obsistente.

Nicostratus dux Ætolorum aduersus Epirotas, cùm ei aditus in fines eorum angusti fierent, per alterum locum irrupturum se ostendens, omni illa ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit suos paucos, qui speciem remanentis exercitus præberent, & ipse cum cetera manu, quà non expectabatur aditus, intrauit.

Autophraudates Perses, cùm in Pisidiam exercitum duceret, & angustias quasdam Pisidæ occuparent, simulata vexatione traiiciendi, instituit reducere: quod cùm Pisidæ credidissent, ille noctu validissimam manum ad eundem locum occupandum præmisit, ac postero die totum traiecit exercitum.

Philippus Macedonum rex, Græciam petens, cùm Thermopylas occupatas audiret, & ad eum legati Ætolorum venissent acturi de pace, retentis eis, ipse magnis itineribus ad angustias pertendit, securisque custodibus, & legatorum reditus expectantibus, inopinatus Thermopylas traiecit.

Iphicrates dux Athenienſium, aduersus Anaxibium Lacedæmonium in Hellespontio circa Abydon, cú transducendum exercitum haberet per loca, quæ stationibus hostium tenebantur, alterum autem latus eius transitus abscissi montes premerent, alterum mare ablueret, aliquandiu moratus, cùm incidisset frigidior solito dies, & ob hoc nemini suspectus, delegit firmissimos quosque: quibus oleo ac mero calefactis, præcepit vt ipsam oram maris legerent, abruptiora tranarent: atque ita custodes angustiarum inopinatus oppressit à tergo.

Cn. Pompeius cùm flumẽ transire propter oppositum exerci-

exercitum hostium non posset, assiduè producere & reducere in castra instituit: deinde in eandem persuasionem hoste perducto, ne vllam viam ad progressum Romanorũ teneret, repentè impetu facto transitum rapuit.

Alexander Macedo, prohibente rege Indorum Poro traiici exercitũ per flumen Hydaspem, aduersus aquam assiduè procurrere iussit suos: & vbi eo more exercitationis assecutus est, vt Poro aduersa ripa caueretur, per superiorem partem subitò transmisit exercitum. Idemque Indi fluminis traiectu prohibitus ab hoste, diuersis locis in flumine equites instituit immittere, & transitum minari: cumque expectatione barbaros teneret intentos, insulam paulò remotiorem, primùm exiguo, deinde maiore præsidio occupauit, atque inde in vlteriorem ripam transmisit. Ad quam manum opprimendam, cùm vniuersi se hostes effudissent, ipse libero vado transgressus, omnes copias coniunxit.

Xenophon, vlteriorem ripam Armeniis tenentibus, duos iussit quæri aditus: & cùm à citeriore repulsus esset, transiit ad superiorem. Inde quoque prohibitus hostium occursu, repetiit vadum inferius, iussa ibidem militum parte subsistere; ex qua cùm Armenij ad inferioris vadi tutelam rediissent, per superius transgrederetur. Armenij credentes decursuros omnes, decepti sunt à remanentibus. Hi cùm resistente nullo vadum superassent, transeuntium suorum fuere propugnatores.

P. Claudius Cos. primo bello Punico, cùm à Rhegio Messanam traiicere militem nequiret, custodientibus fretum Pœnis, sparsit rumorem, quasi bellum iniussu populi incœptum gerere non posset, classemque Italiam versus se agere simulauit: digressis deinde Pœnis, qui profectioni eius habuerant fidem, circumactas naues appulit Siciliæ.

Lacedæmoniorum duces, cùm Syracusas nauigare

destinassent, & Pœnorum dispositam penitus classem timerent, decem Punicas naues, quas captiuas habebant, veluti victrices, primas iusserunt agi, à latere iunctis ac puppe religatis aliis, qua specie deceptis Pœnis, transierunt.

Philippus cùm angustias maris, quæ Cyaneæ appellantur, transnauigare propter Athenienſium classem, quæ opportunitatem loci custodiebat, non posset, scripsit Antipatro Thraciam rebellare, præsidiis quæ ibi reliquerat, interceptis, vt sequeretur omissis omnibus: quæ epistolæ vt interciperentur ab hoste, curauit. Athenienses arcana Macedonum excepisse visi, classem abduxerunt. Philippus nullo prohibente angustias freti liberauit. Idem quia Cherroneſum, quæ iuris Athenienſium erat, occupare prohiberetur, tenentibus transitum non Byzantiorum tantùm, sed Rhodiorũ quoque, & Chiorum nauibus, conciliauit animos eorum reddendo naues, quas ceperat, quasi sequestres futuros ordinandæ pacis inter se atque Byzantios, qui causſa belli erant: tractaque per magnum tempus postulatione, cùm de industria subinde aliquid in conditionibus retexeret, classem per id tempus præparauit: eaque in angustias freti imparato hoste subitò euasit.

Chabrias Athenienſis, cùm adire portum Samiorum, obstante nauali hostium præsidio, non posset, paucas è suis nauibus præter portum missas, iussit transire, arbitratus, qui in statione erant, persecuturos: hisque per hoc consilium euocatis, nullo obstante portum cum reliqua adeptus est classe.

CAP. V.

De euadendo ex locis difficillimis.

QVINTVS SERTORIVS in Hiſpania, cùm à tergo instante hoste flumen traiicere haberet, vallum in ripa

ripa eius in modum cauæ lunæ duxit, & oneratum materiis incendit, atque ita exclusis hostibus fluuium liberè transgressus est.

Similiter Pelopidas Thebanus, bello Thessalico transitum quæsiuit: namque castris ampliorem locum supra ripam complexus, vallum ceruolis, & alio materiæ genere constructum incendit: dumque ignibus submouerentur hostes, ipse fluuium superauit.

Q. Luctatius Catulus, cùm à Cimbris pulsus vnam spem salutis haberet, si flumen liberasset, cuius ripam hostes tenebant: in proximo monte copias ostendit, tanquam ibi castra positurus: ac præcepit suis, ne sarcinas soluerent, aut onera deponerent, ne quis ab ordinibus, aut signis discederet: & quo magis persuasionem hostium confirmaret, pauca tabernacula in conspectu erigi iussit ignesque fieri, & quosdam vallum struere, quosdam in lignationem, vt conspicerentur exire: quod Cimbri verè agi existimantes, & ipsi castris delegerunt locum: dispersique in proximos agros ad comparanda ea, quæ necessaria sunt mansuris, occasionem dederunt Catulo non solùm flumen traiiciendi, sed etiam castra eorum infestandi.

Crœsus, cùm Halim vado transire non posset, neque nauium aut pontis faciendi copiam haberet, fossa superiori parte post castra deducta, alueum fluminis à tergo exercitus sui reddidit.

Cn. Pompeius, Brundisij, cùm excedere Italia & transferre bellum proposuisset, instante à tergo Cæsare, conscensurus classem, quasdam obstruxit vias, alias parietibus interseptis, alias intercidit fossis, easque sudibus erectis præclusas operuit cratibus, humo aggesta, quosdam aditus, qui ad portum ferebant trabibus transmissis, & in densum ordinem structis, ingenti mole tutatus. Quibus perpetratis, ad speciem retinendæ vrbis raros

pro mœnibus ſagittarios reliquit, ceteras copias ſine tumultu ad naues reduxit: nauigantem eum mox ſagittarij quoque per itinera nota digreſſi, paruis nauigiis conſecuti ſunt.

Cn. Duillius Coſ. in portu Syracuſano, quem temerè intrauerat, obiecta ad ingreſſum catena clauſus, vniuerſos in puppim retulit milites, atque ita reſupina nauigia magna remigantium vi concitauit, leuatæ proræ ſuper catenam proceſſerunt, qua parte ſuperata, tranſgreſſi rurſus milites proras preſſerunt, in quas verſum pondus decurſum ſuper catenam dedit nauibus.

Lyſander Lacedæmonius, cùm in portu Athenienſium cum tota claſſe obſideretur, obrutus hoſtium nauibus, ab ea parte qua faucibus anguſtiſſimis influit mare, milites ſuos clàm in littus egredi iuſſit, & ſubiectis rotis ad proximum naues portum Monœcium traiecit.

Herculeius legatus Sertorij, cùm in Hiſpania inter duos montes abruptos longum & anguſtum iter ingreſſus, paucas duceret cohortes, comperiſſetque ingentem manum hoſtium aduenire, foſſam tranſuerſam inter montes preſſit, vallumque materia exſtructum incendit, atque ita intercluſo hoſte euaſit.

C. Cæſar bello ciuili cùm aduerſus Afranium copias educeret, & recipiendi ſe ſine periculo facultatem non haberet, ſicut conſtiterat, prima & ſecunda acie furtim à tergo ad opus applicata, quindecim pedum foſſam fecit, intra quam ſub occaſum Solis armati ſe milites eius receperunt.

Pericles Athenienſis, à Peloponenſibus in eum locum compulſus, qui vndique abruptis cinctus, duos tantùm exitus habebat, ab altera parte foſſam ingentis latitudinis duxit, velut hoſtis excludendi cauſſa: ab altera militem agere cœpit, tanquam per eum erupturus. Ij qui obſidebant, cùm per foſſam, quam ipſe fecerat, exercitum

tum Periclis non crederent euasurum, vniuersi à milite obstiterunt. Pericles pontibus, quos præparauerat, fossæ iniectis, suos, qua non resistebatur, emisit.

Lysimachus ex his vnus, in quos opes Alexandri transierunt, cùm editum collem castris destinasset, imprudentia autem suorum in inferiorem deductus, vereretur ex superiore hostium incursum, triplices fossas intra vallum obiecit: deinde similibus fossis circa omnia tentoria ductis, tota castra confodit: & intercepto hostium aditu, simul humo quoque, & frondibus, quas fossis superiecerat, facto impetu in superiora euasit.

Cn. Fonteius Crassus, in Hispania cum tribus millibus hominum prædatum profectus, locoque iniquo circumuentus ab Hasdrubale, ad primos tantùm ordines relato consilio, incipiente nocte, quo tempore minimè expectabatur, per stationes hostium prorupit.

L. Furius, exercitu perducto in locum iniquum, cùm constituisset occultare solicitudinem suam: ne reliqui trepidarent, paulatim inflexit iter, tanquam circuitu maiore hostem aggressurus, conuersoque agmine ignarum rei, quæ agebatur, exercitum incolumem reduxit.

P. Decius Tr. bello Samnitico, Cornelio Cosso cos. iniquis locis deprehenso ab hostibus, suasit vt ad occupandum collem, qui erat in propinquo, modicam manum mitteret, seque ducem iis, qui mittebantur, obtulit: auocatus in diuersa hostis dimisit cōsulem. Decium autem cinxit, obsedítque. Illas quoque angustias, noctu eruptione facta, cùm eluctatus esset, Decius incolumis cum militibus consuli accessit.

Idem fecit sub Attilio Calatino cos. is cuius variè traditur nomen. Alij, Laberium; nonnulli, Q. Cæditium; plurimi Calpurnium Flammam vocitatum scripserunt. Hic cùm dimissum exercitum in eam vallem videret, cuius latera omnia superiora hostis insederat, depopo-

scit, & accepit trecentos milites; quos adhortatus, vt virtute sua exercitum seruarent, in mediam vallem decurrit, & ad opprimendos eos vndique descendit hostis, longoque & aspero prœlio retentus, occasionem consuli ad extrahendum exercitum dedit.

L. Minutius cos. in Liguria dimisso in angustias exercitu, cùm iam omnibus obuersaretur Caudinæ cladis exemplum, Numidas auxiliares, tam propter ipsorum quàm propter equorum deformitatem despiciendos, iussit adequitare faucibus quæ tenebantur. Primò intenti hostes ne lacesserentur, stationem obiecerunt: de industria Numidæ ad augendum sui contemtum, labi equis, & per ludibrium spectaculo esse affectauerunt, ad nouitatem rei laxatis ordinibus, barbari in spectaculum vsque resoluti sunt. Quod vbi animaduerterunt Numidæ, paulatim succedentes, additis calcaribus per intermissas hostium stationes eruperunt: qui deinde cùm proximos irruerent agros, necesse Liguribus fuit auocari ad defendenda sua, inclusosque Romanos emittere.

L. Sylla bello sociali apud Esorniam inter angustias deprehensus, ad exercitum hostium, cui Duillius præerat, colloquio petito, de conditionibus pacis agitabat sine effectu: hostem tamen propter inducias negligentia resolutũ animaduertens, nocte profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidẽ remanentiũ diuideret, & quarta vigilia commissa, eum sequeretur, incolumes suos cum omnibus impedimentis tormentisque in tuta perduxit.

Idem aduersus Archelaum præfectum Mithridatis in Cappadocia, iniquitate locorum & multitudine hostium pressus, fecit pacis mentionem: interpositoque tempore etiam induciarum; & per hæc auocata intentione, aduersarium euasit.

Hasdrubal frater Hannibalis, cùm saltũ euadere non posset, faucibus eius obsessis, egit cum C. Nerone, recepitque

pitque dimissum se Hispania excessurum ; cauillatus deinde conditionibus dies aliquot extraxit, quibus omnibus, non omisit per angustos tramites, & ob id neglectos dimittere per partes exercitum: ipse deinde cum reliquis expeditis facilè effugit.

Spartacus fossam, qua erat à M. Crasso circundatus, cæsis captiuorum pecorumque corporibus noctu repleuit, & supergressus est. Idem cùm in Vesuuio obsessus, ea parte qua mons asperrimus erat, ideoque incustoditus, ex vimine siluestri cathenas conseruit, quibus demissus non solùm euasit, verùm etiam ex alio latere Clodium ita terruit, vt aliquot cohortes, gladiatoribus quatuor & septuaginta cesserint. Idem cùm à L. Varino Procos. præclusus esset, palis per modica interualla fixis ante portam, erecta cadauera, adornata veste atque armis, alligauit, vt procul intuentibus stationis species esset, ignibus per tota castra factis, imagine vana deluso hoste, copias silentio noctis eduxit.

Brasidas dux Lacedæmoniorum, circa Amphipolim ab Athenienſium multitudine numero impar deprehensus, claudendum se præstitit, vt per longum coronæ ambitum extenuaret hostilem frequentiam, quaque rarissimi obstabant, erupit.

Iphicrates in Thracia cùm depresso loco castra posuisset, explorasset autem ab hoste, proximũ teneri collem, ex quo vnus ad opprimendum ipsos descensus erat, nocte paucis intra castra relictis, imperauit, vt multos ignes facerent, eductoque exercitu & disposito circa latera prædictæ viæ, passus est transire Barbaros: locorumque iniquitate in qua ipse fuerat, in illos conuersa, parte exercitus terga eorum cecîdit, parte castra fecit.

Darius, vt falleret Scythas discessu, canes atque asinos in castris reliquit: quos cùm latrantes rudentesque hostis audiret, remanere Darium credidit.

Eundem errorem obiecturi nostris Ligures, per diuersa loca bubalos laqueis ad arbores alligauerunt, qui deducti frequentiori mugitu speciem remanentium præbebant hostium.

Hanno ab hostibus clausus, locum irruptioni maximè aptum, aggestis leuibus materiis incendit, tum hoste ad ceteros exitus custodiendos auocato, milites per ipsam flammam eduxit: admonito ora scutis, crura veste contegere.

Hannibal, vt iniquitatem locorũ, & inopiam instante Fabio Maximo effugeret, noctu boues, quibus ad cornua fasciculos alligauerat sarmentorum, subiecto igne, dimisit; cumque ipso motu adolescente flamma turbaretur pecus, magna discursatione montes, in quos actum erat, collustrauit: Romani qui ad speculandum concurrerant, primò prodigium opinati sunt; deinde cùm certa Fabio renuntiassent, ille de insidiarum metu suos castris continuit, Barbari obsistente nullo profecti sunt.

CAP. VI.

De insidiis in itinere factis.

FVLVIVS Nobilior, cùm ex Samnio in Lucanos exercitum duceret, & cognouisset à perfugis, hostes nouissimum agmen eius aggressuros, fortissimam legionem primò ire, vltimò sequi iussit impedimenta, ita factum pro occasione amplexi hostes, diripere sarcinas cœperunt. Fuluius legionis, de qua suprà dictum est, quinq. cohortes in dextram partem viæ direxit, quinque ad sinistram, atque ita prædationi intentos hostes, explicato per vtraque latera milite, clausit, ceciditque.

Idem hostibus tergum eius in itinere prementibus, dum flumine interueniente, non ita magno vt transitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem in occulto citra flumen collocauit, vt hostes pauci-

paucitate contemta audaciùs sequerentur: quod vbi factum est, legio, quæ ad hoc dispositа erat, ex insidiis hostem aggressa vastauit.

Iphicrates in Thraciam cùm propter conditionem locorum, longum agmen deduceret, & nuntiatum ei esset, hostes summum id aggressuros, cohortes in vtraque latera secedere, & consistere iussit, ceteros suffugere & iter maturare. Transeunte autem toto agmine, lectissimos quosque retinuit, & ita passim circa prædam occupatos hostes, iam etiam fatigatos, ipse requietis & ordinatis suis aggressus fudit, exuitque præda.

Boij in silua Litana, qua transiturus erat noster exercitus, succiderant arbores, ita vt ex parte exigua sustentatæ starent, donec impellerentur: delituerant deinde ad extremas ipsi, vbi, ingresso siluam hoste, proximas vlteriores impulerunt, eo modo propagata pariter supra Romanos ruina, magnam manum eliserunt.

Cap. vii.

Quemadmodum ea, quibus deficimur, videantur non deesse, aut vsus eorum expleatur.

L. Cæcilivs Metellus, quia vsu nauium, quibus elephantes transportaret, deficiebatur, iunxit dolia, constrauitque tabulamentis, ac super ea positos, per Siculum fretum transmisit.

Hannibal, cùm ad prælti fluminis transitū elephantes non posset pellere, neque nauium aut materiarū, quibus rates consternerentur, copiam haberet, iussit ferocissimum elephantum sub aure vulnerari, & eum qui vulnerasset, transnato statim flumine procurrere: elephantus exasperatus ad persequendum doloris sui auctorem, tranauit amnē, & reliquis idē audendi fecit exemplum.

Carthaginensium duces instructuri classem, quia sparto deficiebantur, crinibus tonsarum mulierum ad funes

funes efficiendos vsi sunt. Idem Massilienses & Rhodij fecerunt.

M. Antonius à Mutina profugus, cortices pro scutis militibus suis dedit. Spartaco copiisque eius, scuta ex vimine fuerunt, quæ coriis tegebantur. Non alienus (vt arbitror) hic locus est, referendi factum Alexandri Macedonis illud nobile, qui per deserta Aphricæ itinera, grauissima siti cum exercitu affectus, oblatam sibi à milite in galea aquã, spectantibus vniuersis, effudit, vtilior exemplo temperantiæ, quàm si communicare potuisset.

CAP. VIII.

De distringendis hostibus.

CORIOLANVS, cùm ignominiam damnationis suæ bello vlciscereturpopulationem patriciorum agrorũ inhibuit, deustis vastatisq. plebeiorum: vt discordiã moueret, qua consensus Romanorũ distringeretur.

Hannibal Fabium, cui neque virtute, neque artibus bellandi par erat, vt infamia distringeret, agris eius abstinuit, cæteros populatus. Contrà ille, ne suspecta ciuibus fides esset, magnitudine animi effecit, publicatis possessionibus suis.

Fabius Maximus quintò Cos. cùm Gallorum, Vmbrorum, Etruscorũ, Samnitiumque, aduersus P.R. exercitus coissent, contra quos & ipse trans Appenninum montem castra communiebat, scripsit Fuluio & Posthumio, qui in præsidio vrbi erant, copias ad Sitium mouerent: quibus assecutis, ad sua defendenda Etrusci Vmbrique descenderunt: relictos Samnites Gallosque Fabius & collega Decius aggressi, vicerunt.

Marcus Curius aduersus Sabinos, qui ingenti exercitu conscripto, relictis finibus suis, nostros occupauerant, occultis itineribus, manum misit, quæ desolatos agros eorum vicosque, per diuersa incendit. Sabini ad

arcendam

arcendam domesticam vastitatem, recesserunt. Curio contigit & vacuos infestare hostium fines, & exercitum sine prœlio auertere, sparsumque cædere.

T. Didius paucitati suorum desidens, cùm in aduentum earum legionum, quas expectabat, traheret bellum, & occurrere eis hostem comperisset, concione aduocata aptari iussit milites ad pugnam, ac de industria negligentiùs custoditi captiuos: ex quibus pauci, qui profugere nunciauerunt suis pugnam imminere. At illi, ne suspicione prœlij deducerent vires, omiserunt occurrere eis, quibus insidiabantur: legiones tutissimè, nullo excipiente, ad Didium peruenerunt.

Bello Punico quædam ciuitates, quæ à Romanis deficere ad Pœnos destinauerant, cùm obsides dedissent, quos recipere antequam desciscerent studebant, simulauerunt seditionem inter finitimos ortam, quam Romanorum legati dirimere deberent, missosque eos velut contraria pignora retinuerunt, nec antè reddiderunt quàm ipsi recuperarent suos.

Legati Romanorum cùm misissent ad Antiochum regem, qui secum Hannibalem victis iam Carthaginensibus habebat, consiliumque eius aduersus Romanos instruebat, crebris cum Hannibale colloquiis effecerunt, vt is regi fieret suspectus, cui gratissimus alioqui erat, & vtilis propter calliditatem & peritiam bellandi.

Quintus Metellus aduersus Iugurtham bellum gerens, missos ad se legatos eius, corrupit, vt sibi proderent regem. Cùm etiam alij venissent, idem fecit. Eodem consilio vsus est & aduersus tertios. Sed de captiuitate Iugurthæ res parum processit; viuum enim tradi sibi volebat, plurimum tamen consecutus est: nam cùm interceptæ fuissent epistolæ eius ad regios amicos scriptæ, in omnes eos rex animaduertit, spoliatusque consiliis, amicos postea parare non potuit.

C. Cæsar

C. Cæsar per exceptum quendam aquatorem, cùm comperisset Afranium Petreiumque castra noctu moturos, vt citra vexationem suorum, hostilia impediret consilia, in initio statim noctis vasa conclamare milites, & præter aduersariorum castra agi mulos cum fremitu, & sonum iussit continuare, quos retentos volebat arbitrari castra Cæsarem mouere.

Scipio Aphricanus ad excipienda auxilia cum commeatibus, Hannibali Venticium Termum dimisit, ipse subuenturus.

Dionysius Syracusanorum tyrannus, cùm Aphri ingenti multitudine traiecturi essent in Siciliam, ad eum oppugnandum, castella pluribus locis communiit, custodibusque præcepit, vt ea aduenienti hosti dederent, dimissique Syracusas occultè redirent. Aphris necesse fuit, capta castella præsidio ibi tenere, quos Dionysius redactos ad quam voluerat paucitatem, penè iam par numero aggressus vicit, cùm suos contraxisset, & aduersarios sparsisset.

Agesilaus Lacedæmonius, cùm inferret bellum Tysapherni, Cariam se petere simulauit: quasi aptiùs locis montuosis, aduersus hostem equitatu prævalentem pugnaturus. Per hanc consilij ostentationem aduocato in Cariam Tysapherne, ipse Lydiam, vbi caput hostium regni erat, irrupit; oppressisque qui illic agebant, pecunia regia potitus est.

CAP. IX.

De seditione militum compescenda.

A MANLIVS Cos. cùm cõperisset coniurasse milites in hybernis Campaniæ, vt iugulatis hospitibus, ipsi res eorũ inuaderent, rumorem sparsit eodẽ loco hybernaturos: atq. ita coniuratorũ cõsilio turbato, Campaniã periculo liberauit, & ex occasione nocentes puniuit.

Lucius

Lucius Sylla, cùm legiones ciuium Romanorum pernicioſa ſeditione furerent, conſilio reſtituit ſanitatem efferatis. Properè enim annuntiari iuſſit, hoſtem adeſſe, & ad arma vocantiũ clamorẽ tolli, ſigna canere: diſcuſſa ſeditio eſt, vniuerſis adũerſus hoſtem conſentientibus.

Cn. Pompeius, trucidato ab exercitu Mediolani ſenatu, ne tumultum moueret, ſi ſolos euocaſſet nocentes, mixtos eis, qui extra delictum erant, venire iuſſit: ita & noxij minore cum metu, quia non ſegregati, ideoq. non ex cauſſa culpæ videbantur accerſiti, comparuerunt, & illi quibus integra erat conſcientia, cuſtodiendis quoque nocentibus, attenderunt, ne illorũ fuga inquinarentur.

C. Cæſar, cùm quædam legiones eius, ſeditionem mouiſſent, adeò vt in perniciem quoque ducis viderentur conſurrecturæ, diſſimulato metu, proceſſit ad milites, poſtulantibusq. miſſionem, vltrò minaci vultu dedit: exauctoratos pœnitentia coëgit ſatisfacere Imperatori, obſequentioresque in reliquum operas edere.

CAP. X.

Quemadmodum intempeſtiua poſtulatio pugnæ inhibeatur.

QSERTORIVS, quod experimento didicerat, imparem ſe vniuerſo Romanorum exercitui, vt barbaros quoque inconſultè pugnam expoſcentes doceret, adductis in conſpectum duobus equis, altero præualido, altero admodum exili, duos admouit iuuenes ſimiliter affectos, robuſtum & gracilem: ac robuſtiori imperauit, equo exili vniuerſam caudã abrumpere: gracili autem, valentiorem per ſingulos pilos vellere: cumque gracilis feciſſet quod imperatum erat, validiſſimus cùm infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur: Iam, inquit Sertorius, naturam Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum oſtendi milites, inſuperabiles ſunt

vniuer-

vniuersas aggredientibus: easdem lacerabit & carpet, qui per partes attentauerit.

Idem cùm videret suos pugnæ signũ inconsultè flagitantes, crederetque rupturos imperium nisi congrederentur, permisit turmæ equitum ad lacessendos hostes ire, laborantique submisit alias, & sic recepit omnes: tutisque & sine noxa ostendit, quis exitus flagitatam pugnam mansisset: obsequentissimisque inde eis vsus est.

Agesilaus Lacedæmonius, cùm aduersus Thebanos castra super ripam posuisset, multoq. maiorem hostium manum esse intelligeret, & ideò suos arcere à cupiditate decernendi vellet, dixit, responso Deûm se ex collibus pugnare iussum: & ita exiguo præsidio ad ripam posito, accessit in colles. Quod Thebani pro metu interpretati transierunt flumen, & cùm facilè depulissent præsidium, cæteros insecuti auidiùs, iniquitate locorum à paucioribus victi sunt.

Scorylo dux Dacorum, cùm sciret dissociatum armis ciuilibus populum Romanum, neque tamẽ tentandum arbitraretur, quia externo bello posset concordia in ciues coalescere, duos canes in conspectu popularium commisit. hisque acerrimè inter ipsos pugnantibus, lupum ostendit, quem protinus canes, omissa inter se ira, aggressi sunt. quo exemplo prohibuit barbaros ab impetu Romanis profuturo.

CAP. XI.

Quemadmodum sit incitandus exercitus ad prœlium.

M. FABIVS & Cn. Manlius Coss. aduersus Hetruscos propter seditiones detrectante prœlium exercitu, vltrò simularunt cunctationem, donec milites probris hostium coacti, pugnam deposcerent, iurarentque se ex ea victores redituros.

Fuluius

Fuluius Nobilior, cùm aduersus Samnitium numerosum exercitum,& successibus tumidum, paruis copiis necesse haberet decertare,simulauit vnam legionem hostium à se corruptam ad proditionem:imperauitque(ad eius rei fidem) tribunis, & primis ordinibus & centurionibus quantum quisque numeratæ pecuniæ, aut auri argentique haberet, conferret, vt repræsentari merces proditoribus posset: se autem his qui contulissent pollicitus est, consummata victoria, ampla insuper præmia daturum. Quæ sua persuasio Romanis alacritatem attulit & fiduciam: vnde etiam præclara victoria, commisso statim bello, peracta est.

C. Cæsar aduersus Germanos & Arioui stum pugnaturus, confusis suorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimæ legionis vsurum: quo consecutus est, vt decimam tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogeret, & ceteros puderet, ne penes alios gloria virtutis esset.

Q. Fabius, qui egregiè sciebat, & Romanos eius esse libertatis, quæ contumelia exasperaretur,& à Pœnis nihil iustum aut moderatum expectabat, misit legatos Carthaginem,de conditionibus pacis:quas cùm illi iniquitatis & insolentiæ plenas retulissent, exercitus Romanorum ad pugnandum concitatus est.

Agesilaus Lacedæmoniorum dux,cùm propè ab Orchomeno socia ciuitate castra haberet, comperisset que plerosque ex militibus pretiosissima rerum deponere intra munimenta, præcepit oppidanis, ne quid ad exercitum suum pertinens reciperetur,quo ardentiùs dimicaret miles,qui sciret sibi pro omnibus suis pugnandum.

Epaminundas dux Thebanorum, aduersus Lacedæmonios dimicaturus, vt non solùm viribus milites sui, verùm etiam affectibus adiuuarentur, pronuntiauit in concione, destinatum Lacedæmoniis, si victoria potirentur

rentur, omnes virilis sexus interficere, vxoribus autem eorum & liberis in seruitutem adductis, Thebas diruere; qua denuntiatione concitati, primo impetu Thebani Lacedæmonios expugnauerunt.

Eutidas dux Lacedæmoniorum, pugnaturus eodem die, quo classe vicerant socij, quamuis ignarus actæ rei, vulgauit nunciatam sibi victoriam partium, quò constantiores ad pugnam milites haberet.

Aulus Posthumius prælio, quo cum Latinis conflixit, oblata specie duorum in equis iuuenum, animos suorum erexit, Pollucem & Castorem adesse dicens, ac sic prœlium restituit.

Archidamus Lacedæmonius aduersus Arcadas bellum gerens, arma in castris statuit, & circa ea duci equos noctu clàm imperauit: quorum vestigia manè (tãquam Castor & Pollux perequitassent) ostendens, adfuturos eosdem ipsis prœliantibus persuasit.

Pericles dux Athenienſium initurus prœlium, cùm animaduertisset lucum, ex quo vtraque acies conspici poterat, densissimæ opacitatis, vastum alioqui & Diti patri sacrum, ingentis illic staturæ hominem, altissimis cothurnis, & veste purpurea, coma venerabilem in curru candidorũ equorum sublimem cõstituit, qui dato signo pugnæ, proueheretur; & voce Periclem nomine appellans, cohortaretur eum, diceretq. Deos Atheniẽsibus adesse: quo penè ante coniectũ teli hostes terga verterunt.

L. Sylla, quo paratiorem militem ad pugnandum haberet, prædici sibi à diis futura simulauit. Postremò etiam in conspectu exercitus, priusquam in aciem descenderet, signum modicæ amplitudinis, quod Delphis sustulerat orabat, petebatque, vt promissam victoriam maturaret.

C. Marius sagam quandam ex Scythia habuit, à qua se dimicationum euentus prædiscere simulabat.

Quintus

Quintus Sertorius, cùm barbaro, & rationis indocili milite vteretur, ceruam candidam insignis formæ per Lusitaniam ducebat, & ab ea, quæ agenda aut vitanda essent, prænoscere se asseuerabat, vt Barbari ad omnia tanquam diuinitus imperata obedirent.

Hoc genere Strategematicon non ea tantùm parte vtendum est, qua imperitos existimabimus esse, apud quos his vtemur, sed multò magis ea, quæ talia erunt, excogitabuntur, vt ab his monstrata credantur.

Alexander Macedo sacrificaturus, inscripsit medicamento aruspicis manum, quam ille extis erat suppositurus: literæ significabant victoriam Alexandro dari, quas cũ iecur calidũ rapuisset, & à rege militi esset ostensum, auxit animũ, tanquam Deo spondente victoriam.

Idem fecit Innides aruspex, prælium Eumene cum Gallis commissuro.

Epaminundas Thebanus, aduersus Lacedæmonios fiduciam suorum religione adiuuandam ratus, arma quæ ornamentis affixa in templis erant, nocte subtraxit, persuasitque militibus, Deos iter suum sequi, vt præliantibus ipsis adessent.

Agesilaus Lacedæmonius, cùm quosdam Persarum cepisset, quorum habitus multum terroris præfert, quoties veste regitur, nudatos militibus suis (vt alba corpora & vmbratica contemnerent) ostendit.

Gelo Syracusarum tyrannus, bello aduersus Pœnos suscepto, cùm multos cepisset, infirmissimum quemque præcipuè ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatũ in conspectu suorũ produxit, vt persuaderet cõtemnendos.

Cyrus rex Persarum, vt concitaret animos populariũ, tota die in excidenda quadam silua eos fatigauit; deinde postridie præstitit eis liberalissimas epulas, & interrogauit, vtro magis gauderent: cumque ei præsentia probassent: Atqui per hæc (inquit) ad illa perueniendum

est: Nam liberi beatiq. esse, nisi Medos viceritis, non potestis. atque ita eos ad cupiditatem prœlij concitauit.

L. Sylla quia aduersus Archelaum præfectum Mithridatis, apud Pyrea pigrioribus ad prœlium militibus vtebatur, opere eos fatigando, compulit ad poscendum vltrò pugnæ signum.

Fabius Maximus veritus, ne qua fiducia nauium, ad quas refugium erat, minùs constanter pugnaret exercitus, incendi eas, priusquam iniret prœlium, iussit.

CAP. XII.

De dissoluendo metu, quo milites ex aduersis ominibus conciderunt.

SCIPIO ex Italia in Aphricam transportando exercitum, cùm egrediens nauem prolapsus esset, & ob hoc attonitos milites cerneret, id quod trepidationem afferebat, constantia & magnitudine animi, in hortationẽ conuertit: Et ludite (inquit) milites, Aphricã oppressi.

C. Cæsar cùm fortè conscendens nauem lapsus esset, Teneo te terra mater, (inquit.) qua interpretatione effecit, vt repetiturus illas, à quibus proficiscebatur, terras videretur.

T. Sempronius Gracchus, Cos. acie aduersus Picentes directa, cùm subitus terræmotus vtraque confudisset, exhortatione confirmauit suos, & impulit, vt consternatum superstitione hostem inuaderent, adhortatusque deuicit.

Sertorius, cùm equitum scuta extrinsecus, equorumque pectora cruenta subito prodigio apparuissent, victoriam portendi interpretatus est, quoniam illæ partes solerent hostili cruore respergi.

Epaminundas Thebanus, contristatis militibus, quòd ex hasta eius ornamentũ infulæ more dependens, ventus ablatũ in sepulchrũ Lacedæmonij cuiusdam depulerat:

Nolite

Nolite (inquit) milites trepidare, Lacedæmoniis significatur interitus. Sepulchra enim funeribus ornantur.

Idem cùm fax de cœlo nocte delapsa, eos qui aduerterũt, terruisset: Lumen (inquit) hoc numina ostendunt.

Idem instante aduersus Lacedæmonios pugna, cùm sedile, in quo resederat, succubuisset, & id vulgò pro tristi significatione confusi milites interpretarentur; Immo (inquit) vetamur sedere.

Lucius Sulpitius Gallus defectum Lunæ imminentem, ne pro ostento exciperent milites, prædixit futurum, additis rationibus causisque defectionis.

Agathocles Syracusanus aduersus Pœnos simili eiusdem sideris diminutione, qua sub diem pugnæ, vt prodigio milites sui consternati erant, ratione qua id accideret exposita, docuit quicquid illud foret, ad rerum naturam, non ad ipsorum propositum pertinere.

Pericles, cùm in castra eius fulmen decidisset, terruissetq. milites, aduocata concione, lapidibus in conspectu omnium collisis, ignem excussit, sedauitq. turbationem, cùm docuisset similiter nubium attritu excuti fulmen.

Timotheus Athenienſis, classe dimicaturus aduersus Corcyreos, gubernatori suo, qui proficiscenti iam classi signum receptui cœperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat; Miraris (inquit) ex tot millibus vnum perfrixisse?

Chabrias Athenienſis classe dimicaturus, excusso ante nauem ipsius fulmine, exterritis per tale prodigium militibus: Nunc (inquit) potissimùm ineunda pugna est, cùm Deorum maximus Iupiter adesse numẽ suum classi nostræ ostendit.

SEXTI IVLII FRONTINI VIRI CONSVLARIS, STRATEGEMATΩN LIBRI SECVNDI

Præfatio.

DISPOSITIS *primo libro exemplis, instructuris (vt mea fuit opinio) ducem in his, quæ ante commissum prælium agenda sunt, deinceps reddemus pertinentia ad ea, quæ in ipso prælio agi solent, & deinde ea, quæ post prælium. Et eorum, quæ ad prælium pertinent, species sunt:*

CAP. I.

De tempore ad pugnam eligendo.

PVBLIVS Scipio in Hispania, cùm comperisset Hasdrubalem Pœnorum ducem ieiuno exercitu manè processisse in aciem, continuit in horam septimam suos: quibus præceperat, vt quiescerent, & cibum caperent: cumque hostes, inedia, siti, mora sub armis fatigati, repetere castra cœpissent, subitò copias eduxit, & commisso prælio, vicit.

Metellus Pius in Hispania aduersus Herculeiũ, cùm ille oriente protinus die instructam aciem vallo eius admouisset, feruidissimo tunc tempore anni, intra castra suos continuit, in horam diei sextam, atque ita fatigatos æstu, facilè integris & recentibus vicit suorum viribus.

Idem

Idem iunctis cum Pompeio castris aduersus Sertorium in Hispania, cùm sæpe instruxisset aciem, hoste, qui imparem se duobus credebat, pugnam detrectante: quodã deinde tempore, cùm Sertorianos milites animaduertisset magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, humerosque exercentes, & lanceas vibrantes, existimauit ardori cedendum in tempore, recepitque exercitum, & Pompeio idem faciendi autor fuit.

Posthumius Cos. in Sicilia, cùm castra eius à Punicis trium millium passuum spacio distarent, & dictatores Carthaginensium quotidie ante ipsa munimenta Romanorum, dirigerent aciem, exigua manu leuibus assiduè prœliis pro vallo resistebat: quam consuetudinem contemnente iam Pœno, reliquis omnibus per quietem intra vallum præparatis, ex more pristino, cum paucis sustinuit incursum aduersariorum, ac solito diutius detinuit, quibus fatigatis, post sextam horam, & iam se recipientibus, cùm & inedia quoque laborarent, per recentes suos, hostem, quem prædicta profligauerant incommoda, fugauit.

Iphicrates Athenienſis, quia explorauerat, eodem assiduè tempore hostes cibum capere, maturius vesci suos iussit, & eduxit in aciem, aggressusque hostem ita detinuit, vt ei nec confligendi, nec abeundi daret facultatem. Inclinato deinde iam die reduxit suos, & nihilominus in armis retinuit: fatigati hostes non statione magis, quàm inedia, statim ad corporis curam & cibum capiendum festinauerunt: Iphicrates rursus eduxit, & incomposìti hostis aggressus est castra.

Idem cùm aduersus Lacedæmonios pluribus diebus castra cominus haberet, & vtraque pars certis temporibus assiduè pabulatum lignatumque procederet, quodam die militum habitu, seruos lixasq. dimisit ad munera, milites retinuit; & cùm hostes dispersi issent ad

similia munera, expugnauit castra eorum, intermesque cum fasciculis passim ad tumultum recurrentes, facilè aut cecîdit, aut cepit.

Verginius Cos. in Volscis, cùm procurrere hostes effusos ex longinquo vidisset, quiescere suos ac defixa tenere pila iussit. Tunc anhelatos, integris viribus exercitus sui aggressus auertit.

Fabius Maximus, non ignarus Gallos & Samnites primo impetu præualere, suorum autem infatigabiles spiritus, inter moras decertandi etiam incalescere, imperauit militibus, vt contenti essent primo congressu sustinere, vt hostem mora fatigarent: quod vbi successit, admoto etiam subsidio suis, in prima acie vniuersis viribus oppressum fudit hostem.

Philippus ad Cheronæam, memor sibi esse militem longo vsu duratum, Athenienſibus acrem quidem, sed inexercitatum & impetu tantùm violentum, ex industria prœlium traxit: moxque languentibus iam Athenienſibus, concitatius intulit signa, & ipsos cecîdit.

Lacedæmonij certiores ab exploratoribus facti, Messenios in eam exarsisse rabiem, vt in prœlium cum coniugibus ac liberis descenderent, pugnam distulerunt.

C. Cæsar bello ciuili cùm exercitum Afranij & Petreij circumuallatum, siti angeret, isque ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset, continuit suos, arbitratus alienum dimicationi tempus, quòd aduersarios & ira & desperatio incêderat.

Cn. Pompeius fugientem Mithridatem, cupiens ad prœlium compellere, elegit tempus dimicationi nocturnum, vt abeunti se opponeret: atque ita præparatus, subitam hostibus necessitatem decernendi iniecit. Præterea sic constituit aciem, vt Ponticorum quidem oculos aduersa luna perstringeret, suis autem illustrem & conspicuum præberet hostem.

Iugurtham

Iugurtham autem constat memorem virtutis Romanorum, semper inclinato die committere prœlia solitum, vt si fugarentur sui, opportunam noctem haberent ad delitescendum.

Lucullus aduersus Mithridatem & Tigranem, in Armenia maiore apud Tigranocertam, cùm ipse non amplius quindecim millia armatorum haberet, hostis autem innumerabilem multitudinem, eóque ipso inhabilem, vsus hoc eius incommodo nondum ordinatam hostium aciem inuasit, atque ita protinus dissipauit, vt ipsi quoque reges abiectis insignibus fugerent.

Cl. Tiberius Nero aduersus Pannonios, cùm barbari feroces in aciem oriente statim die processissent, continuit suos, passusque est hostem nebula & imbribus, qui fortè illo die crebri erant, verberari, ac demum vt fessum stando & pluuia non solùm animo, sed & lassitudine deficere animaduertit, signo dato, adortus, superauit.

C. Cæsar in Gallia, quia compererat Ariouisto Germanorum regi institutum, & quasi legem militibus non pugnandi decrescente Luna, tum potissimùm acie commissa impeditos religione hostes vicit.

D. Augustus Vespasianus, Iudæos Saturni die, quo eis nefas est quicquam seriæ rei agere, adortus superauit.

Lysander Lacedæmonius aduersus Athenienses apud Ægospotamum, instituit, certo tempore infestari naues Athenienſium, deinde reuocare classem, qua re in consuetudinem perducta, cùm Athenienses post digressum eius ad contrahendas copias dispergerentur, extendit ex consuetudine classem, & recepit. Tum hostium maxima parte ex more dilapsa, reliquos adortus, occîdit, & vniuersas naues cepit.

CAP. II.

De loco ad pugnam eligendo.

MARCVS Curius, quia phalangi regis Pyrrhi explicatæ resisti non posse animaduertebat, dedit operam, vt in angustiis confligeret, vbi conferta sibi ipsa esset impedimento.

Cn. Pompeius in Cappadocia elegit locũ castris editum: vnde adiuuante procliuio impetum militum, facilè ipso decursu Mithridatem superauit.

C. Cæsar aduersus Pharnacem Mithridatis filium dimicaturus, in colle instruxit aciem, quæ res expeditam ei fecit victoriam. Nam pila ex edito in subeuntes Barbaros emissa, protinus eos auerterunt.

Lucullus aduersus Mithridatem & Tygranem, in Armenia maiore, apud Tygranocertam dimicaturus, collis proximi planum verticem raptim cum copiarum parte adeptus, in subiectos hostes decurrit, & equitatum eorum à latere inuasit, auersumque, & eorundem partem peditum perturbantem insequutus, clarissimam victoriam retulit.

Ventidius aduersus Parthos non antè militem eduxit, quàm illi quingentis non amplius passibus abessent; atque ita procursione subita adeò se admouit, vt sagittas, quibus ex longinquo vsus est, cominus applicitus eluderet: quo consilio, quia quandam fiduciæ etiam speciem ostentauerat, celeriter Barbaros debellauit.

Hannibal apud Numistronẽ, contra Marcellum pugnaturus, cauas & præruptas vias obiecit à latere, ipsaq. loci natura pro munimentis vsus, clarissimũ ducẽ vicit.

Idem apud Cannas, cùm comperisset Volturnum amnem, vltra reliquorũ naturã fluminũ ingentes auras manè perflare, quæ arenarũ & pulueris vertices agerent, sic direxit aciem, vt tota vis à tergo suis, Romanis in ora & ocu-

& oculos incideret: quibus incommodis mirè hosti aduersantibus, illam memorabilem adeptus est victoriam.

Marius aduersus Cimbros ac Theutonos constituta die pugnaturus, firmatum cibo militem ante castra collocauit, vt per aliquantum spacij, quo aduersarij dirimebantur, exercitus hostium potius labore itineris profligaretur: fatigationi eorú deinde incommodum aliud obiecit, ita ordinata suorum acie, vt aduerso sole, & vento & puluere Barbarorum occuparetur exercitus.

Cleomenes Lacedæmonius aduersus Hippiam Athenienſem, qui equitatu prævalebat, planiciem in qua dimicaturus erat, arboribus prostratis impediuit, & inuiam equiti fecit.

Iberi in Aphrica ingenti hostium multitudine excepti, timentesque, ne circumirentur, applicuerunt se flumini, quod altis in ea regione ripis profluebat: qui ita à tergo amne defensi & subinde cùm virtute præstarēt, incursando in proximos, omnē hostiū exercitū strauerunt.

Xanthippus Lacedæmonius sola loci commutatione, fortunā Punici belli conuertit: nam cùm desperantibus iam Carthaginenſibus mercede solicitatus, animaduertisset Aphros quidem, qui equitatu & elephantis præstabant, colles sectari: à Romanis autem, quorum robur in peditibus erat, cāpestria teneri, Pœnos in plana deduxit: vbi per elephantos, dissipatis ordinibus Romanorum, sparsos milites per Numidas persecutus, eorum exercitum fudit: in illam diem terra mariq́ue victorem.

Epaminundas dux Thebanorum, aduersus Lacedæmonios directurus aciem, pro fronte eius decurrere equitibus iussis, cùm ingentem puluerem oculis hostium obiecisset, expectationemq́ue equestris certaminis prætendisset, circumducto pedite ab ea parte, ex qua decursus in aduersam hostium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cecîdit.

Lacedæ-

Lacedæmonij trecenti contra innumerabilem multitudinem Persarum, Thermopylas occupauerũt, quarum angustiæ nõ amplius, quàm parem numerum cominus pugnaturum, poterant admittere: eaque ratione quantum ad congressus facultatem, æquati numero barbarorum, virtute autem præstantes, magnam eorum partem occiderunt: nec superati forent, nisi per proditorem Ephyaltem Trachiniam circumductus hostis, à tergo eos oppressisset.

Themistocles dux Athenienſium, cùm videret vtilissimum Græciæ, aduersus multitudinẽ Xerxis nauium, in angustiis Salaminiis decernere, idque persuadere ciuibus non posset, solertia effecit, vt à Barbaris, ad vtilitates suas Græci compellerentur: simulata namque proditione, misit ad Xerxem, qui indicaret populares suos de fuga cogitare, difficilioremque rem ei futuram, si singulas ciuitates obsidione aggrederetur. Qua ratione effecit, vt exercitus Barbarorum primùm inquietaretur, dum tota nocte in statione custodia est: deinde, vt sui manè integris viribus, cum dictis Barbaris vigilia marcentibus confligerent, loco vt voluerat arcto, in quo Xerxes multitudine qua præstabat, vti non posset.

Cap. III.

De acie ordinanda.

Cnevs Scipio in Hispania aduersus Hannonem ad opidum Indibile cùm animaduertisset Punicam aciem ita directam, vt in dextro cornu Hispani constituerentur, robustus quidem miles, sed qui alienum negotium ageret: in sinistro autem Afri minùs viribus firmi, sed animi constantioris, reducto sinistro latere, suorum dextro cornu, quod validissimis militibus extruxerat, obliqua acie cum hoste conflixit. Deinde, fusis fugatisque Afris, Hispanos, qui in recessu spectantium

tium more steterant, facilè in deditionem compulit.

Philippus Macedonum rex, aduersus Illyrios gerens bellum, vt animaduertit frontem hostium stipatam, electis de toto exercitu viris, latera infirmiora, fortissimis suorum in dextro cornu collocatis, sinistrum latus hostium inuasit, turbataq. acie tota, victoriam profligauit.

Permenes Thebanus, conspecta Persarum acie, quæ robustissimas copias in dextro cornu collocatas habebat, simili ratione & ipse suos ordinauit, omnemque equitatum & fortissimum quemque peditum in dextro cornu, infirmissimos autem contra fortissimos hostium posuit, præcepitque vt ad primum impetum eorum sibi fuga consulerent, & in siluestria confragosaque loca se reciperent: ita frustrato robore exercitus, ipse optima parte virium suarum, dextro cornu, totam circuit aciem hostium, & euertit.

Publius Cornelius Scipio, cui postea Africano cognomen fuit, aduersus Asdrubalem ducem Pœnorum in Hispania bellum gerens, ita per continuos dies ordinatum produxit exercitum, vt media acies fortissimis fundaretur: sed cùm hostes quoque eadem ratione assiduè ordinati procederent, Scipio eo die, quo statuerat decernere, commutauit instructionis ordinem, & firmissimos, id est, legionarios in cornibus collocauit, ac leuem armaturam in media acie, sed retractatam: ita cornibus, quibus ipse præualebat, infirmissimas hostium partes lunata acie aggressus facilè fudit.

Metellus in Hispania eo prœlio, quo Herculeium deuicit, cùm comperisset cohortes eius, quæ validissimæ vocabantur, in media acie locatas, ipse mediam suorum aciem reduxit, ne ea parte antè cú hoste cõfligeret, quàm cornibus confligatis, medios vndique circumueniissent.

Artaxerxes aduersus Græcos, qui Persidem intrauerant, cùm multitudine superaret, latiùs quàm hostes

acie

acie instructa, in fronte equitem, leuemq. armaturam in cornibus collocauit, atque ita ex industria lentiùs procedente media acie, copias hostium cinxit, cecidítque.

Contrà Hannibal ad Cannas reductis cornibus, productaque media acie, nostros primo impetu protrusit. Idem conserto prœlio, paulatim inuicem sinuantibus, procedentibusque ad præceptum cornibus, auidè insequentem hostem in mediam aciem suam recepit, & ex vtraque parte compressum cecîdit; veterano & diu edocto vsus exercitu: hoc enim genus ordinationis exsequi, nisi peritus, & ad omne momentum respondens miles, vix potest.

Liuius Salinator & Cl. Nero, cùm Asdrubal bello Punico secundo decertandi necessitatẽ euitans, in colle confragoso post vineas aciem direxisset, ipsi reductis in latera viribus, vacua fronte ex vtraque parte circumuenerunt eum, atque ita aggressi superauerunt.

Hannibal, cùm frequentibus prœliis à Cl. Marcello superaretur, nonissimè sic castra metabatur, vt aut montibus, aut paludibus, aut simili locorum aliqua opportunitate adiutus, aciem eo modo collocaret, vt vincentibus quidem Romanis, penè indemnem recipere posset intra munimenta exercitum; cedentibus autem, instandi liberum haberet arbitrium.

Xanthippus Lacedæmonius in Aphrica aduersus M. Attilium Regulum leuem armaturam in prima acie collocauit, in subsidio autem robur exercitus, præcepitque auxiliaribus, vt emissis telis cederent hosti: & cùm se intra suorum ordines recepissent, confestim in latera discurrerent, & à cornibus rursus erumperẽt, exceptumque iam hostem à robustioribus, & ipsi circumirent.

Sertorius, idem in Hispania aduersus Pompeiũ fecit.

Cleandridas Lacedæmonius aduersus Lycaonas densam instruxit aciem, vt longè minoris exercitus speciem

præbe-

præberet: securioribus inde hostibus, in ipso certamine diduxit ordines, & à lateribus circumuentos eos fudit.

Castronius Lacedæmonius, cùm in auxilium Ægyptiis aduersus Persas veniſſet, & sciret firmiorem esse Græcum militem, magisque à Persis timeri, commutatis armis Græcos in prima posuit acie, & cùm illi æquo Marte pugnarent, submisit Ægyptiorum manum: Persæ cùm Græcis, quos Ægyptios opinabantur, restitissent, superueniente multitudine, quam vt Græcorum expauerant, cesserunt.

Cn. Pompeius in Albania, quia hostes & numero & equitatu prævalebāt, iuxta collem in angustiis protegere galeas, ne fulgore earum conspicui fierent, iussit: equites deinde in æquum procedere, ac velut prætendere peditibus, præcepitque eis, vt ad primum impetum hostium refugerent, & simul ac ad pedites ventum esset, in latera discederent: quod vbi explicitum est, patefacto loco subita peditum surrexit acies, inuectosq. temerè hostes, inopinato, interfusa prælio cecidit.

M. Antonius aduersus Parthos, qui infinita multitudine sagittarum exercitū eius obruebant, subsidere suos, & testudinem facere iussit, supra quam transmissis sagittis, sine militum noxa exhaustus est hostis.

Hannibal aduersus Scipionem in Aphrica, cùm haberet exercitum ex Pœnis & auxiliaribus, quorum pars non solùm ex diuersis partibus, sed etiam ex Italicis constabat, post elephantos 80. qui in prima fronte positi hostium turbarent aciem, auxiliares Gallos & Lygures & Baleares Maurosque posuit, vt non fugere possent, Pœnis à tergo stantibus, & hostem oppositi si non infestarent, at certè fatigarent, tum suis & Macedonibus, qui iam fessos Romanos integri exciperent, in summa acie collocatis, nouissimos Italicos constituit, quorum & timebat fidem, & segnitiem verebatur, quoniam plerosque

rosque eorum ab Italia inuitos extraxerat. Scipio aduersus hanc formam, robur legionis, triplici acie in fronte ordinatum per hastatos & principes & triarios opposuit, nec continuas cõstruxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spacium dedit, per quod elephanti ab hostibus acti facilè transmitti sine perturbatione ordinum possent: ea ipsa interualla expeditis velitibus impleuit, ne interluceret acies, dato eis præcepto, vt ad impetum elephantorum, vel retrò, vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua diuisit, & dextro Romanis equitibus Lælium, sinistro Numidis Masinissam præposuit: quæ tam prudens ordinatio, non dubiè causa victoriæ fuit.

Archelaus aduersus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hostem falcatas quadrigas locauit, in secunda acie phalangem Macedonicam, in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitiuis Italicæ gentis, quorum pernicitati plurimum fidebat, leuem armaturam in vltimo statuit. In vtroque deinde latere equitatum, cuius amplum numerum habebat, circumeundi hostis caussa posuit. Contra hæc Sylla fossas amplæ latitudinis in vtroque latere duxit, & capitibus earum castella communiuit: qua ratione, ne circumiretur ab hoste, & peditum numero, & maximè equitatu superante, consecutus est. Triplicem deinde peditum aciem ordinauit, relictis interuallis, per leuem armaturam, & equitem, quem in nouissimo collocauerat, vt cùm res exegisset emitteret eum: tum prosignanis, qui in secunda acie erant, imperauit, vt densos numerososque palos firmè in terram defigerent: intraque eos, appropinquantibus quadrigis ante signa nostrã aciem recepit, tum demum sublato vniuersorum clamore velites & leuem armaturam ingerere tela iussit, quibus factis quadrigæ hostium aut implicitæ palis, aut exterritæ clamore telisque in

suos

ſuos conuerſæ ſunt, turbaueruntque Macedonum inſtructuram: qua cedente cùm Sylla ſtaret,& Archelaus equitē oppoſuiſſet,Romani equites ſubitò emiſſi, auerterunt eos, conſummaruntque victoriam.

C.Cæſar,Gallorum falcatas quadrigas eadem ratione palis defixis excepit inhibuitque.

Alexander ad Arbela, cùm hoſtium multitudinem vereretur, virtuti autem ſuorum fideret, aciem in omnem partem ſpectantem ordinauit, vt circumuenti, vndique pugnare poſſent.

Paulus aduerſus Perſen Macedonum regem, cùm phalangem ſuorum duplicem, mediam in partem direxiſſet, eamq. leui armatura cinxiſſet, & equitem in vtroque cornu collocaſſet, triplicem aciem cuneis inſtruxit: inter quos ſubinde velites emiſit. Quo genere cùm profligari nihil videret, cedere inſtituit, vt hac ſimulatione perduceret hoſtes in confragoſa loca, quæ ex induſtria captauerat. Cùm ſic quoque ſuſpecta calliditate recedentiū, ſequeretur ordinata phalanx, equites à ſiniſtro cornu præter ora phalangis iuſſit tranſcurrere, citatis equis tectos, vt obiectis armis ipſo impetu perfringerent hoſtium ſpicula: quo genere telorum exarmati Macedones ſoluerunt aciem,& terga verterunt.

Pyrrhus pro Tarentinis apud Aſculum, ſecundum Homericum verſum, quo peſſimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotasque,ſiniſtro Brutios atque Lucanos cum Salentinis,in media acie Tarentinos collocauit,equitatū & elephantos in ſubſidiis eſſe iuſſit. Contrà Coſſ. aptiſſimè diuiſis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in ſubſidiis collocârunt, & his immiſcuerunt auxilia. Vtrinq. quadraginta millia conſtat fuiſſe, Pyrrhi dimidia pars exercitus amiſſa, apud Romanos quinque millia deſiderata ſunt.

Cn. Pompeius aduerſus C.Cæſarem paluſtri prœlio

Pharſaliæ triplicem inſtruxit aciem, quarum ſingulæ denos ordines haberent in latitudinem. Legiones ſecundum virtutem cuiuſque firmiſſimas in cornibus, & in medio collocauit, ſpacia his interpoſita tyronibus ſuppleuit, dextro latere DC. equites, propter flumen Enipeum, quod & alueo ſuo & alluuie regionem impedierat, reliquum equitatum in ſiniſtro cornu cum auxiliis omnibus collocauit, vt inde Iulianum exercitum circuiret. Aduerſus hanc ordinationem Iulius Cæſar & ipſe triplice acie, diſpoſitis in fronte legionibus, ſiniſtrum latus, ne circuiri poſſet, admouit paludibus. In dextro cornu poſuit equitē, cui velociſſimos miſcuit peditum, & ad morem equeſtris pugnæ exercitatos, ſed deinde cohortes in ſubſidio retinuit, ad res ſubitas: ſed dextro latere conuerſas in obliquum, vnde equitatum hoſtium expectabat, collocauit: nec vlla res ad victoriam plus eo die Cæſari contulit: effuſum namque Pompeij equitatum inopinato ſubinde lati excurſu auerterunt, cædendumque tradiderunt.

Imperator Cæſar Germanicus, cū ſubinde Catij equiſtre prœlium, in ſiluas refugiendo diducerēt, iuſſit ſuos equites, ſimul atq. ad impedimenta ventum eſſet, equis deſilire, pedeſtriq. pugna confligere: quo genere conſequutus eſt, ne quis non locus eius victoriam miraretur.

C. Duillius, cùm videret graues ſuas naues mobilitate Punicæ claſſis eludi, irritamque virtutem militum fieri, excogitauit manus ferreas, quæ vbi hoſtilē apprehenderent nauem, ſuperiecto ponte, rranſgrediebatur Romanus, & in ipſorū ratibus cominus eos trucidabat.

CAP. IIII.

De acie hoſtium turbanda.

PAPYRIVS Curſor, filius conſulis, cùm æquo Marte aduerſus obſtinatos Samnites concurreret, ignorantibus

tibus suis præcepit Spurio Naucio, vt pauci calones, & agasones mulis insidentes, ramosque per terram trahentes, à colle transuerso magno tumultu decurrerent: quibus prospectis proclamauit victorem adesse collegam, vt occuparent ipsi præsentis prælij gloriam: quo facto, & Romani fiducia concitati propulêre, propulsi terga vertêre.

F. Rutilius Maximus, quarto consulatu in Samnio, omni modo frustra conatus aciem hostium perrumpere, nouissimè hastatos subduxit ordinibus, & cum Scipione legato suo circummisit, iussitque collem capere, ex quo decurri poterat in hostium terga: quod vbi factum est, Romanis creuit animus, & Samnites perterriti fugam molientes cæsi sunt.

Minutius Ruffus Imperator, cùm à Scordiscis Dacisque premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrem & paucos equites vnà cum æneatoribus: præcepitque, vt cùm vidisset contractum prælium, subitus ex diuerso se ostenderet, iuberetque æneatores cõcinere: sonantibus montium iugis, species ingentis multitudinis offusa est hostibus, qua perterriti dedêre terga.

Attilius Glabrio Cos. aduersus Antiochi regis aciem, quam is in Achaiam per angustias Thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non irritus tantùm, sed cum iactura quoque repulsus esset, nisi circummissus ab eo Porcius Cato, qui tum tribunus militum à populo factus in exercitu erat, deiectis, iugis Callidromi montis, Ætolis, qui præsidio tenebantur, super eminentem castris regiis collem, à tergo subitus apparuisset: quo facto perturbatis Antiochi copiis, vtrinque irrupere Romani, & fusis fugatisque castra ceperunt.

C. Sulpitius Petreius Cos. contra Gallos dimicaturus, iussit muliones clàm in montes proximos cum mulis abire, & inde conserto iam prælio, velut equis insi-

dentes ostentare se pugnantibus: quare Galli existimantes aduentare auxilia Romanis, cessere iã penè victores.

Marius circa aquas Sextias, cùm in animo haberet postera die depugnare aduersus Theutonos, Marcellum cum parua manu equitum peditumq. noctu post terga hostium misit, & ad implendam multitudinis speciem, agasones lixasque armatos simul ire iussit, iumentorumque magnam partem instratorum cum centunculis, vt per hoc facies equitatus obiiceretur, præcepitque vt cùm animaduertissent committi prœlium, ipsi in terga hostium descenderent: qui apparatus tantum terroris intulit, vt asperrimi hostes in fugam versi sint.

Licinius Crassus, fugitiuorum bello apud Calamarcum educturus militem, aduersus Castum & Canimocum duces Gallorum, duodecim cohortes cũ C. Promptino, & cum Quinto Marcio Ruffo legatis post montem circummisit: quæ cùm commisso iam prœlio, à tergo clamore iam sublato, decurrissent, *ita fuderunt* hostes, vt vbique fugam pro pugna capesserent.

Marcellus, cùm vereretur, ne paucitatem eius, militum clamor detegeret, simul lixas calonesque, & omnis generis sequelas conclamare iussit; atque ita hostem magni exercitus specie exterruit.

Valerius Leuinus aduersus Pyrrhum, occiso quodam gregali, tenens gladium cruentum, exercitui vtrique persuasit Pyrrhum interemtum. Quamobrem hostes destitutos se ducis morte credentes, consternati à mendacio, se pauidi in castra receperunt.

Iugurtha in Numidia, aduersus C. Marium, cùm Latinæ quoque linguæ vsum ei conuersatio pristina castrorum dedisset, in primam aciem procurrit, & occisum à se C. Marium tum Latinè clarè prædicauit, atque ita multos nostrorum auertit.

Myronides Athenienſis dubio prœlio aduersus Thebanos

banos rem gerens, repentè in dextrum suorum cornu prosiliit, & exclamauit, se iam siniſtra viciſſe: qua re & suis alacritate & hostibus metu iniecto, vicit.

Crœsus prævalido hostium equitatui camelorũ gregem oppoſuit: quorum nouitate & horrore conſternati equi, non solùm insidentes præcipitauerunt, sed peditum quoq. suorum ordines protriuerunt, vincendosque hosti præbuerunt.

Pyrrhus Epirotarum rex, pro Tarentinis aduersus Romanos, eodem modo elephantis ad perturbandam aciem vsus est.

Pœni quoque aduersus Romanos idem fecerunt frequenter.

Volscorum castra, cùm prope virgulta siluasque posita essent, Camillus ea omnia, quæ conceptum ignem vsque in vallum proferre poterant, incendit; & sic aduersarios exuit castris.

M. Crassus, bello sociali eodem modo propè cum copiis omnibus interceptus est.

Hispani contra Hamilcarẽ boues vehiculis adiunctos in prima fronte constituerunt, vehiculaque tædæ & sepi & sulphuris plena, signo pugnæ dato, incenderunt: actis deinde in hostẽ bobus conſternatã aciem perruperunt.

Phaliſci & Tarquinienſes, compluribus suorum in habitu ſacerdotum ſubornatis, faces & angues furiali habitu præferentibus, aciem Romanorum turbauerunt. Idem Veientes & Fidenates facibus arreptis fecerunt.

Atheas rex Scytharum, cùm aduersus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, iussit à fœminis & pueris omniq. imbelli turba, greges asinorum, ac boum ad postremam hostium aciem admoueri, & erectas hastas præferre: famam deinde diffudit, tanquam auxilia sibi ab vlterioribus Scythis aduentarent: qua asseueratione auertit hostem.

Cap. v.
De insidiis.

Romvlvs per latebras copiarum parte disposita, cùm ad Fidenas accessisset, simulata fuga temerè hostes insecutos eò perduxit, vbi occultos habebat milites, qui vndique adorti effusos & incautos ceciderunt.

Quintus Fabius Maximus Cos. auxilio Sutrinis missus aduersus Hetruscos, omnes hostium copias in se conuertit: deinde simulato timore, in superiora loca velut fugiens receſſit, effuseq. subeuntes aggressus, non aciem tantùm superauit, sed etiam castris exuit.

Sempronius Gracchus aduersus Celtiberos, metu simulato, continuit exercitum: emissa deinde armatura leui, quæ hostem lacesseret, ac statim pedem referente, euocauit hostem: deinde inordinatos aggressus, vsque eò cecîdit, vt etiam castra caperet.

Quintus Metellus Cos. in Sicilia bellũ gerẽs aduersus Hasdrubalem, ob eius ingentem exercitũ 130. elephantos intentior, diffidentia simulata, intra Panormũ copias tenuit, fossamq. ingentis magnitudinis ante se duxit, cõspecto deinde exercitu Hasdrubalis, qui in prima acie elephãtos habebat, præcepit hastatis, tela in belluas iacerent, protinusq. se intra munimenta reciperent: ea ludificatione rectores elephantorum concitati, in ipsam fossam elephantos egerunt: quo vt primùm illaqueati sunt, partim magnitudine telorum confecti, partim retro in suos acti, totã aciem turbauerunt. Tunc Metellus, hanc opperiens occasionẽ, cũ toto exercitu erupit, & aggressus à latere Pœnos cecîdit, ipsisque, vt elephantis potitus est.

Tamiris Scytharum regina, Cyrum Persarum ducem, æquo Marte certantem, simulato metu elicuit ad notas militi suo angustias, atque ibi repente conuerso agmine, natura loci adiuta, deuicit.

Ægyptij

Ægyptij conflicturi acie in eis campis, quibus iunctæ paludes erant, alga eas contexerunt, commissoq. prœlio fugam simulantes in insidias seuocauerunt, qui rapidiùs vecti per ignota loca, limo inhæserũt, circumuẽtiq. sunt.

Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulans, vsque ad locum voraginosum & prærupta eos perduxit: & cùm ipse per solidos ac notos sibi transitus euaderet, Romanos ignaros locorum immersosque limo cecîdit.

Fuluius Imperator, Cimbrico bello collatis cum hoste castris, equites suos iussit succedere ad munitiones eorum, lacessitisque Barbaris, simulata fuga regredi: hoc cùm per aliquot dies fecisset, auidè insequentibus Cimbris, animaduertit castra eorum solita nudari: itaque per partem exercitus custodita consuetudine, ipse cum expeditis post castra hostium consedit occultus, effusisque eis ex more repentè adortus, & desertum proruit vallum, & castra cepit.

Cneus Fuluius, cũ in finibus nostris exercitus Falisco-rum, longè nostro maior castra posuisset, per suos milites quædam procul à castris ædificia succendit, vt Falisci suos id fecisse credentes, spe prædæ diffunderentur.

Alexander ex Epirotis aduersus Illyrios collocata in insidiis manu, quosdam ex suis habitu Illyriorum instruxit, & iussit vastare suam, id est, Epiroticam regionem: quod cùm Illyrij viderent fieri, ipsi passim prædari cœperunt, eò securiùs, quòd præcedentes veluti pro exploratoribus habebant, à quibus ex industria in loca iniqua deducti, cæsi fugatique sunt.

Leptenes quoque Syracusanus aduersus Carthaginenses vastari suos agros, & incendi villas castellaque quædam imperauit. Carthaginenses à suis id fieri rati, & ipsi tanquam in adiutorium exierunt, exceptique ab insidiatoribus fusi sunt.

Maharbal missus à Carthaginẽsibus aduersus Aphros rebellantes, cùm sciret gentem auidam esse vini, magnum eius modum mandragora permiscuit, cuius inter venenum ac soporem media vis est, tunc prælio leui commisso, ex industria cessit: nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, & omni vino infecto, fugam simulauit: cumque Barbari occupatis castris, in gaudium effusi, medicatum auidè merum hausissent, & in modum defunctorum strati iacerent, reuersus cepit eos, ac trucidauit.

Hannibal, cùm sciret sua & Romanorum castra, in eis locis esse, quæ lignis deficiebantur, ex industria, in regione deserta plurimos armentorum greges intra vallum reliquit: qua velut præda Romani potiti in summis lignationis angustiis, insalubribus se cibis onerarũt: Hannibal reducto nocte exercitu, securos eos & semicruda graues carne, maiorem in modum vexauit.

Tiberius Gracchus in Hispania certior factus, hostem inopem commercio laborare, instructissima castra omnibus esculentis deseruit, quæ adeptum hostem, & repertis intemperanter repletum, grauemque, reducto exercitu, subitò oppressit.

Hi qui aduersus Erythræos bellum gerebant, speculatorem eorum in loco edito deprehensum occiderunt, & vestem eius militi suo dederunt, qui ex eodem iugo Erythræos signo dato in insidias euocauit.

Arabes, cùm esset nota consuetudo eorum, qua de aduentu hostium interdiu fumo, nocte igne significare instituerant, vt sine intermissione ea fierent præceperunt, aduentantibus autem aduersariis intermitterent: qui cùm cessantibus luminibus existimarẽt ignorari aduentum suum, auidiùs ingressi oppressique sunt.

Alexander Macedo, cùm hostis in saltu editiore castra communisset, seducta parte copiarum, præcepit his, quos

quos relinquebat, vt ex more ignes excitarẽt, speciemq. præberent totius exercitus: ipse per auias regiones circumducta manu, hostẽ superiore aggressus loco depulit.

Memnon Rhodius rex, cùm equitatu prænaleret, & hostem in collibus se continentem, in campos vellet deducere, quosdam ex militibus suis, sub specie perfugæ misit in hostium castra, qui affirmarent exercitũ Memnonis iam pernicioſa seditione furere, vt & subinde aliqua pars eius dilaberetur. Huic affirmationi vt fidẽ faceret, passim in conspectu hostium iussit parua castella muniri, velut in ea se recepturi essent, qui dissidebant: hac persuasione solicitati qui in montibus se continuerant, in plana descenderunt, & dum castella tentant, ab equitatu circumuenti sunt.

Harridas rex Molossorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, maiorem aliquanto exercitum habente, molitus imbelles suorum, in vicinam regionem Ætoliæ famam sparsit, tanquam vrbes ac res suas Ætolis concederet. Ipse cùm his qui arma ferre poterant, insidias in montibus, & locis confragosis distribuit. Illyrij timentes, ne quæ Molossorum erant, ab Ætolis occuparentur, velut ad prædam festinantes, neglectis ordinibus accelerare cœperunt, quos dissipatos, nihil tale expectantes, Harridas ex insidiis fudit, fugauitque.

T. Labienus C. Cæsaris legatus, aduersus Gallos, ante aduentum Germanorum, quos auxilio his venturos sciebat, confligere cupiens, diffidentiam simulauit, positisque in diuersa ripa castris, profectionem edixit in posterum diem. Galli credentes eum fugere, flumen quod medium erat, instituerunt transmittere. Labienus circumacto exercitu, inter ipsas superandi amnis difficultates eos cecîdit.

Hannibal, cùm explorasset, negligenter castra Fuluij Romani ducis munita, ipsum præterea multa temerè

audere, prima luce cùm densiores nebulæ præstarent obscuritatem, paucos milites munitionum nostrarum vigilibus ostendit, quo Fuluius repentè mouit exercitum, Hannibal per diuersam partem castra eius occupauit: & ita in tergum Romanorum effusus, octo millia fortissimorum militum cum ipso duce trucidauit.

Idem Hannibal, cùm inter Fabium dictatorē & Minutium magistrum equitum diuisus esset exercitus, & Fabius occasionibus immineret, Minutius pugnandi cupiditate flagraret, castra in campo, qui medius inter hostes erat, posuit: & cùm partem peditum in confragosis rupibus celasset, ipse ad euocandum hostem misit, qui proximū tumulum occuparent: ad quos opprimendos cū eduxisset copias Minutius, insidiatores ab Hannibale dispositi, subitò consurrexerunt, & delessent Minutij exercitum, nisi Fabius periclitantibus subuenisset.

Idem Hannibal, cùm ad Trebiam in conspectu haberet Sempronij Longi Cos. castra, medio amne interfluente sæuissima hieme Magonem & electos in insidiis posuit. Deinde Numidas equites, ad eliciendam Sempronij credulitatem, adequitare vallo eius iussit: quibus præceperat, vt ad primum nostrum incursum per nota refugerent vada. Hos consul & adortus temerè, & secutus, ieiunum exercitum in maximo frigore transitu fluminis rigere fecit. Mox torpore, & inedia affectis Hannibal suum militem oppposuit, quem ad id ignibus, oleoque & cibo fouerat: nec defuit partibus Mago, quin terga hostium in hoc ordinatus cæderet.

Idem ad Thrasymenū, cùm arcta quædam via in radices montis & campos patentes duceret, simulata fuga per angustias ad patentia euasit, ibique castra posuit, ac nocte dispositis militibus, & per collem qui imminebat, & in lateribus angustiarum prima luce, nebula quoque adiutus, aciem direxit. Flaminius velut fugientem insequens,

quens, cùm anguſtias eſſet ingreſſus, non antè prouidit inſidias, quàm ſimul à fronte, lateribus, tergo circumfuſus, ad internecionem cum exercitu cæderetur.

Idem Hannibal, aduerſus Iunium dictatorem, nocte intempeſta ſexcentis equitibus imperauit, vt in plures turmas ſegregati per vices, ſine intermiſſione circa caſtra hoſtium ſe oſtentarent. Ita tota nocte Romanis in vallo ſtatione ac pluuia, quæ fortè continua fuerat, inquietatis confectiſque, cùm receptui ſignum iam Iunius dediſſet, Hannibal ſuos requietos reduxit, & caſtra eius inuaſit.

Epaminundas Thebanus, in eundem modum, cùm Lacedæmonij Athmon vallo ducto Peloponeſon tuerentur, paucorum opera leuis armaturæ, tota nocte inquietauit hoſtem: ac deinde prima luce vocatis ſuis, cùm Lacedæmonij ſe recepiſſent, ſubitò vniuerſum exercitum, quem quietum habuerat, admouit, & per ipſa munimenta deſtituta propugnatoribus irrupit.

Hannibal directa acie ad Cannas D C. equites Numidas iuſſit tranſfugere, qui ad fidem faciendam, gladios & ſcuta noſtris tradidere: & in vltimum agmen recepti, vbi primum concurri cœpit, ſtrictis minoribus (quos occultauerant) gladiis, ſcutis iacentium aſſumtis, Romanorum aciem ceciderunt.

Iapyges P. Licinio proconſuli pagos quoque ſub ſpecie deditionis obtulerunt, qui recepti, & in poſtrema acie collocati, terga Romanorum ceciderunt.

Scipio Aphricanus, cùm aduerſa haberet bina hoſtium caſtra, Syphacis & Carthaginenſium, ſtatuit Syphacis, vbi multa incendiis alimenta erant, aggredi nocte, ignemque iniicere, vt ex ea re Numidas quidem ex ſuis caſtris trepidantes cæderet: Pœnos autem, quos certum erat ad ſuccurtendum ſociis procurſuros, inſidiis diſpoſitis exciperet: vtrumque ex ſententia ceſſit.

Mithridates à Lucullo virtute frequenter ſuperatus, inſidiis

insidiis eum appetiit, Adathante quodam eminente viribus subornato, vt transfugeret: & fide pacta hosti, facinus perpetraret: quod is strenuè quidem, sed sine euentu conatus est; receptus enim à Lucullo in gregem equitum, non sine tacita custodia habitus est: quia nec credi subitò transfugæ, nec inhiberi reliquos oportebat. Cùm deinde frequentibus excursionibus, promtam & enixam operam exhiberet, fide acquisita tempus elegit, quo missa principia quietem omnibus castrensibus dabant, prætoriumque secretius præstabant: casus adiuuit Lucullum. Nam qui ad vigilantem vsque admitteretur, fatigatum nocturnis cogitationibus illo tempore quiescentem inuenit. Cùm deinde, tanquam nuntiaturus aliquid subitum ac necessarium, intrare vellet, & pertinaciter à seruis valetudini domini consulentibus excluderetur, veritus, ne suspectus esset, equis quos ante portã paratos habebat, ad Mithridatem refugit irritus.

Sertorius in Hispania, cùm apud Lauronem oppidum, vicina castra Pompeij castris haberet, & duæ tantummodò regiones essent, ex quibus pabulum peti posset, vna in propinquo, altera longiùs sita, ea quæ in propinquo erat, subinde à leui armatura infestari, vlteriorem autem vetuit ab vllo armato adiri, donec persuasit aduersariis, tutiorem esse, quæ erat remotior: quam cùm petiissent Pompeiani, Octauium Græcimum cum decem cohortibus, in morem Romanorum armatis, & decem Hispanorũ leuis armaturæ, & Tarquiniũ Priscum cum duobus millibus equitum ire iubet ad insidias tendendas pabulatoribus: illi strenuè imperata faciunt. Explorata enim locorum natura, in vicina silua nocte prædictas copias abscondunt, ita vt in prima parte leues Hispanos, aptissimos ad furta bellorum ponerent: paulò interiùs scutatos, in remotissimo equites, ne fremitu equorum cogitata proderentur, quiescere omnes silentio

tio seruato in horam tertiam diei iubet: cùm deinde Pompeiani securi seruatiq. pabulo de reditu cogitarent, & hi quoque, qui in statione fuerant, quietè inuitati ad pabulum colligendum dilaberẽtur, emissi primùm Hispani, velocitate gentili in palantes effunduntur, & conuulnerant confunduntque, nihil tale expectantes: priùs deinde quàm resisti his inciperet, scutati erumpunt è saltu, & redeuntes in ordinem consternunt, vertuntque: fugientibus equites immissi toto eo spacio, quo redibatur in castra persecuti cæduntur: curatum quoque, ne quis effugeret, nam reliqui 250. equites præmissi facilè per compendia itinerum effusis habenis, antequam ad castra Pompeij peruenirentur conuersi, occurrerunt eis qui primi fugerant. Ad cuius rei sensum Pompeio immittente legionem cum Lælio in præsidium suorũ, subducti in dextrum latus velut cesserunt equites, deinde & cùm ita legionem hanc tergo infestarent, cùm iam etiam à fronte qui pabulatores persecuti erant incursarent, sic legio quoque inter duas acies hostium cum legato suo elisa est: ad cuius præsidium Pompeio totum educente exercitum, Sertorius quoque è collibus suos instructos ostendit, effecitque, ne Pompeio expediret: ita præter duplex damnum, eadem solertia illatum, spectatorem quoque eum cladis suorum continuit: hoc primum prœlium inter Sertorium & Pompeium fuit, decem millia hominum de Pompeij exercitu amissa, & omnia impedimenta: Liuius auctor est.

Pompeius in Hispania, dispositis antè, qui ex occulto aggrederentur, simulato metu, deduxit instantẽ hostem in loca infesta: deinde vbi res poposcerunt, conuersos & in fronte & vtriusque lateribus ad internecionem cecîdit, capto etiam duce eorum Perpenna.

Idem aduersus Mithridatem in Armenia, numero & genere equitum prævalentem, tria millia leuis armatu-

ræ, &

ræ, & 500 equites nocte in valle sub virgultis, quæ inter bina castra erant, dispositi: prima deinde luce in stationem hostium emisit equites ita firmatos, vt cùm vniuersus cum exercitu hostium equitatus prælium iniisset, seruatis ordinibus paulatim cederent, donec spatium darent consurgendi à tergo, ob hoc dispositis. quod postquam ex sententia contigit, conuersis qui terga dedisse videbantur, medium hostem trepidantem cecîdit: ipsos etiam equos pedite cominus accedente confodit, eoque prælio fiduciam regi, quam in equestribus copiis habebat, detraxit.

Crassus bello fugitiuorum apud Cathenam bina castra cominus cum hostium castris vallauit: nocte deinde commutatis copiis manente prætorio in maioribus castris, vt fallerentur hostes, ipse omnes copias eduxit, & in radicibus prædicti montis constituit: diuisoque equitatu præcepit L. Quintio partem Spartaco obiiceret, pugnaq. eum frustraretur: parte alia Gallos Germanosque ex factione Casti & Gannici eliceret ad pugnam, & pugna simulata deduceret, vbi ipse aciē instruxerit. Quos cùm Barbari insequuti essent, equite recedente in cornua, subitò acies Romana adaperta cum clamore cucurrit: triginta quinque millia armatorum eo prælio interfecta cum ipsis ducibus Liuius tradidit, receptas quinque Romanas aquilas, signa sex & viginti: multa spolia, inter quæ quinque fasces cum securibus.

C. Cassius in Syria, aduersus Parthos ducens aciem, equitem ostendit à fronte, cùm à tergo peditem in confragoso loco occultasset; dein cedente equitatu & per nota se recipiente, in præparatas insidias perduxit exercitum Parthorum, & cecîdit.

Ventidius Parthos & Labienum alacres successibus victoriarum, dum suos ipse per simulationem metus, continet, euocauit: & in loca iniqua deductos, aggressus

per

pet obreptionem, adeò debellauit, vt destituti Labieno prouincia excederent Parthi.

Idem aduersus Pharnastanis Parthos, cùm ipse exiguum numerum militum haberet, illis autem fiduciam ex multitudine videret increscere, ad latus castrorũ, octodecim cohortes in obscura valle posuit, equitatu post terga militũ collocato. Tum paucos admodum milites in hostem misit, qui vbi simulata fuga hostem effusè sequentem, vltra locũ insidiarũ perduxere, coorta à latere acie, præcipitatis in fugam his, Pharnastanem interfecit.

C. Cæsar suis & Afranianis castris contrarias tenentibus planicies, cùm vtriusque partis plurimum interesset, colles proximos occupare, idque propter saxorum asperitatem esset difficile, tanquam Ilerdam repetiturum, retrò agmen ordinauit, faciente inopia fidem destinationi. Intra breuissimum deinde spatium, exiguo circuitu flexit repentè ad montes occupandos. Quo visu perturbati Afraniani, velut captis castris, & ipsi effuso cursu eosdem montes petiere: quod futurum cùm prædiuinasset Cæsar, partim peditatu, quẽ præmiserat, partim à tergo submissis equitibus inordinatos est adortus.

Antonius apud forum Gallorum cùm Pansam Cos. aduentare comperisset, insidiis per siluestria Æmiliæ viæ dispositis, agmen eius excepit, fuditque: & ipsum eo vulnere affecit, quo intra paucos dies exanimaretur.

Iuba rex, in Aphrica bello ciuili Curionis animum simulato regressu impulit in vanam alacritatem: cuius spei vanitate deceptus Curio, dum tanquam fugientem Saboram regium præfectum persequitur, deuenit in patentes campos, vbi Numidarum circumuentus equitatu, perdito exercitu, cecidit.

Melanthus dux Athenienſium, cùm prouocatus à rege hostium Xantho Bœotio, descendisset ad pugnam, vt primùm cominus stetit, Iniquè (inquit) Xanthe, &

contra

contra pactum facis, aduersus solum enim cum altero processisti: cumque admiratus ille quisnam se comitaretur, respexisset, auersum vno ictu confecit.

Iphicrates Athenienſis ad Cherroneſum, cùm sciret Lacedæmoniorum ducem Anaxibium, exercitum pedestri itinere ducere, firmissimam manum militum eduxit è nauibus, & in insidiis collocauit: naues autem omnium, tanquam onustas milite, palàm transnauigare iussit: ita securos & nihil expectantes Lacedæmonios, à tergo ingressus itinere oppressit, fuditque.

Liburni, cùm vadosa loca obsedissent, capitibus tantùm eminentibus, fidem fecerunt hosti alti maris, ac triremem, quæ eos persequebatur, implicatam vado ceperunt.

Alcibiades dux Athenienſium, in Helleſponto aduersus Numidarum & Lacedæmoniorum ducem, cùm amplum exercitum & plures naues haberet, nocte expositis in terram quibusdam militum suorũ, parte quoque nauium post quædam promontoria occultata, ipse cum paucis profectus, ita vt contemtu sui hostem inuitaret, eundem insequentem fugit, donec in præparatas insidias induceret: auersum deinde, & egredientem in terram, per eos, quos ad hoc ipsum exposuerat, cecidit.

Idem nauali prœlio decertaturus, constituit malos quosdam in promontorio, præcepitque his, quos ibi relinquebat, vt cùm prœlium commissum sensissent, panderent vela. Quo facto consequutus est, vt hostes aliam classem in auxilium superuenire ei arbitrati, verterentur.

Memnon Rhodius, nauali prœlio cùm haberet 200. nauium classem, & hostium naues elicere ad prœlium vellet, ita ordinauit suos, vt paucarum nauium malos erigerent, easque primas agi iuberent: hostes autem procul conspicati numerum arborum, & ex eo nauium quoque

quoque coniectantes, obtulerunt se certamini, & à pluribus occupati superatique sunt.

Timotheus dux Athenienſium, aduersus Lacedæmonios nauali acie decertaturus, cùm instructa classis eorum ad pugnandũ processisset, ex velociſſimis nauibus viginti præmisit, quæ omni arte varioq. flexu eluderent hostem, vt primum sensit, deinde minus agilitet moueri aduersam partẽ progressos prælassatos facilè superauit.

Cap. VI.

De emittendo hoste, ne clausus prælium ex desperatione redintegret.

Gallos, eo prælio quod Camilli ductu gestum est, desiderantes nauigia, quibus Tiberim transirent, Senatus censuit transuehendos, & commeatibus quoque persequendos. Eiusdem generis hominibus postea per Pomptinum agrum fugientibus via data est, quæ Gallica appellatur.

L. Martius eques Romanus, cui duobus Scipionibus occisis, exercitus imperium detulit, cùm circumuenti ab eo Pœni, ne inulti morerentur, acriùs pugnarent, laxatis manipulis, & concesso fugæ spacio, dissipatos sine periculo suorum trucidauit.

C. Cæsar Germanos inclusos, ex desperatione fortiùs pugnantes, emitti iussit: fugientesque aggressus est.

Hannibal, cũ ad Thrasymenũ inclusi Germani acerrimè pugnarent, deductis ordinibus, fecit eis abeundi potestatem, euntesque sine suorum sanguine strauit.

Antigonus rex Macedonum Ætolis, qui in obsidionem ab eo compulsi, fame vrgebantur, statuerantque eruptione facta commori, viam fugæ dedit, atque ita infracto impetu eorum, insecutos, auersos cecidit.

Agesilaus Lacedæmonius, aduersus Thebanos cùm acie confligeret, intellexissetque, hostes locorum condi-

tione clausos, ob desperationem fortiùs dimicare: laxatis suorum ordinibus, apertaque Thebanis ad euadendum via, rursus in abeuntes contraxit aciem, & sine iactura suorum cecidit auersos.

Cneus Manlius Cos. cùm ex acie reuersus capta ab Hetruscis Romana castra inuenisset, omnibus portis statione circundatis, inclusos hostes in eam rabiem efferauit, vt ipse in prœlio caderet. Quod vt animaduerterunt legati eius, ab vna parte remota statione, exitum Hetruscis dederunt, & effusos persecuti, occurrente altero consule Fabio, cecîderunt.

Themistocles victo Xerxe, volentes suos pontẽ rumpere prohibuit, cùm docuisset potius esse, eum expelli ex Europa, quàm cogi ex desperatione pugnare.

Idem misit ad eum, qui indicaret, in quo periculo esset, nisi fugam maturaret.

Pyrrhus Epirotarum rex, cùm quandam ciuitatem cepisset, clausisque portis ex vltima necessitate fortiter dimicantes eos, qui inclusi erant, animaduertisset, locum illis ad fugam dedit. Idem inter cætera præcepta imperatoria memoriæ tradidit, non esse pertinaciter instandum hosti fugienti: non solùm, ne fortiùs ex necessitate resisteret, sed vt postea quoque facilius acie cederet, ratus non vsq. ad perniciem fugientibus instaturos victores.

CAP. VII.

De dissimulandis aduersis.

TVLLVS Hostilius rex Romanorum, commisso aduersus Veientes prœlio, cùm Albani deserto exercitu Romanorum, proximos peterent tumulos, eaque res turbasset nostrorũ animos, clarè pronuntiauit, iussu suo Albanos id fecisse, vt hostem circumueniret. Quæ res & terrorem Veientibus, & Romanis fiduciam attulit, remque inclinatam consilio restituit.

Lucius

Lucius Sylla, cùm præfectus eius comitante non exigua equitum manu, commisso iam prœlio ad hostes transfugisset, pronuntiauit iussu suo id factum, eaque ratione militum animos non tantùm à confusione retraxit, sed quadam etiam spe vtilitatis, quæ id consilium secutura esset, confirmauit.

Idem, cùm auxiliares eius missi ab ipso, circumuenti ab hostibus, & interfecti essent, vereretur que, ne propter hoc damnum, vniuersus trepidaret exercitus, pronuntiauit, auxiliares, qui ad defectionem conspirassent, consilio à se in loca iniqua deductos: ita manifestissimam cladem, vltionis simulatione velauit, & militum animos hac persuasione confirmauit.

Scipio, cùm Syphacis legati nuntiarent ei regis sui nomine, ne fiducia societatis eius, ex Sicilia in Aphricam transiret, veritus ne confunderentur animi suorum abscissa peregrina societate, dimisit ire legatos, & famam diffudit, tanquam vltrò à Syphace accerseretur.

Qu. Sertorius, cùm acie decertaret, Barbarum qui ei nuntiauerat Herculeium periisse, pugione traiecit, ne & in aliorum id notitiam perferret, & ob hoc animi suorum infirmarentur.

Alcibiades Athenienſis, cùm ab Abydenis prœlio vrgeretur, subitoque magno cursu tristem aduertisset aduentare tabellarium, prohibuit palàm dicere quid afferret. Deinde secretò scisscitatus à Pharnabazo regio præfecto, classem suam oppugnari, celatis & hostibus & militibus prœlium finiit, ac protinus ad eripiendam classem ducto exercitu opem tulit suis.

Hannibalem venientem in Italiam tria millia carpentariorum reliquerunt, quo ille exemplo, ne & cæteri mouerentur, edixit à se esse dimissos, & insuper in fidem eius rei, paucos leuissimæ operæ domum remisit.

L. Lucullus, cùm animaduertisset Macedonas equi-

tes, quos in auxilio habebat, subito consensu ad hostem transfugere, signa canere iussit, & turmas, quæ eos sequerentur, immisit, hostis committi prœlium ratus, transfugientes telis excepit Macedones, qui cùm viderent, neque recipi se ab aduersariis, & premi ab his, quos deserebant, necessariò ad iustum prœlium conuersi hostem inuaserunt.

Datames dux Persarum, aduersus Authofradatem in Cappadocia, cùm partem equitum suorum transfugere comperisset, ceteros omnes venire secum iussit, assecutusque transfugas collaudauit, quòd eum alacriter præcessissent, hortatusque est eos etiam, vt fortiter hostem adorirentur: pudor transfugis attulit pœnitentiam, & consilium suum (quia non putabant deprehensum) mutauerunt.

T. Quintius Capitolinus Cos. cedentibus Romanis ementitus est in altero cornu hostes fugatos, & ita confirmatis suis victoriam retulit.

Cneus Manlius, aduersus Hetruscos, vulnerato collega Fabio, qui sinistrum cornu ducebat, & ob id parte cedente, quòd etiam occisum crederent consulem, cùm turmis equitum occurrit, clamitans & collegam viuere, & se dextro cornu vicisse. Qua constantia redintegratis animis suorum vicit. Marius aduersus Cimbros & Theutonos, cùm metatores eius per imprudentiam ita castris locum cepissent, vt sub potestate Barbarorũ esset aqua, flagitantibus eam suis, digito hostem ostendens, Illinc (inquit) petenda est. Quo instinctu assecutus est, vt protinus Barbari tollerentur.

T. Labienus post Pharsalicam pugnam, cùm victis partibus Dyrrhachium refugisset, miscuit vera falsis, & non celato exitu pugnæ, æquatam partium fortunam, graui vulnere Cæsaris finxit, & hac assimulatione reliquis Pompeianarum partium fiduciam fecit.

M. Cato,

M. Cato, cùm Ambraciam, eo tempore, quo ſociæ naues ab Ætolis oppugnabantur, imprudens vno lembo appuliſſet, quanquam nihil ſecum præſidij haberet, cœpit ſignum voce geſtuque dare, quo videretur ſubſequentes ſuorum naues vocare: eaque aſſeueratione hoſtem terruit, tanquam planè appropinquarent, qui quaſi è proximo citabantur. Ætoli, ne aduentu Romanæ claſſis opprimerentur, reliquerunt oppugnationem.

CAP. VIII.

De conſtituenda per couſtantiam acie.

SERVIVS Tullius adoleſcens, prœlio quo Tarquinius rex, aduerſus Sabinos conflixit, ſigniferis ſegniùs dimicantibus, raptum ſignum in hoſtem miſit, cuius recipiendi gratia Romani ita ardenter pugnauerunt, vt & ſignum & victoriam retulerint.

Furius Agrippa Coſ. cedente cornu, ſignum militare ereptum ſignifero, in hoſtes Hernicos & Equos miſit: quo facto eius prœlium reſtitutum eſt. Summa enim alacritate Romani ad recipiendum ſignum incubuerunt.

T. Quintius Capitolinus Coſ. ſignum in hoſtes Phaliſcos eiecit, militesque id repetere iuſſit.

M. Furius Camillus Tr. Mil. conſulari poteſtate, cunctante exercitu, arreptum manu ſigniferum in hoſtes Volſcos & Latinos traxit, cæteros puduit non ſequi.

Saluius Pelignus, bello Perſico idem fecit.

Qu. Furius, auerſo exercitu, cùm occurriſſet, affirmauit nō recepturum ſe in caſtra quenquam niſi victorem, reductisque in aciem, victoria potitus eſt.

Scipio apud Numantiam, cùm auerſum ſuum videret exercitum, pronuntiauit ſibi pro hoſte futurum, quiſquis in caſtra rediſſet.

Siniſius Priſcus dictator, cùm ſigna legionum ferri in

hostes Phaliscos iussisset, signiferum cunctantem occidi imperauit, quo exemplo perterriti hostem inuaserunt.

Cossus Cornelius, magister equitum aduersus Fidenates idem fecit.

Tarquinius, aduersus Sabinos cunctantes equites, detractis frenis, concitatisque equis procurrere & perrumpere aciem iussit.

Marcus Attilius Consul bello Samnitico, ex acie refugientibus in castra militibus aciem suorum opposuit, affirmans secum & cum bonis ciuibus dimicaturos eos, nisi cum hostibus maluissent, ea ratione vniuersos in aciem reduxit.

L. Sylla, cedentibus iam legionibus exercitui Mithridatico, ductu Archelai, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellansque milites dixit; Si quis quæsisset, vbi Imperatorem reliquissent, responderent pugnantem in Bœotia, cuius rei pudore vniuersi eum secuti sunt.

Diuus Iulius ad Mundam suis referentibus pedem, equum suum abduci à conspectu suo iussit, & in primam aciem pedes prosiliit: milites dum destituere Imperatorem erubescunt, redintegrarunt prœlium.

Philippus veritus, ne impetum Scytharum sui nõ sustinerent, fidelissimos equitum à tergo posuit, præcepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, perseuerantius abeuntes trucidarent. Qua denuntiatione cùm effecisset, vt etiam timidissimi mallent ab hostibus quàm à suis interfici, victoriam acquisiuit.

CAP. IX.

De his, quæ post prœlium fiunt, si res prosperè cesserint, & de confirmandis reliquiis belli.

CMARIVS, victis prœlio Teutonis, reliquias eorum (quia nox circumuenerat) circumsedens, sublatis subinde clamoribus, per paucos suorum terri-

tauit,

tauit, insomnemque hostem detinuit, ex eo consecutus, vt postero die irrequietum faciliùs debellaret.

Claudius Nero, victis Pœnis, quos Hasdrubale duce in Italiam ex Hispania traiicientes exceperat, caput Hasdrubalis in castra Hannibalis eiecit: quo factum est, vt & Hannibal luctu (nam frater occisus erat) & exercitus desperatione aduentantis præsidij affligeretur.

Lucius Sylla his, qui Prænestę obsidebantur, occisorum in prœlio ducum capita hastis præfixa ostendit, atque ita obstinatorum peruicaciam fregit.

Arminius dux Germanorum, capita eorum, quos occiderat, similiter præfixa, ad vallum hostium admoueri iussit.

Domitius Corbulo, cùm Tygranocertam obsideret, & Armenij pertinaciter viderentur toleraturi obsidionem, in quendam ex Megistanis, quos ceperat, animaduertit, caputque eius balista excussum, intra munimenta hostium misit: id fortè decidit in medium concilium, quod tum cùm maximè habebant Barbari, ad cuius conspectum velut ostento consternati ad deditionem festinauerunt.

Hermocrates Syracusanus, superatis acie Carthaginensibus, veritus, ne captiui, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, parum diligenter custodirentur, quia euentus dimicationis in epulas, & securitatem compellere victores poterat, finxit proxima nocte equitatum hostilem venturum: qua expectatione assecutus est, vt solito attentiùs vigiliæ agerentur.

Idem rebus prosperè gestis, & ob id resolutis suis in nimiam securitatem, somnoque & mero pressis, in castra transfugam misit, qui præmoneret se fuga elapsum: dispositas enim vbique à Syracusanis insidias, quarum metu recepit aciem. Illi cùm aduentarent, persecuti, in fossas deciderunt, & eo modo victi sunt.

CAP. X.

Si res durius cesserit, de aduersis emendandis.

TITVS Didius in Hispania, cùm acerrimo prœlio conflixisset, quod nox diremerat, magno numero vtrinque cæso, complura suorum corpora atra nocte sepelienda curauit. Hispani postero die ad simile officium progressi, quia plures ex ipsorum numero, quàm ex Romanis cæsos repererant, victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones Imperatoris descenderunt.

T. Martius eques Romanus, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præfuit, cùm in propinquo bina castra Pœnorum paucis millibus passuum distarent, cohortatus milites, proxima castra intempesta nocte adortus est: & cùm hostem victoriæ fiducia incompositum aggressus, ne nuntios quidem cladis reliquisset, breuissimo tempore militi ad requiem dato, eadem nocte raptim famam rei gestæ prægressus, altera eorundem castra inuasit. Ita bis simili vsus euentu deletis vbiq. Pœnis, amissas populo Rom. Hispanias restituit.

CAP. XI.

De dubiorum animis in fide retinendis.

P. VALERIVS Epidauri, timens oppidanorum perfidiam, quia parum præsidij habebat, gymnicos ludos procul ab vrbe apparauit. Quò cùm omnis ferè multitudo spectandi caussa exisset, clausit portas, nec in eas antea admisit Epidaurios, quàm obsides à principibus acciperet.

Cn. Pompeius, cùm suspectos haberet Catinenses, & vereretur, ne præsidium non reciperent, petiit ab eis, vt ægros interim apud se refici paterentur: fortissimis deinde,

inde, habitu languentium missis, ciuitatem occupauit continuitque.

Alexander, deuicta perdomitaque Thracia petens Asiam, veritus ne post ipsius discessum sumerent arma, reges eorum, præfectosque, & omnes, quibus videbatur inesse cura detractæ libertatis, secum velut honoris caussa traxit: ignobilibus autem relictis, plebeios præfecit: consecutus vti principes beneficiis eius obstricti, nihil nouare vellent: plebs verò ne posset quidem spoliata principibus.

Antipater conspecto priore Neciorum exercitu (qui audita morte Alexandri ad infestandum imperium eius confluxerant) dissimulans se scire qua mente venissent, gratias his egit, quòd ad auxilium ferendum Alexandro aduersus Lacedæmonios conuenissent: adiecitque id se regi scripturum. Cæterùm ipsos, quia sibi opera eorum in præsentia non esset necessaria, abirent domos, hortatus est: & hac asseueratione periculum, quod ex nouitate rerum imminebat, discussit.

Scipio Aphricanus in Hispania, cùm inter captiuas eximiæ formæ virgo aliàs, & nobilis, ad eum perducta esset, omniumque oculos in se conuerteret, summa custodia habitam, sponso nomine Luceio reddidit: insuperq. aurum, quod parentes eius redempturi captiuam domum Scipionis attulerant, eidem sponso pro nuptiali munere dedit: qua multiplici magnificentia vniuersa gens victa imperio populi Romani accessit.

Alexandrum quoque Macedonem traditum est, eximiæ pulchritudinis virgini captiuæ, cùm finitimæ gentis principi fuisset desponsata, summa abstinentia ita peperciſſe, vt illam ne aspexerit quidem. Qua mox ad sponsum remissa, vniuersæ gentis, per hoc beneficium, animos conciliauit sibi.

Imperator Cæsar Augustus Germanicus, eo bello,

quo victis hostibus cognomen Germanici meruit, cùm in finibus Vbiorum castella poneret, pro fructibus eorum locorum, quæ vallo comprehendebat, pretium solui iussit, atque ea iustitiæ fama omnium fidem astrinxit.

CAP. XII.

Quæ facienda sint pro castris, si satis fiduciæ in præsentibus copiis non habeamus.

TITVS Quintius Cos. cùm Volsci castra eius aggressuri forent, cohortem tantummodò in statione detinuit, reliquum exercitum ad quiescendum dimisit, æneatoribus præcepit, vt vallum insidentes equis circumirent, concinerentque. Qua facie & simulatione cùm & propulsasset, & detinuisset per totam noctem hostes, ad lucis exortum fessos vigilia, repentè facta eruptione, facilè superauit.

Quintus Sertorius in Hispania hostium equitatui maximè impar, qui vsque ad ipsas munitiones nimia fiducia succedebat, nocte scrobes aperuit, & ante eas aciem direxit: cùm demum turmales secundum consuetudinem redire vellent, pronuntiauit comperisse insidias se ab hostibus dispositas: idcirco ne discederent à signis néve laxarent agmen. Quod cùm soluere ex disciplina feciſſet, exceptus fortè veris insidiis, quia prædixerat, interritos milites habuit.

Chares dux Athenienſium, cùm expectaret auxilia, & vereretur, ne interea contemptu præsentis pauciratis hostes castra eius oppugnarent, complures ex iis, quos habebat, per aduersam partem nocte missos, iussit quà præcipuè cõspicui forent hostibus, redire in castra, & accedentium nouarũ virium speciem præbere: atque ita simulatis auxiliis tutatus est, donec instrueretur expectatis.

Iphicrates Athenienſis, cùm campestribus locis castra haberet, exploraſſetque Thraces ex collibus, per quos

vnus

vnus erat descensus, nocte ad diripienda castra venturos, clàm duxit exercitum, & in vtroque viæ latere, per quam transituri erant Thraces, distributum collocauit: hostemq. decurrentem in castra, in quibus multi ignes per paucorú curam instituti, speciem manentis ibi multitudinis seruabant, à lateribus adortus oppressit.

CAP. XIII.

De effugiendo.

GALLI pugnaturi cum Attalo, aurum omne & argentum certis custodibus tradiderunt, quibus si acie fusi essent parceretur, quò faciliùs colligenda præda hostem impeditum effugerent.

Triphon Syriæ rex victus, per totum iter fugiens, pecuniam sparsit: eaque sectantes Antiochi equites moratus, effugit.

Quintus Sertorius pulsus acie à Quinto Metello Pio, ne fugam quidem sibi tutam arbitratus, milites dispersos abire iussit, admonitos in quem locum vellet conuenire.

Viriatus dux Lusitanorum copias nostras, locorumque iniquitatem euasit eadem, qua Sertorius ratione, sparso exercitu, deinde recollecto.

Horatius Cocles vrgente Porsennæ exercitu iussit suos per pontem redire in vrbem, eumque (ne casu sequeretur hostis) intercidere. Quod dum efficitur, in capite eius propugnator ipse insequentes detinuit. Audito deniq. fragore pontis abrupti, deiecit se in alueum: eumque in armis, & vulneribus oneratus tranauit.

Afranius in Hispania ad Ilerdam, cùm Cæsarem fugeret, instante eo castra posuit: cùm idem Cæsar fecisset, & pabulatum suos dimisisset, ille signum repentè itineri dedit.

Antonius, cùm ex Parthis sibi instantibus reciperet exerci-

exercitum,& quoties prima luce moueret, toties vrgentibus Barbarorũ ſagittis infeſtaretur, abeuntium agmen in quintam horam continuit: ſuiſque fidem conſtantiorem fecit: qua perſuaſione digreſſis inde Parthis, iuſtum iter reliquo die ſine interpellatione confecit.

Philippus in Epiro victus, ne fugientẽ eum Romani premerent, inducias ad ſepeliendum eos, qui cæſi erant, impetrauit: & ob id remiſſioribus cuſtodibus euaſit.

Publius Cl. nauali prœlio ſuperatus à Pœnis, cùm per hoſtium præſidia neceſſe haberet erumpere, reliquas viginti naues tanquam victrices iuſſit ornari, atque ita Pœnis exiſtimantibus ſuperiores fuiſſe acie noſtros, terribilis exceſſit.

Pœni claſſe ſuperati, quia inſtantem auertere Romanum ſtudebant, ſimulauerunt, in vada naues ſuas inciſiſſe, hærentesque imitati, effecerunt vt victor eorum timens caſum, ſpatium ad euadendum daret.

Comminius Atrebas, cùm victus à D. Iulio ex Gallia in Britanniam fugeret, & fortè ad Oceanum ſecundo vento quidem, ſed æſtu recedente veniſſet, quamuis naues in ſiccis littoribus hærerent, pandi nihilominus vela iuſſit. Quæ cùm perſequens eum Cæſar ex longinquo tumentia, & flatu plena vidiſſet, ratus proſpero ſibi eripi curſu, receſſit.

SEXTI

SEXTI
IVLII FRONTINI
VIRI CONSVLARIS,
STRATEGEMATΩN
LIBRI TERTII

Præfatio.

SI PRIORES *libri respondérunt titulis suis, & lectorem hucusque cum attentione perduxerunt, edam nunc circa oppugnationes vrbium defensiones q; strategemata: nec morabor vlla prælocutione, prius traditurus, quæ oppugnandis vrbibus vsui sunt, tum quæ obsessos instruere possint: depositis autem operibus & machinamentis, quorum expleta iam pridem inuentione, nullam video vltra artium materiam; has circa expugnationem species strategematũ fecimus.*

CAP. I.
De repentino impetu.

TQVINTIVS Cos. victis acie Equis & Volscis, cùm Antium oppidum expugnare statuisset, ad concionem vocato exercitu, exposuit quàm id necessarium & facile esset, si non differretur: eoque impetu, quem exhortatio concitauerat, aggressus est vrbem.

M. Cato animaduertit, in Hispania potiri se quodam oppido

oppido posse, si inopinantes inuaderet: quatridui itaque iter, biduo per confragosa & deserta emensus, nihil tale metuentes, oppressit hostes: victoribus deinde suis caussam tam facilis euentus requirentibus, dixit: tum illos victoriâ adeptos, cùm quatridui iter biduo arripuerunt.

CAP. II.

De fallendis iis, qui obsidentur.

DOMITIVS Caluinus, cùm obsideret Lucam oppidum Ligurum, situ non tantùm & operibus, verùm etiam propugnatorum præstantia tutum, circuiri muros frequenter omnibus copiis instituit, easdemque reducere in castra. Qua consuetudine inductis ita oppidanis, vt crederent exercitationis id gratia facere Romanum, & ob hoc nil ab eo conatu cauentibus, morem illum obambulandi in subitum direxit impetum: occupatisque mœnibus expressit, vt seipsos dederent & oppidum.

C. Duillius Cos. subinde exercendo milites remigesque, consecutus est, vt securis Carthaginensibus vsque in id tempus innoxiæ consuetudinis, subitò admota classe, murum occuparet.

Hannibal in Italia multas vrbes cepit, cùm Romanorum habitu quosdam suorum ex longo belli vsu Latinè quoque loquentes præmitteret.

Arcades Messeniorum castellum obsidentes, factis quibusdam armis ad similitudinem hostilium, eo tempore quo succedura alia præsidia his explorauerant, instructi eorum, qui expectabantur ornatu, admissique per hunc errorem, vt socij possessionem loci, strage hostium adepti sunt.

Cymon dux Athenienſium, in Caria insidiatus cuidam ciuitati, religiosum incolis templum Dianæ, lucumque qui extra muros erat, noctu improuisus incendit:

dit: effusisq. oppidanis ad opem aduersus ignes ferendam, vacuam defensoribus cepit vrbem.

Alcibiades dux Athenienſium, cùm ciuitatem Agrigentinorum egregiè munitam obſideret, petito ab eis consilio, diu tanquam de rebus ad commune pertinentibus disseruit in theatro, vbi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur; dumque consilij specie tenet multitudinem, Athenienſes, quos ad id præparauerat, incuſtoditam vrbem ceperunt.

Epaminundas Thebanus, in Arcadia die festo effusè extra mœnia vagantibus hostium fœminis, pleroſque ex militibus suis muliebri ornatu immiſcuit: qua ſimulatione illi intra portas ſub noctem recepti, ceperunt oppidum, & ſuis aperuerunt.

Ariſtippus Lacedæmonius, festo die Tegeatarũ, quo omnis multitudo ad celebrandum Mineruæ ſacrum, vrbe egreſſa erat, iumenta ſaccis frumentariis palea refertis onuſta, Tegeam miſit, agentibus ea militibus, qui negotiatorum ſpecie inobſeruati portas aperuerunt ſuis.

Antiochus in Cappadocia ex caſtello Suenda, quod obſidebat, iumenta frumentatum egreſſa intercepit: occiſisque calonibus, eorundem veſtitu milites ſuos, tanquam frumentum reportantes, ſubmiſit. Quo errore illi cuſtodibus deceptis, caſtellum intrauerunt, admiſeruntque milites Antiochi.

Thebani, cùm portum Sycioniorum nulla vi redigere in poteſtatem ſuam poſſent, nauem ingentem armatis compleuerunt, expoſita ſuper merce, vt negotiatorum ſpecie fallerent: ab ea deinde parte murorum, quæ longiſſimè remota erat, apparere paucos diſpoſuerunt, cum quibus è naue quidam egreſſi inermes ſimulata rixa, occurrerunt: Sycioniis ad dirimendum id iurgium aduocatis, Thebanæ naues & portum vacantem & vrbem occupauerunt.

Timarchus

Thymarcus Ætolus occiso Charmade Ptolomæi regis præfecto, chlamyde interemti & galero ad Macedonicum ornatus est habitum: per hũc errorem pro Charmade in Samniorum portum receptus, occupauit.

CAP. III.

De eliciendis ad proditionem.

PAPYRIVS Cursor Cos. apud Tarentum, Miloni, qui tum præsidio Epirotarum vrbem obtinebat, salutem ipsi & popularibus, si per illum oppido potiretur, pollicitus est. Quibus præmiis ille corruptus, persuasit Tarentinis, vt se legatum ad consulem mitterent, à quo plena promissa ex pacto referens, in securitatem oppidanos resoluit, atq. ita incustoditã vrbem Cursori tradidit.

Marcellus, cùm Syracusanum quendam Sosistratum ad proditionem solicitasset, ex eo cognouit remissiores custodias fore die festo, quo Epicides præbiturus esset vini epularumque copiam: insidiatus igitur hilaritati, & quæ eam sequebatur socordiæ, munimenta conscendit, vigilibusq. cæsis, aperuit exercitui Romano vrbem nobilibus victoriis claram.

Tarquinius Superbus, cùm Gabios in deditionem accipere nõ posset, filium suum Sextum Tarquinium cæsum virgis ad hostem misit: is incusata patris sæuitia persuasit Gabinis, vt odio suo aduersus regem vterentur, & dux ad bellum electus tradidit patri Gabios.

Cyrus Persarum rex, suum comitem Zopyrum, explorata eius fide, truncata de industria facie, ad hostes dimisit: ille assentante iniuriarum fide, creditus inimicissimus Cyro, cùm hanc persuasionem adiuuaret, procurrendo propiùs quotiens acie decertaretur, & in eum tela dirigendo, commissam sibi Babyloniorum vrbem tradidit Cyro.

Philippus oppido Samiorum exclusus, Apollonio præfecto

præfecto eorum, ad proditionem corrupto, persuasit, vt plaustrum lapide quadrato oneratũ, in ipso aditu portæ poneret, cõfestim deinde signo dato insequutus oppidanos, circa impedita portæ claustra, oppressit trepidantes.

Hannibal apud Tarentum, quæ à præsidio Romano, duce Liuio tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum, quem ad proditionem solicitauerat, eiusmodi fallacia instruxit, vt ille per caussam venandi noctu procederet, quasi id per hostem interdiu non liceret: egresso ipsi apros subministrabant, quos ille tanquam ex captura Liuio offerret; idque cùm sæpius factum esset, & ideò minus obseruaretur, quadam nocte Hannibal venatorum habitu, Pœnos comitibus eius immiscuit: qui cùm onusti venatione, quam ferebant, recepti essent à custodibus, protinus eos adorti occiderunt. Tunc fracta porta admissus cum exercitu Hannibal omnes Romanos interfecit, exceptis his, qui in arcem profugerant.

Lysimachus rex Macedonum, cùm Ephesios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mandronem Archipiratam, qui plerumque oneratas præda naues Ephesum appellebat, corrupto ei ad proditionem, iunxit fortissimos Macedonum, quos ille restrictis manibus pro captiuis Ephesum introduceret: qui postea raptis ex arce armis vrbem Lysimacho tradiderunt.

CAP. IIII.

Per quæ hostes ad inopiam rediganturꝰ.

FABIVS Maximus vastatis Campanorum agris, nẽ quid eis ad fiduciam obsidionis superesset, recessit sementis tempore, vt frumentum quod reliquum habebant, in sationes conferrent: reuersus deinde renata protriuit, & ad famem redactis potitus est.

Antigonus aduersus Athenienses idem fecit.

Dionysius multis vrbibus captis, cùm Rheginos ag-

gredi vellet, qui copiis abundabant, simulauit pacem, petiitque ab eis, vt commeatus exercitui ipsius submini-strarent: quod cùm impetrasset, exhausto oppidano-rum frumento, aggressus vrbem alimentis destitutam sperauit.

Idem & aduersus Himeræos feciſſe dicitur.

Alexander oppugnaturus Leucadiam commeatibus abundantem, prius castella, quæ in confinio erant, ce-pit: omnesque ex his Leucadiam passus est confugere, vt alimenta inter multos celeriùs absumerentur.

Phalaris Agrigentinus, cùm quædam loca munitione tuta in Sicilia oppugnaret, simulato fœdere frumenta, quæ residua se habere dicebat, apud eos depositi: dein-de data opera, vt tectorum cameræ, in quibus id con-ferebatur, rescissæ pluuiam reciperent, fiducia condi-ti commeatus, proprio tritico abusos initio æstatis aggres-sus inopia compulit ad deditionem.

CAP. V.

Quemadmodum persuadeatur obsidio-nem esse permansuram.

CLEARCHVS Lacedæmonius exploratum habens Thracas omnia victui necessaria in montes com-portasse, vna quoq. ope sustentari, quòd crederent eum commeatus inopia recessurum, per id tempus quo lega-tos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captiuis in conspectu iussit occidi, & membratim, tanquam ali-menti causſa in contubernia distribuit. Thraces nihil non facturum perseuerantiæ causſa eum credentes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri, in deditio-nem venerunt.

Tiberius Gracchus, Lusitanis dicentibus, in decem annos cibaria se habere, & ideò obsidionem non expa-uescerere, Vndecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce

voce præterriri Lusitani, quanquam instructi commeatibus, statim se tradiderunt.

Aul. Torquato Græcam vrbem oppugnanti, cùm diceretur, iuuentutem ibi studiosè iaculis & sagittis exerceri, Pluris eam, inquit, propediem vendam.

CAP. VI.

De destructione præsidiorum hostium.

SCIPIO Hannibale in Africam reuerso, cùm plura oppida, quæ ratio illi in potestatem redigenda dictabat, firmis præsidiis diuersæ partis obtinerentur, subinde aliquam manum submittebat ad infestanda ea, nouissimè etiam, tanquam direpturus ciuitates aderat, deinde simulato metu, refugiebat. Hannibal ratus veram esse eius trepidationem, deductis vndiq. præsidiis, tanquam de summa rerum dimicaturus, insequi cœpit: ita consecutus Scipio, quod petierat, nudatas propugnatoribus vrbes, per Masinissam & Numidas cepit.

P. Cornelius Scipio intellecta difficultate expugnandi Delminium, quia omnium concursu defendebatur, aggredi alia oppida cœpit, & euocatis ad sua defendenda singulis, vacuatum auxiliis Delminium cepit.

Pyrrhus Epirotarum rex, aduersus Illyrios, cùm ciuitatem, quæ caput gentis erat, redigere in potestatem suam vellet, eius desperatione cæteras vrbes petere cœpit: consecutusque est, vt hostes fiducia velut satis munitæ vrbis eius ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto ipse rursus reuocatis omnibus suis, vacuam eam defensoribus cepit.

Cornelius Rufinus Cos. cùm aliquanto tempore Crotonam oppidum frustra obsedisset, quod inexpugnabile faciebat assumpta in præsidia Lucanorum manus, simulauit se cœpto desistere: captiuum deinde magno præmio solicitatum, misit Crotonam, qui (tanquam

ex custodia effugisset) persuasit discessisse Romanos: id verum Crotonenses arbitrati, dimisere auxilia, destitutique propugnatoribus, inopinati, & inualidi capti sunt.

Mago dux Carthaginensium, victo Cn. Pisone, & in quadam turre circumsepto, suspicatus ventura ei subsidia, perfugam misit, qui persuaderet appropinquantibus, captum iam Pisonem: qua ratione deterritis eis, reliqua victoriæ consummauit.

Alcibiades in Sicilia, cùm Syracusanos capere vellet, ex Catanensibus, apud quos tum exercitum continebat, quendam exploratæ solertiæ submisit Syracusanis: is in publicum consilium introductus, persuasit, infestissimos esse Catanenses Athenienſibus, & si adiuuarentur à Syracusanis, futurum vt opprimerent eos, & Alcibiadem: qua re adducti Syracusani vniuersis viribus Catanam petituri processerunt, relicta ipsorum vrbe: quam à tergo adortus Alcibiades desolatã, vt sperauerat, afflixit.

Cleonymus Athenienſis Trœzenios, qui præsidio Craterum tenebant, aggressus, tela quædam (in quibus scriptum erat, venisse se ad liberandum eorum rempublicam) intra muros iecit: & eodem tempore captiuos quosdam conciliatos sibi remisit, qui Craterum detrectarent. Per hoc consilium seditione intestina apud obsessos conciliata, admoto exercitu potitus est ciuitate.

Cap. vii.

De fluminum deriuatione & vitatione aquarum.

Pvblivs Seruilius Isauram oppidum flumine (ex quo hostes aquabantur) auerso, ad deditionem siti compulit.

C. Cæsar in Gallia Caduceorum ciuitatem amne cinctam, & fontibus abundantem, ad inopiam aquæ redegit, cùm fontes cuniculis auertisset, & fluminis vsum per sagittarios arcuisset.

L. Metel-

L. Metellus in Hiſpania citeriore, caſtra hoſtium in humili loco poſita, fluuium ex ſuperiore parte immiſit: & ſubita inundatione turbatos, per diſpoſitos in hoc ipſum inſidiatores cecîdit.

Alexander apud Babylonem, quæ media flumine Euphrate diuidebatur, foſſam pariter & aggerem inſtituit, vt in vſum eius exiſtimarent hoſtes egeri terram, atque ita ſubitò flumine auerſo, per alueum veterem (qui ſiccatus ingreſſum præbebat) vrbem intrauit.

Semiramis, aduerſus eoſdem Babylonios eodem Euphrate auerſo, idem feciſſe dicitur.

Cliſthenes Sycionius ductum aquarum in oppidum Criſeorum ferentem rupit: mox affectus ſiti reſtituit aquam elleboro corruptam, qua vſos profluuio ventris decipiens, cepit.

CAP. VIII.

De iniiciendo obſeſſis pauore.

PHILIPPVS, cùm Trinaſſum caſtellum nuda vi capere poſſet, terram ante ipſos muros aggeſſit, ſimulauitque agi cuniculum: caſtellanique, quia ſubrutos ſe exiſtimarant, dediderunt.

Pelopidas Thebanus Magnetum duo oppida ſimul oppugnaturus, non ita longo ſpatio diſtantia, quo tempore ad alterum eorum exercitum admouebat, præcepit, vt ex compoſito ab aliis caſtris quatuor equites coronati, notabili alacritate velut victoriam annuntiantes, venirent: ad cuius ſimulationem curauit, vt ſilua, quæ in medio erat, incenderetur, præbitura ſpeciem vrbis ardentis: præterea quoſdam captiuorum habitu eodem iuſſit perduci. Qua aſſeueratione perterriti, qui obſidebantur, dum in parte iam ſe ſuperatos exiſtimarent, defecerunt.

Cyrus rex Perſarum, incluſo Sardibus Cræſo, quà

præruptus mons nullum aditum præstabat, ad mœnia malos exæquantes altitudinem ingi subrexit: quibus simulachra hominum armata Persici habitus imposuerat, noctuq. eos monti admouit. Tum prima luce ex altera parte muros aggressus est, vbi orto sole simulachra illa, armatorum referentia habitum, refulserunt, oppidani captam vrbem à tergo credentes, & hoc in fugam dilapsi victoriam hostibus concesserunt.

CAP. IX.

De irruptione ex diuersa parte quàm expectamus.

SCIPIO apud Carthaginem sub discessum æstus maritimi secutus Deum (vt dicebat) ducem, ad muros vrbis accessit: & cedente stagno, quà non expectabatur, irrupit.

Fabius Maximus Cunctatoris filius, apud Arpos præsidio Hannibalis occupatos, considerato situ vrbis, sexcentos milites obscura nocte misit: qui per munitam eoq. minus frequentatam oppidi partem scalis erecti in murum, portas reuellerent: hi adiuti decidentium aquarum sono, qui operis strepitu obscurabat, iussa peragunt: ipse dato signo ab alia parte aggressus, cepit Arpos.

C. Marius, bello Iugurthino apud flumē Mulucham, cùm oppugnaret castellum in monte saxeo situm, quod vna & angusta semita adibatur, cetera parte velut consulto præcipiti, nuntiato sibi per Ligurem quendam ex auxiliis gregalem militem, qui fortè aquatum progressus, dum per saxa montis cochleas legit, ad summum peruenerat, eripi posse castellum, paucos centuriones, quibus perfectissimos cum velocissimis militibus æneatores immiscuerat, misit: capite pedibusque nudis, vt prospectus visusque per saxa facilior foret, scutis gladiisque à tergo aptatis, hi Ligure duce & telis & clauis, quibus in ascensu nitebantur adiuti, cùm ad posteriora &

obid

ob id vacua defensoribus castelli peruenissent, concinere & tumultuari, vt præceptum erat, cœperunt: ad quod constitutum Marius constantiùs adhortatus suos, acriùs instare castellanis cœpit: quos ab imbelli multitudine suorum reuocatos, tanquam capti à tergo essent, insecutus castellum cepit.

Lucius Cornelius Cos. complura Sardiniæ cepit oppida, dum firmissimas partes copiarum noctu exponit, quibus præcipiebat, vt delitescerent, opperirenturq. tempus, quo ipse noctu appelleret: occurrentibus deinde aduentanti hostibus, & ab ipso per simulationem fugæ longius ad persequendum auocatis, illi in relictas ab eis vrbes impetum facerent.

Pericles Athenienſium dux, cùm oppugnaret quandam ciuitatem magno consensu defendentium tutam, nocte ab ea parte murorum, quæ mari adiacebat, classicum cani, clamoremque attolli iussit: hostes penetrari illac in oppidum rati, reliquerunt portas, per quas Pericles destitutas præsidio irrupit.

Alcibiades dux Athenienſium, Cyzicum oppugnandi eius causſa nocte improuisus accessit: & diuersa parte mœnium cornicines canere iussit: sufficere propugnationi murorum poterant ad id latus, à quo solo se tentari putabant, cùm confluerent, quà non obsistebatur, muros transcendit.

Thrasybulus dux Milesiorũ, vt portum Scyconiorum occuparet, à terra subinde oppidanos tentauit: & illò quò lacessebantur conuersis hostibus, classe inexpectata portum cepit.

Philippus in obsidione cuiusdam maritimæ vrbis, binas naues procul à conspectu contabulauit, superstruxitque eis turres: aliis deinde turribus adortus à terra, domibus propugnatores distrinxit, turritas naues à mari applicuit, & quà non resistebatur, subiit muros.

Pericles Peloponeſorum caſtellum oppugnaturus, in quod duo omnino erant acceſſus, alterum foſſa interclusit, alterum munire inſtituit: caſtellani ſecuriores ab altera parte facti, eam ſolam, quam muniri videbant, cuſtodire cœperunt. Pericles, præparatis pontibus, iniectisq. ſuper foſſam, quà nõ cauebatur, ſubiit caſtellum.

Antiochus aduerſus Epheſios, Rhodiis quos in auxilio habebat præcepit, vt nocte portum cum magno ſtrepitu inuaderent: ad quam partem omni multitudine cum tumultu decurrente, nudatis defenſore reliquis munitionibus ipſe aggreſſus, ex aduerſo ciuitatem cepit.

CAP. X.

De inſidiis, per quas eliciantur obſeſſi.

CATO in conſpectu Lacetanorum, quos obſidebat, reliquis ſuorum ſubmotis, Sueſſanos quoſdam ex auxiliaribus, maximè imbelles, aggredi mœnia iuſſit: hos cùm facta irruptione Lacetani facilè auertiſſent, & fugientes auidè inſecuti eſſent, illis quas occultauerat cohortibus, oppidum cepit.

Lucius Scipio in Sardinia, cuiuſdam ciuitatis per tumultum relicta oppugnatione quã inſtruxerat, ſpeciem fugientis præſtitit: inſecutisq. temerè oppidanis, per eos, quos in proximo occultauerat, oppidum inuaſit.

Hannibal, cùm obſideret ciuitatem Hymeram, caſtra ſua capi de induſtria paſſus eſt, iuſſis recedere Pœnis, tanquam prælio cederet hoſtis. Quo euentu Hymeræis ita deceptis, vt gaudio impulſi relicta vrbe procurrerent ad Punicum vallum, Hannibal vacuam vrbem, per eos, quos in inſidiis ad hanc ipſam occaſionem poſuerat, cepit. Idem, vt Saguntinos eliceret, rara acie ad muros accedens, ad primam eruptionem oppidanorum ſimulata fuga ceſſit, interpoſitoque exercitu ab oppido intercluſos hoſtes à ſuis, in medio trucidauit.

Himilco

Himilco Carthaginensis, apud Agrigentum, iuxta oppidum partem copiarum in insidiis posuit: præcepitque his, vt cùm processissent oppidani, ligna humida incenderent, deinde cum reliqua parte exercitus luce ad eliciendos hostes progressus, simulata fuga persequentes oppidanos longiùs cedendo protraxit: insidiatores prope mœnia imperatum ignem aceruis subiecerunt, vnde obortum contemplati fumum Agrigentini, incensam ciuitatem suam existimauerunt: defendendæque eius gratia, dum trepidè recurrunt, obuiis eis qui insidiati iuxta muros erant, & à tergo instantibus, quos persecuti fuerant, in medio trucidati sunt.

Viriatus dispositio per occulta milite, paucos misit, qui abigerent pecora Segobrigensiũ, ad quæ illi vindicanda, cùm frequentes procurrissent, simulantesq. fugam prædatores persequerentur, deducti in insidias, cæsiq. sunt.

Scordisci equites, cum Heracleæ duarum partium præsidio præpositus esset Lucullus, pecora abigere simulantes, prouocarunt eruptionem: fugam deinde mentiti, sequentem Lucullum in insidias deduxerunt, & octingentos cum eo milites occiderunt.

Chares dux Athenienſium, ciuitatem aggressurus littori appositam, post quædam promontoria occultè habita classe, è nauibus velocissimam præter hostilia præsidia ire iussit: qua visa, cùm omnia nauigia, quæ pro custodia portus agebantur, ad persequendam euolassent, Chares in indefensum portum cum reliqua classe inuectus, etiam ciuitatem occupauit.

Barca dux Pœnorum, in Sicilia Lilybæum nostris terra marique obsidentibus, partem classis suæ procul armatam iussit ostendi: ad eius conspectum cùm euolassent nostri, ipse reliquis, quas in occulto tenuerat, nauibus, Lilybæi portum occupauit.

CAP. XI.

De simulatione regressus.

PHORMION dux Athenienſium, cùm depopulatus eſſet agros Chalcidenſium, legatis eorum de ea re querentibus benignè reſpondit: & nocte qua dimiſſurus illos erat, finxit literas ſibi ſuperueniſſe ciuium ſuorum, propter quas redeundum haberet, ac paulum regreſſus dimiſit legatos. his omnia tuta & abiſſe Phormionem renuntiantibus, Chalcidenſes ſpe & oblatæ humanitatis, & abducti exercitus, remiſſa vrbis cuſtodia, cùm confeſtim Phormion reuertiſſet, prohibere inexpectatam vim non potuerunt.

Ageſilaus dux Lacedæmoniorũ, cùm Phocenſes obſideret, & intellexiſſet eos, qui tunc præſidio illis erãt, iam grauari belli incommodo, paululum regreſſus tanquam ad alios actus, liberã occaſionẽ recedendi his dedit: non multò pòſt milite reducto, deſtitutos Phocẽſes ſuperauit.

Alcibiades aduerſus Byzantios, qui ſe mœnibus continebant, inſidias diſpoſuit, & ſimulato regreſſu, incautos eos oppreſſit.

Viriatus, cùm tridui iter diſcedens confeciſſet, idem illud vno die remenſus, ſecuros Segobrigenſes & ſacrificio tum cùm maximè occupatos oppreſſit.

Epaminũdas apud Mantinæam, cũ Lacedæmonios in ſubſidiũ hoſti veniſſe animaduerteret, ratus poſſe Lacedæmonẽ occupari, ſi clàm illò profectus eſſet, nocte crebros ignes fieri iuſſit, vt ſpecie remanẽdi occultaret profectionẽ: ſed à transfuga proditus, aſſecuto exercitu Lacedæmoniorum, itinere quidem, quo Spartam petebat, deſtitit: idem tamẽ conſiliũ conuertit ad Mantinienſes, æquè enim ignibus factis Lacedæmonios, quaſi maneret fruſtratus, per quadraginta millia paſſuũ Mantinæam reuertitur, eamque auxilio deſtitutam occupauit.

CAP.

CAP. XII.

Ex contrario circa tutelam obsessorum, de exercitanda cura suorum.

ALCIBIADES Athenienſis, ciuitate ſua à Lacedæmoniis obſeſſa, veritus negligentiam vigilum, denuntiauit his, qui in ſtationibus erant, vt obſeruarent lumen, quod nocte oſtenſurus eſſet ex arce, & ad conſpectum eius ipſi quoque lumina attollerent. In quo munere qui ceſſaſſet, pœnam paſſurum: dum ſolicitè expectatur ſignum ducis, peruigilatum ab omnibus, & ſuſpectæ noctis periculum euitatum eſt.

Iphicrates dux Athenienſium, cùm præſidio Corinthum teneret, & ſub aduentum hoſtium ipſe vigilias circumiret, vigilem quem dormientem viderat, transfixit cuſpide: quod factum quibuſdam, tanquam ſæuum increpantibus, Qualem inueni, inquit, talem reliqui.

Epaminundas Thebanus idem feciſſe dicitur.

CAP. XIII.

De emittendo & recipiendo nuntio.

ROMANI obſeſſi in Capitolio ad Camillum ab exilio implorandum miſerunt Pontium Cominum, qui vt ſtationes Gallorum falleret, per ſaxa Tarpeia dimiſſus, tranſnato Tyberi Veios peruenit, & perpetrata legatione ſimiliter ad ſuos rediit.

Campani diligenter Romanis, à quibus obſeſſi erant, cuſtodias agentibus, quendam pro transfuga ſubornatum miſerunt, qui occultatam balteo epiſtolam inuenta effugiendi occaſione ad Pœnos pertulit.

Venatione quoque & pecoribus quidam inſuerunt literas, membranis mandatas.

Aliqui & iumentum in aduerſam partem inſulſerunt, dum ſtationes tranſeunt. Nonnulli interiora vaginarum inſcripſerunt.

L. Lu-

L. Lucullus Cyzicenos obsessos à Mithridate, vt certiores aduentus sui faceret, cùm præsidiis hostium teneretur introitus vrbis, qui vnus & angustus ponte modico insulam continenti iungit, militem è suis sciolum nandi, & nauticæ artis peritum, iussit insidentem duobus inflatis vtribus, literas insutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem millium passuum traiectum. Quod ita peritè gregalis fecit, vt cruribus velut gubernaculis dimissis cursum dirigeret, & procul visentes, qui in statione erant, marinæ specie beluæ deciperet.

Hircius Cos. ad Decimum Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obsidebatur, literas subinde misit plumbo scriptas, quibus ad brachium religatis, milites Scultellam amnem transnabant.

Idem columbis (quas inclusas antè tenebris & fame affecerat) epistolas seta ad collum religabat, easque à propinquo inquantum poterat mœnibus loco emittebat: illæ lucis cibique auidæ, altissima ædificiorum petentes excipiebantur à Bruto, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat: vtique postquam dispositio quibusdam locis cibo columbas illuc deuolare instituerat.

CAP. XIIII.

De introducendis auxiliis & commeatibus suggerendis.

BELLO ciuili, cùm Ategua vrbs in Hispania Pompeianarum partium obsideretur, Maurus interrex, tanquã Cæsarianus Tribuni cornicularius vigiles quosdam excitauit, è quibus aliquos euitans, cõstantia fallaciæ suæ per medias Cæsaris copias præsidiũ Pompeij traduxit.

Hannibale obsidente Casilinam, Romani farinam doliis secunda aqua Vulturni fluminis demittebant, vt ab obsessis exciperetur, quibus cùm obiecta per medium

amnem

amnem cathena Hannibal obstitisset, nuces sparsere; quæ cùm aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu sociorum necessitatem sustentauerunt.

Hircius Mutinensibus obsessis ab Antonio, salem, quo maximè indigebant, cuppis conditum, per amnem Saniturnum intromisit.

Idem pecora secunda aqua dimisit, quæ excepta sustentauerunt necessariorum inopiam.

CAP. XV.

Quemadmodum efficiatur, vt abundare videantur quæ deerunt.

ROMANI, cùm à Gallis Capitolium obsideretur, in extrema iam fame panem in hostē iactauerunt: consecutique, vt abundare commeatibus viderentur, obsidionem, donec Camillus subueniret, tolerauerunt.

Athenienses, aduersus Lacedæmonios idem fecisse dicuntur.

Hi qui ab Hannibale Casilini obsidebantur, ad extremam famem peruenisse crediti, cùm etiam herbas alimentis eorum Hannibal sæpe arato loco, qui erat inter castra ipsius & mœnia, præriperet, semina in præparatum locum iecerunt: consecuti, vt habere viderentur, quo victum sustentarent vsque ad satorum prouentum.

Reliqui ex Variana clade, cùm obsiderentur, quia defici frumento videbantur, horrea tota nocte circumduxerunt: captiuos deinde præcisis manibus dimiserunt: hi circumsidentibus suis persuaserunt, ne spem maturæ expugnationis reponerent in fame Romanorum, quibus alimentorum ingens copia superesset.

Thraces in arduo monte obsessi, in quem hostibus accessus non erat, collato viritim exiguo tritico, aut caseo pauerunt pecora, & in hostium præsidia dimiserunt: quibus exceptis occisisque, cùm frumenti vestigia in viscerі-

viſceribus eorum apparuiſſent, opinatus hoſtis magnam vim tritici ſupereſſe eis, qui inde etiam pecora paſcerent, receſſit ab obſidione.

Thraſybulus dux Mileſiorum, cùm longa obſidione milites ſui angerentur ab Aliatte, qui ſperabat eos ad deditionem fame poſſe compelli, ſub aduentum legatorum Aliattis frumentum omne in forũ compellere iuſſit: & conuiuiis ſub id tempus inſtructis per totam vrbem epulas præſtitit: atque ita perſuaſit hoſti ſupereſſe ipſis copias, quibus diuturnam ſuſtinerent obſidionem.

CAP. XVI.

Qua ratione proditoribus & tranſfugis occurratur.

CL. Marcellus cognito conſilio Battei Nolani, qui corrumpere ad defectionem populares ſtudebat, & Hannibali gratificabatur, quòd illius beneficio curatus inter Cannenſes ſaucius, & ex captiuitate remiſſus ad ſuos erat, quia interficere eum (ne ſupplicio eius reliquos concitaret Nolanos) non audebat, accerſitum ad ſe allocutus eſt, dicens; fortiſſimum eum militem eſſe, quod antea ignoraſſet: hortatusque eſt, vt ſecum moraretur: & ſuper verborum honorem, equo quòque donauit. Qua benignitate non illius tantùm fidẽ, ſed etiam popularium, qui ex illo pendebant, ſibi obligauit.

Hamilcar dux Pœnorum, cùm frequenter auxiliares Galli ad Romanos tranſirent, etiam ex conſuetudine, vt ſocij exciperentur, ſibi fideliſſimos ſubornauit, ad ſimulandam tranſitionem, qui Romanos excipiendorum cauſſa eorum progreſſos ceciderunt. Quæ ſolertia Hamilcari non tantùm ad præſentem profuit ſucceſſum, ſed in poſterum præſtitit, vt Romanis veri quoque tranſfugæ forent ſuſpecti.

Hanno Carthaginenſium Imperator in Sicilia, cùm

comperisset Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia cõspirasse ad transfugiendum ad Romanos, quòd aliquot mensium mercedes non receperant, animaduertere autem in eos non auderet, metu seditionis, promisit prolationis iniuriam liberalitate pensaturum: quo nomine gratias agentibus Gallis, per tempus idoneum datis pollicitis, fidelissimum dispensatorem ad Otacilium Cos. misit: qui tanquam rationibus interuersis transfugisset, nuntiauit, nocte proxima Gallorum quatuor millia, quæ prædatum forent missa, posse excipi. Otacilius nec statim credidit transfugæ, nec tamen rem spernendam ratus, disposuit in insidiis lectissimam manum suorum: ab ea Galli excepti, dupliciter Hannonis consilio satisfecerunt, & Romanos ceciderunt, & ipsi omnes interfecti sunt.

Hannibal simili cõsilio se à transfugis vltus est. Nam cùm aliquos ex militibus suis sciret transfugisse proxima nocte, nec ignoraret exploratores hostium in castris suis esse, palàm pronuntiauit, non debere transfugas vocari solertissimos milites, qui ipsius iussu exierint ad excipienda hostium consilia: auditis quæ pronuntiauit, retulerunt exploratores ad suos. Tum comprehensi à Romanis transfugæ, & amputatis manibus remissi sunt.

Diodorus, cùm præsidio Amphipolim tueretur, & duo millia Thracum suspecta haberet, quæ videbantur vrbem direptura, mentitus est paucas hostiũ naues proximo litori applicuisse, easq. diripi posse. Qua spe simulatos Thracas emisit, ac deinde clausis portis nõ recepit.

CAP. XVII.

De eruptionibus.

ROMANI, qui in præsidio Panormitanorum erant, veniente ad obsidionem Hasdrubale, raros ex industria in muris posuerunt defensores: quorum paucitate

tate contemta, cùm incautus muris succederet Hasdrubal, eruptione facta, ceciderunt eum.

Æmilius Paulus, vniuersis Liguribus improuisò adortis castra eius, simulato timore militem diu continuit; deinde fatigato iam hoste, à quatuor portis eruptione facta, strauit cepitque Ligures.

Velius præfectus Romanorum, arcem Tarentinorum tenens, misit ad Hasdrubalem legatos, vti abire sibi incolumi liceret: ea simulatione ad securitatem perductum hostem, eruptione facta cecîdit.

Cn. Pompeius circumsessos ad Dyrrhachiũ, non tantùm obsidione liberauit suos, verùm etiam post eruptionem, quam opportuno & loco & tempore fecerat, Cæsarem ad castellum, quod duplici munitione instructum erat, auidè irrumpentem, exterior ipse circumfusus corona obligauit, vt ille inter eos, quos obsidebat, & eos qui extrà circumuenerant, medius, non leue periculum & detrimentum senserit.

Flauius Fimbria in Asia apud Hildinacum aduersum filium Mithridatis brachiis à latere ductis, deinde fossa in fronte percussa, quietum in vallo militem tenuit, donec hostilis equitatus intraret angustias munimentorum, tunc eruptione facta sex millia eorum cecîdit.

C. Cæsar in Gallia deletis ab Ambiorige Titurij Sabini & Cottæ legatorum copiis, cùm à Q. Cicerone, qui & ipse oppugnabatur, certior factus, cum duabus legionibus aduentaret, conuersis hostibus metum simulauit, militesque in castris, quæ ampliora solito industria fecerat, tenuit: Galli præsumta iam victoria, velut ad prædam castrorum tendentes, fossas implere, & vallum detrahere cœperunt: qua re prœlio aptatos, Cæsar emisso repentè vndique milite trucidauit.

Titurius Sabinus, aduersus Gallorum amplum exercitum continendo militem iuxta munimenta præstitit eis

eis suspicionem metuentis: cuius augendæ causa perfugam misit, qui affirmaret exercitum Romanum in desperatione esse, ac fugam cogitare: Barbari oblata victoriæ spe concitati, lignis sarmentisque se onerauerunt, quibus fossas complerent: ingentique cursu castra nostra in colle posita petiuerunt, vnde in eos Titurius vniuersas immisit copias, multisque Gallorum cæsis plurimos in deditionem accepit.

Asculani oppugnaturo oppidum Pompeio, cùm paucos senes ægros in muris ostendissent, ob id securos Romanos eruptione facta fugauerunt.

Numantini obsessi, ne pro vallo quidem instruxerunt aciem, adeoque se continuerunt, vt Popilio Lænati fiducia fieret, scalis oppidum aggrediendi. Quo deinde suspicante insidias (quia ne tunc quidem obsistebatur) ac suos reuocante, eruptione facta auersos, & descendentes adorti sunt.

CAP. XVIII.

De constantia obsessorum.

ROMANI assidente mœnibus Hannibale ostentandæ fiduciæ gratia, supplementum exercitibus, quos in Hispania habebant, diuersa porta miserunt.

Idem agrum, in quo castra Hannibal habebat, defuncto fortè domino, venalem ad id pretium licendo perduxerunt, quò is ager ante bellum venierat.

Hi dum ab Hannibale obsiderentur, & ipsi obsiderent Capuam, decreuerunt, ne nisi capta ea, reuocaretur inde exercitus.

SEXTI IVLII FRONTINI VIRI CONSVLARIS, STRATEGEMATΩN LIBRI QVARTI

Præfatio.

MVLTA *lectione conquisitis Strategematibus, & non exiguo scrupulo digestis, vt promissum trium librorum implerem, si modò impleui; in hoc exhibebo ea, quæ parum aptè descriptioni priorum ad speciem alligata subiici videbantur, & erant exempla potius strategicῶn quàm strategemata. Quæ idcirco separaui, quia quamuis clara, diuersæ tamen erant substantiæ: ne si qui fortè in aliqua ex his incidissent, similitudine indoctè prætermissa opinarentur: & sanè velut residua expedienda sunt, in quo sicut antea, & ipse ordinem per species seruare conabor.*

CAP. I.

De disciplina.

PVBLIVS Scipio ad Numantiam, corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit, dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus quotidiana exercitatione militibus; quibus cùm frequens iniungeret iter, portare complurium dierum cibaria imperauit, ita vt frigora & imbres pati, vada fluminum

fluminum pedibus traiicere assuesceret miles: exprobrante subinde Imperatore timiditatem & ignauiam, frangente delicatioris vsus ac parum necessaria expeditioni vasa. Quod maximè nobiliter accidit C. Meuio tribuno, cui dixisse traditur Scipio, Mihi pauliſper, tibi & Reipublicæ semper nequam eris.

Q. Metellus bello Iugurthino, similiter lapsam militum disciplinam pari seueritate restituit, cùm insuper prohibuisset alia carne quàm assa elixáve milites vti.

Pyrrhus delectori suo fertur dixisse, Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.

Lucio Flacco & C. Varrone Coss. milites primo iureiurando facti sunt, antè enim sacramento tantummodò à tribunis rogabantur: ceterùm ipsi inter se coniurabant se fugæ atque formidinis causa non abituros: neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi feriendíve hostis aut ciuis seruandi causa.

Scipio Aphricanus, cùm ornatum scutum elegantius cuiusdam vidisset, dixit non se mirari, quòd tanta cura ornasset, in quo plus præsidij, quàm in gladio haberet.

Philippus, cùm primum exercitum constitueret, vehiculorum vsum omnibus interdixit, equitibus non amplius quàm singulos calones habere permisit: peditibus autem denis singulos, qui molas & funes ferrent in æstiua excuntibus, triginta dierum farinam collo portare imperauit.

Caius Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maximè exercitus agmen oneratur, vasa & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus & habile onus & facilis requies esset: vnde & in prouerbium tractum est, Muli Mariani.

Theagenes Athenienſis, cùm exercitum Megaram duceret, petentibus ordines respondit, ibi se daturum, dein clàm equites præmisit, eosque hostium specie im-

petum in ſocios retorquere iuſſit: quo facto quos tum habebat, tanquam ad hoſtium occurſum præpararentur, permiſit ita ordinare aciem, vt quo quis voluiſſet loco conſiſteret, & cùm inertiſſimus quiſque retrò ſe dediſſet, ſtrenui autem in fronte profiluiſſent, vt quemque inuenerat ſtantem, ita ad ordines militiæ prouexit.

Lyſander Lacedæmonius, egreſſum via quendam caſtigabat: cui dicenti ad nullius rei rapinam ſe ab agmine receſſiſſe, reſpondit, ne ſpeciem quidem rapturi præbeas volo.

Antigonus, cùm ſuum filium diuertiſſe audiſſet in eius domum, cui tres filiæ inſignes ſpecie eſſent, Audio, inquit, fili, anguſtè habitare te, pluribus dominis domum poſſidentibus, hoſpitium laxius accipe: iuſſóque commigrare edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus, hoſpitio matrisfamilias vteretur.

Q. Metellus Coſ. quamuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.

Publius Rutilius Coſ. cùm ſecundum leges in contubernio ſuo filium poſſet habere, in legione militē fecit.

T. Scaurus filium, quòd in ſaltu Tridentino loco hoſtibus ceſſerat, in conſpectum ſuum venire vetuit: adoleſcens verecundia ignominiæ preſſus, mortem ſibi conſciuit.

Caſtra antiquitus Romani, ceteræque gentes paſſim per corpora cohortium velut mapalia conſtituere ſoliti erant, cùm ſolos vrbium muros noſſet antiquitas.

Pyrrhus Epirotarum rex, primus totum exercitum ſub eodem vallo continere inſtituit. Romani deinde victo eo in campis Aruſinis, circa vrbem Statuentum caſtris eius potiti, & ordinatione notata paulatim ad hanc vſque metationem quæ nunc effecta eſt, peruenerunt.

P. Naſica in hybernis, quamuis claſſis vſus non eſſet neceſſa-

necessarius, ne tamen desidia miles corrumperetur, aut per otij licentiam sociis iniuriam inferret, naues ædificare instituit.

M. Cato memoriæ tradidit, in furto cõprehensis inter cõmilitones dextras esse præcisas: aut si lentius animaduertere voluissent in ptincipes, sanguinem missum.

Clearchus dux Lacedæmoniorum exercitui dicebat, Imperatorem potius quàm hostem metui debere, significans eos, qui in prælio dubiam mortem timuissent, certum, si deseruissent, manere supplicium.

Appij Claudij sententia, senatus eos, qui à Pyrrho rege Epirotarum capti, & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad leuem armaturam, omnibus extra vallum iussis tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent.

Otacilius Crassus Cos. eos, qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra vallum iussit, vt immuniti assuescerent periculis, & aduersus hostem audentiores fierent.

P. Cornelio Nasica, Decimo Iunio Cos. qui exercitum deseruerant damnati, virgis cæsi publicè venierunt.

Domitius Corbulo in Armenia, duas alas & tres cohortes, quæ ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum iussit tendere, donec assiduo labore & prosperis excursionibus redimerent ignominiam.

Aurelius Cotta Cos. cùm ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium, questus apud censores, effecit, vt notarentur. A patribus deinde obtinuit, ne eis præterita æra procederent.

Tribuni quoq. plebis de eadem re ad populum pertulerunt, omniumque consensu stabilita disciplina est.

Q. Metellus Macedonicus, in Hispania quinque cohortes, quæ hostibus cesserant, testamentum facere iussas,

sas, ad locum recuperandum remisit: minatus non nisi post victoriam receptum iri.

P. Valerio consuli senatus præcepit exercitum ad Sirim victum ducere Serinum, ibique castra munire, & hiemem sub tentoriis exigere.

Senatus, cùm turpiter fugati eius milites essent, decreuit, ne auxilia ei submitterentur, nisi captis eius legionibus, quæ Punico bello militiam detrectauerant. at in Siciliam velut relegatis per septem annos ordeum ex senatusconsulto datum est.

L. Piso Titium præfectum cohortis, quòd loco fugitiuis cesserat, cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus in principiis quotidie stare, dum vigiles venirent, iussit, conuiuiisque & balneo abstinere.

Sylla cohortem & centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos & discinctos perstare in principiis iussit.

Domitius Corbulo in Armenia, Æmilio Rufo præfecto equitum, quia hostibus cesserat, & parum instructam armis alam habebat, vestimenta per lictorem scidit: eidemque, vt erat fœdato habitu, perstare in principiis, donec mitterentur, imperauit.

Attilius Regulus, cùm ex Samnio in Lucernam transgrederetur, exercitusque eius obuiis hostibus auersus esset, opposita cohorte, iussit fugientes pro defectoribus cædi.

Cotta Cos. in Sicilia, in Valerium Nobilem tribunum militum ex gente Valeria virgis animaduertit.

Idem P. Aurelium sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Liparatum ipse ad auspicia repetenda Messanam transiturus præfecerat, cùm agger incensus, & capta castra essent, virgis cæsum in numerum gregalium peditum referri, & muneribus fungi iussit.

Fuluius Flaccus Censor Fuluium fratrem suum, quia legio-

legionem, in qua tribunus militum erat, iniussu consulis dimiserat, à senatu mouit.

M. Cato ab hostili littore, in quo per aliquot dies manserat, cùm tradito profectionis signo classem soluisset, & relictus è militibus quidā alta voce & gestu expostularet, vti tolleretur, circūacta ad littus vniuersa classe comprehensum supplicio affici iussit; & quē occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius impendit.

Appius Claudius ex his, qui loco cesserant, decimum quemque militem, sorte ductum, fuste percussit.

Fabius Rullus Cos. ex duabus legionibus, quæ loco cesserant, sorte ductos in conspectu militum securi percussit.

Aquirius ternos ex centuriis, quorum statio ab hoste perrupta erat, securi percussit.

M. Antonius, cùm agger ab hostibus incensus esset, ex his qui in opere fuerant, duarum cohortium militem decimauit, & in singulos ex his centuriones animaduertit, legatum cum ignominia dimisit, reliquis ex legione ordeum dari iussit.

In legionem, quæ Regium oppidum iniussu ducis diruerat, animaduersum est, ita vt quatuor millia tradita custodiæ necarentur. Præterea senatusconsulto cautum est, ne quem ex iis sepelire vel lugere fas esset.

L. Papyrius Cursor dictator Fabium Rutilium, magistrum equitum, quòd aduersus edictum eius, quamuis prosperè pugnauerat, virgis poposcit cæsum, securi percussurus: nec contentioni aut precibus militum concessit animaduersionem, eumque profugientem Romam persecutus est: nec ibi quidem remisso prius supplicij metu, quàm ad genua eius, & Fabius cum patre prouolueretur, ac pariter senatus ac populus rogarent.

Manlius, cui Imperioso postea cognomē fuit, filium, quòd is contra edictum patris cum hoste pugnauerat,

quamuis victorem, in conspectu exercitus virgis cæsum securi percussit.

Manlius filius, exercitu pro se aduersus patrem seditionem parante, negauit tanti esse quenquam, vt propter illum disciplina corrumperetur, & obtinuit, vt ipsum puniri paterentur.

Q. Fabius Maximus transfugarum dexteras præcidit.

M. Curio Cos. bello Dardanico, circa Dirrhachium, cùm ex quinque legionibus vna, seditione facta, militiam detrectasset, secuturamque se temeritatem ducis in expeditionem asperam & insidiosam negasset, quatuor legiones eduxit armatas, & consistere omnibus, detectis armis velut in acie, iussit: post hæc seditiosam legionem inermem procedere, discinctamque in conspectu armati exercitus, stramenta coëgit secare: postero autem die similiter fossam discinctos milites facere, nullisque precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne signa eius submitteret, nomenque aboleret, milites autem in supplementum ceterarum legionum distribueret.

Q. Fuluio, Appio Claudio Cos. milites ex pugna Cannensi in Siciliam à Senatu relegati postulauerunt à Cos. M. Marcello, vt in prœlium ducerentur, ille Senatum consuluit: senatus negauit sibi placere cõmitti his Rempublicam, quam deseruissent: Marcello tamen permisit facere quod videretur, dum ne quis eorum munere vacaret, néve donaretur, néve quod præmium ferret, aut in Italiam reportaretur, dum Pœni in ea fuissent.

M. Salinator consularis damnatus est à populo, quòd prædam non æqualiter diuiserat militibus.

Cùm ab Liguribus in prœlio Q. Petilius Cos. interfectus esset, decreuit senatus, vti ea legio, in cuius acie Cos. erat occisus, tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æraque rescinderentur.

CAP.

CAP. II.

De effectu disciplinæ.

BRVTI & Cassij exercitus, memoriæ proditum est, bello ciuili cùm vnà per Macedoniam iter facerent, priorque Brutus ad fluuium, in quo pontem iungi oportebat, peruenisset, Cassij tamen exercitum & in efficiendo ponte, & in transitu maturando præcessisse: qui vigor disciplinæ effecit, ne non solùm in operibus, verùm etiam in summa belli præstarent Cassiani Brutianis.

C. Marius, cùm facultatem eligendi exercitus haberet, ex duobus, qui sub Rutilio, & qui sub Metello, ac postea sub seipso meruerant, Rutilianum quendam minorem, qui certioris disciplinæ arbitrabatur, præoptauit.

Domitius Corbulo, duabus legionibus & pauciſſimis auxiliis disciplina correcta Parthos sustinuit.

Alexander Macedo quadraginta millibus hominum, iam inde à Philippo patre disciplinæ assuefactis, orbem terrarum aggressus, innumeras hostium copias vicit.

Cyrus bello aduersus Persas, quatuordecim millibus armatorum immensas difficultates superauit.

Epaminundas dux Thebanorum, quatuor millibus hominum, ex quibus quadringenti tantùm equites erāt, Lacedæmoniorum exercitum vigintiquatuor millium peditum, equitum mille sexcentorum vicit.

A quatuordecim millibus Græcorum, qui numerus in auxiliis Cyri aduersus Artaxerxem fuit, centum millia Barbarorum, prœlio superata sunt.

Eadem Græcorum 14. millia, prœlio amissis ducibus, reditus sui cura vni ex corpore suo Xenophonti Athenienſi demandata, per iniqua & incognita loca, incolumia reuersa sunt.

Xerxes à trecentis Lacedæmoniorum ad Thermopylas vexatus, cùm vix eos confeciſſet, hoc se deceptum

aiebat, quòd multos quidem homines haberet, viros autem disciplinæ tenaces nullos.

CAP. III.
De continentia.

MARCVM Catonem vino eodem, quo remiges, contentum esse traditur.

Fabricius, cùm Cyneas legatus Epirotarum grande pondus auri dono ei daret, non accepto eo, dixit, Malle se habentibus id imperare, quàm habere.

Attilius Regulus, cùm summis rebus præfuisset, adeò pauper fuit, vt se, coniugem, liberosque toleraret agello, qui colebatur per vnum villicum, cuius audita morte, scripsit senatui de successore, destitutis rebus obitu serui necessariam esse præsentiam suam.

Cn. Scipio, post res prosperè gestas in Hispania, in summa paupertate decessit, nec ea quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem filiarum, quas ob inopiam publicè dotauit senatus.

Idem præstiterunt Athenienses filiis Aristidis, post amplissimarum rerum administrationem, in maxima paupertate defuncti.

Epaminundas dux Thebanorum tantæ abstinentiæ fuit, vt in supellectili eius, præter ahenum & veru vnicum nihil inueniretur.

Hannibal surgere de nocte solitus, ante noctem non requiescebat, crepusculo demum ad cœnam vacabat: neque amplius, quàm duobus lectis discumbebatur apud eum.

Idem, cùm sub Hasdrubale Imperatore militare plerumque super nudam humum sagulo tectus, somnos capiebat.

Æmilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane vesci solitum.

Idem

Idem & de Alexandro Macedone dicitur.

Masinissam, nonagesimum ætatis annum agentem, meridie ante tabernaculum stantem, vel ambulantem capere solitum cibos legimus.

C. Curius, cùm victis ab eo Sabinis, ex Senatusconsulto ampliaretur ei modus agri, quem consummati milites accipiebant, gregaliũ portione contentus fuit: malum ciuem dicens, cui non esset id, quod ceteris satis.

Vniuersi quoque exercitus notabilis sæpè fuit continentia, sicuti eius, qui sub M. Scauro meruit: namque memoriæ tradidit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeũnte exercitu intactis fructibus relictam.

Auspiciis Imperatoris Cæsaris Domitiani Augusti, Germanico bello, quod Iulius Ciuilis in Gallia mouerat, Lingonum opulentissima ciuitas, quæ ad Ciuilem desciuerat, cùm adueniente exercitu Cæsaris populationem timeret, quod contra expectationem inuiolata, nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta millia armatorum tradidit ei.

L. Mummius, qui Corintho capta non Italiam solùm, sed etiam prouinciam tabulis statuisque exornauit, adeò nihil ex tantis manubiis in suum conuertit, vt filiam eius inopem senatus ex publico dotauerit.

CAP. IIII.

De iustitia.

CAMILLO Phaliscos obsidenti, ludimagister liberos Phaliscorum, tanquã ambulandi caussa extra murum eductos, tradidit, dicens repetendis eis obsidibus necessariò ciuitatem imperata facturam. Camillus non solùm spreuit perfidiam, sed & restrictis post terga manibus magistrum virgis agendũ ad parentes tradidit pueris, adeptus beneficio victoriam, quã fraude nõ concupierat.

cupierat. Nam Phaliſci ob hanc iuſtitiam ſponte ei ſe dediderunt.

Ad Fabricium ducem Romanorum medicus Pyrrhi Epirotarum regis peruenit, pollicitusque eſt daturum ſe Pyrrho venenum, ſi merces ſibi, in qua operæ pretium foret, conſtitueretur. Quo facinore Fabricius egere victoriam ſuam non arbitratus, regi medicum detexit: atque ea fide meruit, vt ad appetendam amicitiam Romanorum compelleret Pyrrhum.

CAP. V.

De conſtantia.

CN. Pompeius minantibus direpturos pecuniam militibus, quæ in triumpho ferretur, Seruilio & Glaucia cohortantibus, vt diuideret eam, ne ſeditio fieret, affirmauit non triumphaturum ſe, ſed potius moriturum, quàm licentiæ militū ſuccumberet: caſtigatisq. oratione graui laureatos faſces obiecit, vt ab illorū inciperēt direptione, eaq. inuidia redegit eos ad modeſtiam.

C. Cæſar ſeditione in tumultu ciuilium armorum, actum maximè tumentibus animis legionem totam exauctorauit, ducibus ſeditionis ſecuri percuſſis: mox eos, quos exauctorauerat, ignominiam deprecantes reſtituit, & optimos milites habuit.

Poſthumius conſularis cohortatus ſuos, cùm interrogatus eſſet à militibus, quid imperaret, dixit, vt ſe imitarentur: & arrepto ſigno hoſtes primus inuaſit, quem ſecuti, victoriam adepti ſunt.

L. Marcellus, cū in manus Gallorū imprudens incidiſſet, circumſpiciēdæ regionis, qua euaderet, cauſa, equum in orbem flexit: deinde cùm omnia eſſe infeſta vidiſſet, precatus Deos in medios hoſtes irrupit; quibus inopinata audacia perculſis, ducem quoq. eorū trucidauit, atque vbi ſpes ſalutis vix ſuperfuerat, inde opima retulit ſpolia.

L. Paulus

L. Paulus amisso ad Cannas exercitu, offerente equum Lentulo, quo fugeret, superesse cladi, (quanquam non per ipsum contractæ) noluit, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinauerat, persedit, donec ab hostibus oppressus confoderetur.

Varro collega eius vel maiore constantia post eandem cladem vixit, gratiæque ei à senatu & populo actæ sunt, quòd non desperasset de repub. Non autem vitæ cupiditate, sed Reipublicæ amore se superfuisse reliquo ætatis suæ tempore, approbauit. Nam & barbam capillumque submisit, & postea nunquam recubans cibum cepit, honoribusq. cùm ei deferrentur à populo, renuntiauit, dicens felicioribus magistratibus Reipublicæ opus esse.

Sempronius Tuditanus, & C. Octauius Tribunus militum omnibus fusis ad Cannas, cùm in minoribus castris circumsederentur, suaserunt commilitonibus, vt stringerent gladios, vt per hostium præsidia erumperent secum, id sibi esse animi, etiam si nemini ad erumpendum audacia fuisset. de cūctantibus duodecim omnino equitibus vel peditibus, qui comitari sustinuerant repertis, incolumes Canusium peruenerunt.

C. Fonteius Crassus in Hispania, cum tribus millibus hominum prædatum profectus, locoq. iniquo circumuentus ab Hasdrubale ad primos tantùm ordines relato consilio, incipiente nocte, (quo tempore minimè expectabatur) per stationes hostium erupit.

P. Decius Tribunus militum, bello Samnitico, Cornelio consuli iniquis locis deprehenso ab hostibus, suasit, vt ad occupandum collem, qui in propinquo erat, modicam manum mitteret, seque ducem his, qui mittebantur obtulit: auocatus in diuersa hostis emisit consulem: Decium autem cinxit obsedítque: illas quoque angustias, nocte eruptione facta, cùm eluctatus esset Decius, incolumis cum militibus consuli accessit.

Idem

Idem fecit sub Attilio Calatino consule, is, cuius variè traditur nomen. Alij Laberium, nonnulli Q. Cædicium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum scripserunt. Hi cùm demissum in eam vallem videret exercitum, cuius latera omnia superiora hostis insederat, depoposcit, & accepit à cõsule trecentos milites, quos hortatus, vt virtute sua exercitum seruarent, in mediam vallem decurrit: ad opprimendos eos vndique descendit hostis, longoque & aspero prœlio retentus, occasionem consuli ad extrahendum exercitum dedit.

C. Cæsar aduersus Germanos & regem Arioui stum pugnaturus, confusis eorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimæ legionis vsurum: quo assecutus est, vt & decumani tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio concitarentur, & cæteri pudore, ne penes alios gloria virtutis esset.

Lacedæmonius quidã nobilis, Philippo denuntiante multis se prohibiturũ, nisi ciuitas sibi traderetur, Num, inquit, & pro patria mori nos prohibebit?

Leonidas Lacedæmonius, cùm dicerentur Persæ sagittarum multitudine nubes esse facturi, fertur dixisse, Melius in vmbra propugnabimus.

Cælius prætor vrbanus, cùm ei ius dicenti picus in capite insedisset, & aruspices respondissent, dimissa aue, hostium victoriam fore: necata, populum Romanum superiorem, ac Cælium cum familia periturum, auem occîdit, qua occisa, nostro exercitu vincente, ipse cum quatuordecim Cæliis ex eadem familia in prœlio est occisus: hunc quidam non Cælium, sed Lælium fuisse, & Lælios, non Cælios petisse credunt.

Publius Decius primò pater, postea filius, in magistratu se prõ Republica deuouerunt, admissisque in hostem equis, adepti victoriam patriæ contulerunt.

P. Crassus, cùm bellum aduersus Aristonicum in Asia gerens,

gerens, inter Æliam & Myrinam in hostium copias incidisset, viuusque abduceretur, execratus in consule Romano captiuitatem, virga qua ad equum erat vsus, Thraci (à quo tenebatur) oculum eruit, atque ab eo per dolorem concitato transuerberatus, dedecus seruitutis, vt voluerat, effugit.

M. Cato Censorij filius, in acie decidente equo prolapsus, cùm se recollegisset, animaduertissetque gladium excidisse vagina, veritus ignominiam rediit in hostem: ex eoque aliquot vulneribus recuperato gladio, demum reuersus est ad suos.

Petilini à Pœnis obsessi, parentes & liberos propter inopiam eiecerunt: ipsi coriis madefactis, & igne siccatis, foliisque arborum & omni genere animalium vitam trahentes vndecim menses, obsidionem tolerauerunt.

Hispani cùm Fabrescense omnia eadem passi sunt, nec oppidum Herculeio tradiderunt.

Casilini obsidente Hannibale tantam inopiam perpessi sunt, vt centum denariis murem væniisse, proditum memoriæ sit, eiusque venditorem fame periisse, emtorem autem vixisse: fidem tamen seruare Romanis perseuerauerunt.

Cyzicum cùm oppugnaret Mithridates, captiuos eius vrbis produxit, ostenditque obsessis, arbitratus futurum, vt miseratione suorum compelleret ad deditionem oppidanos: at illi cohortati ad patiendum fortiter mortem captiuos, seruare Romanis fidem perseuerauerunt.

Æginenses, cùm à Viatotis liberi & coniuges cæderentur, præoptauerunt spectare supplicia pignorum suorum, quàm à Romanis deficere.

Numantini, ne se dederent, fame mori præfixis foribus domuum suarum maluerunt.

CAP.

CAP. VI.

De affectu & moderatione.

QVINTVS Fabius hortante filio, vt locum idoneum paucorum iactura caperet, Vis ne, inquit, tu ex illis paucis esse?

Xenophon, cùm equo veheretur, & pedites iugum quoddam occupare iussisset, vnum ex eis obmurmurantem, quòd diceret, facilè tam laboriosa sedentem imperare, desiliit, & gregalem equo imposuit, cursúque ipse pedestri ad destinatú iugum contendens peruenit; cuius facti ruborem cùm perpeti miles non posset, irridentibus commilitonibus sponte descendit. Xenophontem vix vniuersi perpulerunt, vt conscenderet equum, & laborem suum in necessaria duci munera reseruaret.

Alexander, cùm hieme duceret exercitum, residens ad ignem recognoscere prætereuntes copias cœpit, cumque conspexisset quendam propè exanimatum frigore, considere loco suo iussit: dixitque ei, Si in Persis natus esses, in regia sella resedisse tibi capitale foret, in Macedonia nato conceditur.

Diuus Augustus Vespasianus, cùm quendam adolescentem honestè natum militiæ inhabilem, angustiarum rei familiaris causa deductum ad longiorem ordinem resciisset, censu constituto, honesta missione exauctorauit.

CAP. VII.

De variis consiliis.

CÆSAR dicebat, idem esse sibi consilium aduersus hostem, quod plerisque medicis contra vitia corporum, fame potius quàm ferro superandi.

Domitius Corbulo dolabra, id est, operibus hostem vincendum esse dicebat.

L. Paulus

L. Paulus Imperatorem senem moribus dicebat esse oportere, significans moderatiora sequenda consilia.

Scipio Aphricanus fertur dixisse, cùm eum parum quidam pugnacem dicerent, Imperatorem me mater, non bellatorem peperit.

C. Marius Theutono prouocanti eum & postulanti vt prodiret, respondit, Si cupidus mortis esset, laqueo eum vitam posse finire: cumque demonstraret ei gladiatorem contemtæ staturæ & propè exactæ ætatis, obiecit ei, dixitque, Si eum superasset, cum victore congressurum.

Q. Sertorius experimento didicerat, se imparem vniuerso Romanorum exercitui, quod vt Barbaros quoque inconsultè pugnam deposcentes doceret, adductis in conspectum duobus equis, eorum prævalido alteri, alteri admodum exili, duos admouit iuuenes similiter affectos, robustum & gracilem: robustiori imperauit equi exilis vniuersam caudam abrumpere: gracili autem valentioris per singulos pilos vellere: cumque gracili successisset, quod imperatum erat, validissimus cùm infirmi equi cauda sine effectu luctaretur, Iam, inquit Sertorius, naturam Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum ostendi milites: insuperabiles sunt vniuersas aggredienti, eos lacerabit & carpet qui per partes attentauerit.

Valerius Leuinus Cos. cùm intra castra sua exploratorem hostium deprehendisset, magnamque copiarum suarum fiduciam haberet, circumduci eum iussit, terrendique hostis caussa exercitus suos visendos speculatoribus eorum, quoties voluissent, patere.

Cælius Primipilaris, qui in Germania post Varianam cladem obsessis nostris pro duce fuit, veritus, ne Barbari ligna, quæ congesta erant, vallo admouerent, & castra eius incenderent, simulata lignorum inopia, missis vn-

dique, qui ea furarentur, effecit, vt Germani vniuersos truncos amolirentur.

Cn. Scipio bello nauali amphoras pice & teda plenas, in hostium classem iaculatus est, quarum iactus & pondere foret noxius, vt diffundendo quæ continuerant, alimentum præstarent incendio.

Hannibal regi Antiocho monstrauit, vt in hostium classem vascula iacularetur viperis plena, quarum metu perterriti milites à dimicatione & nauticis ministeriis impedirentur.

Idem fecit iam cedente classe sua Prusias.

Marcus Porcius, impetu in classem hostium cùm transiluisset, deturbatis ex ea Pœnis, eorumque armis, & insignibus inter suos distributis, multas naues hostium, quos sociali habitu fefellerat, mersit.

Athenienses, cùm subinde à Lacedæmoniis infestarentur, diebus festis, quos sacros Mineruæ extra vrbem celebrabant, omnem quidem colentium imitationem expresserunt, armis tantùm veste celatis: peracto ritu suo, non statim Athenas reuersi, sed protinus inde raptim acto Lacedæmonem versus agmine, eo tempore, quo minimè timebantur, agrum hostium, quibus subinde prædæ fuerant, vltro depopulati sunt.

Cassius onerarias naues, non magni ad alia vsus, accensas, opportuno vento in classem hostium misit, & incendio eam consumsit.

M. Liuius fuso Hasdrubale, hortantibus eum quibusdam, vt hostem ad internecionem persequeretur, respondit: Aliqui & superstint, qui de victoria nostra hostibus nuntient.

Scipio Aphricanus dicere solitus est, hosti non solùm dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam.

Pericles Athenienſis affirmauit incolumes futuros hostes, si deponerent ferrum: eiusque obsecutos conditionibus

tionibus, vniuersos qui in sagulis ferreas fibulas habuissent, interfici iussit.

Hasdrubal subigendorum Numidarum causa ingressus fines eorum, resistere parantibus affirmauit, ad capiendos se venisse elephantos, quibus ferax est Numidia: vt hoc permitterent, poscentibus securitatem promisit, & ex ea persuasione auocatos adortus sub leges redegit.

Alcetas Lacedæmonius, vt Thebanorum commeatum faciliùs ex inopinato aggrederetur, in occulto paratis nauibus, tanquam vnam omnino haberet triremem, vicibus in ea remigem exercebat: quodam deinde tempore omnes naues in Thebanos transnauigantes immisit, & commeatibus eorum potitus est.

Ptolomæus aduersus Perdicam exercitu præualentem ipse inualidus, omne pecudum genus, religatis ad tergum quæ traherent carpentis, agendum per paucos curauit equites: Ipse prægressus cum copiis, quas habebat, effecit, vt puluis, quem pecora excitauerant, speciem magni sequentis exercitus moueret, cuius expectatione territum vicit hostem.

Myrodines Athenienſis aduersus Thebanos equitatu præualentes pugnaturus, in campis suos edocuit, manentibus esse spem aliquam salutis, cedentibus autem pernitiosissimum: qua ratione confirmatis militibus, victoriam consecutus est.

L. Pinarius in Sicilia præsidio Hennæ præpositus, claues portarum, quas penes se habebat, reposcentibus magistratibus Hennensium, quòd suspectos eos tanquam transitionem ad Pœnum pararent, habebat, petiit vnius noctis ad deliberationem spacium: indicataque militibus fraude Græcorum, cùm præcepisset, vt parati postera die signum expectarent, prima luce assistentibus militibus redditurum se claues dixit, si idem omnes

Hennenſes cenſuiſſent: ob eam cauſam vniuerſa multitudine conuocata in theatrum, & idem flagitante, manifeſta deficiendi voluntate, ſigno militibus dato vniuerſos Hennenſes cecîdit.

Iphicrates dux Athenienſium, claſſem ſuam hoſtili habitu inſtruxit, & ad eos, quos ſuſpectos habebat inuectus, cùm effuſo ſtudio exciperetur, deprehenſa eorum perfidia, oppidum diripuit.

Tigracus, cùm edixiſſet futurum, vt ex Volonum numero, fortibus libertatem daret, ignauos crucibus affigeret, & quatuor millia ex his, quia ſegniùs pugnauerant, metu pœnæ in quendam munitum collem coiſſent, miſit qui eis dicerent, totum ſibi exercitum Volonum viciſſe videri, quòd hoſtes fugiſſent: & ſic eos, & ſua fide, & ipſorum metu exolutos recepit.

Hannibal poſt prœlium, quo ingentem cladem ad Thraſymenum Romani acceperunt, cùm ſex millia hoſtium, interpoſita pactione, in poteſtatem ſuam redegiſſet, ſocios Latini nominis, benignè in ciuitates ſuas dimiſit, dictitans ſe Italiæ liberandæ cauſa bellum gerere, eorum q. opera aliquot populos in deditionem accepit.

Mago cùm Locri obſiderentur à Criſpino, claſſis noſtræ præfecto, diffudit ad Romana caſtra rumorem, Hannibalem cæſo Marcello ad liberandos obſidione Locros venire. clàm deinde equites emiſſos, iuſſit à montibus, qui in conſpectu erant, ſe oſtendere: quo facto effecit, vt Criſpinus Hannibalem adeſſe ratus, conſcenderet naues, ac fugeret.

Scipio Æmilianus ad Numantiam, omnibus non cohortibus tantùm, ſed centuriis ſagittarios & funditores interpoſuit.

Pelopidas Thebanus, cùm à Theſſalis in fugam verſus, flumen in quo tumultuarium fecerat pontem liberaſſet, ne ſequentibus hoſtibus idem tranſitus maneret,

ret, nouissimo agmini præcepit, incenderent pontem.

Romani, cùm Campanis equitibus nullo modo pares essent, Q. Neuius Centurio in exercitu Fuluij Flacci Procos. excogitauit, vt delectos ex toto exercitu, qui velocissimi videbantur, & mediocris staturæ erant parmulis non amplis, & galericulis gladiisque, ac septenis singulos hastis quaternorũ circiter pedum armare, eosque adiunctos equitibus, iuberet vsque ad mœnia prouehi: deinde ibi positis nostris equitibus incipere inter hostium equitatum prœliari: quo facto, vehementer & ipsi Campani afflicti sunt, & maximè equi eorum, quibus turbatis prona nostris victoria fuit.

P. Scipio in Lydia, cùm die ac nocte imbre continuo vexatum exercitum Antiochi videret, nec homines tantùm aut equos deficere, verùm arcus quoque madentibus neruis inhabiles factos, exhortatus est fratrem, vt postero, quamuis religioso die, committeretur prœlium: quam sententiam secuta victoria est.

Catonem vastantem Hispaniam, legati Ilergetum, qui sociorum populus erat, adierunt, oraueruntque auxilia: ille ne aut abnegato adiutorio socios alienaret, aut diducto exercitu vires minueret, tertiam partem militum cibaria parare, & naues ascendere iussit, dato præcepto, vt causati ventos, retro redirent: præcedens interim aduentantis auxilij rumor, vt Ilergetum excitauit animos, ita hostium consilia discussit.

C. Cæsar, cùm in partibus Pompeianis magna equitum Romanorum esset manus, eaque armorum scientia milites conficeret, ora oculosque eorum gladiis peti iussit, & sic aduersam faciem cædere coëgit.

Vaccei, cùm à Sempronio Graccho collatis signis vrgerentur, vniuersas copias cinxere plaustris, quæ impleuerant fortissimis viris, muliebri veste tectis. Sempronium quoque, tanquam aduersus fœminas, audentius

ad obsidendos hostes consurgentem, hi qui in plaustris erant aggressi, fugauerunt.

Eumenes Sardianus ex successoribus Alexandri, in castello quodam clausus, quo exercere equos non poterat, certis quotidie horis ita suspendebat, vt posterioribus pedibus innixi, prioribus alleuatis, cùm naturalem assistendi appetunt consuetudinem, ad sudorem vndique crura iactarent.

M. Cato, pollicentibus Barbaris duces itinerum, & insuper præsidium, si magna summa eis promitteretur, non dubitauit polliceri: quia aut victoribus ex spoliis hostilibus poterat dare, aut interfectis exoluebatur promissio.

Q. Maximus transfugere ad hostes volentem Statilium nobilem claræ operæ equitem, vocari ad se iussit: eique excusauit, quòd inuidia commilitonum, virtutes illius ad id tempus ignorasset. Tum donato ei equo, pecuniam insuper largitus, obtinuit, vt quem ex conscientia trepidum accersierat, lætum dimitteret, & ex dubio in reliquum non minus fidentem, quàm fortem haberet equitem.

Philippus, cùm audisset Pythiam quendam bonum pugnatorem, alienatum sibi, quòd tres filias inops vix aleret, nec à rege adiuuaretur, monentibus quibusdam vti eum caueret: Quid si, inquit, partem ægram corporis haberem, abscinderem potius, quàm curarem? deinde familiariter secreto elicitum Pythiam, accepta difficultate necessitatum domesticarum, pecunia instruxit: ac meliorem fideliorem que habuit, quàm habuerat, antequam offenderet.

T. Quintius Crispinus, post infaustam aduersus Pœnos dimicationem, qua collegam Marcellum amiserat, cùm comperisset potitum annulo interfecti Hannibalem, literas circa municipia totius Italiæ dimisit, ne crederent

derent epistolis, si quæ Marcelli annulo obsignatæ perferrentur: monitione consecutus, vt Salapia, & aliæ vrbes frustrà Hannibalis dolis tentarentur.

Post Cannensem clàdem, perculsis ita Romanorum animis, vt pars magna reliquiarum nobilissimis auctoribus deserendæ Italiæ iniret consilium, Publius Scipio adolescens admodum, impetu facto, in eo ipso, in quo talia agitabantur cœtu, pronuntiauit, manu se sua interfecturum, nisi qui iurasset, non esse sibi mentem destituendæ Reipublicæ: cumque ipse se primus religione tali obligasset, stricto gladio mortem vni ex proximis minatus, nisi acciperet sacramentum: illum metu, ceteros etiam exemplo coëgit ad iurandum.

Volscorum castra cùm propè à virgultis siluaque posita essent, Camillus ea omnia, quæ conceptum ignem, vsque in vallum perferre poterant, incendit, & sic aduersarios exuit castris.

Publius Crassus bello sociali eodem modo propè cum copiis omnibus interceptus est.

Quintus Metellus in Hispania castra moturus, cùm in agmine milites continerent se intra castra, Hermocrates detentos eos, postero die habilioribus iam suis tradidit, bellumque confecit.

Milciades, cùm ingentem Persarum multitudinem apud Marathonem fudisset, Athenienses circa gratulationem morantes, compulit, vt festinarent ad opem vrbi ferendam, quam classis Persarum petebat: cumq. præcurrisset implesset que mœnia armatis, Persæ rati ingentem esse numerum Athenienstum, & alio milite apud Marathonem pugnatum, alium pro muris suis opponi, circumactis extemplò nauibus Asiam repetierunt.

Pisistratus Athenienstis, cùm excepisset Megarenstum classem, qua illi ad Eleusin noctu applicuerant, vt operatas Cereris sacro fœminas Athenienstum raperent: ma-

gnaque edita cæde eorum vltus esset suos, eadem quæ ceperat nauigia Athenienſi milite compleuit, quibuſdam matronis habitu captiuarum in conſpectu locatis: qua facie decepti Megarenſes, tanquam ſuis, & cum ſucceſſu renauigantibus effuſi obuij, inermesque, rurſus oppreſſi ſunt.

Conon dux Athenienſium, victa claſſe Perſarum apud inſulam Cypron, milites ſuos captiuis armis induit, & iiſdem Barbarorum nauibus ad hoſtem nauigauit in Pamphiliam apud flumē Eurymedonta. Perſæ, quia & nauigia & habitum ſuperſtantium agnoſcerent, nihil cauerunt: ſubitò itaque oppreſſi, eodem die, & nauali & pedeſtri prælio victi ſunt.

FINIS.

ÆLIANI
DE
INSTRVENDIS ACIEBVS
OPVS,
AD DIVVM HADRIANVM:
A
THEODORO THESSALONICENSE
Latinum factum & Antonio Panormitæ
Alphonsi regis præceptori dicatum.

ÆLIANI
DE
INSTRVENDIS ACIEBVS
OPVS,
AD DIVVM HADRIANVM:
A
THEODORO THESSALONICENSE
Latinum factum, & Antonio Panormitæ Alphonsi regis præceptori dicatum.

Præfatio.

SCIENTIAM Græcis acierum instruendarum solitam, diue Hadriane, quam ab Homeri vsque temporibus sumpsisse initium certum est, literis complures mandauerunt auctores superiores, qui parum eam quam nos habere in rebus mathematicis credimur, disciplinam tenuere. Quamobrem, pace omnium dixerim, ita persuasus, de hac eadem tractare scientia volui, vt posteros nostra potius, quàm illorum antiquorum præcepta lecturos confiderem: tamen quòd Romanam huiuscemodi rei facultatem ac peritiam, vt verum fatear, ignorarem, diu dubitaui, an rem repetere in vsumq; reuocare deberem, iam lapsam, desitam, & forsan minimè propterea vtilem, ob eam doctrinam, quam tui Romani inuenere: sed cùm ad diuum Neruam patrem tuum salutandi visendique gratia Formias venissem, diesque nonnullos apud Frontinum virum consularem insignem,

signem, & rei militaris peritum, diuerterem, intellexi sanè non minus studij ab eo ipso Græcè impendi, quàm Romanæ scientiæ militari, atque ita negligendum: præterea quòd de acierum instructione more Græcorum docere non censui, ratus scilicet nunquam apud Frontinum posse id studium seruari, nisi haud deterius eo genere ordinandi, quod Romani exercent, haberetur. Formam igitur operis, quam notaueram quidem aliquando literis, sed nunquam edere ausus sum, propter tuam summam peritiam & virtutem, qua facilè omnes, qui copiis vnquam imperauerint antecellis, modò perficiendam expoliendámque repetij ea cum diligentia, vt præ omnibus veterum auctorum Græcorum operibus posset meo iudicio comprobari. Nam dilucidè quidem ordinatéque expositionis ratione futurum ita affirmauerim, vt qui opus hoc legant, longè & plenius possint doceri & facilius, quàm ex iis, quæ antiquiores reliquerunt: sed quanquam hoc ita est, tamen non sine pudore summáque retractione mittere opus militare ad te poteram, tam multorum magnorúmque bellorum magistrum atque Imperatorem: haud enim fieri potest, quin hæc tenuiora videantur, si cum tuis conferri volueris. At si, vt peregrinam scientiam & rationum elegantiusculam quandam legeris commentationem, credo nonnihil capies delectationis, præsertim si in his vel Alexandri Macedonis ingenium ac studium militare contempleris. Summas autem & veluti capita eorum, quæ explicantur, præposui omnium, vt quando per tuas occupationes minus plura legere liceat,

pauci

paucis quæ liber continet, intelligere posses, & quæ placuerit, legere, facilè sine vlla iactura temporis inuenires.

PRIMVS omnium, quos nouerimus, poëta Homerus acierum instruendarum scientiam tenuisse, ac homines ea præditos facultate probasse laudauisséque videtur. Quale illud de Menestheo carmen legimus, *Nulla quidem huic similem mortalem protulit ætas: Ordine qui Martis turmas equitémque locaret.* Et quidem de Homerica disciplina armorum legimus opera Stratoclis, Hermiæ, & Frontini nostræ ætatis viri consularis: sed latiùs Æneas genus id instruendi exposuit, qui de tota quoque re militari satis operum edidit, quæ Cynæam Thessalum redegisse in breuitatem constat. Pyrrhus etiam Epirota quemadmodum copiæ instrui deberent, scripsit: & Alexander eius filius, Clearchus, itemque Pausanias, Euangelus & Polybius Megalopolitanus, vir in vario literarum studio delectatus, & Scipionis familiaris. Ad hæc Eupolemus atque Iphicrates, Posidonius Stoicus etiam artem instruendarum acierum scripsere, pluresque alij, aut prima quædam imbuendi erudimenta edidere, vt Bryon, aut pleniores tractatus, quos Topicos à denotatione locorum inscripserunt. Verùm enumerare omnes, qui aliquid de re militari scriptum reliquerunt, longum & superuacuum est: omnium tamen opera legi, & quid de iis iudicem, dicam: omnes ferè ita mihi vnanimiter scripsisse, quasi docere homines vellent non ignaros, sed satis earum rerum peritos, quas explicare statuerent. Quod igitur nobis incommodum, cùm primum rei huiusmodi disciplinam affectaremus, occurrebat, vt neque præceptores nostræ ætatis idoneos haberemus, neq. satisfacere posse veterum illa præcepta putaremus, id pro viribus enitemur,

mur,ne aliis eueniat,committamus: quamobrem quoties minus sententiam nostram verbis satis exprimere possumus, adiumento vtimur figurarum descriptionis: vt ipse conspectus visu intelligentiæ subueniat. Nusquam tamẽ antiquorum auctorum vocabulis vti omittam, vt qui primus his nostris erudimentis imbuatur, nihil postea peregrinum sibi sonare arbitretur,cùm illorum opera audiet. Credo autem neminem fore,qui nostra hac via & ratione institutus, non facilè veterum quoque omnia possit opera intelligere. Vtilem omnium maximè disciplinam hanc esse, intelligi ex iis licet, quæ Plato Philosophus in eo opere, quod edidit De legibus, disserit. Cretensium enim legumlatorem ita leges condidisse affirmat, tanquam homines semper parati essent ad bellum, atque in procinctu dimicandi consisterent: omnibus namque inter se vrbibus bellum geri, quod non aliquo præcone aut feciali, sed ab ipsa rerum natura indiceretur. Quod cùm ita sit, quænam alia esse potest disciplina vel potior, vel humanæ vitæ commodior, quàm hæc rei militaris? Initium verò sumendum ab iis censeo, quæ absolutè ad bellum atque perfectè apparantur, quarum duplices esse copias nouimus. Aut terrestres enim, aut nauales. Terrestres,quæ terra prælientur: Nauales,quæ mari, aut fluuiis classe decertent. Sed de instructione naualis ordinis aliàs, nunc quæ ad terrestrem pertinent expeditionem exponemus. Hominum igitur, quos ad bellum colligimus, numerus ita constat, vt partim bellatores sint, partim imbelles, tantùm ad vsus necessarios bellatorum & ministeria accommodati. Bellatores ij sunt, qui ad decertandum instruuntur, armisque aduersarium inuadunt. Imbelles reliqui omnes habentur, vt medici, vt tabernarij, vt serui, & ceteri, qui exercitum ministerij causa sequuntur. Bellatorum alij pedites, alij vectores. Pedites, qui pedibus

Pedites & vectores.

dibus in terra enituntur: Vectores, qui aliquo feruntur vehiculo: quorum duplex est genus. Nam alij equis, alij elephantis vehuntur: quinetiam qui equo vtuntur, seorsum in duas partes distinguuntur: quippe qui aut in curribus constent, aut equis ipsis insideant: hæ sunt vniuersi generis differentiæ. Membrum pedestre atque equestre multiplex est: quod verò in elephantis & curribus versari proposui, nulla euariat differentia. Pedestris itaque ordo in partes digeritur tres, Armatos, Velites, Peltatos. Armati grauissimis inter pedites armis vti consueuerunt more Macedonum, & ob eam rem grauis armaturæ dicuntur, ac nomen illud Armati speciale accipiunt. Nam scutum amplius & rotundum gerunt, & hastam longiorem. Velites leuissimè omnium armantur, quocirca vel expeditos nuncupari eosdem licuit: non loricam induunt, non ocrea muniuntur, non clypeum, aut scutum graue gerere soliti sunt: sed telis tantùm vtuntur, aut sagittis, iaculis, lapide, aut ex funda, aut ex manu: quo in genere Argili telum ponendum est. Peltatis similis Macedonicæ illi armatura in vsu est, sed leuior. Nam & pelta scutum paruum leueque est, & conti eorum longè sariſſis sunt breuiores: denique genus id armaturæ locum inter velites & armatos tenere apertum est, videlicet grauius, quàm velites, leuius quàm armati: quamobrem sunt complures, qui eos cum velitibus iungant, & vtrosq. vocare velint leuem armaturam. Equestres copiæ, quæ à quadrigis seiungi, & per turmas locari debent, modo armandi inter se distant. Pars enim armis tota obsepta est, & hinc cataphracti nomen sortita est, pars non tota armis integitur. Cataphractos igitur intelligi eos volo, qui non solùm sua corpora, sed etiam equos lorica vndique muniunt. Partis autem non cataphractæ, alij hastati habentur, alij ferentarij. Hastati, qui manus conserunt, & cominus hasta decertant,

Armati grauis armaturæ.

Velites.

Peltati.

Pelta.

Leuis armatura.

Equestres copiæ.

Cataphracti.

Hastati & contati.

quorum

quorum alij scutum gerunt,& inde scutati dicuntur. Alij sine scuto hasta impugnant,qui nomine speciali Hastati vocantur, & contati. Ferentarij equites ij dicuntur, qui eminus solent dimicare: quorum alij iaculis, alij arcu vtuntur. Iaculantur quos Tarentinos vocamus. Arcu vtuntur, qui equites sagittarij, & à nonnullis Scythæ etiam vocantur. Tarentinorum duo sunt genera, nam alij longius iaculantur, & ob eam rem equites iaculatores dicuntur, & Tarentini speciali vocabulo. Alij cùm semel aut bis iaculum miserint,quo leuiori vtuntur,manus de cetero cum aduersario conserunt,& cominus pugnare incipiunt, non secus, quàm quos hastatos appellari retulimus. Leues hos nominari solitum est. Ergo Tarentinorum alij, Tarentini nomine suo vocantur,qui de longè iaculari consueuerunt: alij leues, qui pugnam cominus subeunt. Exposui genera copiarum numero nouem,armatos, peltatos, velites,equites hastatos,equites iaculatores, equites sagittarios,equites cataphractos, currus, elephantos: sed cùm phalanx quæque, collegia, præfecturas,ordines,numerumque idoneum contineat, atque etiam verba sortiatur, quæ tum ad præcepta quotidiani exercitij, tum ad prœlium ipsum accommodentur,de his singulis doceamus necesse est. Primum igitur in hac disciplina & præcipuum est, vt ex multitudine hominum, quam fusam inordinatamque acceperimus, idoneos eligamus, & locis conuenientibus instruamus, hoc est,decuriemus,& condecuriemus, atque vt numerum statuamus copiarum,qui modicè commodeque ad belli rationem & vsum suppediter,quippe cùm & in itinere, & in castris, & in prœliis ipsis instructum haberi exercitum sit perquam vtile. Iam sæpius magnas copias inordinatas à paucis ordinatis militibus profligatas legimus: quamobrem Æneas ita genus id disciplinæ definit,vt scientia sit bellicæ motionis. Polybius verò scientiam

Hastati & contati.
Ferentarij.
Scythæ.
Tarentini.

tiam esse inquit, qua homines militari ordine admittantur, decurientur, condecurientur, denique aptentur, & erudiantur ad belli vsum & rationem. Decuriare igitur
Decuria. est, decurias instituere. Est autem decuria numerus hominum, qui à duce vno positione simplici subinde deductus serie, cesset vel in octauum, vel in duodecimum, vel in decimum sextum. Numerus enim decuriæ variè ad hunc modum à diuersis auctoribus datur. Verùm in re nobis proposita sexdecim describantur: cùm hic numerus, tum ad phalangis longitudinem modicè habeat, tum, si vsus aliquando exigat altitudinẽ, vel duplicari in XXXII. vt augeatur, vel dimidiari, vt in VIII. diminuatur, nihil postpositis expeditis militibus esse possit impedimento. Nam siue iaculentur, siue funda, aut arcu vtantur, facilè suo iactu altitudinem phalangis exsuperent. Optimus cuiusque decuriæ præponi, & ductor ceterorum omnium esse debet, qui & decurio, & decanus, & dux, & primus, & præstes nuncupatur. Vltimum decuriæ tergiductorem vocamus. Totam verò ipsam decuriam, ordinẽ, versum, & decaniam, nonnulli etiam enomotiam, quasi auctorationem à sacramento militari appellant. Sed sunt qui enomotiam, quartam esse decuriæ partem asserant, præfectumq. enomotarcham præponant. Duas item enomotias dimœriam, quasi bipartitam vocant, & principem Dimœritam, ita vt semidecuriam dimœriam quoque liceat vocitari, & semidecurionem Dimœritam, qui secundus decuriæ est: nam qui proximè decurionem postponitur, substes dicitur; qui verò hunc sequitur, præstes. Item substes, qui proximus ab hoc præstite est, ac deinceps in hunc modum præstes substesque locatur, vt ordo totus ex præstitibus & substitibus positis alternatim conficiatur. Vnde meritò decuriam ita quoque definiunt, vt versus sit ex primis secundisque pro virtute institutis, atq. vni decurioni

obtem-

obtemperantibus. Condecuriare, est primæ decuriæ secundam ita apponere, vt lateri primi versus decurionis, decurio secundi versus respondeat, & lateri substitis primi decurionis, substes primus secundæ decuriæ, ac deinceps ad hunc modum. Astes verò is dicitur, qui ita appositus viget, verbi gratia, decurionis primæ decuriæ astes, decurio secundæ decuriæ est, & substitis primæ, substes secundæ, itaque deinceps: quoties igitur post secundam decuriam tertia & quarta, & reliquæ deinceps adiiciuntur, talis constructio condecuriatio dicitur, totaque coagmentatio phalanx, siue legio. Cuius longitudo prima decurionum ordinatio est, quæ & frons, & facies, & acies, & iugum, & os, & duces, & præstites, & primi decuriarum vocari solita est. Quantum verò phalangis ponè frontem ad tergi vsque ductores porrigitur, id altitudo nominatur. Stare per directum in longum astites, iugare dicitur. Stare per directum in latū præstites substitesque, versare vocabulum accipit. Phalanx seorsum in primas summasque partes duas à fronte per totam sui altitudinem secatur, quarum altera cornu dextrum & caput vocatur, altera cornu læuum, & pes † dicitur: quâ autem longitudo ita secatur, oris & vmbilici nomine vtimur.

† id est, sectura ipsa dimetiens.

Post armatorum phalangem ponè leuis locatur armatura. Equites verò ab hac loco tertio statuuntur: fieri tamen potest, vt vsus vel secus disponi interdum exigat, quod in progressu operis explicabimus. Nunc quantus armatorum atque equitum numerus esse debeat, & quemadmodum singulos oporteat ordinari, & ordines magna cum celeritate transformari necessitate incumbente conueniat, & quænam disciplina mouendi de singulis ordinibus habeatur, exponemus. Numerum statuere certum copiarum nulla probabili ratione possumus. Prout enim rem suam quisque plus minúsve ap-

paratus desiderare intelligit, ita modū describet. Sciendum tamen eos numeros deligi oportere, qui ad ordinum transformationē possint occurrere habiliores, hoc est, quoties phalangis longitudinem augere, altitudinem diminuere, aut econtrariò agere voluerimus: quamobrem genus numeri illud probamus, quod subinde in partes æquas vsque in vnitatem possit diuidi: vnde auctores qui de acierum instructione scripsere, magna ex parte phalangem grauis armaturæ numero sexdecim mill. CCCLXXXIIII. instituī, censent oportere. Leues armaturæ subduplo eius numeri, itemque huius subduplo equitum phalangem describunt. Nam XVI. mill. CCCLXXXIIII. numerus dimidiari subinde vsque in vnitatem potest. Formæ igitur descriptionisque gratia hunc ponimus numerum. Vnde fit, vt quoniam decuriam sexdecim hominibus constare proposuerimus, M.XXIIII. decurias confici necesse sit. Decuriæ in ordines digeruntur, quibus singulis vel nomen proprium inditum est: duæ namque decuriæ dilochiam, velut duplarem quandam decuriam siue armaturam cōstituunt, hominum XXXII. cuius ordinis princeps dilochita, duplaris quidam decurio nuncupatur. Quatuor decuriæ tetrarchiam, quadruplarem dixerim decuriam, faciunt, hominum sexagintaquatuor, cui præest tetrarcha, quadruplaris decurio. Duæ quadruplares illæ centuriam constituunt, hominum CXXVIII. decuriarum octo, cuius præfectus Centurio, & à nonnullis Ordinarius dicitur. Duæ centuriæ manipulum reddunt, decuriarum sexdecim, hominum CCLVI. cui manipularius præest. Sunt qui genus hoc ordinis CCLVI. xenagiam à mercenario milite vocent, eiusque principem Xenagum. In hisce singulis CCLVI. hominum manipulis homines superordinarij quinque habentur: Signifer, Tubicen, Minister, Præco, Tergidux. Quadram habere hunc ordinem formam

Phalanx.

mam certum est, longitudine ad XVI. altitudineque ad totidem. Duo manipuli pentacosiarchiam, cohortem quingentariam componunt, hominum DXII. centuriarum XXXII. cuius princeps pentacosiarcha, Tribunus minor. Duæ cohortes quingentariæ mœrarchiam, id est, cohortem milliariam faciunt, hominum MXXIIII. *Chiliarchiam.* centuriarum LXIIII. cuius præfectus mœrarcha, Tribunus maior. Duæ millenariæ meros, hoc est, partem *Chiliarcha.* constituunt, hominum II. mill. XLVIIII. cuius præfectum mœrarcham à parte, quasi Partarium dicimus, decuriarum CXXVIII. Genus hoc ordinis nonnulli telos nuncupauerunt, præfectumque eius telarcham. Duæ partes phalangarchiam phalangem simplarem consummant, hominum quatuor mill. XCVI. decuriarũ CCLVI. cuius præfectus phalangarcha, princeps phalangis simplaris dicitur: nonnulli strategiam, id est prætura hunc ordinem vocant: & Strategum, id est prætorem eius principem nominant. Duæ simplares phalanges duplarem phalangem reddunt hominũ octo millium CXCII. decuriarum D. duodecim. Sunt qui ordinem hunc meros, id est, partem appellati velint, quod modò cornu & alam diximus nominari. Duæ duplares phalanges quadruplarem phalangem coagmentant, decuriarum MXXIIII. hominum XVI. mill. CCCLXXXIII. Sunt itaque in tota phalange siue legione cornua duo, phalanges simplares quatuor, partes octo, cohortes milliariæ sexdecim, quingentariæ triginta duæ, manipuli sexaginta quatuor. Centuriæ CXXVIII. Centuriæ quadruplares CCLVI. Decuriæ duplares DXII. Decuriæ MXXIIII. Optimus quisque præfectorum phalangum simplarium in prima simplari, hoc est, in dextro cornu statuitur: secundus virtute, in secunda, hoc est, in læuo cornu locatur: tertius cum secunda in † læuam ponitur mediam *Læuũ cornu.* versus sectutam: quartus cum prima in dextram, hic

etiam mediam versus secturam. Quòd cum prima & quarta præfectos habeant, primum virtute & quartum, secunda autem & tertia secundum virtute & tertium, pares vtique virtute suorũ principum constant. Nam si in quatuor magnitudinibus insunt proportiones æquales, quod à prima & quarta proueniat, magnitudine id ei esse æquale, quod fit à secunda & tertia, apertum in disciplinis mathematicis est.



Prima igitur & quarta secundam & tertiam æquiparant : partium quoque præfecti ita ordinantur, vt primus virtute in læuo primæ phalangis simplaris statuatur. Secundus in dextero secundæ. Tertius in læuo tertiæ. Quartus in dextro quartæ. In singulis etiam decuriis quadruplatibus decuriones ita locantur, vt primæ decuriæ princeps virtute excellat, quartæ secundum virtutis locum obtineat, tertiæ tertium, secundæ quartum : ita enim virtute pares intra se constent, cùm prima primum, & quartum virtute habeat, secunda autem secundum virtute & tertium. Item cùm in singulis manipulis quatuor decimæ duplares cõtineantur, hac eadem ratione vel in his ipsis principes ordinemus, vt primæ quadruplaris præfectus in dextro ponatur, & virtute cæteris sit præstantior. Quartæ læuum teneat cornu, & virtute secundus habeatur. Tertiæ in dextro constituatur, & virtute sit tertius. Secundæ in læuo locetur, quartus virtutis ratione. Hanc eandem proportionem siue comparationem vel in maioribus præfecturis seruabimus.

Cornu

Phal. j. armati, pra. j. Pra. iij. armati, ph. iij. Ph. iiij. armati, pra. iiij. Praef. ij. armati, Phal. ij.

Cornu dextrum.
Præf. ij. armati, Phal. ij.
Ph. iiij. armati, pra. iiij.
Sectura dextra.
Pra. iij. armati, ph. iij.
Os & vmbilicus & media sectura.
Phal. j. armati, pra. j.
Sectura læua.
Velites.
Equites.
Cornu læuum.

NVNC de interuallis, quibus armati inter se distent, tum in longum tum in altum, agemus. Differentia triplex est interualli. Nam homo ordinatus cubita quatuor occupat. Densatus duo Constipatus vnum. Densatio igitur est, cùm ex laxioribus arctiora reddimus interualla: atque ita per astitem subsitemque corpus phalangis colligimus, & militem vniuersum facimus tum in longum, tum in latum adductiorem; verùm ita, vt recipere possit immutationem. Constipatio est, quoties phalanx per astitem ac subsitem arctiùs sese colligit, quàm modò densari retulimus, adeò vt ob frequentiam militis, nulla vel dextrorsus, vel siniſtrorsus possit fieri declinatio. Densatur, cùm phalangem duci in hostes placet Imperatori. Constipatur, cùm hosti aggredienti resistendum in robore est. Cùm itaque frontem phalangis decuriones M.XXIII. compleant, ij certè ordinati, cubita quatuor millia, XCVI. longitudinis occupabunt, hoc est, stadia decem, & cubita XCVI. Densati stadia quinque, cubita quadraginta octo. Constipati stadia occupabunt duo, & semis, & cubita viginti quatuor. Armabitur phalanx scuto & hasta. Scutum optimum, quod Macedonicum, æneum, mediocriter cauum, ad octo dodrantum magnitudinem. Hasta nulla cubitis octo breuior, longissima, quæ eatenus sumi potest, quatenus tenere miles, & vti facilè valeat. Decuriones vtpote duces decuriarum phalangis, optimos esse omnino conuenit, ita vt & statura & viribus corporis præstantiores cæteris sint, & rei militaris peritiores. Hoc enim iugum phalangem cõtinet vniuersam, & in vsu præcipuum est. Vt enim gladius pondere sui ferri posterioris & mole, aciem efficaciorẽ præstat, idem in phalange existimandum esse, vt pro acie ac oris cuiusdã robore ipse sit ordo decurionum. Pondus autem & molem & magnitudinis additamentum afferat constituta in tergo militum multi-

multitudo. Curandum quoad fieri poteſt, vt etiam iugum ſecundum milite conſtet idoneo. Nam eius quoque ordinis iſta in frontem prominet, & adiuncta priori vtilis ex propinquo eſt, & vel deſiderato vel ſauciato decurione, ſecundus ſe in parte priore conſtituens, ordinis incolumitatem ſeruabit. Tertium item iugum & quartum, & reliqua deinceps pro virtute inſtituemus, vt qui deterior ſit, iis ſubinde poſterior collocetur. Macedonica phalanx inexpugnabilis, & intoleranda hoſtibus habita eſt genere ſuo inſtructionis & ordinis. Miles enim armatus, vel in duobus cubitis ſtat, quoties dimicari imminens prœlium poſtulat. Sariſſæ longitudo ad cubita quatuordecim, quorum duo manus auferunt, reliqua duodecim prominent. Itaque fit, vt ſecundi ſuas ſariſſas ſuper armatos iugi prioris prominẽtes, ad decem cubita habeant: tertij ad octo, quarti ad ſex, quinti ad quatuor, ſexti ad duo. Ab his nulla item ſariſſa primum ſuperat iugum. Quòd cùm per ſingulos iugi primi ſariſſæ quinque aut ſex promineant, ſpecies formidoloſa exiſtat, conſentaneum eſt. Miles item firmus ac robuſtus conſtat quinque ſexque ſariſſis obſeptus, & tot tantisque fultus innixusque facultatibus commilitonum. Quinetiam qui poſt ſextum poſiti ſint iugum, & ſi minus ſariſſis agunt, tamen pondere ſui corporis prominentes, augent vires totius phalangis & facultatem, nec fugiendam vllam ducibus & præſtitibus relinquunt occaſionem, nonnulli haſtam poſterioris militis longiorem quàm prioris ſumi idcirco voluerunt, vt etiam qui in tertio & quarto iugo locati eſſent, ſpiculis ſuis pari fronte hoſtem poſſent excipere. Tergidux ſuperordinarius ſingulorum ordinum prudens peritusque eſſe debet, qui prouideat & procuret, quemadmodùm milites ordinis totius verſent inter ſeſe atque iugent: & recedentes, vel merù, vel aliqua alia cauſſa, prohibeat, & reſtitui cogat

Macedonicæ phalanx.

Sariſſæ Macedonicæ.

Tergidux ſuperordinarius.

in ordinem : atque etiam cùm constipandum sit, compellat militem, cogatque, si vsus exigit, in arctum quàm maximè adduci. Ita enim fit, vt vires & robur phalanx accipiat. Quas ob res nō modò in fronte, verùm etiam in tergo legionis principem & ducem aliquem statui, necessarium ducimus. Hæc de decuriatione armatorum phalangis dixisse sufficiat. Nunc de velite. Instruet Imperator suum velitem pro paratu ex consilio hostium, modò in fronte, modò in dextera, modò in læua, nonnunquam etiam in tergo, videlicet quemadmodum res vsusque exigit. Nos exempli gratia sic instruimus.

DECVRIAS quoque in ordine velitum statuemus M.XXIIII. videlicet totidem quot phalanx continet armatorum: vt sub prima armatorum decuria, prima velitum ordinetur, & sub secundam secunda, & deinceps sub singulis singulæ constituantur, non tamen ex sedecim hominibus has instituemus, sed ex octo: ita vt M. XXIIII. decuriæ compleant hominum octo millia CXCII. Nomina eorum & ordines ita accipe. Quatuor decurias velitum systasin, id est, constitutionem vocamus, hominum triginta duorum. Duas constitutiones pentecontarchiam, semicenturiam dixerim, hominum sexagintaquatuor. Duas semicenturias, centuriam: hominum centum & triginta octo. Inesse singulis centuriis debent superordinarij quinque, Signifer, Tergidux, Tubicen, Minister, Præco. Duas centurias psilagiam à ducentis velitibus, quasi velitariam, vel expeditariam nominamus, hominum CCXLVI. Duas velitarias xenagiam à mercenario milite, velut mercenariam dicimus, hominum DXII. Duas mercenarias systema, tanquam constitutoriam appellamus, hominum MXXIIII. Duas constitutorias epixenagiam ceu admercenariam, hominum ducrum mill. & quadraginta octo. Duas admercenarias stiphos, hominum quatuor mill. & nonaginta sex. Duo

Superordinarij

stiphæ

ſtiphœ epitagma, velut additam legionem, decuriarum mille & vigintiquatuor, hominum octo mill. centum & nonaginta duorum. In his quoque ſuperordinarios octo ineſſe ſolitum eſt, quorum quatuor Epixenagi, hoc eſt, duces ſiue principes admercenariæ illius habentur, reliqui Syſtematarchæ præficiunt principes ſeu præfecti eius, quam conſtitutoriam interpretamur. Iaculatores ſagittarij, & omnes qui aliquo teli genere vtantur, vtiles ad eam rem eſſe conſtat, vt prœlium exordiantur, hoſtem prouocent, feriant, ſaucient eminus, & proſternant: fundant aciem, repellant equitem, cogant aduerſarium procurſantem loco cedere, explorent, perluſtrent quæ loca ſuſpecta, locent inſidias: hi denique & primum certamen ſubeunt, & vnà cum ceteris pugnant: & quamquam ceteri deſierunt, ipſi perſeuerant in dimicatione: omninò genus hoc militum cùm operâ præſtet celeriorem, agatque eminus, multa efficere poteſt & præclara.

De acie equeſtri.

EQVITVM acies auctores ſuperiores, aut quadratas, aut parte altera longiores, aut Rhombi cuneíve gerentes ſpeciem, tradidere. Sed nemo ſuam ferè ſatis expreſſit ſententiam. Quamobrem nos deſcriptione etiam figurarum, formas explicabimus acierum ipſas, quò poſſint faciliùs percipi. Aciebus ad Rhombi ſimilitudinem formatis Theſſalos primos vſos comperimus, qui plurimum equitatu valuerunt, Iaſone (vt ferunt) auctore generis huius aciei, vtpote ad omnes vſus accommodatioris: equites enim conſtituti in hac forma vertere ſe in quemuis proſpectum poſſunt, minimeque vel à tergo vel à latere capientur. Quippe cũ præſtantiores, Rhombi latera teneant, & principes, angulos regant. Stat enim in priore angulo turmæ ipſius præfectus, in dextro autem & ſiniſtro, qui cuſtodes vocantur lateris, ſtatuun-

tur. In reliquo verò angulo ducem seu ductorem tergi locari solitum est.

Rhombus.



Cvneatis Scythæ vtuntur & Thraces. Quinetiam Macedones vsi sunt suadente rege Philippo. Efficacius enim genus id arbitratum est, quàm quadratum: ob eam scilicet rem, quòd suos principes circumpositos habeat, & fronte exigua constet, & equitandi vsum per quodlibet interuallum facilem præbeat regressum celeriorem: quippe quod minus difficiles illos circuitus habeat, quos quadratæ acies sortiuntur. Quadratis aciebus Persæ & Siculi, ac plerique Græcorum vsi sunt, existimantes & ad compositionem & ad equitantium coitionem accommodatius: & omnino hoc disciplinæ genus seruare multis in rebus præstantius. Nam & instructio, quoniam per versus ac iuga ordinetur, occurrit facilior, & principes in hoc vno formandi genere hostem vniuersi aggrediuntur.

Phalanx

Phalanx curuata.



OPTIMÆ inter quadratas habentur quæ duplici, tam in longum quàm in altum, numero constent. Exempli gratia, octo in longum, quatuor in altum, aut decem in longum, quinque in altum, quæ numero parte altera longiores consistunt: figura autem seu forma quadræ instituuntur. Etenim longitudo equi à capite ad caudam respectu suæ latitudinis plures eos habere debet, qui per iuga ordinentur, quàm eos, qui in versus se porrigant. Nonnulli triplicem esse longitudinis numerum ad altitudinis probant, scilicet ita arbitrantes fore, vt quadra forma efficiatur. Triplicem enim propemodum longitudinem habere ad suorum armorum latitudinem videmus. Quapropter cùm nouē in fronte statuant, tres in latum componunt. Haud enim fieri potest, vt equitum multitudo posteriorem eandem præstet vtilitatem, quam in pedestribus copiis, vbi scilicet ponè renitentes, primorem continent altitudinem. Equitum namque omnium numerus, corpus pondusque vnum consistit. Itaque fit, vt si posteriores prioribus iuncti renitantur, nihil suo impulsu proficiant. Immò vnà cum aliis labantur, & perturbatis ordinibus grauius suo errore quàm virtute hostiū versentur necesse sit. Quamobrem ita euenit, vt quoties equestris longitudinis numerus æquè & altitudinis constet, numerus ipse quadratus

dratus sit. Forma autem altitudinis parte altera longior. Ast quoties turmæ forma quadrata est, econtrariò euenit, vt equitum numerus parte altera longior existat.

Phalanx quadrata.

y y y y y y y y y y
y y y y y y y y y y
y y y y y y y y y y
y y y y y y y y y y
y y y y y y y y y y

RHOMBI formam omnium maximè necessariam venisse in vsum creditur, eò quòd præ cæteris omnibus constituto præfecto turmæ, equites qui in lateribus ordinantur, non equo suo illi præfecto iugent, sed ita subiiciantur, vt eorum capita iuxta armos equi præfecti apponantur. Interuallisque inter sese iustis equites tum dextri, tum læui, tum etiam posteriores discernantur, ne frequentia turbet ordinem, cùm equi immitiores in proximos sibi equos conuersi calcitrent, & militibus vulnera infligant. Auctores autem huius generis aut ita disponunt, vt equites & versent & iugent: aut ita, vt versent quidem, sed non iugent: aut ita, vt iugent, sed non versent. Quæ singula, quemadmodum se habeant, dicam. Qui Rhombos simul & versare & iugare voluerunt, medium & maximum iugum turmæ, numero impari statuunt: vt vndecim, aut tredecim, aut quindecim, cui ex parte vtraque, priore, inquam, posterioreque adiungunt binario primis illis pauciores: verbi gratia, si maximum illud iugum equitibus constet quindecim, addita iuga vtrinque denis aut ternis componunt, & quæ item post hæc vtrinq. adiungunt, denis singulisque conficiunt, atq. ita binario subinde pauciores adiiciunt dum singuli relinquantur, totaque turma equitibus consumetur CXIII.

Rhombus,

Rhombus, qui verſat & iugat.



RHOMBVM dimidiatum, & iam transformatum in triquetrum, cuneum ſeu roſtrum vocamus. Quapropter cunei quoque forma perinde explicata iam eſt: quod aciei genus, cùm ſuum medium exiens in acutum habeat, & motum facilè, quorſum velit, ſortiatur, expeditè admodum vel †molem poſteriorem ſua cum fronte circumagit, & celeriter poteſt immutari. †Laxitatem.

Cuneus, qui verſat & iugat, vel roſtrum.



ALII ita inſtruxere, vt equites, qui rhombum conficerent, neque verſarent, neque iugarent. Ita enim & conuer-

conuersiones & transitiones equitum posse facilius fieri existimarunt, cùm non antè, non ponè, non à latere quicquam impediret. Statuunt primum præfectum turmæ, mox ad eius vtrumque latus adiungunt singulos loco submissiore, vt quod dictum iam est, capita iunctorum equorum iuxta armos præpositi equi ordinentur. Et primus ordo, qui duo latera Rhombi contineat, numero impari vndecim equitibus constet, præfecto medio constituto, quinis autem in vtramque partem suppositis. Deinde iugi principem post turmæ totius præfectum collocant. Tum in eius partem vtramque simili ratione quaternos subiiciunt, vt totus secundi ordinis numerus nouenarius sit, binario minor priore: & quasi duo æquidistantia latera duobus illis Rhombi lateribus primis constituantur. Mox tertium septenario describunt, atque ita subinde binario diminuentes, in vnum vsque deueniunt. Et hæc turma equitibus cōstat xxxvi. Hoc genere Polybius vtitur, sed numero hominum sexaginta quatuor, & forma literæ λ, deorsum inuersæ v.

Rhombus, qui neque versat, neque iugat.



Svnt quæ ex versantibus quidem, sed nō præterea ex iugantibus constent, quæ ad hunc modum constituuntur. Versu aliquot equitibus instituto, quorum primus præfectus sit turmæ, vltimus autem tergiductor, in eius latus vtrumque versus alios numero hominum vnitate minores disponens, qua eques per interiecta intervalla distat ab equite. Quod si in primo decem sint

equites,

equites, vterque appositus nouenis constabit, & tertij octonis, atque ita numerus subinde decrescet, dum in vnum deueniat: sic enim fieri potest, vt equites inter se versent quidem, sed non iugent. Vtile genus quoque id disponendi est ad declinationes, quas agi in vtrumlibet latus solitum est.

Vocatur autem, quæ ad dextram fit, in hastam declinatio: quæ autem ad læuam, in habenam.

Turma ex versantibus.

Præfectus.



Rhombus versans, non iugans.

Tergiductor.

At si turma ex iugantibus quidem, sed non ex versantibus consistere debeat, in hunc modum dispones, medium & maximum iugum numero constitues impari. Cætera autem subinde per media interualla adiunges, quemadmodum in superiore turma proposui, atque ita efficietur, vt turma ex iugantibus tantùm consistat.

Turma

Turma ex iugantibus.



TVRMAS vario modo, vt etiam leuem armaturam ſtatuimus: aut enim ante phalangem, aut in latere, aut poſt leuem armaturam: ſed nos deſcribendi exempli gratia poſt leuẽ locauimus. Et prima equitibus conſtet ſexaginta quatuor, cuius primũ iugum equites compleant quindecim, ſecundũ tredecim, tertiũ vndecim, & reliqua ſubinde binario vſq. in vnũ decreſcant. Signum is feret, qui in ſecundo iugo à læua principi iugi aſtat. Omnes turmæ numero ſexaginta quatuor ſtatuentur, equites quatuor millia *CXVI. Duæ turmæ Epilarchiã, hoc eſt, turmam duplarem cõſtituunt, equitũ CXXVIII. Duæ duplares Tarentinam reddunt, equitum CCLVI. Duæ Tarentinæ magiſterium, equitum DXII. Duo magiſteria Ephipparchiã duplare magiſterium, equitũ MXXIIII. Duplicatum duplare magiſterium telos, equitum 2 mill. 48. Duplicatum telos epitagma, id eſt, ſummam ordinis ſiue agminis facit, equitum quatuor mill. XCVI. Explicatæ iam ſunt variæ ſententiæ veterum, quemadmodum turmæ inſtruantur, ſed quoniam in his magnam differen-

XCVI.

differentiam esse constat, non sine delectu vti debemus, sed quotidianis exercitiis sæpius experiri genera instruẽdi singula. Itaque securè in præliis, quod facilius commodiusque probetur, admittere, officium est. Quid enim stultius, quàm cùm minimis de rebus homines diligenter inquirant, ambigant, perscrutentur, de his tam amplis, tam necessariis non antè periculum facere accuratissimè velint, quàm certamina subeant? Quod tamen genus turmæ probaueris, id licet & augere numero hominum, & minuere.

De curruum & elephantorum institutione, quãquam vsus eorum ratus est, tamen doctrinæ gratia plenioris, exponam nomina, quibus auctores superiores vsos comperio. Duos currus zygarchiam, id est, patilem vocãt. Duas pariles, coniugationem. Duas coniugationes, epizygarchiam, duplarem coniugationem. Duas duplares, harmatarchiam currulem. Duplicatam currulem, cornu. Duplicatum cornu, phalangem. Pluribus vti phalangibus curruum licet, vocabulis iisdem, quæ modò exposui. Curribus autem ipsis, aut expeditis, aut falcatis vsos comperimus. In ordine elephantorum, qui vni præest elephanto, zoarchus, ab animalis præfectura vocatus est: qui duobus imperat, therarchus à fera, quasi ferarius; & constitutio talis therarchia, feraria. Qui quatuor dominatur, epitherarchus, duplicaris ferarius: & hæc constitutio epitherarchia, duplaris feraria. Qui octo præfectus est, Ilarcha, hoc est, turmæ princeps; & cõstitutio ista ilarchia, turmæ præfectura. Qui sexdecim præest, elephantarcha, id est, elephantorũ præfectus: & constitutio elephantarchia, præfectura elephantorũ: qui triginta duobus imperat, ceratarcha, id est, cornu præfectus: & cõstitutio, ceratarchia, cornu præfectura. Quod autẽ ex sexaginta quatuor constat, id phalangẽ vocamus elephantorũ, cuius præfectus Elephãtarcha vocatus est. *Phalangarchia.*

GENERA perfectarum copiarum, & nomina constitutionum & ordinũ exercitus, omnia in hunc modum notata animaduertimus; vocabula de cetero, quæ in præceptis versantur, explicasse vtile est: vt iam pridem milites quid quodque significet certiores, facilè quæ per aciẽ imperantur, intelligere possint, & facere. Est quod declinatio appelletur, cuius duplex est genus: aut enim in hastam, aut in scutum. Immutationem item dicimus, & conuersionem, & reuersionem, & inflexionem. Ad hæc versare, iugare, reddere in arrectum, euoluere, duplicare. Addo inductionem, dextram deductionem, læuam deductionem. Phalangem transuersam, phalangem arrectam, phalangem obliquam. Intercalationem, præpositionem, impositionem, suppositionem, postpositionem, appositionem. Quid quodlibet eorum significet, breuiter exponam.

Declinatio.

NEC ignoro, non apud omnes auctores præcepta eisdem esse nominibus tradita. Declinatio est motio militum singulorum, cùm vel in hastam, hoc est, dextrorsum se se cõuertunt, vel in scutum, hoc est, sinistrorsum. Quod commodè agitur, quoties hostes existunt à latere cornu, vtique superandi, aut aduersi itineris gratia, aut ob aliquem vsum alium, quemadmodum singulis in rebus ostendam. Duplicata autem declinatio partem versus eandem, ora militis in hostilem à tergo conatum transfert. Quæ res immutatio dicitur, & vel in hastam, vel in scutum fieri solita est.

Declinatio in scutum & in hastam.

d d *Prima statio ante declinationem.*

p p *Prima declinatio.*

P P *Secunda declinatio, & quæ Immutatio dicitur.*

DISCRIMEN duplex notatur immutationis: aut enim ab hostibus, aut in hostes immutantur. Quamobrem

obrem immutationem ita definiunt, vt prioris aſpectus tranſlatio ſit in aſpectum poſteriorem, hoc eſt tergi, aut è contrario. Immutatio igitur ab hoſte, bis in haſtam milite declinante efficitur. In hoſtem autem, bis declinante in ſcutum fieri aſſolet. Conuerſio eſt, cùm denſatis copiis per aſtitem ſubſtitemque, totum phalangis corpus, tanquam hominem vnum, vel in haſtam vertimus, vel in ſcutum, ita vt circa primum decurionem, velut centrum omnes circumagantur, atque ita locum priorem immutent, vt aſpectum dextrum accipiant, ſingulis ſubſtitibus & aſtitibus loca ſeruantibus, ſuo hoc modo:

Diſcrimen.

Prima ſtatio aciei.



Reversio eſt conuerſionis reſtitutio in eundem locum, quem antè copiæ denſa inſtructione obtinebant, quàm conuerſio fieret. Inflexio eſt militum ex duabus conuerſionibus motio, ita vt locum accipiant poſteriorem.

Reuerſio Anaſtrophe.
Inflexio καμπὴ.



DEFLEXIO est militum ex tribus conuersionibus motio, ita vt si ad hastam agantur, transeant in læuum aspectum: si ad scutum, in dextrum.

Prima conuersio in scutum.



VERSARE, est singulos sua in decuria è directo decurioni & tergiductori constare æqua inter sese conseruan-

seruantes interualla. Iugare, est singulos sua in decuria è directo suo astiti stare, seruantes simili modo interualla. Iugant ergo præfecto primæ decuriæ omnes decuriarum præfecti. Substiti verò primi præfecti substites ceterorum omnium principum, ac deinceps ad hunc modum. Reddere in arrectum, est militis ora ad primum aspectum restituere. Verbi gratia, si miles aduersus hostes constitutus imperetur declinare in hastam, deinde præcipiatur in arrectum restitui, rursus in hostem conuerti, aduersumque stare oportebit. Euolutionum duo sunt genera, alterum per decurias, alterum per iuga. Vtrumque in tres digeritur species, Macedonicam, Laconicam, Choreum, quæ & Persica & Cretensis nominatur. Macedonica est, quæ primorem phalangis locum commutat, & frontem in tergum aspectumque posteriorem traducit. Laconica est, quæ locum phalangis posteriorem commutat: & pari ratione relicto primore aspectu, sumit posteriorem, tergumque efficit frontem. Persica illa, quam & Cretensem & Choreum diximus nuncupari, locum eundem seruare phalangis, militibus singulis commutantibus sua loca, ita vt præfectus decuriæ locũ tergiductoris accipiat, & tergiductor vicem præstet decurionis, fronsq. ex tergo aspectui posteriori reddatur. Euolutiones per iuga fieri solent, quoties cornua transferri ad intercisa siue secturas, & intercisa ad cornua melius est, vt mediæ copiarũ partes corroborentur: & aut dextræ per læuas, aut læuæ per dextras reddantur validiores. Qui ne per maiores exercitus partes faciant euolutiones, cauent hoste propinquo, per minores ordines eas securius faciunt. Quemadmodum autem euolui oporteat, dicam. Euolutio per versum, quæ nomen à Macedone accipit, fieri solet, cùm decurio locum immutat, & postpositi omnes conuersi de hasta sequuntur, interuallisque iisdem seruatis, & consistunt

Reddere in arrectum.

per ordinem. Genus Laconicum agitur, cùm decurio immutatus de hasta vniuersam decuriam transfert, & locum sibi parem alium accipit, & reliqui omnes sectantes recto se constituunt ordine, & aprant, aut cùm tergiductor immutatur. Primus autem subsistens, conuersus de hasta ante tergiductorem se collocat, ceterique omnes sectantes, alter sese præ altero ponit, donec præfectus decuriæ primus constituatur. Choreus ita fit, vt decurio de hasta mutatus decuriam antecedat, & ceteri omnes sequantur, dum ipse præfectus locum tergiductoris accipiat, & tergiductor præfecti. Ita per decurias euolui solitũ est. Quo eodem more per iuga quoq. euoluimus, quoties per ordinem euoluendum sit, vt quilibet ordo aut locũ seruans eundẽ euoluat, ac [sinistrorsum] dextrorsúmve transeat. Nihilo enim secus, quàm modò retulimus, agi oportebit. Duplicandi duo sunt genera: Aut enim per iuga, aut per altum duplicamus. Vtrumque vel numero fit, vel loco. Numero duplicabitur longitudo, si quæ M. XXIIII. militibus constat, MM. XLVIII. reddatur, insertis ex subsitibus altitudinis in militum interualla eodem quem longitudo occupat loco: quod facimus, quoties densare longitudinem placet. At vbi restituere placuit, euoluere sua in loca iubemus eos, quos inseruimus longitudini. Sed sunt, qui genus hoc duplicandi improbent, præsertim hoste propinquo, expeditasque copias atque etiam equites cornibus iungi, itaque speciem dari duplicationis sine duplicandi accessione censeant. Duplicanda est longitudo, quoties aut superare cornu hostium volumus, aut ne nostrum superetur, cauemus. Altitudinem duplicare solemus, vel addita secunda decuria primæ, ita vt secundæ præfectus ponè primæ præfectum proximus collocetur, secundus secundæ, quartus primæ constituatur, & tertius secundæ, sextus primæ ordinetur: ac deinceps ad hunc modum, vt

dum, vt tota secunda decuria primæ inseratur, & quarta simili ratione in tertiam: & omnes numero pares decuriæ in impares, vel his eisdem decuriis paribus per euolutionem adiunctis tergo imparium. Aut igitur ita duplanda est altitudo, aut numero eodem seruato, milites sese longius porrigent, quatenus suæ versum, & spacium altitudinis duplicent: cùm autem restitui oportuerit, aut interiectos adiunctósve tergo milites illos, in suas decurias reuocabimus, aut spacia coarctabimus, quæque interuallo auximus laxiore.

TRANSVERSA est phalanx, quæ longitudine multò productiore cõstat, quàm altitudine. Arrecta est, quæ per cornu progreditur, longè productiore altitudine constans, quàm longitudine, omninoque plus longitudinis, quàm altitudinis habeat: oblongum id consueuimus nominare. Arrectum verò è directo, quod plus altitudinis, quàm longitudinis habeat: quocirca phalangem quoque interpretari licet his eisdem nominibus. Obliqua est, quæ alterum cornu, quod libuerit, propinquum obiiciens hostibus, eoque decertans, alterum semotius teneat, manens aggrediendi opportunitatem. Intercalatio est, cùm interuallis præpositi militis, inserimus per directum aliquos ex his, quos postponi placuerat. Præpositio est, cùm vel ex vtraque parte aciei, vel ex altera tantùm fronti proponimus aliquos ratione auxilij. Impositio est, cùm leuem armaturam interuallis alternatim phalangis totius inserimus. Postpositio seu subiectio est; cùm leuem armaturam phalangi incuruæ postponimus, ita vt forma omnium copiarum portæ triplicis speciem præferat.

SEQVITVR, vt quemadmodum ordines conuerti ex suo loco, suæque institutioni restitui debent, doceamus. Cùm itaque ordines conuerti in hastam assuescere volumus, præcipitur decuriam dextri extremi quiescere:

ceteras omnes per singulas declinare in hastam, dextrorsumque procedere, tum reddere in arrectum: deinde iuga posteriora colligere, atque ita densato milite conuerti in hastam. Quo facto, si restitui suum in locum placuerit, iubebimur immutari ad scutum, hoc est, quēque in locum vergere auersum, tum ordinem totum reuerti, hoc est, quemadmodum milite obdensato conuersus spectauit dextrorsum, ita totum transferri in locum vnde conuerti inceperat. Mox decuriones quiescant, reliqui procedant per iuga. Deinde immutentur, vt vergant quorsum principio spectabant, tum decuria dextri extremi quiescat. Hæc enim suum iam obtinet locum, reliquæ omnes ad scutum declinent, & procedentes restituantur. Ad postremum sursum præcipitur. Itaque suum quisque recipit locum, & seruat. At si conuertere ordinem ad scutum velimus, præcipitur decuriam læui extremi quiescere. hæc enim suam iam habet positionem, reliquos omnes declinare in scutum, sinistrorsumque procedere, tum reddere in arrectum. Deinde iuga posteriora colligere, mox ad scutum conuerti, vt iam actum sit quod voluerimus; hinc si restituere placet, non secus quã illos in hastam conuertos restituemus: quippe qui rursus quemque in hastam immutari præcipiamus, deinde ordinem reuerti, mox decuriones quiescere, & reliquos omnes procedere per iuga, tum immutari, postmodum decuriam læui extremi quiescere, vtpote suum iam locum obtinentem: reliquas declinantes in hastam procedere, dum iusta recipiant interualla: ad postremum reddere in arrectum, atque ita omnes suum locum recipient. Si autem inflectere ad hastam placuerit, duas simul conuersiones ordinis faciemus. Itaque efficietur, vt decuriones à prospectu aduerso in auersum per ordinis immutationem transeant. At cùm restituere volumus, præcipitur item ad hastam inflectere, hoc est, duas item

conuer-

conuersiones ibidem ordinibus dare. Ita enim fit, vt eodem spectent decuriones, quorsum principio constituti spectabant, antequam vlla inflexio fieret. Hæc cùm fecerimus, decuriones quiescere præcipiemus, reliquos immutatos iuga relaxare posteriora, tum rursus mutari, & ordinis postremam decuriam dextram quiescere. Iam enim hæc suum in locum restituta est, reliquos declinantes in scutum, procedere, & suis interuallis restitui, mox reddere in arrectum. Itaque ordines primũ suumque locum recipient. Sed si inflectere ad scutum velimus, præceptis vtemur contrariis, hoc est, bis inflecti in scutum: quo facto, restitutionem agemus: quod ex his, quæ modò expositi, apertum iam est. Deflexio agitur, cùm ordinem ter partem versus eandem conuertimus, hoc est, aut in hastam, aut in scutum: facit porrò inflexio in hastam, vt militum ora transferantur à parte primore ad posteriorem. Deflexio autem facit, vt à primore vel ad læuam deueniant, vel ad dextram: nam si ad hastam deflectitur, in læuam transfertur: si ad scutum, in dextram. Si phalangem densari cornu versus dextrum placuerit, præcipiemus decuriam cornu dextri quiescere, reliquas autem declinari in hastam, atque in dextram colligere, tum reddere in arrectum, & iuga posteriora colligere. Cùm autem restituere libet, quiescere decuriones, reliquos immutari, & iuga relaxare posteriora: deinde rursus mutari, mox decuriam cornu dextri quiescere. Iam enim restitutum in dextro est: reliqui ad scutum declinantes suos duces sequantur, & primis interuallis receptis reddant in arrectum. Si autem cornu versus sinistrum densari phalangem libuerit, præceptis econtrario vtemur. Mediam item phalangem, si densari placuerit, præcipiemus dextram duplarem phalangem declinare ad scutum, læuam ad hastam, tum procedere mediam versus phalangem, mox omnes reddere in ar-

rectum, iugaque posteriora colligere. At si phalangem primis instituere locis velimus, præcipitur immutari,& per iuga procedere, excepto primo : tum omnes rursus mutari, & dextram duplarem phalangem declinare in hastam, læuam autem in scutum : mox sectari suos ductores donec ad prima deueniat interualla. Deinde reddere in arrectum. Sed quoties immutatur,si per densationé agitur, erecta teneri spicula omnia, ne impediant, conuenit. Iis eisdem exercitiis ac præceptis leuis quoque armatura instituenda erudiendaque est. Sunt certè præcepta hæc Immutationum, Conuersionum, Inflexionum, Euolutionum, & Restitutionum vtilia ad subitos hostium superuentus, quos vel à latere vel à fronte intulerint. Macedonicam euolutionem Macedones inuenisse proditum est. Laconicam ad Lacedæmonios referunt auctores,quocirca ita nuncupari meruerunt. Philippum tamen , qui Macedonum imperium auxit, & Græcis apud Cheroneam profligatis,Græciæ imperauit, ac eius filium Alexandrum , qui breui Asiam in suam ditionem redegit, Macedonicam neglexisse euolutionem legimus, vt nisi summa vtendi necessitas cogeret, nunquam vterentur. Laconicæ vsu vtrumque aduersarios deuicisse ferunt. Datur enim Macedonicæ vitio, quòd hoste repentè à tergo superueniente,non sine magna turbatione ageretur. Nam cùm posteriores conuerterent sese in locum priorem , & rem haudquaquam fugæ dissimilem facerent, hostes audaciores reddebantur : & iam milites, qui ita euoluissent,deterrere ac persequi poterant.Laconica certè econtrariò agit. Vbi enim duces vnà cum sequente milite verterunt sese obuios in hostem à tergo superuenientem, terrorem inferre nimirum possunt & turbationem. Sed assuefaciendæ sunt copiæ,tam pedestres,quàm equestres,partim voce, partim signis, quæ visu percipi valeant, vt rem aptè ac opportunè,

portunè, quam quisque exigat vsus, possit expedire. Nonnulla etiam tuba præcipi conueniṭ. Ita enim plenius omnia ministrabuntur. Certiora sunt ea, quæ voce indicantur, nisi quid sit impedimento: sed tranquilliora, quæ signis mandentur, videlicet cùm res nulla est, quæ obstet atque obscuret. Vox autem percipi interdum non potest, aut propter armorũ sonitum, aut propter equorum transitum & hinnitum, aut propter impedimentorum tumultum, & totius multitudinis strepitum. Signa quoque multis rationibus obliterari possunt, ac euanescere. nam & crassitudine aëris, & puluere excito, & imbre, & solis splendore oppositò: ad hæc locorũ inæqualitate & frequentia arborum. Adde quod interdum fieri non potest, vt signum ad vnumquemque vsum præparemus, cùm longè plura possint occurrere, quàm quibus assuefacti sint milites. Nouis autem rebus quidnam consueti signi afferatur? Non tamen †concidi ita potest, vt præceptum simul & vocis & signi incertum sit.

† collabi simul omnia possunt,

De itineribus.

NVNC de itineribus dicam, si antè quot modis expediri solet iter, diffiniam. Itinerum aliud arrecta inductio est: aliud deductio, aut dextra, aut læua, & aut simplici, aut duplici latere, aut triplici, aut quadruplici agminis procedetur. Simplici, cùm ex parte vna aduersarium aggressurum suspicamur: duplici, cùm ex duabus: triplici, cùm ex tribus: quadruplici, cùm vndique. Vnde fit, vt aut ter, aut simplici phalange agatur, aut duplici, aut triplici, aut quadruplici. Arrecta inductio est, cùm ordo ordinem sequitur. Verbi gratia, cùm vel xenagia præcedente reliquæ sequuntur xenagiæ, vel quadruplarem decuriam reliquæ ordinatim sectantur. Item quæ agitur per cornu altitudine lõgè productiore, quàm longitudine: nec pluribus, quàm duabus decuriis, hominibus

minibus denis compoſiris conſtet ordo. Huic opponitur genus aciei, quod Cœlembolum, quaſi roſtrum cauum nominamus: quod ita inſtruitur, vt duplicatæ phalangis præcedentia cornua inter ſe diſtent, ſequentia iungantur, ad formam literæ V, ſicut deſcriptio oſtendit. Quæ vt primos diſiectos, ita iunctos inter ſe habet vltimos. Cùm enim arrecta illa inductio medium aduerſariorum petat, habet id cauum roſtrum in promptu, vt ſoluta coniunctione extremorum, impetum copiarum primarum fruſtretur, lateraque inuadat arrectæ inductionis inimici. Quin etiam triplex phalanx obiici huic eidem generi ita poteſt, vt vna alterius cornu impugnet, ſecunda reliquum cornu aggrediatur, media & tertia impetum maneat & conflictum.

Arrecta inſtructio.



Deductio eſt, cùm phalanx ſuos duces, hoc eſt, decuriones aut parte dextra habet deducentes, quæ dextra deductio dicitur: aut læua, quæ deductio læua nuncupatur: non item per decuriam, ſed per iuga ambulans, cornu præpoſito, & latere inſtructa, aut duplici, aut triplici, aut etiam quadruplici, prout hoſtem exiſtimet aggreſſurum. Sed quaſi vtraque phalangis pars ſuo latere conflictum ineat primum, ita deſcribatur, vt longitudinem triplicem, quàm altitudinē habeat. Frons enim x,

altitudo

altitudo tribus constat hominibus. Quamobrem miles non tantùm ex directo, verùm etiam ex latere aggressus, conflictum tum excipere, tum inferre, nimirum per exercitationem debet condiscere.

Arrecta deductio læua.

d d d
d d d
F d d d
r d d d
o d d d
n d d d
s d d d
d d d
d d d
d d d

Arrecta deductio dextra.

d d d
d d d
d d d F
d d d r
d d d o
d d d n
d d d s
d d d
d d d
d d d

PHALANX, quæ antistomus à duplici frontis, seu oris obiectu, quasi occeps vocata est, ita instruitur, vt medij tergis inter sese oppositis constent, extremi autem confligant cum aduersariis. Perutilis hæc pedestribus copiis est, cùm aduersus largam hostium equestrem copiam dimicant: melius enim resistunt circumuentioni, & multiplici equitum inuasioni. Valet hoc instruendi genus potissimum contra barbaros, qui loca Istro amni vicina incolunt: quos Amphippos cognominant, à mutatione equorum. ex aliis enim equis in alios transilire consueuerunt. Equestres, quæ opponuntur copiæ, forma constantes quadrata, in ordines duos parte altera longiores, pro vsus necessitate diuisæ sunt, vt totidem membris phalangis peditum bipartitæ obiiciantur. *Amphippi.*

Eque-



PHALANX amphistomus, nomen à duplici fronte, siue ore in lateribus instituto acceperat, ita vt latericeps quædam & anceps posset nominari. Similis superiori occipiti est, præterquam quòd illa suis extremis decertat, hæc suis lateribus dimicat. Cætera verò, quæ de superiore exposui, huic quoque conueniunt: omnia hastis longioribus, tam hæc quàm superior illa, pugnat; more Alanorum & Sauromatarum. Spectat decuriarum dimidium in partem priorem, reliqui conuersi sunt in posteriorem, ita vt dimidiati milites oppositis inter se tergis prælientur fronte duplici, altera priore, quam decurio-

nes

nes conficiant: altera posteriore, quam tergiductores: cùm etiam in duplarem phalangem copiæ diuidi possunt, vt frons prior altera constituatur phalange, posterior altera constet.

Phalanx anceps.



PHALANX duplaris antistomus, hoc est, occeps nuncupatur, quæ suos duces non extra per deductiones, sed intus aduersos inter se positos habeat: tergi autem ductores extrà, videlicet in dextram læuamque deductionem distinctos. Forma hæc instrui solet, quoties aduersarij equites forma rostri aggrediuntur. Cùm enim rostrum exeat in mucronem, ducesque sequentes de latere habeat, tentatesque frontem copiarum pedestrium rumpere, ne id eueniat, duces peditum in medio stant, vt impetum aduersariorum vel impediant, vel re infecta faciant præterire. Qui enim rostro instructi aggrediuntur, ea spe sunt, vt medios aciei profligent, omnesque turbent copias. Quod cùm principes copiarum pedestrium intelligant, vtraque parte sese veluti murum constituunt, & paulò inter se distantes, vergentesque ad locum penitiorem, impetum irritum reddunt aduersariorum. Genus id instruendi equestre, quod rostrum dicimus, Philippum regem Macedonum inuenisse, scribitur. Præponere ille strenuos omnes solebat, vt eorum

virtute

virtute miles quoque deterior contineretur, opusque vnà cum præstantioribus prosequeretur, more spiculi aut ensis, cuius acie pro sua soliditate, suoque acumine facilè transadigente, reliquum etiam ferrum, quanquam hebes esset, non sine efficacia penetraret.

Phalanx duplaris occeps.

Frons.



Rostrum equestre.

PHALANX duplaris Peristomus seu Amphistomus, id est latericeps siue anceps illa est, cuius partes per deductionem cornu præposito obliquè procedant, & dextra habeat præfectos, & læua tergiductores *intus*. Cùm enim aduersa acies quadra diuidat se in duo obliqua cornua, dextrum & sinistrum, cupiens aciem hostium similem circumuenire, hac de causa, qui circumuentum sibi vident imminentem, in duplicem mobilem phalangem sese afformant, & partem sui alteram in læuum dirigunt cornu, alteram vertunt in dextrum. Vnde nomen Peristomi, hoc est, latericipitis, genus id accipit. Quippe quod latere suo vtroque spectantem in hostem habeat.

Phalanx

Phalanx duplaris latericeps.



Amphistomus.



Similiceps.

PHALANX homœostomus, à similitudine oris seu frontis nominata, quam similicipitem appellarim, ita fit, vt decuriam perfectam, hoc est, hominum sexdecim, mouentem in hostem sequatur alia similis: vnde homœostomus dicta est. Nam & qui sequuntur, simili

fronte & forma comitantur. Opponitur hæc generi aciei, quod plinthum à latere vocant : quem si placet, Laterculum dices. Ordinatur id genus tam forma, quàm numero æquilaterum. Forma, inquam, cùm vndique æqualibus constet spaciis. Numero autem cum quot hominibus longitudo componatur, totidem etiam altitudo. In hoc eodem ordinis genere omni ex latere armatos apponi solitum est, nullo vel sagittario, vel funditore adiuncto. Conficitur hic laterculus ex duabus dimœriis: decuriæ namque dimidium dimœriam dicimus. Cùm enim decuria sexdecim constare hominibus debeat, dimœria octo constat. Bipartita id interpretetur, si placet, quoad melius vocabulum inuenerimus.

Phalanx similiceps.

P P P P P P P P P P
P P P P P P P P P P

Frons.

P P P P P P P P P P
P P P P P P P P P P

Frons.

d d d d d d d
d d d d d d d p.
d d d d d d d p.
d d d d d d d p.
d d d d d d d p.
d d d d d d d p.
d d d d d d d p.

Laterculus.

PHALANX duplaris Homœostomus, cùm partes æquali progredientes itinere, aut in dextra deductione ambæ continent suos duces, aut in læua.

Duplaris

Duplaris similiceps.

d d d d d d
d d d d d d
d d d d d d
d d d d d d
d d d d d d
d d d d d d
d d d d d d

PHALANX Heteroſtomus à frontis diuerſitate appellata, quam Verſicipitem dixerim, ita inſtruitur, vt ambulans per inductionem duces ordinis præcedentis habeat (vt fit) in dextra deductione, ſequentis autem in læua, ita vt ordines alternata principum locatione procedant. Nullus enim eodem latere ſuos continet principes, quo antecedens.

Phalanx verſiceps.

d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d

TVRMAM, quæ ad ſpeciem oui inſtruitur, Ilion Theſſalus excogitarat, vnde Ile vocata eſt, ſuosque Theſſalos eo ipſe genere inſtruendi exercuit. Vtile hoc eſt, cùm ſingulis ſuis angulis habeat principes. Primum

Ilarcham, hoc est, turmæ præfectum: vltimum tergiductorem, vtrinque autem lateris custodes. Opponitur huic acies, quæ forma lunæ cornibus in partem ductis priorem formetur, ducesque suis in cornibus habeat, & suis brachiis circumuenire aduersas equitum copias tentet. Quamobrem ille more Tarentinorum à longè iaculantur, circularem retorquentes accessum & turbantes. Tarentinos iaculatores appello, sicut inter initia operis dictum est, à Tarento Calabriæ oppido, cuius equites paruo quodam iaculo vti consueuerunt.

Turma ad oui speciem.

Acies Lunaris.



TVRMA parte altera longior duplici altitudine constat, quàm longitudine. Vtilis hæc multifariàm est, quippe quę possit decipere aduersarios, quasi paucos contineat milites (quoniam non multum latitudinis occupet) & rumpere facilè pro sua densitate & impetu aciem aduersam. Apta etiam est, vt sensim per locorum angustias transeat. Opponitur ei pedestris acies, quæ transuersa phalanx vocata est: porrigit enim se longiùs, vt etiam, si interrumpatur, exigua sit quæ rumpitur altitudo, & equitum impetus non in multitudine hæreat, sed in vacuum breui efferatur. Hæc enim caussa est, cur multiplicem ad suam altitudinem habeat longitudinem.

Turma parte altera longior.

y y y
y y y
y y y
y y y
y y y
y y y
y y y
y y y
y y y
y y y

Frons.

d d d d d d d d d d d d d d d
d d d d d d d d d d d d d d d

Phalanx transuersa.

EST & altera turma oui similitudinem gerens, de qua nihil amplius dici potest, quàm ita esse compositam, vt versetur quidem, sed non iuget. Nam eius vsum commoditatemque superiùs expoluimus. Ergo genus id inuentum ab Ilione Thessalo, mandatum post exercitationi ab Iasone Medeæ marito. Tutum etiam & percommodum esse, cùm vndique custodiatur decurione, tergiductore, custodibus lateris, apertum iam est. Constat hæc turma ex equitibus sagittariis more Armeniorum & Parthorum. Opponitur ei acies pedestris, quæ Epicampius emprosthia dicitur, id est, inflexa antica, ob eam rem, quia ductis cornibus in partem priorem in sinum se circumagit, flexumque imitatur. Fraudem hæc in sagittarios equites ita emolitur, vt vel egressos & cominus dimicantes, suo complectatur sinu, & circumuegniat: vel cornibus suis perturbet illorum robur, & frangat, atque ita medio milite alacriore possit euincere.

Turma ad oui ſpeciem.



d d d d d d d
d d d d *Frons.* d d d
d d d d d d d
d d d d d d d d d d d
d d d d d d d d d d d
d d d d d d d d d d d
d d d d d d d d d d d

Phalanx inflexa antica.

QVIN etiam genus habetur phalangis, quæ Epicampius opiſthia dicitur, contrario modo quàm ſuperior informata. Cùm enim illa ante ſe flectat, hæc ſua cornua in partem ducit poſteriorem, itaque vt illa antica, ſic hæc poſtica nominetur. Vtilis ea quoque ad fraudem eſt: quippe quæ parte media patens, paucos qui præcedant, oſtendat: multos autem, qui ponè ſubſequantur habeat: vt ſi conflictum tolerarint ſuperarintque, ſatis ſit: ſin minus, facilè ad vtramque ſuorum partem recurrere, iungíque maiori ordini valeant. Quæ autem contra id genus opponitur, incurua ob id appel-

lata

lata est. quoniam in portionem flectitur orbis. Studet hæc suas copias paruas esse ostendere frontis incuruæ ratione. Quippe cùm omnia quæ in orbem globúmve formantur, parua suo quidem ambitu esse videantur: quanquam si explicentur, in duplum se porrigunt: quod liquidum in columnis est, quæ cùm in orbem se colligant, vndecunque aspiciantur, dimidium sui tantùm patêre patiuntur, reliquum penitus occultant. Est autem optimum instruendi artificium, vt plus inferas aduersariis copiarum, quàm primo aspectu ostendas.

Inflexa postica.



Frons.



EQVESTRIS phalanx quadrata, etsi forma seu figura quadra instruitur, tamen non numero quoque aptatur quadro. Haud enim in quadratis numerum certo modo describimus. Sed licet etiam duplicem ad altitu-

dinem reddere longitudinem, videlicet pro vsu imperatoris. Persæ potissimum forma hac vsi sunt, & Siculi & Græcorum complures, cùm & facilem esse instructum animaduerterent, & vsum commodiorem. Opponitur ei phalanx pedestris, quod rostrum vocamus, ita instructa, vt latera omnia armatis composita habeat. Translata hæc forma ab equestribus rostris est. Verùm in ordine equestri vnus in fronte primore satis sit. At in pedestri non vnus occursioni hostium sufficit, sed tres propugnent necesse est. Sic Epaminondas Thebanus Imperator, cùm apud Leuctra aduersus Lacedæmonios decertaret, constipatis in rostrum copiis, ingentem exercitum profligauit. Effici genus instruendi hoc solet, quoties duplaris antistomus, hoc est, anceps illa sua cornua priora coniungit, posteriora seiungit, ad formam litteræ V, deorsum inuersæ Λ.

Phalanx quadrata equestris.



Phalanx

Phalanx implexa.



GENVS, quod Plæsium parte altera longius appellamus, multiplici longitudine, quàm altitudine constare, & omni ex latere armatis componi sagittariis ac funditoribus constitutis in medio, solitum est. Qui contra eiusmodi formã præliantur, genus phalangis, quam implexam vocamus, obiiciunt, vt suæ formæ inæqualitate prouocent Plæsium aduersum impetum facere in eos, qui prominent, atque ita resoluant densam Plæsij instructionem. Et quidem decuriones implexæ phalangis duces aduersos obseruant, vt si densa acie illi agant, ipsi quoque densa excipiant. Sin illi resoluantur, ipsi etiam diuisi occurrant.

PHALANGIS circumuentio est, cùm cornu vtrumque superat aduersarios, hoc est, excedit, & quasi cõplectitur.

Circumuentio phalangis.



ALTERIVS cornu circumuentio eſt, cùm altero cornu hoſtem ſuperamus. Vnde fit, vt qui ſua phalange ſuperat, idem etiam cornu ſuperet aduerſarium: qui autem cornu ſuperat, non propterea idem phalange ſuperet. Fieri enim poteſt, vt etiam paucioribus copiis hoſtem ſuperes tuo cornu, & complectaris.

Circumuentio alterius cornu.



EXTENVATIO eſt, cùm altitudo phalangis contrahitur, vt CX. XVI. quibus conſtat hominibus redigatur in pauciores.

IMPEDIMENTA haberi in primis neceſſarium eſt, & ducem iis conſtituere probum cõuenit. Modis quinque poſſunt duci impedimenta. Aut enim præcedent copias omnes, aut ſequentur, aut in alterutro latere conſtituentur, aut in medio copiarum claudentur. Ponentur ante phalangem, ſi hoſtilem agrum ingredieris. Poſt phalan-

phalangem, si latera metuis. Intra phalangem, si planum agmen placuerit ducere.

POSTREMO præcepta repetemus, colligemusque omnia acierum instruendarum, si prius admonuerimus breuiter, quicquid præcipi vsus exigat, id & breue esse & omni ambiguitate carere oportere. non enim solùm celeritate est opus, verùm & claritate vocabuli, ne alij hoc, alij illud, & plerumque contrarium faciant. Verbi gratia, si dixeris, declina: verbo hoc audito possunt alij declinare in hastam, alij in scutum, quæ res non parum inferet perturbationis. Cùm itaque generis ac totius loco habeatur vocabulum illud, declina, adiungere debemus ad hastam, aut ad scutum, prout res exigit: & quidem antè, vt pars toti anteponatur: hoc modo, Ad hastam declina: ita enim omnes idem sine errore facient. Item immuta, aut euolue, generis præfert communitatem: quam ob rem partem siue speciem præponemus, vt, in hastam immutare. Sic itaque præcipiemus, Laconicam euolue, Macedonicam euolue, Choreum euolue. Nam si euolue Laconicam dixeris, aut euolue Macedonicam, eueniet, vt diuersæ euoluendæ agantur species. Hac igitur ratione cauendum est, ne quid ambiguè, ne quid obscurè incertèque præcipiatur: & vt species suis anteponantur generibus, seruandum omninò est. Iuuat porrò ad eam rem plurimum silentium militum. Quocirca silendum in primis attendendumque imperabis: quod Homerus quoque poëta præclarè illis carminibus notat:

Sic Argiua phalanx in prælia densa moueri:
Assiduè paritérque suos dux quisque regebat
Imperitans: alij mox festinare silentes.
Dixeris haud tantas gentes sub pectore vocem
Condere, conspecti metuentes principis ora.

Barbaro-

Barbarorum contrà tumultum & turbam pecori ita comparat:

Ac veluti innumeræ domini locupletis in aula
Ad mulctram coguntur oues, balatibus illæ
Perculsæ charæ sobolis, voce omnia replent,
Sic Troum audiri per campos vndique clamor.

Et alibi eadem de re ita refert:

Tum Phryges ingenti strepitu & clamore feruntur,
More gruum passis liquido super aëre pennis.
Quæ postquam gelidas hiemes imbrémque niualem
Fugêre, Oceani repetunt clangoribus vndas.
Ast animos taciti spirantes ire Pelasgi,
Alter in auxilium alterius properare parati.

AGE ad arma, adsiste ad arma, impedimenta à phalange secedant. Miles attendat præceptis, suscipe, recipe, dicta, erige spiculum, versa, iuga, respice præcedentem, suam decuriam dirigat tergiductor. Constituta interualla conserua, ad hastam declina, collige, ita consiste, in arrectum redde, ad scutum declina, collige, ita consiste. Ad hastam immutare, collige. Ita consiste. Altitudinem duplica, restitue. Laconicam euolue, restitue. Macedonicam euolue, restitue. Choreum euolue, restitue: ad hastam conuerte, restitue ad hastam: inflecte, restitue. Hæc de aciebus instruendis habui, quæ breuiter ad te scriberem, Imperator, tibi victoriam, hostibus profligationem allatura. Vale.

FINIS.

MODESTI

DE VOCABVLIS REI MILITARIS LIBELLVS,

AD

TACITVM AVGVSTVM.

NOBILISS. AC GENEROSISS. IOAN. GVILIELMO A SPANGEN, D. IN SPANGEN, BOVDRY, &c. ET WALRANDO AB HAEFTEN, D. IN HAEFTEN, HERWIINEN, &c.

GODESCALCVS STEWECHIVS S. D.

VT *reliqua omnia; itidem prudenter & grauiter inprimis à C. Salluſtio hoc ſcriptum eſt:* Maiorum gloria poſteris quaſi lumẽ eſt, neque bona, neque mala illorum in occulto patitur: *quam quidem ſententiam animis veſtris, Nobiliſſimi ac generoſiſſimi adoleſcentes, impreſſam ſi ſeruabitis; quod equidem facturos non diffido; numquam non meminiſſe potcritis quantum oneris vobis cum honore impoſitum ſit. Parentes vterque in aulis principum educatos laudare, natales longos, ac illuſtrem proſapiam recenſère poteſtis. Taceo quæ in lubrico maximè poſita ſunt, corporis, & fortunæ bona. Omnia hæc ego aliena deputo, propria verò illa, quæ neque hereditaria ſunt, nec caſu pendula: hoc eſt bonas artes, atque animis veſtris inſita virtutum & ſummi boni ſemina. Imagines maiorum circumſpicere lubebit, occurrent vndequaque qui patrum, auorúmque laude non contenti, ipſimet nomen rebus bello ac pace geſtis auxerint. nobilitatis veſtræ antiqua*

antiqua initia, egregia virtutum exempla domi proposita conspicitis. quare (vt quidem adhuc pro virili facitis) conandum vobis institutioni meæ, & exspectationi amicorum respondeatis. Ea in re quibus adminiculis opus sit non ignoro. tum & illud probè scio, neque scientiam, neque prudentiam vobis defuturam, quibus cum rebus vestris aliquando superesse, tùm præesse subditis queatis. In excolendo ingenio, moribúsque vestris formandis, dico audacter, strenuam operam nauaui. imò ab ea hora, qua meæ fidei commissi estis, nihil mihi antiquius fuit, quàm de vobis, & per vos de rep. bene mereri. Dum artibus liberalibus vos imbui, in Historiarum lectione præiui, iuris elementa edocui, numquam in vobis discendi studium, numquam obsequendi officium requisiui. nunc porrò, si lectio iuris molestior, si fastidiosa vobis videbitur; at historiam è manibus numquam deponite. Hæc rerum magistra est, exempla, quibus vita instituenda sit, tanquam in amplissimo orbis theatro spectanda proponit. hæc & secundam, & aduersam fortunam ferre docet: res gerere, prouincias, regna administrare volentibus historia non minus necessaria est, quàm in naui gubernator, in puppi clauus. Venio tandem ad libellum Modesti, quem de Vocabulis rei militaris inscriptum videtis. eum à me qualiter qualiter emendatum, id est collatum cum scriptis Vegetij, æquo animo accipite, & quid de nomine auctoris, quid de opusculo ipso censendum sit mecum expendite. Scio esse qui huic plagij notam inurere, & quasi Fl. Vegetij labores sibi suppositum

positum ierit, insimulare conati sint: veruntamen illi non animaduerterunt, puto, Vegetium sub Valentiniano Imperatore; Modestum sub Tacito floruisse. qui Tacitus tres Valentinianos, &, vnde genus illi duxere, Gratianum ipsum spacio XC. *& quod excurrit annorum præcesit. hoc amplius, epitomen tantùm ex diuersis bellicæ disciplinæ scriptoribus Vegetium confecisse, nemini potest esse incognitum: Modestus verò quis fuerit, suspicari facilius sit, quàm pro certo affirmare. Valete. A. D.* XIII. *Kal. Februarij.* ∞. D. LXXXIV.

MODESTI

MODESTI LIBELLVS, DE VOCABVLIS REI MILITARIS, AD TACITVM AVGVSTVM.

RES † militaris in tres diuiditur partes, equites, pedites, classes. Equitum alas dicunt, eò quòd ad similitudinem alarum ab vtraque parte protegant acies, quæ vexillationes vocantur à velo, quia velis, hoc est, * flammulis vtantur. Est & aliud genus equitum, qui legionarii vocantur, propterea quòd connexi sunt legioni. Verùm ipsi pedites in duas diuisi sunt partes, hoc est, in legiones, & in auxilia. Auxilia à sociis, vel fœderatis gentib. mittebantur. Legio autem ab eligendo appellata est, quòd vocabulum, eorum desiderat fidem atque diligentiam, qui milites probant. † Producendi verò tyrones sunt semper ad campum, & secundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi, ita vt primò simplex, & extensa sit acies, ne quos sinus, ne quas habeat* curuationes, sed æquali, legitimoque spacio miles distet à milite: * & præcipiendum, vt subitò duplicent aciem, ita vt in ipso impetu is, ad quem respondere solent, ordo seruetur. Tertiò præcipiendum, vt quadratam aciem repentè constituant, quo facto in * Tyronium, quem cuneum vocant, acies ipsa vertenda est: quæ ordinatio plurimum prodesse consueuit in bello. † Auxiliares, * cùm ducuntur ad prœlium, ex diuersis * moribus venientes, nec disciplina inter se, nec affectione consentiunt: & alia instituta, & alius inter eos est vsus armorum. Necesse est autem, * tardè ad victoriam

† *Vegetius lib. 2. cap. 1.*

* *legendum* flammeolis

† *Veget. lib. 1. cap. 26.*

* curuaturas,

* Tunc

* trigonum,

† *Veg. lib. 2. cap. 2.*

* conducuntur

* numeris

* tardius

riam peruenire, qui discrepant antè, quàm dimicent. Legionibus semper auxilia, tanquam leuis armatura, in acie iungebantur, vt in iis prœliandi magis adminiculum esset, quàm principale subsidium.* In omnibus auctoribus inuenitur, singulos cõsules aduersum hostes copiosissimos, non amplius, quàm binas duxisse legiones, additis auxiliis sociorum: tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, * vbi cuiuis bello duæ legiones crederentur posse sufficere. † Sciendum est * enim, in vna legione decem cohortes esse debere: sed prima cohors reliquas, & numero militũ, & dignitate præcedit: nam genere atque institutione literarũ viros electissimos quærit. Hæc enim susceipit aquilam, quæ præcipuum signũ in Romano est semper exercitu, & totius legionis insigne. Imagines Imperatorum, * has enim imagines, tanquam diuina, & præsentia signa singuli venerantur. Habet pedites mille cv. Equites loricatos CXXXII. & appellatur cohors milliaria: hæc caput est legionis. Ab hac [enim] cùm pugnandum est, prima acies incipit ordinari. Secunda cohors habet pedites *DLX, equites LXVI. & appellatur cohors quingẽtaria. Tertia cohors similiter habet pedites *DLX. equites LXVI. sed in hac cohorte tertia validiores * & probati milites, qui in media acie consistant. Cohors quarta habet pedites 555. equites 66. Cohors quinta habet pedites 555. equites 66. Sed quinta cohors strenuos desiderat milites: quia sicut prima in dextro, ita quinta in sinistro ponitur cornu. Hæ quinque cohortes in prima acie ordinantur. Sexta cohors habet pedites 555. equites 66. In * prima quoque * enucleati asscribendi sunt iuniores: quia in secunda acie post aquilam, & imagines cohors sexta consistit. Cohors septima habet pedites 555. equites 66. Cohors octaua habet pedites 555. equites 66. sed & ipsa animosos desiderat viros: quia in secunda acie consistit in medio. Cohors nona habet

Veg. lib. 2. cap. 4.

* vt

Veg. lib. 2. cap. 6.

* autem,

* *Aliter hæc apud Veg.*

* DLV.

* DLV.

* probati moris est, quia in m. a. consistit.

* ipsa

* enucleatim

habet pedites 555. equites 66. Cohors decimà habet pedites 555. equites 66. & ipſa bonos conſueuit accipere bellatores: quia ſicut in ſecunda acie ſexta dextrum, ita decima ſiniſtrum poſſidet cornu. Iis decem cohortibus legio plena fundatur, quæ habet pedites VI. mill. CV. equites DCCXXVI. Minor itaque numerus armatorum in vnaquaque legione eſſe * debet. Maior autem conſueuit eſſe: * & non tantùm vnam cohortem, ſed etiam alias milliarias, [ſi] fuerit iuſſa, ſuſcipere. † Tribunus maior, per epiſtolam ſacram, Imperatoris iudicio deſtinatur. Minor tribunus prouenit ex labore. Tribunus autem vocatur ex tribu, quia præeſt militibus, quos ex tribu primus Romulus legit. Ordinarij dicuntur, qui in prœlio primos ordines ducunt. Aquiliferi, qui aquilam portant. Imaginarij, qui Imperatoris imagines ferunt. Optiones, ab optando appellati: quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati, cum eorum vicario ſolent vniuerſa curare. Signiferi, qui ſigna portant, quos nunc draconarios vocant. Teſſerarij, qui* teſſeras per contubernia militum nuntiant. Teſſera autem dicitur, præceptum ducis, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum mouetur exercitus. * Torquarij duplares, torquarij ſimplares: quibus torques aureus * ſolius virtutis præmium fuit: quem qui meruiſſet, præter laudem interdum duplam conſequebatur annonam. † Item primus haſtatus duas centurias, id eſt cc. homines ducebat in acie ſecunda, quem nunc ducentarium vocant. Princeps autem primæ cohortis centuriam ſemis, hoc eſt, CL. homines * gubernat. Sic decem centurionibus regebatur. quibus magnæ vtilitatis [gratia] magnus honor à veteribus eſt conſtitutus: vt ceteri milites, ex tota legione; omni labore, ac deuotione contenderent ad tanta præmia peruenire. Erant etiam centuriones qui ſingulis centurias curabant, qui nunc centenarij nominantur.

* non debet.
* ſi non
† *Veg. lib. 2. cap. 7.*
* teſſeram
* Torquati
* ſolidæ
† *Veg. lib. 2. cap. 8.*
* gubernabat. Sic decem centuriæ cohortis primæ, à quinque ordinariis regebantur. q. m. vtilitates, magnus h.

tur. Erant decani* decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernij vocantur. Secunda cohors habet centuriones quinque. Similiter tertia & quarta, vsque ad decimam cohortem. In tota autem legione erant centuriones* LXVI. † Sed legati Imperatoris *ex consularibus ad exercitus mittebantur, quibus legiones, & auxilia vniuersa obtemperabant, in ordinatione pacis, vel necessitate bellorum. in quorum locum illustres viros constat, magistros militum substitutos; à quibus non tantùm binæ legiones; sed etiam plures* numero gubernantur. Proprius autem iudex erat præfectus legionis, habens comitiuam primi ordinis dignitatem, qui absente legato tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat: tribuni vel centuriones, cæteri que milites eius præcepta seruabant vigiliarum, siue* profectionis. Tesseras ab eodem petebant. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate præfecti legionis, à tribuno deputabatur ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, vestes, & annona ad curam ipsius pertinebant. Disciplina, seueritas, * exercitus non solùm peditum, sed etiam equitum legionariorum præcepto eius quotidie curabatur. † Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per singulas cohortes à Draconariis feruntur ad prœlium. Sed antiqui qui sciebant in acie, commisso bello celeriter ordines, aciesque turbari, atque confundi: ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt: ita vt ex qua cohorte, vel quota esset centuria, in illo vexillo literis esset adscriptum: quod intuentes, vel legentes milites, in *quemuis tumultum à contubernalibus suis aberrare non possent. Centuriones insuper, qui nunc * centurij vocantur, nimirum bellicosas loricas transuersis cassidum cristis, vt à suis facilius noscerentur, habebant: * quique singula:

guber-

* denis

* LV.

† *Veg. lib. 2. cap. 9.*

* exconsulibus

* numeri

* profectionis tesseras, ab eo.

* exercitio

† *Veg. lib. 2. cap. 13.*

* quantouis tumultu

* centenarij

* *Legerim* cuique *Q. pro C.*

gubernare iusserunt cateruas, vt nullus existeret error: cùm * cuncti milites sequerentur non solùm vexillum suum, sed etiam centurionem, qui signum habebat in galea. Rursus ipsæ centuriæ in contubernia diuisæ sunt, vt decem militibus sub vno papilione degentibus, vnus [quasi] præesset decanus, qui caput contubernij nominatur. Contubernium autem manipulus vocabatur, ab eo, quòd coniunctis manibus pariter dimicabant. † Quemadmodum inter pedites centuria, vel manipulus appellatur, ita inter equites turma dicitur: & habet vna turma equites triginta duos. Huic qui præest, decurio nominatur. * Pedites qui decem decadibus centuriæ præerant, ab vno centurione sub vno vexillo gubernantur. Similiter trigintaduo equites ab vno decurione sub vno vexillo reguntur. Præterea * centurio eligendus est, [qui sit] magnis viribus, [&] procera statura, qui hastas vel missilia peritè iaculetur, & fortiter: * Similiter eligendus est decurio, qui turmæ equitũ præponatur, in primis habili corpore, vt loricatus, & armis circumdatus omnibus, cũ summa admiratione equum possit ascendere, equitare fortissimè, conto scienter vti, sagittas doctissimè mittere; turmales suos, id est, sub cura sua equites positos erudire ad omnia, quæ equestris pugna deposcit. † Nunc qualiter instruenda sit acies, si pugna immineat, declaretur vnius legionis exemplo: quod si vsus exegerit, transferri possit ad plures. Equites locantur in cornibus. Acies peditum à prima cohorte incipit ordinari in cornu dextro, huic cohors secunda coniungitur. Tertia cohors in media acie collocatur, huic annectitur quarta. Quinta verò cohors sinistrum suscipit cornu, sed ante signa, & circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocabantur, hoc est, ordinarij, ceterique principales. Hæc erat grauis armatura, * quæ habebat cassides, cataphractas, ocreas

* centeni

† *Veg. lib. 2. cap. 14.*

* *aliter hæc apud Vegetiũ leguntur.*

* sicut centurio

* *Multa hic inserit Vegetius.*

† *Veg. lib. 2. cap. 15.*

* qui habebant

ocreas in cruribus, scuta; gladios maiores, quos spathas vocant; & alios minores, quos semispathas nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu iaciunt. Item bina missilia, vnum maius, ferro triangulo vnciarum nouem, hastile pedum quinque semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, ad cuius iactum exercebantur præcipuè milites, quod arte, & virtute directum, & scutatos pedites, & loricatos equites sæpè transuerberat: aliud minus, ferro vnciarum quinque, * hastili trium pedum semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur. Prima acies principum, secunda hastatorum armis talibus * dicetur instructa. † Sed in secunda acie dextro cornu cohors sexta ponebatur, cui iungebatur septima. Octaua cohors mediam aciem tenebat, nona comitante. Decima cohors in secunda acie * semper obtinet cornu. † Instructionis verò lex est, vt in primo ordine exercitati, & veteres milites collocentur, quos anteà principes vocabant. In secundo ordine circumdati * cataphractis, & optimi milites cum spiculis, vel lanceis ordinentur, quos * prohastatos vocabant. Inter * ordinem à tergo vallatum sex pedes distare voluerunt, vt haberent pugnantes spacium accedendi, atque recedendi: vehementius enim cum saltu, cursuque tela mittuntur. In his duobus ordinibus ætate maturi, & vsu confidentes, & muniti grauioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri nec cedere, nec sequi alium debent, ne ordines * turbentur: sed aduersarios * vehementes excipere, & stando, pugnandoque repellere, vel fugare. Tertius ordo disponitur de *armatis velocissimis, de sagittariis iuuenibus, de bonis iaculatoribus, quos antea ferentarios nominabant. Quartus autem ordo * constituitur de scutatis expeditissimis: de sagittariis iunioribus, de his qui alacriter se agunt verutis, vel martiobarbulis, quas plumbatas * nominant, qui dicebant.

* hastile

* docetur † *hic multa inferuntur apud Veg.*

* semper finistrum ob. † *Veg. lib. 3. cap. 14.*

* cataphractis sagittarij * prius hastatos

* ordinem autē, & ordinem à tergo in latum sex

* turbent:

* venientes

* armaturis

* constituitur

* nominant, dimicant,

dicebantur leuis *armaturæ. Sciendum est ergo *stantibus primis ordinibus, tertium, & quartum ordinem ad prouocandum cum missilibus & sagittis primo loco semper exire: qui si hostes in fugam vertere poterunt, ipsi cum equitibus persequuntur: si verò ab hostibus pulsi fuerint, redeunt ad primam, & secundam aciem, & inter ipsas recipiunt se ad loca sua. Prima autem & secunda acies cùm ad [machæras, id est,] spathas & pila (vt dicitur) ventum fuerit, totum sustinent bellum. In quinta acie *ponebantur balistarij, funditores, [tragularij,] fustibulatores, qui fustibalis lapides iaciunt. *Fustibalus est longus pedes quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & vtraq. manu impulsus, propè ad instar onagri dirigit saxa. *Sextus ordo post omnes à firmissimis, & scutatis, & omni genere armorum munitis *bellatores tenebat, quos antiqui Triarios appellabant. Hi, vt requieti, & integri acrius inuaderent hostes, post vltimas acies sedere consueuerant. Sed si quid in primis ordinibus accidisset, de eorum viribus reparationis spes tota pendebat. † Omnes autem signarij, quamuis pedites sint, loricas minores accipiebant, & galeas, ad terrorem hostium, vrsinis pellibus tectas. Centuriones verò habebant cataphractas, & scuta, & galeas ferreas, *transuersis, & argentatis cristis, vt faciliùs agnoscerentur à suis. †Illud autem sciendum est, & modis omnibus retinendum, quòd commisso bello, prima, ac secunda acies stabat immota. Triarij quoque residebant. Ferentarij autem *armatura leuis, & sagittarij, & funditores, aduersarios prouocabant, ante aciem procedentes, si hostes fugare poterant, sequebantur: [sed] si eorum virtute, *ac multitudine premebantur, reuertebantur ad suos, & post eos stabant. Excipiebat autem prœlium grauis armatura, *& tanquam murus (vt ita dicam) ferreus stabat, & non solùm missi-

*armatura. *stantibus duobus pr.

*ponebatur interdũ carrobalistæ, manubalistarij, f. *Fustibalus fustis est *Multa inserit Veg. *bellatoris tenebatur,

† Veg. lib. 2. cap. 16.

*sed transuersis, † Veg. lib. 2. cap. 17.

*armaturæ, exculcatores, sagittarij, funditores, hoc est leuis armatura, aduersarios p. *aut *quæ

libus, sed etiam gladiis cominus dimicabant. Et si hostes fugassent, nõ sequebatur grauis armatura, ne aciem suam, ordinationemque turbaret, * & dispersos recurrentes hostes, incompositos * opprimeret, sed leuis armatura cum funditoribus, sagittariis, & equitibus fugientes, sequebatur inimicos. Hac dispositione, * ac cautela, sine periculo legio vincebat, aut superata seruabatur incolumis: quia legionis * vis est, facilè nec fugere, nec sequi. † Sed ne milites aliquando in tumultu prælij à suis contubernalibus aberrrarent, diuersis cohortibus diuersa in scutis signa pingebant. † Præterea in * aduerso vniuscuiusq. militis erat nomen literis asscriptum, addito * ex qua cohorte, quáve centuria. Ex his autem apparet legionem benè institutam, quasi *inuictissimam esse ciuitatem, quæ omnia prœlio necessaria secum vbique portaret: nec metueret repentinum hostium superuentum, quæ etiam in mediis campis subitò fossa valloque muniretur. †Habet præterea legio tubicines, cornicines, buccinatores. Tubicines ad prœlium vocant milites, & rursus receptui canunt. Cornicines quotiens canunt, non milites, sed signa ad eorum obtemperant nutum. Ergo quotiens ad aliquod opus exituri sunt soli milites, tubicines canunt: quotiens mouenda sunt signa, cornicines canunt. * Classiarij autem appellantur buccinatores, qui cornu ducunt exercitum: hoc insigne videtur imperij, quia classicum canit Imperatore præsente, vel cùm in militem capitaliter animaduertitur. Hoc enim ex imperialibus legibus fieri necesse est. Siue ergo ad vigilias, vel * angarias faciẽdas, siue ad opus aliquod, vel ad cursionẽ campi exeunt milites, tubicine vocante operantur; * rursus tubicine admonẽte cessant. Cùm autem mouentur signa, aut iam mota figenda sunt, cornicines canunt. Quod ideò in omnibus exercitiis, & *processibus custoditur, vt in ipsa pugna faciliùs obtemperẽt mili-

* & ad dispersos
* opprimerent,
* atque
* ius est
† *Veg. lib. 2. cap. 18.*
† *Apud Veg. quædam inseruntur.*
* aduerso scuto
* ex qua esset
* munitissimam
† *Veg. lib. 2. cap. 22.*
* *longè aliter hæc apud Veg.*
* agrarias
* & rursus
*processionibus

milites;siue eos pugnare; siue stare; siue sequi; vel redire *præcipiunt duces. Siquidē ratio manifesta est,semper in *acie debere fieri,quod necessariò faciendū videtur in prœlio. † De singulis centuriis quaterni equites,& quaterni pedites excubitum *nocte faciunt. Et quia impossibile videbatur,in speculis vigilantes singulos permanere; ideo in quatuor partes,ad *desidem sunt diuisæ vigiliæ,vt non amplius,quàm tribus horis nocturnis * necessarium sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ cōmittuntur, & finitis horis à cornicine reuocantur. † Constructa acie peditū, equites ponuntur in cornibus, ita vt loricati omnes & *contecti iuncti sint peditibus: Sagittarij autē,vel qui loricas non habent,longius euagentur: à fortioribus namq. equitibus peditum protegenda sunt latera,& à velocioribus,atque expeditis hostium cornua semper *fundenda,atq. turbanda. Scire debet dux contra * cuneos, hoc est globos hostiū,* quot equites oporteat poni. Nam nescio qua occulta ratione, imò penè diuina, alij contra alios dimicant meliùs: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpè vincuntur. Quòd si equites impares fuerint, more veterum, velocissimi cum scutis leuibus pedites, ad hoc ipsum exercitati, iisdem miscendi sunt,quos expeditos *[quasi volitantes]velites nominabant. Quo facto,quamuis fortissimi equites hostium euenerint,tamē aduersus mixtū agmen pares esse non possunt. Vnum hoc remediū omnes duces veteres inuenerunt,vt assuefacerēt iuuenes currentes egregiè,& inter binos equites, singulos ex his pedites collocarent, cum leuioribus scutis,gladiis,atq. missilibus. †Elephanti in prœliis magnitudine corporū,barritus horrore,formæ ipsius nouitate,homines,equosq. conturbant. Hos contra Romanū exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit. postea Hannibal in Aphrica, rex Antiochus in Oriente,Iugurtha in Numidia,copiosos habuerunt. ad-

* præcepe-rint
*otio
† *Veg. lib. 3. cap. 8.*
*noctibus
*clepsydram
*necesse
Veg. lib. 3. cap. 16.
*contati
Malim, fin-denda,
*quos drun-gos, hoc est
*quos
Inclusa ab-sunt in IX. exemplaribus Vegetij.
† *Veg. lib. 3. cap. 24.*

uersus quos diuersa excogitarũt genera armorum. Nam Centurio in Lucania gladio manum, quam promuscidem vocant, vni abscidit: & bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus insidentes clibanarij, sarissas, hoc est, longissimos contos, in elephantos dirigebant.

ALII contra elephantos, cataphractos milites immiserunt, ita vt in brachiis eorum, vel in cassidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur * ex ferro, ne elephas bellatorem contra se venientẽ posset apprehendere. Præcipuè tamen antiqui velites aduersus * elephantes ordinauerũt. Velites autem erant iuuenes leui armatura, corpore alacri, qui ex equis optimè missilia dirigebant: hi equis * præcurrentibus, ad latiores lanceas, vel maiora spicula beluas occidebant. Sed crescente audacia, postea collecti plures milites, pariter pila, id est, missilia in elephantos congerebant, eosq. vulneribus elidebant. Illud additum est, vt funditores cũ fustibalis, & fundis, rotundis lapidibus destinatis, [in] illos, per quos regebantur * elephantes, cũ ipsis turribus affligerent, atq. mactarent. quo nihil tutius inuenitur. * postea venientibus beluis, quasi irrupissent aciem, spacium milites dabãt: quæ cùm in agmen medium peruenissent, circumfusis vndiq. armatorũ globis, * à magistris [militum] absque vulneribus, capiebantur * illæsi. † Sed optima ratio est, & ad victoriam plurimùm confert, vt lectissimos de peditibus, equitibusq. cum vicariis, comitibus, tribunisque vacantibus habeat dux post aciẽ, in subsidijs præparatos, alios circa cornua, alios circa medium: vt sicubi hostis vehementer insistit, ne rumpatur acies, prouolent subitò, & suppleant loca, additaque virtute, inimicorũ audaciam frangant. * Huius cautelam primi Lacones inuenerunt, imitati Carthaginienses, * Alteram post hæc vbique seruarunt: hac dispositione nulla melior inuenitur. Nam directa acies hoc solùm agere debet, * petere, vt hostem repellat,

* è ferro
* elephantos
* præcurrentibus,
* elephanti,
* præterea
* eum
* illæsæ.
† *Veg. lib. 3. cap. 17.*
* Hoc primi La.
* Romani
* si potest,

repellat, aut fundat. Si cuneus sit agendus, aut forfex, superfluos habere *debebit, de quibus cuneũ, * forficemque faciens, ducenda sit. Gnauiter ex abundantibus ducitur. Nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis. * Quòd si bellatorum copia tibi non abundat, melius est habere aciem breuiorem, dummodò in subsidiis colloces plurimos. † Cùm explorator hostium latenter oberrat in castris, omnes ad * tentoriũ suum per diem redire iubeantur: statim deprehenditur explorator. Cùm consilium tuum cognoueris aduersariis proditum, dispositionem mutare te conuenit. * [Rarò enim manet absconditum, quod ad notitiam multitudinis iam peruenit.] Fieri quid debeat tractato cum multis: quid verò facturus sis, cum pauciſſimis, ac fideliſſimis, vel potius ipse tecum. † Hæc Martij operis præcepta, per diuersos auctorũ libros dispersa, Imperator inuicte, mediocritatem meam abbreuiare iussisti, ne vel fastidium nasceretur ex plurimis, vel plenitudo fidei deesset in paruis. † Neque enim degenerauit in hominibus Martius calor, nec * defectæ sunt terræ, quæ Lacedæmones, quæ Athenienses, quæ Marsos, quæ Samnites, quæ Pelignos, quæ ipsos progenuere Romanos. Nónne Epiri armis plurimũ aliquando valuerunt? Nónne Macedones, ac Thessali superatis Persis, vsque ad Indiam bellando penetrarunt? Dacos autem, & Mysos, & Thraces * inter bellicosos semper fuisse manifestum est, vt ipsum Martem fabulæ apud eos natum esse cõfirment. Longum est, si vniuersarum prouinciarũ vires enumerare contendam, cùm omnes in Romani imperij ditione consistant. Sed * longa securitas pacis, homines partim ad delectationem otij, partim ad ciuilia traduxit officia: ita cura exercitij militaris primò negligentius agi, postea dissimulari, ad postremum olim in obliuionem perducta, cognoscitur. FINIS.

* debet.
* aut forficem facias.
Si ducenda sit Serra, ité ex abundantibus dus:
* hic Veg. aliquanta præmittit.
† Veg. lib. 3. cap. vlt.
* tẽtoria suũ
* Inclusa ab auctore sunté
† Veg. lib. 3. Prologo.
† Veg. lib. 1. cap. vlt.
* effœtæ
* in tantum bellicosos
* longæ

CASTRA-

CASTRAMETATIO ROMANORVM EX POLYBII LIB. VI. HISTORIARVM:

Versa olim è Græco ab A. Iano Lascari.

POSTEAQVAM autem declarauere consules, tribunos militum cõstituunt: quatuordecim quidem ex iis, quibus quinque annua stipendia facta sunt: decem autem alios præter hos, ex iis qui decem reliqua fecerunt. equites sanè, qui decem: pedites verò, ex iis qui sextum & quadragesimum ætatis attigerunt annum. quos in necessitate reipublicæ duntaxat stipendia facere est opus. illis exceptis, quorum census quadringentas drachmas non excedit. hos enim omittunt, omnes ad vsum nauticum reseruantes. Quòd si aliquando necessitas vrgeat, tenentur pedites viginti annua stipendia facere. Vrbanum autem magistratum inire licet nemini, prius quàm decem annua stipendia perfecerit. Cùm verò militum delectum habituri sunt, consulari præditi magistratu, prædicunt publicè diem, quo adesse oportebit Romanos omnes, per ætatem ad arma idoneos. atque id singulis annis faciunt. Vbi verò aduenit præstitutus dies, omnibus qui militiæ habiles sunt, in vrbem coëuntibus, atque in Capitolium aggregatis, dividunt se ipsi iuniores tribuni: sicut populus, imperatoresve instituerint, in quatuor parteis: quoniam in quatuor

tuor ipsi legiones vniuersam, primamque partitionem copiarum distribuunt. atque ij, qui primi quatuor electi sunt, primæ legioni assignantur: tres qui deinceps, secundæ legioni tribuuntur: quatuor subsequentes tertiæ, tres vltimi, in quartam transferuntur. Ex prouectioribus verò, duos sanè primos primæ tribuunt legioni: treis secundos, secundæ: duos subsequentes, tertiæ: treis vltimos, quartæ. ex prouectioribus inquam. Cùm in hunc modum tribuni ordinati, constitutique fuerint, vt omnes legiones æquales principes habeant: post hæc seorsum cuiusque legionis tribuni sedentes, tribus sigillatim in legiones sortiuntur, aduocantque quam sors assiduè prætulit. atque ex ea eligunt quatuor adolescentes, ætate, & corporis habitu quàm simillimos: productisque iis optionem faciunt primi primæ legionis tribuni. secundi secundæ. tertij tertiæ. postremi quartæ. Rursus quatuor aliis productis, primi optionem faciunt secundæ legionis tribuni, & sic deinceps: vltimi autem primæ. post hos aliis quatuor productis, primi accipiunt tertiæ legionis tribuni. postremi secundæ. semperque in hunc modum ad portionem, atque ambitu quodam facta electione, accidit vt pares in legiones singulas viri distribuantur; cùm verò elegerint præsentem multitudinem (hoc autem est, vt faciant singulas legiones modò quaternûm millium & ducentorum peditum, modò quinque millium, si quando maius aliquod videatur periculum imminere) iis ita distributis, equites antiquitus sanè posteriores peditibus legionariis solebant recensere, nunc verò priores. censusque eorum habita ratione, ditiores à censore deliguntur, describuntque trecentos in singulas legiones. Delectu perfecto, prædictum in modum congregant ex iis tribuni suos quisque per singulas legiones. vnumque eligentes maximè idoneum, sacramento adigunt profiteri, obtemperaturum

se duci-

se ducibus procul dubio atque eorum mandata pro viribus executurum, tum reliqui iurant singulatim procedentes: idipsum significantes, omnia videlicet facturos sese, quemadmodum primus ille. Per idem tempus consulari præditi potestate edicunt præfectis sociarum ciuitatum in Italia, è quibus auxilia putant accersenda, numerum indicantes, diemque & locum, in quem conuenire oporteat qui dilecti fuerint. At ciuitates delectu habito, simili antè dicto mittunt sacramento adactos, constituto præfecto & mercedis exhibitore. Romæ autem tribuni, vbi milites iurare adegerint, denuntiato die singulis legionibus, ac loco, ad quem adesse oporteat inermes, tum quidem eos dimisêre. congregatis autem in præstitutum diem, deligunt ex iis minimos ætate, fortunaque perquàm tenuis in pilanos: iis adultiores, in eos quos hastatos vocant: ætate ac robore præstantes, in principes: natu maximos in triarios. Tot enim ac tales sunt apud Romanos differentiæ tam *appellationum*, quàm ætatum. imò etiam armaturarum in vnaquaque legione: diuiduntque eos talem in modum, vt sint prouecti ætate, iidem triarij, numero sexcenti: principes mille ducenti: iis pares hastati, reliqui ætate minimi, velites pilanive. quod si maiore numero constat legio, proportione diuisionem faciunt, triariis exceptis, quorum idem semper est numerus. Iubentur natu minimi gladium gestare, pila, parmamque: Parma tum firmitatem habet ob structuram, tum magnitudinem, quæ tutando sit corpori satis. nam rotunda cùm sit, tripedalem habet diametron. Adornatur præterea miles & simplici casside, cui lupi pellem imponunt, aut eiusmodi aliquid, quod integumentum pariter insigneque sit. vt in prœlio suos quique principes strenuè aut ignauiter se gerentes latere non possint. Pili telum lignum habet longitudine plerumque bicubitali, crassitudine digitali,

spiculum

ſpiculum vnius ſpithamæ. palmi, inquam, maioris eò vſque attenuatum & acutum, vt mox primum poſt iactum neceſſariò flectatur, ſitque inhabile ad remittendum: alioqui commune fieret telum. Eos qui deinceps hos ætate excedunt, haſtatique appellantur, armaturam ferre iubent. Eſt autem Romana armatura primùm ſanè clypeus, cuius latitudo curuæ ſuperficiei pedum duorum ſemis, longitudo pedum quatuor: maiori additi amplius quatuor digiti, duplici tabulato, glutino tauri no linteolo infuſo compactus: eius exterior ſuperficies vituli corio integitur hinnulíve, aut eiuſmodi animalis. Habet circumferentiæ ferreum munimen à ſummis imisque partibus, quo enſium ictus vehementiores tutò excipit, terræque adnitendo non corroditur. Impactus eſt eiuſmodi clypeo etiam ferreus vmbo, qui ingentes ſuſtinet ictus, ac lapidum impetum ſariſſarúmue, telique quantumlibet violenti. Vnà cum clypeo enſis pendet ad dextrum femur, Hiſpanienſem vocant, anceps eſt, mucrone eximio: defertur violenter, eò quòd obeliſcus eius firmus ſtabilisque exiſtit. Ad hæc veruta duo, galeaque ænea, & crurum tegmen ocrea. Veruta hæc partim craſſiora ſunt, partim tenuiora, ex firmioribus, quæ teretia ſunt, trientalem habent diametron: quæ quadrata, trientale latus. tenuiora haſtilibus modicis aſſimilantur, quæ gerunt cum ceteris quæ prædicta ſunt. horum omnium longitudo ligni tria cubita non facilè excedit. impactum eſt ſingulis telum ferreum, vtrinque hamatum, eadem qua lignum longitudine: cuius nexum ſtructuramque tam firmiter muniunt ad medium vſque lignum inſerentes, crebrisque fibulis, clauisque tranſfigentes, vt non prius nexus vtendo relaxetur, quàm ferrum frangatur, licet ſit craſſitudinis in imo, vbi adhæret ligno, digiti vnius ac ſemis. eo vſque ac tantum adhibent diligentiæ in nectendo. Præter hæc omnia adornan-

ornantur corolla plumea. pennisque tribus puniceis, aut nigris erectis, longitudinis fermè cubitalis: quæ cùm in summo vertice ceteris armis addiderint, vir quidem apparet duplo maior quàm sit: eius verò aspectus pulcher, hostibusque terribilis. atque plerique accepto ære vnius spithamæ, quoquo versus quòd adhibent pectori, vocantque corditum, perfectam habent armaturam. qui verò censum excedunt drachmarum decem millium, pro corditio cum ceteris armis, hamis cõsertos induunt thoracas. Idem armandi modus est etiam circa principes, triariosque, præterquàm quòd pro veruis triarij hastas gerunt. Ex singulis prædictis generibus præterquàm è natũ minimis, eligunt ordinum ductores *optimos* quosque decem: præter quos aliorum decem electionem faciunt. atque hos quidem omnes principes ordinum appellauerunt: quorum qui primus electus est, fit etiam consilij particeps. hi rursus totidem eligunt tergiductores. Quibus peractis, cum *principibus ordinum* diuidunt ætates singulas in partes decem, exceptis pilanis: præbentque singulis partibus ex iis qui iam electi sunt, duos duces, duosque tergiductores. Velites autem qui supersunt, æqualiter in omnes partes distribuêre, parteisque appellauere ordinem, & manipulum, & signum: duces verò, centuriones, & principes, seu *ductores ordinum*. Ij in singulos manipulos ex iis qui *reliqui* sunt, elegerunt ipsi duos, vigore corporis animique in primis præstantes, qui signiferi futuri sunt. duos autem in singulos ordines faciunt duces: probè quidem. Cùm enim incertum sit quid quisque dux facere aut pati possit, nec res bellica admittat excusationem, nunquàm manipulum esse volunt sine duce præsidéve. Si igitur vterque adsit, qui primus electus est, præest dextræ parti ordinis: qui secundus, viris præest qui ad sinistram signi partem sunt. si non adsit vterque, qui præsens est, præest omni-

omnibus. Volunt autem duces esse non tam audaces, ac periculorum contemptores, quàm ducendi peritos, firmosque, consilioque pollentes: neque re integra in pugnam ruere, aut incipere prœlium: sed si superentur, premanturque, manere ac mori locum non deserentes. Equites etiam in decem alas similiter diuiserunt, atque ex singulis treis eligunt duces. Ei verò ipsi treis assumunt tergiductores, quique primus electus est, præest alæ: duo verò decurionum obtinent ordinem, vocanturque omnes decuriones. absente primo, secundus primi obtinet locum. Armatus equitum nunc sanè perquam similis Græcorum armatui est. Antiquitus thoraces non habebant, sed in subligaculis periclitabantur. Vnde ad descendendum ex equis, celeriterque insiliendum, habiles erant aptique: sed in prœlio minus tutò versabantur, quòd inermes periclitarentur. Hastæ duplicem in modum irritæ iis erant, quia enim graciles eas faciebant, vibratilesque, neque propositum finem collimare poterant, & antequàm cuspidem alicubi firmassent, quòd assiduè quaterentur equorum motu, maxima ex parte frangebantur. ad hæc, quòd sine ima cuspide fiebant, ad vnum solumq. anterioris cuspidis ictum erant vtiles: siquidem fractæ nullum amplius vsum præstare poterant. Clypeos habebant ex bubulo corio, placentis vmbilicatis persimiles, sacrificiis adhiberi solitis: quibus neque in congressu apprimè vti poterant, quòd firmitate carerent, imbreque madefacti tumescebant, efficiebanturque & antea & nunc omninò inutiles. Idcirco cùm non approbaretur eiusmodi vsus, celeriter mutauerunt, acceperuntque Græcam armorum structuram, in qua hastarum primam illicò plagam certiorem pariter, nec sine effectu fieri contingit: hasta non tremula ob structuram, sed firma existente. similiter transumptione posterioris cuspidis vsum firmũ violen-

tumque. Eadem ratio est etiam clypeorum. namque in cõgressu tam defendẽdo, quàm inuadendo, stantes tentique vtiles habentur. quæ cùm conspexissent, celeriter imitati sunt: apti enim sunt, si qui etiã alij, accipere mores, & imitari quod melius sit, Romani. Talem diuisionem cùm fecerint tribuni, dederintq. eiusmodi mandata ad arma pertinẽtia, tum sanè viros in propria dimisere. Cùm verò dies aduenerit quo se omnes conuenturos iurauerunt in locum à Coss. deputatum: designat autẽ ferè semper vterque separatim suis legionibus locum. nam vtrique seorsum plerunque datur locus, sociorum vnus, Romanis legionibus duo. Conueniunt autẽ iurati omnes, nemine subterfugiente, quoniam nulla excusatio admittitur, præter auspicium, valetudinemque. Ast vbi socij vnà cum Romanis congregati sunt, curam distributionis eorũ tractationisque habent constituti à sociis principes, præfecti appellati numero duodecim: qui primùm ex omnibus qui accesserint auxiliaribus, aptissimos eligunt equites, peditesque operam suam ad ministrandum Consulibus rectè exhibituros, hos vocãt extraordinarios. Multitudo vniuersa auxiliorũ existit peditum æqualis plerumque Romanis legionibus, equites duplo plures sunt Romanis. Ex iis accipiunt equitum in extraordinarios tertiam fermè partẽ, peditum quintam. ceteros diuiserunt in duas partes, vocantque alterũ dextrum, alterum siniſtrũ cornu. His omnibus præparatis, accipientes tribuni Romanos pariter, sociosque, castrametantur, vna existente apud eos simplici speculatione in locandis castris, qua omni loco temporeque vtuntur. Ob hoc etiam mihi videtur cõuenire tempori, vt tentemus quo ad fieri possit, sermone audientes in cogitationem inducere dispositionis copiarũ in itineribus, castrametationibus, instructionibusque. Quis enim tã parum congruit honestis, studiosisque operibus, qui nolit paulò

diligen-

diligentiùs mentem adhibere eiusmodi actionibus? quas cùm semel audierit, peritus erit rei vnius, quæ sit digna memoratu & cognitu. Est autem genus castrametationis eorum huiusmodi. Loci qui semper maximè idoneus videatur ad castrametandum, eius inquã loci aptissimam partem ad prospiciendum, præcipiendumque, Imperatoris tentorium occupat, positoq. signo, vbi illud fixuri sunt, metiuntur circa signum spatium quadratum, sic vt omnia latera distent à signo pedes centum, planũ eius sit quatuor actuũ. Ad huius figuræ semper vnũ aspectum, vnumque latus, quod visum fuerit aptissimum aquationibus pabulationibusque, locantur Romanæ legiones hunc in modum: Cùm sex tribuni sint in vnaquaque legione, vt dudũ exposuimus, duæque Romanæ legiones vtrumque consulem sequantur, perspicuum est duodecim tribunos necessariò militare sub vtroq. consule. ponunt autem horum tentoria ad vnam rectam lineã omnia, quæ sit æquidistãs lateri quadrati præoptato, distetque ab eo pedes quinquaginta. equis pater iumentisq.; ac reliquis tribunorum sarcinis locandis idoneus locus. Tentoria auersa figuntur à prædicti quadrati latere, spectantia exteriorem aspectum, qui omninò ducẽdus, vocandusq. semper à nobis est, toti figuræ oppositus. Distant inter se tribunorũ tentoria æquali spatio, atque eò vsque extenduntur, vt totam Romanarum legionum tendentium latitudinẽ assiduè occupent. dimenso rursus spatio centum pedum in anteriorem partem ab omnibus tentoriis, postea à præfiniente hanc latitudinẽ recta linea, quæ sit æquidistans tribunorũ tẽtoriis: ab hac, inquam, facere incipiunt legionum tabernaculã, struẽtes hunc in modum. Cùm secuerint bifariã dictam rectam lineã ab eo puncto rectis ad lineã angulis equites vtriusque legionis oppositos inter se locãt, pedes quinquaginta inter se distantes, sectione in medio interualli habita:

Est autem equitum peditumque locatio tentoriorum similis. redditur enim tota species tam signi, quàm turmæ quadrata. hæc autem respicit viarũ interualla: habetque præfinitam longitudinem viæ adhærentem, est enim cẽtum pedum. Plerumque etiam altitudinem parem facere student, præterquam sociorum. Quod si maioribus vtantur exercitibus, tam lõgitudini quàm altitudini addunt ad portionem. Cùm autem accidat, vt respõdeant equitum tabernacula mediis tribunorum tentoriis, efficitur quasi striga quædam trãsuersa ad supradictam rectam lineam, & locum ante tribunos vacuum. nã reuera strigis persimilis fit tractus vniuersi species. Quippe cũ ex vtraque parte hinc manipuli, indeq. sint turmæ productim interpositæ: præterquàm quòd post prædictos equites vtriusq. legionis triarios ad singulas turmas singula signa, forma perquam simili collocant, figurisque sese inuicẽ contingentibus; sed respicientibus in alteram partem auersis ab equitum aspectu dimidiata altitudine ad longitudinem signi cuiusque: eò quòd multitudine etiam dimidio pauciores plerũque sunt iis cæteris partibus. quamobrem cùm inæqualis existat sæpenumerò virorum multitudo, contingit vt semper adæquentur secundum longitudinem partes omnes ob altitudinis differentiam. Rursus quinquaginta pedum interuallo ab iis vtrisque distantes, oppositos triariis locãt principes. versis autem iis quoque in prædicta interualla duæ hæ præficiuntur strigæ, initia quidem ab eadem recta linea capientes, aditusq. sicut equites ab distantia videlicet centipede, quæ ante tribunos est: desinentes autem in latus castrorum tribunis oppositum; quod ab initio proposuimus oppositum esse toti castrorum formæ. Post principes similiter auersos contingentibus se figuris locãt hastatos. cumque decem signa habeant ex prima diuisione strigæ omnes, contingit eas omnes etiam longitudine pares

ne pares fieri, earumque sectiones, postremas, inquam, parteis ad latus valli oppositum adæquari: ad quos etiam vltima vertentes signa castrametãtur. Ab hastatis rursus quinquaginta relinquentes pedum spatium, sociorum equites iis oppositos locant, sumentes initium ab eadem recta linea, desinentesque in idem latus. Est autẽ sociorum multitudo peditũ, vt antè dixi, par legionibus Romanis, extraordinariis duntaxat inferior, equitum duplo maior, ablata horũ quoq. in extraordinarios tertia parte. ob id horum etiam altitudinem augẽtes pro portione in castrametationum figura conantur longitudinẽ quoque Romanis legionibus adæquare. Confectis autem omnibus quinque viis, auersa rursum ab equitibus ponũt socialium peditum signa, augentes altitudinem ad portionem, vallum respicientia, transuersumque vtrumq. latus, per singula signa prima quæ sunt ab vtraque parte, tabernacula principes ordinum capiunt, simulq. prædictum in modũ intercalantes per singulas parteis sextam turmam, à quinta pedes quinquaginta submouent. Itidem & peditum ordines, adeò vt fiat hic quoque alius per medias legiones transitus transuersus vtique ad strigas, sed æquidistans tribunorum tentoriis via, quam vocant quintanam, eò quòd post quinque ordines traducitur. Locus qui tribunorum tentoriis à parte posteriori subiacet, atque vtrique parti imperatoris tabernaculo adiacet, partim foro, partim quæstori, eiusque cõmeatibus deputatur. Ab vltimo vtriusq. partis tribunorum tentorio à parte posteriori quasi inflexum tenentes ordinem versus tentoria extraordinariorum equitum electi, & quidem voluntarij in gratiam consulum militantes, versus transuersa valli latera locantur, spectantes quidẽ ad quæstorios commeatus, quidam parte altera forum versus. Plerunque autẽ contingit, vt iis non solùm contubernia habeant propinqua consulibus, verùm etiã vt

incedente exercitu, atque in cæteris vsibus circa consulem quæstoremque diuersentur, eisque operam curamque impendant. Apponuntur iis vallum spectantes, qui eundem præbent vsum, pedites, quem prædicti equites. deinceps verò peruium relinquitur spatium latitudinis centum pedum, æquidistans tribunorum tentoriis vltrà forum, prætorium, quæstoriumque, productum per omneis antedictas valli parteis, ad cuius latus superius sociorum equites extraordinarij castrametantur, spectantes forum, prætorium, quæstorium. Ad media horum equitum contubernia & ad ipsum prætorij locum transitus relinquitur quinquaginta pedum, ducens ad posterius castrorum latus, ordine ad rectos angulos positus prædictæ plateæ. His equitibus rursus auersi ponuntur auxiliares extraordinarij pedites, vallum spectantes, posteriusque totius castrametationis latus. Vacuus autem locus, qui ex vtraque horum parte supereſt, versus transuersa latera datur externis, iisque qui pro tempore socij aduenerint. His sic se habentibus, tota quidē castrorum forma efficitur quadrata æquis lateribus. particulares autem figuræ tam sectionis strigarum, quàm reliquæ dispositionis, vrbi simillimam speciem præ se ferunt. Vallumà tentoriis per omnia latera ducentos submouet pedes, quod vacuum multas ipsis commoditates præbet. Est enim rebus in castra importandis exportandisque valdè opportunum, quando singuli, vt quæq. strigatum proxima est, in hoc vacuum egrediuntur, neq. in vnum concursantes subuertunt, calcantque se inuicem, quæque habent aut abigunt pecora, prædasque ex hostibus huc deducentes, tanto per noctem seruant, & quod præcipuum est, si noctu hostis aggrediatur, neq. ignis, neque telum peruenit ad ipsos præter admodum rara, atque ea innocua fermè propter magnitudinem distantiæ, tentoriis præsertim circumiectis. Data igitur multitudine peditum

ditum equitumque vtrumque in modum, siue quatuor siue quinque millium singulas legiones faciant: similiter & signorum altitudine longitudineque ac multitudine concessa: & ad hæc distantiis itinerum, platearumque, nec non omnibus aliis cõcessis, facile est volentibus considerare, quàm sit locus capax, castraque quàm ampla. Quòd si aliquando abundet sociorum multitudo, siue hi ab initio castra secuti sint, siue postea per occasionem accesserint: iis quidem qui per occasionem accesserint, ea etiam quæ circa prætorium sunt, replent spatia, forumque & quæstorium contrahunt in vnum, cogente temporis necessitate: iis verò, qui vnà cum exercitu à principio exiuêre, si sit abundans multitudo, addunt strigam vnam ab vtraque parte Romanarũ legionum, versus transuersa latera. Omnibus autem quatuor legionibus consulibusque ambobus in vna castra coëuntibus congregatisque, nihil aliud cogitare oportet, quàm duos exercitus prout dudum exposuimus, pariter castrametatos auersos inuicem iunctos esse, contingentes semet ad contubernia extraordinariorũ vtriusq. exercitus. quando sanè contingit vt figura fiat oblonga, locus duplo priore maior, circumferentia sesquialtera. Cùm igitur ita eueniat, vt consules vnà castrametentur, sic semper vtuntur castrametationibus: cùm verò seorsum, reliqua sanè similiter, forum autem, prętorium quæstoriumque in medio statuunt vtriusque exercitus. Ast vbi castrametati sunt, cõuenientes tribuni ab omnibus qui in castris sunt, liberis pariter seruisq. singulatim iusiurandum exigunt. Iurant autem illi, se nihil è castris furto ablaturos: imò si quis etiam inuenerit quippiam, id allaturum ad tribunos. deinceps ordinant signa, atque ex vtraque legione principum hastatorumque duo ad loci curam deputant, qui ante tribunos est. In hac enim platea maxima pars Romanorum quotidie versatur, idcirco studium adhi-

bent, vt ea aſpergatur verraturq. diligenter. Ex reliquis duodeuiginti tria quiſque tribunorum ſortiuntur: nam tot ſunt haſtatorum principumque in ſingulis legionibus ſigna ſecundum antè dictam diuiſionem. *Tribuni* autem ſex, tria ſigna, viciſſim ſingulatimque miniſtrant, tribuno miniſterium huiuſmodi: Caſtris loco aſſignato, tentorium erigunt ij, locumque circa tentorium pauimentant: & ſi quid circumſepire oporteat ad vaſorum cuſtodiam, id ipſis curæ eſt. Dant etiam excubias duas. excubia quatuor viris conſtat, quorum pars ante tentorium, pars poſt tentorium iuxta equos excubant. Cùm igitur tria quiſque ſigna tribunus habeat, atque in iis ſingulis viri ſint amplius centũ, exceptis triariis velitibuſque, qui huiuſmodi miniſterium haudquaquam exhibent, opus quidem leue fit, eò quòd quarto quoque die ad ſingula ſigna miniſterium peruenit. *tribunis* autem ex præfatis miniſteriis vſus pariter *neceſſarius*, honorq. atque obedientia exhibetur. *Triariorum ſigna tribunorum* miniſteriis eximuntur, ſed *turmis* equitum ſingulis diebus miniſteria præbent, vt quique proximi ſunt poſt turmas locati: qui cuſtodiunt etiam alia, ſed præſertim equos, ne aut implicati vinculis lædantur, futuri inutiles ad opus: aut ſoluti, atque inuicem irruentes, turbas tumultusq. excitent in caſtris. Ceterùm vnum ex omnibus ſignum excubat quotidie per vices ante Imperatorem, quod ſecuritatem pariter imperatori præbet aduerſus inſidias, ornatq. ſpeciem magiſtratus. Foſſæ ac valli duo latera ſociis curæ ſunt, quibus proximum vtrunque eorum cornu locatum eſt; Romanis vtriq. legioni vnum. Cumque ſingula latera per ſigna diuiſa diſtributaque ſunt, particularis ſanè cura ordinum ductoribus incumbit præſentibus adſtantibusque. Vt autem vniuerſum latus benè ſe habeat, duobus tribunis ſimiliter, reliquam etiam legionis curam hi ſunt qui gerunt, bini enim inter ſe di-

se diuisi bimestre spatium semestris temporis vicissim imperant: vniuersoque quibus sors obtigit subdiali vsui præsunt. Idem modus principatus est etiam præfectorum inter socios. equites ordinumque ductores omnes oriente luce accedunt ad tribunorum tentoria, tribuni ad consulem: ille quod instat agendum, tribunis edicit: tribuni equitibus, ordinumque ductoribus: ij multitudini promunt tempore opportuno. Nocturni signi traditionem tutam præstant hunc in modum, ex singulis generibus equitum peditumque decimi signi, quod vltimum castrametatur ad extremitatem strigarum: Ex iis vir vnus eligitur, qui excubiarum ministeriis non tenetur: verùm accedit singulis diebus occidente sole ad tentorium tribuni, & accepta tessera (ea est tabella inscripta) recedit. Cumque fecesserit ad signum suum, tradit tabellam signumque, adhibitis testibus, proximi signi principi: ille similiter proximi: idemque faciunt omnes deinceps, donec ad prima ac prope tribunos locata signa peruenerit. Hos autē oportet tabellam nondum obortis tenebris referre ad tribunos: & si relatæ sunt omnes quæ datæ sunt, cognoscunt signum datum esse omnibus, perq. omneis ad sese peruenisse: at si quid defuerit, confestim inquirit tribunus, quídnam commissum sit, præcipitq. ex inscriptione, quánam ex parte tabella venerit: atque vbi repertum fuerit impedimentum, conueniens infertur mulcta. Vigilias disponunt hunc in modum: Imperatorem, eiusque tentorium, accubans custodit signum, tribunorū tentoria & equitum turmas, deputati, vt modò dictum est, ex singulis signis. Itidem per singulos ordines omnes ex se ipsi custodias disponunt, cæteras Imperator, fiuntque plerunque tres excubiæ: apud quæstorem vna, binæ apud legatos, consiliariosque; exteriorem castrorū aspectum velites complent, totū interdiu vallum circumsidentes, etenim hoc

illis iniungitur ministerium. Portas singulæ ex iis decades accubantes seruant. Eos qui sunt vigiliis deputati ex singulis custodiis, qui primam vigiliam acturi sunt, vnus ex signis singulis tergiductor vespere ducit ad tribunum: is dat singulis taleolas per singulas vigilias, breueis admodum, habentes characterem: illi cùm acceperint, ad assignata recedunt loca. Fides circuitionis equitibus committitur. Oportet enim primum alæ ductorem per singulas legiones præcipere vni ex suis tergiductoribus summo mane præceptum huiusmodi, vt is edicat ante prandium quatuor adolescentibus alæ suæ, ad eos pertinere circuitionẽ noctis proximæ accessuræ. Post hæc oportet idem præcipiat sequentis alæ ductori ante noctem, quòd illi incumbit cura circuitionis in sequentem diem: is cùm audiuerit; oportebit vt similia faciat his, quæ prædiximus, in sequentem diem, atque hunc in modum & ceteri deinceps. Qui verò præoptati sunt per tergiductores ex prima ala quatuor, vbi sortiti fuerint vigilias, conferunt se ad tribunum, accipiuntque in scriptis quotam, quotque vigilias circuire oporteat. postea verò accubant ij quatuor iuxta primum signum triariorum, cuius princeps curam gerit, vt competens vigiliis signum tuba detur. Cùm verò tempus accesserit, primam visit vigiliam, qui eam visendam sortitus est. Circuit autem prædicta loca non solùm circa vallum, aditusque, sed omnia per signa singula, turmasque: & si inuenerit vigiles primæ vigilãtes, accipit ab iis taleolam: sin autem offenderit quempiam dormientẽ, aut locum deseruisse, attestatus proximos abit. Idem fit etiam ab iis, qui deinceps vigilias circumeunt. Dandi autem signum buccina (sicuti paulò antè dixi) per singulas vigilias, quod circuitoribus conueniat cum vigilibus, ductoribus ordinum primi signi triariorum vtriusque legionis quotidie cura incumbit. Circuitorũ singuli sub

ipsam

ipsam lucem referunt tesseras ad tribunum, & si omnes redditæ fuerint, sine delicto abeunt. At si quis pauciores attulerit, quàm sit custodiarum multitudo, inquirunt ex charactere quænam custodia defecerit. qua re cognita vocatur ordinum ductor, is autem ducit eos, quibus est commissa vigilia; ij disceptant cum circuitore: & si custodum fuerit delictum, confestim profert id circuitor, adhibitis testibus, qui proximi sunt, tenetur enim hoc facere, ac si nihil huiusmodi factum sit, crimen recidit in circuitorem, statimq. aduocato concilio, coram tribuno dicit causam: & si condemnetur, fustibus cæditur. id supplicium huiusmodi est: Accepto fuste tribunus vix tantũ attingit damnatum; quod vbi factum est, omnes qui in castris sunt, cædentes fustibus lapidibusque plerosque in ipsis castris conficiunt, ac si qui euaserint, nec sic quidem seruari possint. etenim quonam pacto? quibus neque in patriam redire licet, neque aliquis ex necessariis domi eum recipere auderet? ob hoc funditus pereunt, qui in talem inciderint calamitatem. Eidem pœnæ obnoxius est tam tergiductor, quàm alæ præfectus: præceperint, ille circuitoribus, hic alæ præfecto, quæ proxima sit, in tempore oportuno. quapropter cùm eousque vehemens atque inexorabilis pœna sit, haudquaquam apud eos vigiliæ aberrant. Oportet autem, vt milites pareant tribunis, tribuni ad consules referant, attamen potestatem habet tribunus mulctandi, pignoris capiendi, cædendique. Præfecti quoque in socios idem ius habent. Fuste cæditur etiam, qui furto sustulerit quippiam è castris, nec non qui falsum testimonium dederit: & si quis flore ætatis abutens deprehendatur. ad hæc, qui ter ob idem crimen mulctatus sit, in hæc tanquam crimina animaduertunt. Probro autem ducunt, ignauiæ adscribentes militi delicta huiusmodi: siqui strenuè se gessisse falsò retulerint ad tribunos honoris

noris causa adipiscendi: itidem, si qui in præsidio dispositi, perculsi metu datum ipsis locum deseruerint: similiter, si quis telum aliquod ob metum abiecerit in ipso conflictu: proinde nonnulli in præsidiis manifestè perituri, multiplici manu circumuenti, locum semel datum deserere nolunt, pœnam metuentes delicto competentem. Alij in ipso periculo, excusso clypeo, aut ense, aut alio quopiam eiusmodi telo temerè irruũt in hostes: aut in potestate habituros se sperantesque perdiderunt: aut aliquid perpessos manifestum opprobrium deuitaturos, conuitiaque suorum. Quod si aliquando hæc eadem circa plures fieri cõtigerit, & signa aliqua cunctim persuasione ducta locum deseruerint, omnes fuste cædere aut interficere non approbant, sed rei solutionem inueniunt vtilem pariter, terribilemque. quippe conuocato exercitu, tribunus productos in medium desertores accusat, inuehiturque acerbè. deniq. quinque aut octo, interdum etiam viginti: atque in totum ratione habita multitudinis, vt decima ad summum existat pars delinquentium. hos ex omnibus illis qui timidè se gesserint, sorte eximit & fuste cædit, vt suprà dictum est, nulla deprecatione admissa reliquis, ordeo eis pro tritico demenso, extra vallum munimentaque tendere iubet. Ergo periculo ac sortis formidine æquè omnibus imminente, quandoquidem casus in incerto sit, exemplo autem dati ordei ad omnes pertinente, id quod est receptum consuetudine, facit insuper ad terrorem, correctionemque delictorum. Quinetiam iuuentutem probè excitant ad periclitandum. Cùm enim vsus expostulet, atque eorum quipiam strenuè se gesserunt, vocat imperator ad concionem exercitus, productique qui aliquid præter cæteros egisse visi sunt, primum de laudibus singulorum pro concione orationem habet, exponens quidquid strenuè gesserint: & si cuius boni in eorũ vita sit conscius, quod

mentione

mentione dignum videatur, postmodum ei qui hostem vulnerauerit, gessum donat: qui equo deiecerit spoliaueritque, pediti phialam, equiti phaleras, antiquitus autem gessum tantùm. & hoc assequitur non qui in acie aut expugnatione oppidi vulnerauerit quempiam hostium spoliauerítve: sed si in leuibus certaminibus, aliquibúsve aliis eiusmodi temporibus, quibus nulla vrgente necessitate, viritim ipsi quippiã ac voluntarij eiusmodi sese dedêre certaminibus. Iis verò qui in expugnatione vrbis primi murum ascenderint, auream dat coronam: similiter etiam eos qui propugnauerint, seruauerintque aliquem ciuium sociorúmve, tum imperator indicat, insignesque reddit muneribus: tum verò tribuni seruatos decreto cogunt, nisi id sponte faciant, seruatorem coronare: colitque hunc præterea seruatus per omnem vitam tanquam parentem, omniaque ei oportet vt exhibeat sicuti genitori. His incitamentis non solùm audientes, præsentesque prouocant ad concertationem, imitationemque in periculis subeundis, sed etiam domi manentes. nam qui consecuti sunt eiusmodi munera, præter gloriam inter milites, & domi famam illicò peruagantem, etiam post reditum in patriam pompas sollennes cum ostentatione ac dignitate adeunt: eò quòd solis licet circumponere ornatum iis, quos sui duces ob virtutem honoribus sunt prosecuti. Domi quoq. in locis celebrioribus, spolia disponunt, indicia propria virtutis, testimoniaque. Cùm igitur tantum adhibeant curæ studiique circa honores, suppliciaque in castris, apprimè conuenit, vt euentus etiam bellicarum actionum prosperi celebréque sequantur. Opsonium pedites duos obolos accipiunt singulis diebus, ductores ordinum duplum, equites dragmam. Triticum datur peditibus Attici medimni, ex tribus duæ fermè partes: equitibus ordei septem medimni singulis mensibus, tritici duo: sociis,

ciis, pediti, æqua portio, equiti tritici medimnus & tertia pars, ordei quinque medimni: datúrque id sociis muneri. Romanis tam frumenti, quàm vestis armorúmque, si quis huiusmodi rerum indiguerit, horum omnium quæstor certum ordinatum pretium eorũ opsoniis subtrahit. Castra mouent hunc in modum: vbi primum datum fuerit signum, detrahunt tentoria, componuntque sarcinas. sed neq. deponere, neque erigere licet cuipiam, antequàm tribunorum Imperatorísque tentorium erigatur, deponatúrve. vbi secundũ, imponunt onera iumentis. vbi tertium, procedere oportet primos, moueréque tota castra: ac primi plerunque incedunt extraordinarij. hos sociorum dextrum subsequitur cornu, quos deinceps sua iumenta sequuntur. post eos it Romanorum prima legio, habens ponè sua impedimenta. tum secunda incedit legio, sequentibus ipsam suis vehiculis, sociorúmq. impedimentis, qui agmen cogunt. vltimum enim dum incedunt, læuum sociorum cornu tenet locum. Equites interdum sequuntur à tergo suas quique parteis, aliàs iumentorũ latera obequitant, stipantes ea, tutumque præbentes incessum. Quòd si qua sit à tergo suspicio, cætera quidem apud ipsos eodem se habent modo, ipsi verò sociorum extraordinarij à fronte ad tergum traducuntur, alterníq. diebus legiones & cornua eadem præcedunt, cursumq. sequuntur à tergo, vt aquationis frumentationísque integræ æqualiter omnes participes fiant, mutantes semper ordinem, vt alternatim primores incedant. Vtuntur etiam alio genere incessus, temporibus parũ tutis, patentibus campis. ducunt enim triplicem phalangem æquidistantem hastatorum, principum, triariorũ: præponentes antecedentium iumenta omnibus. post prima verò signa, eorum qui secundi incedunt: post secunda, eorum qui tertij: ad proportionemque sic alternatim ponentes iumenta & signa, hunc in mo-

in modum ad iter instructi, cùm aliquid grauius inciderit, modò ad scutum declinantes, modò ad hastam, producunt signa præter impedimenta, ad hostium aspectum, breuiq. tempore, atque vna motione armatorum ordo recipit instructionis dispositionem: præterquàm si aliquando hastatos euolutione vti oportuerit. iumentorum autē ceterorúmque, ea sequentium multitudo, post instructos sese subducentes, locum obtinent in periculis competentem. Cùm verò incedentes appropinquauerint locandis castris, præcedunt tribunus, & ex principibus ordinum quicunque huic muneri assiduè fuerint addicti: qui posteaquam conspexerint totum locum, qui optandus sit ponendis castris, in hoc ipso primum deputauerunt, vbi ponendum sit tentorium Imperatoris, vt est antè dictum, & iuxta quem, aspectum latúsque quadrati Imperatori assignato locandæ sunt legiones. his præoptatis dimetiuntur circumferentiam prætorij, deinde rectam lineam iuxta quam ponuntur tentoria tribunorum. deinceps eius æquidistante, à qua incipiunt locari legiones. similiter & ab altera parte prætorij dimensi sunt loca lineis, de quibus paulò antè singulatim exposuimus. his peractis breui temporis spatio, eò quòd facilis est dimensio, si quidem omnia sunt determinata ac solita spatia. post hæc signum fixerunt vnum, primúmque, in quo poni oportet loco tentorium Imperatoris, secundum ad præoptatum latus, tertium ad mediam lineam, ad quam tribuni tendunt: quartum apponunt legiones. & hæc quidem faciunt punicea: imperatoris album. ad alteram partem modò nudas hastas ponunt, modò signa ex aliis coloribus. His peractis deinceps strigas dimensi sunt, hastáque fixerunt ad singulas strigas, vnde conuenienter cùm appropinquauerit exercitus incedens, conspexeritque castrorum locum, confestim omnibus omnia fiunt nota, coniectantibus considerantibúsque

tibúſque ex prætoris ſigno. Igitur vnoquoq. manifeſtè agnoſcente, in qua ſtriga, & qua ſtrigæ parte tendit, eò quòd omnes ſemper eundem in caſtris locum tenent, fit ſimile quippiam, quale cũ in vrbem notam ac propriam ingreditur exercitus. illic enim à portis declinantes mox vnuſquiſque procedunt, perueniuntq. ad proprias habitationes abſque vllo errore: propterea quòd vniuerſi ac ſinguli cognoſcunt in qua ciuitatis parte ſit ipſorum diuerſorium. his ſimile quippiam contingit etiã in Romanis caſtrametationibus, quibus videntur Romani ſequentes huiuſmodi facilitatem, contrariam Græcis incedere viam: quod ad partem etenim Græci caſtrametando præcipuum ducunt caſtrorum munitiones, easque ſequuntur in primis, partim fodiendi labore declinantes: partim exiſtimantes non eſſe ſimilia manufacta munimina, iis quæ ab ipſa locorum natura facta ſunt munimenta. ob id etiam in vniuerſo caſtrorum poſitu figuras omnifariam mutare coguntur, ſequentes locorum ſitus. vnde interdum eſſe contingit priuatum quoque & particularem tabernaculi ſingulorum locum. Romani autem laborem fodiendi, aliáq. iis competentia tolerare præoptant commoditatis gratia, atque vt notum vnumque ſemper habeant caſtrorũ ſitum. Vniuerſales itaque partes ſpeculationis exercituum caſtrametationiſque inprimis huiuſmodi ſunt.

FINIS.

GODESCALCI STEWECHII

COMMENTARIVS AD FLAVI VEGETI RENATI, DE RE MILITARI LIBROS.

Accesserunt eiusdem G. STEWECHII *&* FRANCISCI MODII *Brugensis, in* IVLIVM FRONTINVM *Coniectanea & Notæ.*



LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
CIↃ. IↃ. XCII.

ILLVSTRISSIMO,
GENEROSISSIMO HEROI
IOANNI COMITI SALMENSI,
LOTHARINGIÆ MARESCALCO,
atque ſupremo œconomo, &c.

MILITARIS diſciplina, quam non vni populi hodie amiſſam dolent, qua ratione recuperari potiſſimùm debeat; à diuerſis, Illuſtriſſime ac Generoſiſſime Comes, quæſitum eſt. Mihi ſic videtur; peti debere primùm ex Commentariis; pòſt arte, & ſcientia eorum, qui caſtra ſecuti ſunt, confirmari; ac tandem ipſo vſu & experientiâ perdiſci. Exſtitêre olim præſtantiſſimi ac diuerſi De re militari ſcriptores, non Græci tantùm, ſed & Latini. Græcorum pauciſſimi ſuperſunt; pauciores ferè Latinorum. Vno enim Vegetio Renato excepto, vix eſt, quem lectione digneris. qui tamen Flauius Vegetius niſi Epitomen ſuam nobis compilaſſet, haberemus, puto, Catonis, Cornelij Celſi, Iulij Frontini, Tarruteni Paterni, Macri, Menandri, aliorúmque veterum in diſciplina bellica leges, præcepta & libros. Ceterùm ea ſuperioris ſæculi infelicitas, ne dicam inſania fuit; vt ſi quis ſcriptorem aliquem in Epitomen contraheret, aut ex pluribus κέντρωνας contexeret; ſtatim illi iacebant, ſola Epitome manibus omnium terebatur. Sic Florus, pro T. Liuio eſſe cœpit; pro Trogo Pompeio, Iuſtinus; pro aliis alij. Hac re quantum reip. damni illatum ſit, qui ignoret arbitror eſſe neminem. Peruenisſent enim ad nos ipſimet De militari diſciplina ſcriptores antiqui: non iam in Vegetio

restituendo post Hermolaum Barbarum, post Guliel-
mum Budæum, & alios, tantum operæ ponendum mihi
fuisset. quinimò (ni opinio me fallit) non fuisset opus in
auctore hoc interpretando quantum hîc sumendũ fuit,
tantum laboris impendere. Machinæ enim bellicæ, quas
ille interdum verbo tantùm nominat, explicandæ mihi
fuerunt; figuræ earundẽ cum tædio ferè & sumptu con-
quirendæ ac proponendæ ob oculos. Taceo multos, imò
plerosque ritus militares & castrenses à me explicatos,
ab illo præteritos. Taceo omnem ferè militaris disci-
plinæ scientiam, qua Romani vsi fuêre, à me ex iure scripto,
& historiis variis reuocatam, & quantum fieri potuit, il-
lustratam. Quæ omnia non tantùm studiosis antiquita-
tum vsui esse, verùm & ducibus nostris militibusque
prodesse posse, arbitratus sum. Artem militarem ab
Ægyptiis Græcos mutuatos, ab his Romam translatam
certissimum est. labefactatam verò, aut amissam ex li-
bris sæpè Romanos confirmasse, reduxisse, non modò
Flauius noster, sed & alij quoque scriptores memoriæ
prodiderunt. Certum est docere neminem posse, quod
ipse non didicit. vnde sequitur artẽ belli gerendi amis-
sam non meliùs aliunde, non tutiùs, quàm à mutis ma-
gistris, hoc est Commentariis peti. Quantum Thraces
olim imitatione Romanorum profecerint, quàm dili-
genter castrametationem illorum obseruarint, armis si-
gnisque illorum adsueuerint, vel tacente me historiæ ve-
terum loquentur. Si quis verò nostros milites ad similem
adhortetur imitationem, statim obiicitur aliis longè ar-
mis illos vsos, quàm quibus hoc nostrum sæculum vti-
tur. At alia quoque Græcorum atque Romanorum tela
fuisse; diuersam longè phalangis, atque legionis aciem,
negare quis possit? hos viritim pugnasse, illorum genera-
lem impressionem fuisse quis nescit? neque enim artem
militarem, aut disciplinam castrensem solis armis aut
machinis

machinis bellicis metiri debemus. Extollant nostri tormenta sua bellica quantum lubet; at nihil interim obstabit, quo minus indies quouis armorũ genere, saltu, cursu, ambulationibus, decursionibus, natatu &c. exerceantur: in transitu prouinciarum, in hospitiis ciuitatum, & pagorum eandem regulam, eandem modestiam seruent, quam Romani illi rerum domini suos obseruare coëgerunt. Possunt hi non secus quàm illi, per diuersos gradus, & scholas promoueri: possunt stipendia & præmia, quemadmodũ illi, accipere. pœnas vicissim, & animaduersiones cur ad exemplum illorum sustinere non debeant, causam nullam video. At frustrà ego hæc, & fortè nimis multis verbis apud te. qui vt vetustissimo, atque illustrissimo genere prognatus, ita nihil magis, quàm veterum disciplinam atque seueritatem præ oculis habere consuesti. Namque delicta militum legibus vltricibus vindicas; præmia, ac dignitates non aliis, quàm merentibus largiris; neminem promoueri finis nisi post longam probatamque militiam. Tu iter facientibus prouinciam tutam reddis; villas habitantibus liberam rerum suarum administrationem, & commercia præstas. Scis enim duabus maximè rebus ad remp. omnem constituendam, conseruandam opus esse; agricultura videlicet, quæ colat & nutriat milites; militia, quæ protegat ac tutetur agricolas. Tibi pacem acceptam ferunt Lotharingi, quæ ex reliquis totius orbis plagis quasi profligata, apud vos sedes perpetuum fixura videtur. Tu in aulâ Principis, & consilio, & operâ emines præ cęteris. totum penè diem audiendis exteris, admittendis supplicantibus insumis: & quàm admittis facilè, quàm excipis humaniter; tam subitò expeditos dimittis. In iudicando neque gratiam, neque inimicitias exerceri permittis: adulationi, reliquis corruptelis tribunalibus non maior apud te locus, quàm apud Curios aut Fabricios

Romanos fuit. Tu bellicas expeditiones Principis nomine & libẽter ſumis,& feliciter finis. negotia plura,aut grauiora te nemo ſuſcipit; plura, aut grauiora exequitur nemo. Vnde fit, vt quemadmodũ Diuo Carolo Quinto Imperatori inuictiſſimo acceptus atq. chariſſimus quondam fuiſti; pari quoq. fauore ac beniuolentia Sereniſſimus atq. Illuſtriſſimus Lotharingiæ Dux hodie te proſequatur. Cui Principi cùm ego ſtatuiſſem Vegetiũ offerre,à me ampliùs trecentis locis reſtitutum, emendatum;quem in eundem auctorem ſcripſeram COMMENTARIVM, non alij, quàm tuæ Celſitudini inſcribere aut volui,aut debui. Vt vellẽ,fecit ſingularis illa humanitas, qua te non modò in eruditos,verùm in omnes noſtrates eſſe audio:vt deberem,in causâ fuit cõſuetudo ac familiaritas,quam tibi eſſe video cum ipſo Principe:cui non alius in hoc noſtro opere coniungi debuit, quàm qui ad illum ipſum animorum coniunctione,ſimilitudine morum quàm proximè accederet. Scriptus quidem ac collectus à me hic Commentarius in ſummâ rerũ perturbatione,dũ perculſa & proſtrata fœdiſſimo bello iacent omnia.& quanquã à ſuauiſſimis ſtudiis negotia me crebrò reuocarint; nihilominùs tamẽ noctes plurimùm iuuerunt, vt, quod perficiendũ ſemel ſuſceperã opus,tandem aliquando deaſciarem. Illud an Illuſtriſſimo nomini ac vetuſtiſſimæ familiæ veſtræ conueniens ac dignum ſit,tibi iudicandum relinquo. ego certè id lubens meritò tibi tuisq. totũ do dedicoque;quod mihi bonum fauſtũ ſit,reipublicæ felix ac ſalutare. Vale. Tullo Leucorum;anno redemptionis noſtræ M. D. LXXXIV.

I. C. T.

addictiſſimus cliens

Godeſcalcus Stevvechius.

AD LE-

SVADEBAT *vetus poëta Lucilius, eum laborem sumendum, laudẽ qui ferret ac simul fructum. Ceterùm an ille ipse scriptis suis vtrumque semper adsecutus sit, nescio. Illud quilibet de triuio fateatur, pulchrè discedere qui hoc æuo alterũ ex litteris cõsequuntur. Harum tamen ea vis est atque suauitas; vt optimũ quemq. ipsa honestatis ratio in iis perseuerare; cõmoda priuata vtilitati reipub. postponere cogat. Nullum melius, nullũ tutius otium quàm litterarum, maximè in turbulentissimis reip. tempestatibus. eò Ciceronis, eò bonorũ rebus deploratis refugium. Quæ patriæ nostræ calamitas, quæ facies totius reip. sit, sciunt, quotquot solem adspiciunt orientem, quotquot occidentem. Hinc si fugimus, & nos ãbdimus in litteras, vitio vertendum non puto; præsertim cùm otij nostri siue rationem damus, seu mauis fœnus. Vix biennium est, cùm Fl. Vegetium interpretandum in manus cepi; verùm vt eundẽ scriptorem emendatione indigere animaduerti; vetera exempla cõquisiui; cum iis comparaui. Quid multa? placuit labor eum in modũ, vt publicari aliquando posse censerem, & quidẽ cum vsu ac fructu reipublicæ. Cui si hac parte succurrerem, hoc est veterum (Romanorum imprimis) artem militarem, ac disciplinam castrensem in lucem reuocarẽ; videbar mihi non nisi optimè de illa meriturus: eã maximè de causã, quòd hanc partẽ antiquitatis nõ multi perspectam habeant, vt à paucis pertractatam: tum quòd disciplina militaris neglecta nõ minimos motus dederit in nostro Belgio, & naufragij totius causas (vt ego quidem sentio) non leues. Quid secutus sim, vides erudite Lector; quid adsecutus, lubens meritò tui facio iudicij. diligentiam puto meam cognosces & fidem: illam, qualẽ mihi res priuatæ & publicæ permiserunt; hanc quidem antiquã & verè Romanam. Sicubi verò in tantis antiquitatum tenebris incurrisse me videbis, cogitabis & te hominem esse; me autem illum, qui & moneri & doceri paratus sim vel à quolibet. Vale.*

NOTÆ LIBRORVM
EX QVIBVS PROFECIMVS IN HOC COMMENTARIO.

C. Editio vetus Colonienſis.
P. Vetus editio Pariſienſis.
M. Liber meus impreſſus vetuſtiſſimus, non deterior manuſcripto.
S. Liber optimæ notæ collegij trium Coronarũ Colonienſis.
H. Liber manuſcriptus, quem à D. Melchiore Hittorpio Decano ſancti Cuniberti Colon. vtendum accepi.
N. Fragmentum manuſcriptum, in quo duo libri priores Vegetij, & magna pars tertij, donum adoleſcentis docti, & optimi Gulielmi Matnuy Namurcenſis.
T. Vegetius in Teutonicam linguam tranſlatus, & multis abhinc annis vulgatus.
Su. Significantur quatuor libri manuſcripti, qui apud nobiliſſimum ac doctiſſimum virum Iacobum Suſium.
B. Liber Bonnenſis m.ſ., cuius lectiones petitę ex Notis Franciſci Modij.
R. Editio Romana, qua idem Modius vſus fuit.

IN FL.

IN FL. VEGETII RENATI DE RE MILITARI LIBROS,

A

GODESCALCO STEWECHIO

EMENDATOS,

GABRIEL ROLANDIVS ANTVERP.

QVIN ego, quod reliqui, possum, qui somnia narrant,
Cælicolas visos dicere; vel Stygiis
Finibus eductos manes: licet inde redire
Quantumcumque hominum est posse negent aliquem.
Vidimus in somnis; fuerat tum vespera nobis
Absque faba, & plus quàm noctis erat medium;
Adstantem quendam: faciemq́ pedesq́ staturamq́
Oblitus, fateor, cætera commemini.
Romanum toga cantabat, mihi protinus ergo
Lætitiâ cor in pectore subsiliit.
Hospes salue inquam: &, te, saluus quando peregrè
Venisti, cæna aduentitia excipiam.
Ille graui vultu: Stygium transnauimus amnem.
Mortuus anne igitur? visus ibi adnuere.
FLAVIVS anne olim, olim, inquam fortè RENATVS?
(Diuinos somno scis, puto, sic fieri)
Rectè, inquit. me militiæ præcepta vetustæ
Conligere, armatum & scribere iuuit opus.
Nomina, dic quæso, tua, quæ persæpe notaui
Bina sat insueta, vnde ortum habuêre suum?
Hic contrà. vegetas in prælia mittere turmas
Quòd mea scripta solent; inde venit medium:
Postremum, quia non aliter mea fama renasci
Incipiet, quàm cùm primitus orta fuit.
Sic ego tum nugas. poteram maiora rogasse, &
Hoc tibi STEWECHI præripuisse decus,

Cunctaq́ restituisse RENATO, *quæ ruta cæsa,*
Obuia facta mihi si vmbra foret vigili.
Quòd tibi non dubium dederunt DI; *quippe* RENATVS
Se haud meliùs poterat restituisse sibi.

DE COMMENTARIIS GODESCALCI STEWECHI HEVSDANI AD FLAVIVM VEGETIVM,

Franco Esthius Gorcomius.

PAX nitidas ornata comas cânentis oliuæ
Frondibus, & vario florum dotata colore,
(Quos pulchra dulces mulcent zephyritidos auræ,)
Si repetat terras, & nostra sede moretur
Æternùm, lætumq́ ferat mortalibus omen
Tempora Saturni vitiis remeare fugatis:
Si pietas, si sana fides, concordia mitis,
Et tranquilla quies, & pleno copia cornu
Nobiscum figant mansuram in sæcula sedem,
Et totus priscum vertatur mundus in aurum;
Exiguus forsan queat esse voluminis huius
Vsus, id haud vno quisquam dignetur vt asse:
At modò cum terris passim dominetur, & vndis
Luctificus Mauors, passim feralis Enyo
Sæuiat, infestet totum furor impius orbem,
Diraq́ multiplici crinita ferociat angue
Eumenis, inferni iussis emissa tyranni;
Classica vbique fremant, tubaq́ intonet horrida vbique,
Miles & effrenis vicos populetur, & vrbes,
Sintq́ iocus cædes, homicidia, stupra, rapinæ;
Nilq́ adeò fœdum, aut adeò execrabile diri
O Edipodæ est commenta domus, quod linquat inausum
Grassantis passim scelerata licentia ferri:
Non opus hoc vnquam digno mercaberis ære,

Non

Non auro, aut gemmis Erythræo in gurgite natis:
Nam postquam arma armis, vim viq3 repellere fas sit
Et sit adunato Prudentia robore murus
Æneus, hîc Ithaci est prudentia, robur Achillis.
Inuicti Ducis hîc non munia, non tibi deerit
Militis officium; disces hîc omnia: disces
Quâ tellure, feri Martis si tempora poscant,
Nascatur pubes rigidis aptissima bellis,
Vnde legenda phalanx, armisque inuicta iuuentus.
Æstiferæ Libyes, terræq3 arentis alumni,
Exiguus quibus humor inest, vstiq3 calore,
Et feruente plaga, multoq3 Hyperione sicci,
Vulnera formidant, trepidiq3 in prælia tendunt;
Ast Erymanthææ nati regionibus vrsæ
Sauromatæ atque Getæ, & Scythici gens accola ponti
Prætumidis grauida venis, fatiq3 cruore,
Sanguineum gaudent auidi profundere rorem,
Præcipites nimium temerè & sua vulnera poscunt.
At sit militibus primæ lanuginis ætas:
Hæc est digna legi, hanc veterum olim cura probauit
Prouida Romulidûm, tales eduxit in armis,
Vt præstare cati teneris meditentur ab annis
Induperatorem parendo, Ducemq3 sequendo.
Hæc si parua putes, agedum, maiora supersunt,
Huc age, cognosces plenè quibus artibus olim
Æneæ soboles magni, Assaraciq3 nepotes
Sub iuga compulerint totum cum gentibus orbem,
Et famulas præbere manus Ararimque, Tigrimque,
Hesperiumq3 Tagum, Mæoticaq3 ostia Nili:
Nam neque percipies tantum fas esse quotennes
Tyrones fuerint, sed staturamq3 habitumq3
Corporis, haud segni scrutata examine quondam.
Iámque à conlectis quæ cælo teste solebant
Iuramenta peti, manibus quæ signa notari,

Quo ritu duci, quo duci ex vrbe paratu,
Quali quadrupedante vehi. quis idoneus acri
Præ reliquis pugnæ ſonipes, & bellipotentis
Ferre tubæ crepitum, & volucres præuertere curſu.
Quid referam varias tyronum exercitiones?
Quid præludia? quid memorem numeroſq́3 modoſq́3
Ad palum? luſuſq́3 genus Palaria dici?
Cur grauiora dari ſoleant ludentibus arma,
Conflictura acies quàm dum fera poſceret. inde
Præmia magnanimis donata, & fortibus auſis:
Et pro triticea Cerere hordea ſegnibus actis.
Iam mihi Pyrrhe veni non infima gloria belli;
Primus honos, & palma tibi eſt deducere foſſam,
Agminaq́3 obiectis arcere hoſtilia vallis,
Et loca figendis præſcribere idonea caſtris.
Haud res exigua eſt peracutæ indagine mentis
Sedulò rimari ſignis iuga commoda noſtris,
Fontis vbi irrigui præterfluat vtilis imber,
Summaq́3 ſit cæli & ſolidæ clementia terræ.
Mos erat inſpectis olim hæc inquirere fibris,
Extaq́3 conſulere, & pecudum per viſcera mentes
Noſſe Deum, & ſedes præueſtigare ſalubres.
Hinc meditanda Duci caſtrorum forma ſagaci,
Quænam fallendis fuerit magis hoſtibus apta:
Aut plures noſtræ videantur vt eſſe cohortes,
Aut numero quàm ſint credantur vt eſſe minores.
Nec quicquam prius eſt, quàm ne vagabundus oberret,
Vt prædo ſtimulante fame ſecat æëra miluus;
Aſſiduò aſt intra miles tentoria duret.
Quæ conducibile eſt etiam procul vrbibus eſſe.
Qnæris conſortes thalami, ſobolemq́3 tenellam an
Affectu duci & comitari in caſtra paterno
Conueniat? non hoc vetuit fortiſſimus heros
Pellæus; quamuis totum ſibi poſceret orbem,

Exiguaq́3

Exiguaq́ manu cumulatos fuderit Indos.
Omnia quæ primo hoc tantum complexa libello
Euodat penitus, magnaq́ enucleat arte
Ille vetustatis scrutator, & ille parentis
Historiæ sacer antistes, iurisq́ sacerdos
Non vulgare decus nostri STEWECHIVS *æui.*
Cætera si tentem, crede, his ceruicibus impar
Illud erit, tantoq́ oneri succumbere cogar;
Qui vix hæc etiam tenui deducere filo,
Et plectro tentare rudi formidine multa
Aggressus, portus tandem ægrè attingo petitos.
Namque aliis quæ cedicibus tribus auspice Clio,
Atque adeò dextrè docet adspirante Minerua,
Quisquis pro meritis se posse æquare canendo
Audax crediderit, tantoq́ superbit hiatu;
Ille etiam vel Phlegræos memorare tumultus
Atque ausum magnum affectare Typhoëa cælum
Præsumat tumidus, trepidumq́ armare tonantem.
Tanta hîc verborum maiestas, tantáque rerum.
Ipse duelli auctor, clypeo paulisper & hasta
Depositis, belli dum pondera tanta gerendi
Perlegit hoc ipso comprensa volumine, gaudet
Attollitq́ animos, & se metitur ab illis.

NOMINA

NOMINA EORVM, QVORVM SCRIPTA VEL TESTIMONIA IN COMMENTARIO AD VEGETIVM LAVDANTVR.

ABDIAS
Abrahamus Ortelius
Adrianus Turnebus
Ælianus
Ælius Lampridius
Æmylius Probus
Æneas
Agellius
Aldus Manutius nepos
Alexander
Alexander ab Alexandro
Ambrosius
Ammianus Marcellinus
Andreas Alciatus
Antonius Augustinus
Antonini Itinerarium
Antonius Iulianus
Antonius Mizaldus
Anselmus Stoeckelius
Apollonius Appianus
Aristoteles
Arnobius
Arrianus
Athenæus
Augustinus
Ausonius.
BAPTISTA Pius
Barnabas Brissonius
Biblia sacra
Bryo.
C. Marius Victor
Cæsar
Carolus Langius
Carolus Sigonius
Carolus Stephanus
Cassiodorus
Cato
Cedrinus
Censorinus
Chilo Bongarsius
Cicero
Cincius
Claudianus
Claudius Puteanus
Claudius Quadrigarius
Clearchus
Clemens Alexandrinus
Codex Iustiniani
Codex Theodosij
Columella
Cœlius Rhodiginus
Constantinus Imperator
Cornazus
Cornelius Celsus
Cornelius Fronto
Cornelius Nepos
Cornelius Tacitus
Ctesias
Curiatius
Curtius
Cyneas
Cyprianus.
DANIEL Barbarus
Diades
Didymus
Dio Cassius
Dio Nicæus
Diodorus Siculus
Diogenes Laërtius
Dionysius Halicarnassæus
Dionysius Lambinus
Donatus Grammaticus

EGESIP-

EGESIPPVS
Ennius
Erasmus Roterodamus
Æthicus Cosmographus
Euagrius
Euangelus
Eupolemus
Eumenes
Euripides
Eusebius
Eutropius
FLORVS
Franciscus Duarenus
Franciscus Robortellus
Franciscus Modius
Franco Esthius
Frontinus
Fulgentius.
GABRIEL Simeonius
Gabriel Rolandius
Galenus
Georgius Viuiennus
Gerardus Mercator
Glossarium vetus
Gregorius
Guilielmus Budæus
Guilielmus de Bellay.
Guilielmus de Choul
Guilielmus Philander
Guilielmus Pellisserius.
HADRIANVS Iunius.
Helenius Acron
Hermias
Hermolaus Barbarus
Herodianus
Herodotus
Hieronymus
Hieronymus Garimbertus
Hieronymus Mercurialis
Higinus
Hirtius
Homerus
Horatius
Hubertus Goltzius.
IACOBVS Cuiacius
Iacobus Ræuardus
Ianus Douza
Ianus Palmerius
Ianus Guilielmius
Institutiones Iustiniani
Ioachimus Abbas
Ioannes Bodinus
Ioan. Bap. Egnatius
Ioan. Lud. Viues
Ioan. Cantacuzenus
Ioannes Buteo
Ioannes Metellus
Ioannes Sambucus
Ioannes Stadius
Ioannes Checus
Ioannes Herold.
Iosephus
Iosephus Scaliger
Isidorus
Isocrates
Iphicrates
Iulius Firmicus
Iulius Obsequens
Iulius Pollux
Iulius Capitolinus
Iustinus
Iustus Lipsius
Iuuenalis
LACTANTIVS
Læuinus Torrentinus
Laurentius Valla.
Lazarus Bayfius
Liuius
L. Lucillus Grammaticus
Leo Imperator
Leo Baptista
Leonardus Fronsbergus
Ludouicus Guicciardinus
Ludouicus Regius
Ludouicus Russardus.
Lucanus

Lucianus

Lucianus
Lucretius
MAMERTINVS.
M. Antonius Muretus
Martialis
Mauritius
Minutius Felix
Modestus
Moschion
NAZARIVS.
Nicephorus
Nicolaus Macchiauellus
Nigidius
Nonius Marcellus
OLAVS Magnus
Onomasticon vetus
Orosius
Ouidius.
PACATVS
Palladius
Pandectæ Iuris
Paulus Diaconus
Paulus Manutius
Pausanias
Persius
Petrus Victorius
Petrus Daniel
Petrus Crinitus
Philostephanus
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius
Plinius Nepos
Plutarchus
Polyænus
Polybius
Pomponius Lætus
Pomponius Mela
Pompeius Festus
Possidonius
Probus Grammaticus
Priscianus Grammaticus
Prudentius
Ptolemæus
Pyrrhus Imperator
Pyrrhus Anglibermæus
RVFFINVS
Robertus Valturius
SALLVSTIVS
Sebastianus Munsterus
Seneca Tragicus
Seneca philosophus
Seruius Grammaticus
Sex. Aurelius Victor
Silius Italicus
Sisenna
Socrates
Solinus.
Sosipater
Sozomenus
Spartianus
Statius
Stephanus
Strabo
Stratocles
Suetonius Tranquillus
Sudas.
TERENTIVS
Tertullianus
Theodoritus
Theophrastus
Trebellius Pollio
VALERIVS Maximus
Valerius Flaccus
Varro
Velleius Paterculus
Vertranius Maurus
Verrius Flaccus
Victor Giselinus
Virgilius
Vitruuius
Vopiscus
Vrbicus
Vulcatius.
XENOPHON
Xiphilinus.
ZONARAS.

GODI-

GODESCALCI STEWECHII

COMMENTARIVS AD LIBRVM PRIMVM FLAVI VEGETI RENATI, DE RE MILITARI.

Ad libri inscriptionem.

FLAVI VEGETI RENATI.] Prænomen *Flauij* vnus liber non agnoscit, ceterùm cum id reliquis omnibus videam receptum, censeo retinendum. Quod verò liber collegij trium Coronarum huic auctori *Vedato*, pro *Vegetio* nomen indere velit, nunquam probabo, reclamantibus nempe reliquis exemplaribus, atque adeò ipso Prisciano Grammatico lib. 3. *Prænomen Vegetij.*

Viri inlustris.] De Illustribus, Spectabilibus, Clarissimis, ac Perfectissimis videndus est Alciatus lib. 3. Dispunctionum cap. 4. & meminere constitutiones Codicis Iustiniani passim, & in Variis suis Magnus Aurelius Cassiodorus. Addo etiam *Comitis* titulo Vegetium decoratum in exemplari M. impresso vetustissimo, cui accedit vnus manuscriptus nobilissimi ac doctissimi Iacobi Susij, in quo post finem libri quarti subscribitur, *Explicat liber* IIII. *Vegetij Renati, viri illustris, Comitis, epitoma institutorum rei militaris.* De Comite porro illustris cinguli dignitate præcincto, cui integrum est, adeat Cassiodorum libro 3. Variarum cap. 23. *Illustris.* *Vegetius Comes.* *Inscriptio horum librorum.*

Ad Valentinianum.] Alter ex Susianis codicibus malit *ad Iustinianum*. Atqui Flauium nostrum sub Christiano Principe vixisse, patet ex sacramenti militaris formula libro 2. cap. 5. Ceterùm vt sub Iustiniano potius, nondum adduci possum, vt credam. scio esse qui illum sub Valentiniano primo floruisse censeant, qui Valentem fratrem imperij consortem assumpsit, sed erroris eos conuincit ipse Vegetius, qui diui Gratiani meminit libro 1. cap. 20. Quare sub altero Valentiniano prioris Valentiniani filio, vitam egisse dicendum videtur, & illi hos libros consecratos. In eam opinionem inducor, quòd dicto cap. 20. pugnæ cum Gothis infeliciter cõmissæ mentionẽ videam fieri, sciamq; anno Vrbis ∞. C. XXIX. vel secundùm alios ∞. C. XXXI. ad V. Id. Augusti, bello Gothico secundo, Imperatorem Valentem A. in prœlio occisum. Tertius Imperator Valentinianus nomine fuit, qui natus auctore Pomponio Læto, Moma, & Plinta cos. (emendo ex Cassiodoro & aliis Monaxio & Plinta.) patre Constantio, matre Placidia progenitus, & à Theodosio in Oriente ad imperium adsumptus. quo postea Romæ in campo Martio interfecto, vxor Eudoxia ex Africa Genserico accersiuit, qui cum Vandalis Romam gentium dominam inuasit, ac diripuit: teste eodem Pomponio. & l. 2. C. de præfect. prætor. Africæ. Sub hoc Valentiniano Flauium nostrum vixisse dici quidem posset, sed illi hos libros dedicatos mihi vix fit verosimile: certè apertè negarem, si Orientis imperio hic præfuisset (quod falsò quidam adserit) priores illi Occidentis. tum Vegetius noster vrbis Romę, veteris scilicet sępe meminit, nouæ verò, id est Vrbis Constantinopolitanæ, nunquam. Tertium hunc Valentinianum sunt, qui Theodosij filium putent, sunt qui cum secundo Valentiniano confundant, vtrosque falli docemur à Paullo Diacono, & aliorum fastis, quod vt liqueat magis, Valentinianorum stemma pòst exhibebimus.

Vegetius Christianus fuit.
Dubitatur quo Imperatore vixerit.
Valentinianus primus.
Eius filius Gratianus.
Valentinianus secundus.
Valens Valentiniani frater occumbit.
Valentinianus tertius.
Pomponius Lætus correctus.
Valentiniani tertij pater, mater.
Eiusdem vxor.
Roma direpta.
Tres Valentiniani, omnésque Occidentis præfuerunt.

Inscriptio horum librorum.] In libris veteribus tam manu descriptis, quàm typis editis partim legas, *Epitoma institutorum rei militaris*, partim, *Epitoma rei militaris*. Certè epitomen tantùm auctorem nostrum scripsisse confitebere, quisquis lib. 1. prologum, & cap. 8. & lib. 3. prologum, & cap. vlt. & lib. 4. cap. 30. inspexeris.

Epitomen tantum Vegetius scripsit.

IN PRO-

IN PROLOGVM.

NISI post Deum fauerit Imperator.] Plerique libri, & optimi quibus vsus sum, malunt, *Nisi prænotum fuerit Imperatori*. Sed in vno Susij est, *nisi prius*. inde fortè faciendum, *nisi prius voto fauerit Imperator*.

Quod Octauianum Augustum.] In VV. aliquot *Octauius* dicebatur, nõ *Octauianus*, & id illi nomen in epistolis Bruti, apud Ciceronem, plus millies; & apud alios scriptores. Ammianus tamen Marcellinus lib. XXII. Histor. *Marius*, inquit, *& Octauianus, cui Augusti vocabulum delatum est primo*. Itidem apud Isidorũ lib. 9. etymol. Apud Eusebiũ in Chronico, & in fastis Cassiodori Octauianus vocatur. Auctor De viris illustribus *Cæsar Octauianus ex Octauia familia in Iuliã tralatus*, cap. 79. Hæc varietas inde est, quòd adoptionem illam Octauij cuius ratione Octauianus dici debebat, pleriq. Romani improbarẽt: Dio lib. XLVII. Tamen Octauianum Cicero vocat lib. XII. ad Atticũ, epistola XII. Rursus Cæsarem Octauianum appellat ad Brutum, epistola 7.

Octauius.

Octauianus dictus ex adoptione.

Creuit eloquentia.] In libro M. N. H. reperi *crebruit*. Liuius lib. 33. *cùm increbresceret rumor bellum in Sicilia esse*. Cornelius Tacitus, *Crebrescit viuere Agrippam*. lib. 2. Annalium.

Crebrescendi verbum Vegetio redditum.

De delectu igitur.] Scribo & hîc, & infrà locis omnibus apud Vegetium, *dilectu*, iuuantibus in eo aliquot membranis. neque placent quæ legebant *electione* vel *dilecto*. Glossarium vetus *dilectus* ἀγαθητεὶς, στρατολογία. Item Festus *dilectus militum, & is qui significatur amatus, à legendo dicti sunt*. Et hoc modo scribitur in optimis libris aliorum auctorum, & disertè est in Pandectis Florentinis scriptum, atque iteratum, in t. de re militari. & ita Festus scribit, in *Negligens*, & alibi. Itidem Cassiodorus lib. 5. Variarum cap. 21. *Decuriales* (inquit) *habita meritorum æstimatione diligito, quia non decet tantæ vrbis appellare quod vile est*. Error hic inde natus, quòd veteres sæpe addere solent vocalem e, vt pinguius verba sonarent, sic *meille, meillies, meilitia* illi scripserunt, vt ex L. Lucilli lib. 9. de orthographia Scaliger filius, flos eruditorum, ad Catullum notauit. hinc abiecta vocali posteriore, ex *deilectu*, postea librariorum consuetudine, inualuit *delectu*.

Dilectus, non delectus militum.

Meille, pro mille cur veteres scripserint.

Per quosdam gradus, & titulos.] Vegetius titulos vocat, quos vulgo librorũ capita dicunt. in quibus ipsis ma-

Vegetius libros suos in capita distinxit.

gna apud auctorem nostrum varietas, vt exinde libros suos in nulla omnino capita distinxisse suspicari possis, nisi locus hic reclamet.

IN CAPVT PRIMVM.

Galli magnos exercitus ducebant.

ADVERSVS Gallorum multitudinẽ.] Gallos maximos exercitus educere solitos testis Cæsar De bello Gallico lib. 2. principio, & Ammianus Marcellinus lib. 21. & Strabo de Aruernis. Fortitudinem Gallorum vsque à primis Romanorum temporibus repetit Liuius, eosque Prisco Tarquinio Romæ regnante, superatis alpibus Italiam inuasisse auctor est. ipsamque Galliã eo tempore adeò frugum, hominumq. fertilem fuisse, vt abundãs multitudo vix regi potuerit. lib. 5. ab Vrbe condita. Iidem legatis Romanorum ad se missis, responderunt, se in armis ius ferre, omnia virorum fortium esse. Liuius dicto libro.

Galli Italiam inuadunt. Gallia fertilissima.

Germani sanguine abundãt. Corpore procero sunt, vnde dicti.

Aduersus Germanorum proceritatem.] Germanos præsertim Septemtrionales sanguine admodum abundare, corpore procero esse, ipse Vegetius indicat cap. sequenti. Isidorus ab immani corpore Germanos nomen sortitos putat. Germanicus, apud Tacitum 2. Annalium, corpus Germanis tribuit, visu quidem toruum, sed impatiens vulnerum. De Germanorum, Gallorumq. specie, & amplitudine adeundus Cæsar, 4. belli Gallici initio, Hirtius de bello Africano, Plutarchus in Mario, Ammianus lib. 16. Tacitus De moribus Germanorũ, Galenus lib. 2. De temperamentis. Alluſit & Manilius lib. 4.

Et stupefacta suos inter Germania partus.

Iterum paulo pòst,

Flaua per ingentes surgit Germania partus.

Romani staturæ breui. Galli proceri.

Breuitas potuisset audere.] Media ferè, & commoda Romanorum statura, nõ raro breuior. Cæsar lib. 2. De bello Gallico, *Plerumque omnibus Gallis, præ magnitudine corporum suorum, breuitas nostra contemptui est.*

Hispania peditatu,

Gallia olim equitatu valebat.

Hispanos quidem.] Magna de hoc hominum genere olim fama in re militari peditatu præsertim, teste Diodoro Siculo, & aliis. Gallia ab equitatu vicissim celeberrima. Iuuenalis sat. 8.

Forsitan imbelles Rhodios, vnctámque Corinthum
Despicias merito ——

Horrida

Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis.
Manilius lib. 4.
Gallia prætentis, Hispania maxima bellis.

In cuius versu ne quid offendat tyro, monẽdus est, prætentas dici, quas Ammianus, & alij prætenturas vocant, à prætendendo. equites exploratores quidam vocarunt, sed de his alibi nobis erit commodior dicendi locus. *Prætentæ, & prætenturæ quid sint.*

Nostris præstitisse.] Liber impressus collegij trium Coronarũ, quo vsus sum beneficio Suffridi Petri, viri doctissimi, mihiq́ amicissimi, legebat *præstasse*. & id rectum censui. Sic Ammianus lib. 31. *Id quoq. præstauit, vt reliqui omnes interirent.* Frontinus, *fugientibus instaturos victores.* lib. 2. cap. 6. Eiusdem phrasis exempla infinita apud Iurisconsultos nostros in Pandectis passim obuia, & in Codice restituenda ex membranis. Nouum nõ est in compositis, verborum simplicium originem repræsentari. vt in *refacere, requærere*; etiam *significare* apud Iurisconsultum est. *Præstasse, pro præstitisse.* *Refacere. Significare.*

Aphrorum dolis.] In libro veteri dicuntur *Assyrij*. sed non ego hîc illi assentiar, nam ab astu, & dolo malo, Aphrica malè semper audiuit. testante Cicerone, in prima contra Rullum. & inde adagium, *Punica fides*. Horum fraus bello Punico secundo quoties emicuerit, videre est apud Liuium libro 32. & Florum libro 2. cap. 6. Ceterùm, quod Vegetius Germanos, Gallos, Hispanos, Aphros, Græcos denique ipsos militari disciplina à Romanis subactos censet: id alia ratione effectum putauit Cicero, cuius verba adscribam, quod faciunt Vegetio interpretando, confirmando. *Aphri dolosi.* *Qua ratione Romani alias nationes subegerint.*

Quam volumus (inquit) P. C. *ipsi nos amemus: tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso huius gentis, ac terræ domestico, nativoq́ sensu Italos ipsos, ac Latinos; sed pietate, ac religione, atque hac vna sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi, gubernariq́ perspeximus, omnes gentes, nationesq́ superauimus.* *Id pietate, & religione factum Cicero putauit.*

Tyronem solertem eligere.] Placet veterum librorum lectio, quibus *solerter* tyronem legendum monetur; contrarium quippe illi, quod cap. 7. huius libri dicitur, *incuriosius militem legere*. Item lib. 2. cap. 18. *Iuniores diligenter eligere.*

Seuerè in desides vindicare.] In exemplarib. M. N. H. & Susij legebatur *seuire in desides vindicando*. in vno V. *seuerè in desides vindicando.*

Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit.] Eandem sententiam attigisse video Cassiodorũ lib. 1. Variarum cap. 40. *Animos* (inquit) *subito ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissa exercitatione confidunt.*

Milites exercitati libenter pugnant.

Exercitata paucitas ad victoriam promptior.] Hinc est, quare veteres non tam numerosos, quàm eruditos exercitus habere voluerunt. infra lib. 3. cap. 1.

Indocti milites obnoxij magis periculis.

Indocta multitudo.] Ea non modò exposita vbique ad cædem, sed & aliis casibus magis obnoxia, fami, siti, vt testatur auctor noster lib. 3. cap. 1.

AD CAPVT SECVNDVM.

Vegetius emendatus.

Ex quibus prouinciis, vel regionibus.] Auctoritate librorum scriptorum recipiendum est, *nationibus*, & absque iis esset, non ferret tamen alterum sententia, cùm pro iisdem sint prouinciæ, & regiones.

Sed etiam animorum.] Itidé Vlpianus præsumptum esse ait, quosdam seruos bonos esse, quia natione sunt non infamata: quosdam malos videri, quia ea natione sunt quæ magis infamis est. l. quod si. §. qui mancipia. ff. de ædilicio edicto. Similiter Aristoteles lib. 3. Politicorum cap. 10. & Cicero in oratione de prouinciis consularibus, auctores sunt, nationes alias aliis seruituti aptiores esse. Quinimo & Vegetius existimauit occulta quadam ratione alios contra alios meliùs dimicare. lib. 3. cap. 16.

Alios aliis seruituti aptiores esse.
Itidem bello. Occulta quadã ratione, alios contra alios melius dimicare.

Nationes quæ vicinæ sunt soli.] Quicunque militibus probandis, aut scribendis tyronibus præponentur, eos vult Flauius noster cæli plagam quam maximè considerare eos quippe, quà corpore, quà animo magis fore idoneos militiæ, qui ex locis temperatis diligentur; qui enim Solis vicinitate siccati sunt sanguinis indigentes, vulnera nimis metuunt: qui verò ab ardoribus eius remotiores sunt, sanguinis abundãtia, ab humoris plenitudine, & crassitudine cæli perfusi, nimis sunt in vulnera & ferrum præcipites. Lucanus illi rei testis luculentissimus adhibendus:

Ex temperatioribus plagis optimi sunt milites.

Sanguinis indigentes vulnera metuunt.
Sanguine abundantes, præcipites in vulnera.

Quicquid ad Eoos tractus, mundiq; teporem
Labitur, emollit gentes clementia cæli.
Illic & laxas vestes, & fluxa virorum
Velamenta vides ——— Idem de aliis:
——— *Populi, quos despicit arctos,*

Felicis

Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis, & ignauum est redituræ parcere vitæ.

Neque in humanum genus eam vim tantũ omnis fœcunditatis auctor sol exserit. Nam & ferri primã differentiam à genere terræ, & plaga cæli, sub qua nascitur, Plinius esse dicit, lib. 34. natur. histor. cap. 14. deniq. calores, fructuum odores, saporum varietates, animalium quorumlibet magnitudinem, cuiusque rei formam, terrarum diuersas species, solis caliditate fieri certum est, adfirmantibus & Philosophorum scholis, & ipso Diodoro Siculo lib. 3. Rerum antiquarum cap. 12. Imò vt frugum semina solo mutato degenerant, itidem homines feri, & natura rudes, beneficio locorum genuinos mores exuunt, ac deponunt: sic Gallogræci postquam Brenno duce Græciam vastauerant, mox Orientem secuti in media Asia consederunt, & Asiatica amœnitate molliti sunt. Florus lib. 2. cap. 10.

Ferrum differens, pro terra, & plaga cæli.

Solis quanta vis in corpora terrestria.

Solo mutato fruges degenerant.

Itidem homines.

Gallogræci Græciam vastarunt.

Modestiam seruat in castris.] Illud certum est, protestatum aliquando Cæsarem, in milite non minus modestiam, & continentiam, quàm virtutem, atq. animi magnitudinem se desiderare. lib. 7. de bello Gallico. Quinimo non paruam laudem militum ductores promeriti, qui disciplina & seueritate sua hoc effecere, vt milites in omnibus dicto audientes haberent. Et hoc est, cur sæpius in eos vindicatum est, qui contra imperium in hostem pugnauerant, quique reuocati tardius prœlio excesserãt; quàm qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant. vt memoriæ prodidit Sallustius. Milites certè ni arctè habeantur, iustitiam sæpe despiciunt, quoniam Martia bella semper intendunt, dum nescio quo pacto assiduè dimicantibus difficile est morum custodire mensuram; vt ipse rex Theodericus confitetur apud Cassiodorum lib. 1. Variarum cap. 11.

Militem modestia commendat.

Inobedientes milites seuerissimè castigandi.

Milites arctissimè habendi sunt.

Per se disciplinæ negligentissimi.

AD CAPVT III.

Aptiorem armis rusticam plebem.] Eiusdem cum auctore nostro sententiæ Plinius lib. 18. cap. 5. *fortissimi viri, & milites, inquit, strenuissimi, ex agricolis nascuntur, minimèque malè cogitantes.*

Rustici meliores milites, quam urbani.

Balnearum nescia, delitiarũ ignara.] In libris aliquot

Balnea & balnea dicunt.

Balneorum nescius, diliciarum ignarus: τὸ *balneorũ* probat & Charisius Grammaticus. Præterea Balneæ & Balnea veteres dixisse testis Nonius Marcellus. Sed ista Grammaticis relinquamus. nos hoc agamus, id est auctorem nostrum illustremus. Balneorum is vult & deliciarum ignaros milites.

Delicia milites franguns.

eas res Hannibalem, eiusque exercitum fregisse, testes historiæ, Florus lib. 2. cap. 6. & Liuius lib. 32. Cic. prima oratione contra Rullum extrema. De Britannis idem quoque testatur Cornelius Tacitus in vita sui soceri. *Paulatimq; discessum* (inquit) *ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conuiuiorum elegantiã. idq; apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars seruitutis esset.* hinc non immerito Sillius libro 15,

Aspice latè
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes,

Voluptas vrbes perdit.

Quippe nec iræ deûm tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.

Duratis ad omnem laborũ tolerantiam membris.] Non mala quidem lectio, at non minus bona, quam membranæ H. suppeditant *du. ad omnem laborem, tolerantiamq; membris.* Ea phrasi Spartianus in Hadriano vsus. dum illum etsi pacis magis, quàm belli cupidum; militem tamen, quasi bellum immineret, exercuisse dicit, eumque tolerantiæ documentis imbuisse.

Tolerantia.

Etiam vrbanos ad arma compelli.] VV. & *vrbanos ad arma compellere.* quæ differentia vix nauci est. Illud monendum, Rei Romanæ angustias, & necessitatem, non ciues tantùm, sed & senio, vel alio priuilegio à belli onere immunes, etiam seruos ad arma sumenda exciuisse. qua de re nos infrà dicturi.

Parco victu vtantur, & rustico.] In aliis exemplaribus M. S. N. H. & Susij, reperi *parno victu.* Nescio an paruum victum vocet, quẽ vilem Ammianus appellabat, quasi parui pretij. Nam labores agri colendi paruũ victum non videntur admittere. & quidem paulo ante, hoc eodem capite, libri aliquot scripti, ad illud, *parno contenta* infercie-bant *cibo*. sed non tam facilè mihi persuaserint hoc à Vegetio istic scriptum. Cibum delicatis præberi apud Terentium Donatus obseruauit: Victum verò in paruis, aridisque alimoniis. Quod ad cibum castrensem, erat in eo laridum, caseus, & posca. Spartiano auctore in Hadriano.

Cibus, victus quid differant.

Cibus castrensis.

Poscam

Poscam genus potionis interpretantur ex aqua aceto admixto, quo & remiges hodie vtuntur, & olim serui, vt ex Plauto Palmerius noster probauit, restituta eidem ea voce, coniectura peracuta.

Interdum sub papilionibus commorentur.] *Papiliones vocantur à similitudine parunli animalis volantis, quod maximè abundat florentibus malnis. hæ sunt aniculæ, quæ lumine accenso conueniunt, & circumuolantes ab igne proximo interire coguntur.* auctor Isidorus lib. 15. etymolog. cap. 10. Sunt autem Vegetio, vt & Tertulliano, Plinio, & aliis, papiliones, quæ tentoria alij vocarunt. fiebant autem proprie è velis tensis. Alia Tentoria fuerunt è tabulis consertis mutatilia, quæ Cæsar & alij tabernacula vocant, & nomẽ habent à similitudine tabernarum, quæ ipsæ, quòd ex tabulis olim fierent, sic dictæ; testante Festo in *Tabernacula*. Ouidius 3. Fastorum:

Papiliones vnde dicantur.

Papiliones quid sint.

Quomodo fiant.

Tentoria.

Sub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt,
Sunt quibus è ramis frondea facta casa est.

Isidorum etiam hoc loco aduocemus: *Tabernacula*, inquit, *tentoria sunt militum, quibus in itinere solis ardores, tempestatesq; imbrium, frigorisq; iniurias vitant. dicta autem tabernacula, quòd cortinæ distentæ funibus, tabulis interstantibus, appenderentur, quæ tentoria sustinerent. Tentorium dictum quòd tendatur funibus, & palis.* lib. 15. cap. 10. Fuerunt & alia tentoria scortea, quæ Iurisconsulti nostri, Cicero, Tacitus & alij *pelles* vocant. & inde apud Historiographos *sub pellibus esse, sub pellibus hibernare*. & similia. Tabernacula hęc, etiã casas vocauit Vegetius, lib. 2. cap. 10. & Ouid. dicto versu. Illud certè prætereundum minimè puto, quòd Romani primùm sub tribunis militum consulari potestate creatis, bellum etiam hieme continuare, & sub pellibus hibernare cœperunt. quod me docuit Liuius lib. 5. ab vrbe cond. principio, dum inquit, *hybernacula etiam res noua militi Romano, ædificari cœpta.* Antea enim hiemi cedentes arma deponere; domos, ac res suas inuisere solent. hinc apud Liuium, eodem libro, querela illa Tribunorum plebis: *Militem Romanum in opere, ac labore, ninibus, pruinisq; obrutum sub pellibus durare: ne hiemis quidem spatio, quæ omnium bellorum terra mariq; sit quies, arma deponentem.* In antiquitatibus & illud scriptum, Spartiacum militem coercitũ acriter, quòd procinctus tempore ausus sit videri sub tecto. Monet Ammianus lib. 22. Sed ab eo rigore militaris seueritatis postea dis-

Tabernacula.

Pelles, pro tentoriis.

Casæ.

Quãdo primum Romani, hiemẽ in castris continuarint.

Hibernacula.

Æstiua, Hiberna.

cessum est, repertis Æstiuis & Hibernis. Varro libro 4. De lingua Latina *Cænacula dicta. posteaq; vbi cænabant plura facere cœperunt, vt in castris ab hieme hiberna, hibernum domus vocarunt, contra æstiuum.*

Cursus publicus Rom. Veredi.

In angariis plurimum detinendi.] De angariis & parangariis; Veredis, & parauereedis; quorũ vsus in cursu publico, & re vehicularia, multa Iurisconsulti lib. 12. Codicis Iustiniani, tit. De cursu publico. Multa quoq. ad eam rem Budæus in explicatione l. eos qui, ff. ad legem Corneliam de falsis. Et præclarè de hac re Iurisconsultorum antesignanus Iacobus Cuiacius in dictã rubricam Codicis Iustinianei. Sed & apud Persas, vt idem Budęus auctor est, *ἀγγαρεῖον δρόμημα* cursus perniciſſimus equitum erat. videndus autem in eam rem Herodotus lib. 8. Imò & ipsi nuntij Regij apud Persas *ἄγγαροι* erant, teste Suida. quos etiam *ἀγγάρδαι*, vocatos scimus. Hi peracto singulorum dierum penso, mansiones habebant, seu diuersoria, quæ & ipsa *ἀγγαρεῖα* vocarunt. vide si integrum est, & Cœlium Rodig. lib. 18. cap. 8. Nostrates hoc genus veredorum *postas* vocant, quasi positos, collocatosque certis in locis, & semper in procinctu excubantes. Addendum est & illud, non expeditis equis, vt hodie; sed vehiculis ea in re antiquos vsos. probabo in gratiam iuniorũ vno testimonio Ammiani Marcellini ex lib. 21. Historiarum: *Vt cæteris antistitum, iumentis publicis vltro citroq; discurrentibus, per synodos quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehicularię incideret nemos.* Equis tamen & sine vehiculo veredos vsos, probare possim, ex Cassiodori lib. 4. Variarum, epistola ad Ghodiscalcum Saionem, & cap. 5. lib. eodem. Porro ab illo cursu vehiculari, nomen tractoriarum in iure scripto pro diplomatis, quæ missis, vel euocatis à principe dabantur, quibusque suis locis euectionem impetrabant. meminit & Plinius libro 10. Epistolarum. Primum autem cursus vehicularis institutorem apud Romanos reperio Augustum, apud Suetonium in ipsius vita cap. 49. vbi videre est vehiculorum loco prius iuuenes ab eodẽ per vias militares fuisse dispositos. Atqui laborem hunc angariarum tyronibus durandis feciſſe, nemo est qui negare ausit, modò paterentur apud Vegetium eam vocem consistere libri VV. & viri eruditi. Nõ patiuntur hoc loco, liber Collegij trium Coronarum, & manuscriptus N, qui

Et Persarum.

Postas nostri vocant.

Antiquis in cursu publico currus usui erat.

Etiam soli equi.

Tractoria, seu diplomata in cursu publico.

Cursum publicum apud Rom. quis inuenerit. Iuuenes primum in eo cursu, non equi, aut currus.

pro

pro *Angariis*, hîc substituunt *Agrariis*. Itidē apud Vegetium infra lib. 4. cap. 19. & lib. 2. cap. 22. lib. 3. cap. 8. bis. & libro eodem capite postremo. Membranæ H. N. & alij quidam libri tuentur illud *Agrariis*. Tuitus etiā est Galliæ flos Adrianus Turnebus libro 4. Aduersariorum cap. 7. adstipulantibus sibi suis exemplaribus veteribus Vegetianis. Probauitque Agrarias Vegetio dictas, quas prætenturas, stationesque agrarias Ammianus vocauit. *Quia Mesopotamiæ*, inquit, *tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis, & stationibus agrariis seruabantur.* Iterum: *Salubriter, & cautè castra metata, prætenturæ, stationesq; agrariæ totis rationibus ordinatæ.* Itidē & in Notitia vtriusq. imperij, vbi de castellis & limitum munitionibus agitur: *Vigiliis in his, & agrariis exercendis, vt prouinciarum quies circundata quodam præsidij cingulo illæsa requiescat.* Quas hîc prætenturas vocant, (prætentas apud Manilium vocari supra diximus,) à prætendendo dictas, nimis quàm manifestum est. Elegantem sanè de eo tralationem D. Ambrosius sumpsit: *Fortis*, inquit, *viri est non dissimulare, cùm aliquid immineat, sed prætendere, & tanquam explorare de specula quadam mentis.* Et vt illud, tanquam aliud agens adnotem, vt hoc, itidem alia patres à re militari ad ecclesiæ ritus traxêre vocabula. Nam vnde illis Vigiliæ? stationes? tesseræ? vexilla? processiones? & mille alia.

Vegetius correctus.

Agrariæ quid sint.

Prætenturæ à prætendendo dictæ.

Ecclesia multis vocabulis vtitur sumtis à re militari.

Procul habendi à ciuitatis illecebris.] Mihi perplacet quod membranæ legunt, *ciuilibus illecebris*. Auctor est Herodianus lib. 4. Imperatorem Seuerum filios suos ex vrbe abduxisse, non alia caussa, quàm vt procul munditiis vrbanis, in castris militari vitæ ac sobriæ iuuenes adsuescerent. Tacitus lib. 2. Annalium: *Iuuenem vrbano luxu lasciuientem melius in castris haberi.* Eôdem referendum quod lib. 9. Etymologiarum, seu Originum scriptum reliquit Isidorus: *Castra*, inquit, *sunt, vbi miles steterit, dicta autem castra quasi casta, eò quòd ibi castraretur libido.* Magni animi profecto dictum illud Epaminundæ, apud Æmilium Probum, quem scriptorem Cornelium Nepotem nuncupandum censent. *Si Principes Græciæ esse vultis, castris est vobis vtendum, non palæstra.* videndus & Horatius lib. 3. Ode 3. Non alienum quoque à disciplina militari, quod apud Cornelium Tacitum Ælius Seianus etiam castra ipsa voluerit ab oppidis remotiora collocari, ne militum animos oppidani inflecterent adeundo, appellando.

Imp. Seuerus cur filios abduxerit ex vrbe.

Castra vnde nomen habeant.

Epaminundæ dictum.

Castra cur remouenda ab vrbibus.

lando. *Seuerus* (inquit) *acturos si vallum statuatur procul vrbis illecebris.* eaque ratio est, cur & milites antiquitus ad matrimonia non fuerunt admissi. ad quod probandum citarem Tacitum 14. Annalium, & Galgaci verba, ex eiusdem scriptoris Agricola, nisi viderem, summum Belgicæ nostræ decus, Iustum Lipsium eam rem elucidasse in commentario ad Annales Taciti. etiam Athletas non modò coniugij, sed & Veneris expertes fuisse, Tertullianus scripsit ad Martyres. Plato 8. De legibus, & proinde Galenus. Quod ad Venerem, aperto ore reclamat Plinius lib. 28. cap. 6. Eandem & militibus permissam fuisse loco iam citato idem Lipsius docuit. Primus autem, vt vxorem domi milites Romani haberent, Imperator Seuerus permisit, vt auctor est lib. 3. Herodianus. Quin & Alexandrum Magnum in tantum à patre degenerauisse accepimus, vt militibus in castris vxores habere permiserit, pueris alimenta, iuuenibus armorum, equorumque instrumenta dederit. patribus pro numero filiorum præmia statuerit. atqui ea res præter vulgi opinionem illi successit. Nam veteranis patribus, tyrones filij successerunt; & constantissimi milites effecti, qui non solùm tyrocinia, verùm & incunabula in ipsis castris posuerant. quæ consuetudo etiã in ipsis successoribus Alexandri mansit, teste Iustino lib. 12.

Milites ad matrimonia non admissi.

Athleta à matrimonio, etiam à Venere prohibiti.

Seuerus domi vxores militibus permisit.

Alexander Magnus militibus vxores etiam in castris permisit.

Ibiq; pueri educati.

Id feliciter Alexandro successit.

Successores illius eundem morem quoque probarunt.

Corporibus eorum robur accedat, & animus.] Exemplaria VV. *robor* legunt, & hîc, & infra pluribus locis. atque ita scribitur in Glossis veteribus semper. Etiam Sosipatrum Charisium hoc nomen vidi recensere inter nomina in *Or* Institutionum Grammat. lib. 1. De cetero vt animi, & corpora militum exercitio & labore roborantur: perinde intermissa laboris consuetudo vtrumque debilitat, teste Vegetio lib. 2. cap. 23. Itidem Tertullianus apud Martyres de præludione cum militum, tum gladiatorum: *Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expaneſcant. De vmbra ad ſolem, & ſole ad cœlum* (malim legeretur *de ſole ad gelum*) *de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem.* Gelum pro gelu veteres dixisse testes mihi Grammatici. Nonius Marcellus, Priscianus, & Sosipater Charisius.

Robor, pro, robur.

Milites sine intermissione exercendi.

Gelus, pro gelu.

Post Vrbem conditam.] Vetus liber M. impressus, *ab Vrbe condita.* quomodo Vegetium video locutũ lib. eodem cap. 20. & alios scriptores plus millies.

Vt

Vt aranti Quintio.] Qui historiam ignorat, discat è Liuij lib. 3. & ab auctore De viris illustribus, qui nudum Quintium à viatoribus repertũ prodidit. Cuius ratio peti quoque potest à Dionysio Halicarnasseo.

Quintius ex agro ad dictaturam vocatus.

Viro optimo dictaturam.] Verba illa *Viro optimo.* C.M. S. N. H. & tres Susianij libri non agnoscunt, & meritò. De potestate dictatoris & tẽpore imperij, ita Pomponius Iurisconsultus: *Interdum*, inquit, *re exigente placuit maioris potestatis Magistratum constitui. itaque dictatores proditi sunt, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduersio data est. hunc Magistratum quoniam summam potestatem habebat, non erat fas vltra sextum mensem retinere. l. 2. §. populo. ff. de origine iuris.* Liuius lib. 4. *Senatus extemplo (quod in rebus trepidis fieri solet) dictatorem dici iussit.* Dicebatur autem Dictator ex senatusconsulto ab altero cos. & ipse porro Magistrum equitum dicebat. Primum autem Dictatorem T. Larcium, Magistrum verò equitum Sp. Cassiũ, inueni anno nono post reges exactos. Liuius, lib. 2. ab V.C. & fasti Rom. Creati autem vel rei gerundæ caussa, aut seditionis sedandæ, etiam regni opprimendi, etiam Reipublicæ constituendæ, etiam claui figendi, etiam comitiorũ habendorũ, etiã ludorũ caussa, quemadmodũ probare facile mihi sit, nisi vererer esse longior.

Dictatoris potestas.

Dictatura VI. menses tantum retinebatur.

Dictator à quo dicebatur.

Magister equitum à quo dicebatur.

Dictator primus.

Dictatur, quas ob causas dicebatur.

AD CAPVT IV.

Incipientem pubertatẽ ad dilectum cogendam.] In membranis Susij & H. *incipiente pubertate ad dilectum cogendum tyronem.* Ad rem veniamus. Qui de militari disciplina libros posteris reliquêre, haud ferè quemquam minorem septem & decem annis, aut sex & quadraginta maiorem, militiæ & tyrocinio ascribi solere docuerunt, idque à Seruio Tullio vetere censione primùm cautum fuit. Gellius testis libro 10. cap. 28. & æuo subsequente à Caio Graccho lege sacrata sancitum. Liuius lib. 25. Plutarchus in Gracchis. Seneca De breuitate vitę cap. vlt. Antonius Augustinus libro singulari ad Modestinum in l. paupertas. §. iam verò militi. ff. de excusationibus. Imo legem fuisse probat Iustus Lipsius ad Taciti Annales, quæ militem liberaret anno demum ætatis quinquagesimo. videndus Petrus Crinitus lib. 8. De honesta disciplina, cap. vltimo. Addam quod hac de re apud Macrobium obseruaui lib. 1. in somnium Scipionis.

Anno XVII. initium militiæ. Anni XLVI. à militia excusabant.

Ea de re lex Seruij Tullij regis. Item C. Gracchi.

Alij militiam ad L. ætatis annum extendunt. Pro iis testimonium Macrobij.

pionis. In nonnullis rebuſpublicis ſecundum & quadrageſimum: in aliis nonum & quadrageſimum ætatis annum, immunitatem à militia præſtare. *Nonnullarum*, inquit, *rerum publicarum is mos eſt, vt poſt ſextam, ad militiam nemo cogatur; in pluribus detur remiſſio iuſta poſt ſeptimam.* Per ſextam, & ſeptimam auctor ille hebdomades annorum intelligit, in quibus ſingulis ponebant annos ſeptem. Cenſorinus De die natali cap. 14. *In tertio gradu qui erant vſque quinque & XL. annos iuuenes appellatos; eò, quòd Rempublicam in re militari poſſent iuuare.*

A teneris perfectius omnia imbibuntur.

Sed etiam perfectius imbibuntur.] Libri P. S. N.H. & duo Suſiani *imbuuntur*. ſed meo quidem iudicio, id non tam rectè conuenit cum eo, quod ſubiicitur, *quæ diſcuntur à pueris.* Quod in iuuentute non diſcitur, in matura ætate neſcitur, vt ſcribit apud Caſſiodorũ Rex Theodericus, dum Gothos adhortatur, iuuenes in Martiam diſciplinã ab ineunte ætate producere. adhibito exemplo accipitrum, qui fœtus ſuos, etſi nouitate marcentes, nidis proturbant.

Vegetius emendatus.

Deinde militaris alacritatis, ſaltus, & curſus.] Dixi me malle *militaris alacritas., ſaltus*. quod facio libris optimis auctoribus: aliò videtur abire M. ideoque *illius* lectionem adſcribendam duxi: *Demum mil. alacritas, ſaltus, & curſus, antè temperare debet, quàm corpus ætate pigreſcat.*

Iterum emendatus. Salluſtius emendatus.

Nam primum iuuentus, ſimul ac belli patiens erat.] Vt Vegetij locum hunc, ſic & ipſum adeò Salluſtium, vnde noſter eum deſcripſit, corruptum eſſe conieci, quod librarij neſciuiſſent, *ſimul*, pro *ſimulac*, etiam apud Oratores dici. qua de re in particulis linguæ Latinæ plura à me allata exempla. Atque locum hunc ita conſtitueram, *Nam ſimul iuuentus belli patiens erat.* Multos deinde poſt dies manuſcriptum Salluſtium codicem nactus, rectam ex eo coniecturam meam fuiſſe deprehendi. Idque præſente Iano Guliel-mo Lubecenſi familiari meo, quem ob ſingularem eruditionem, &, quod caput eſt, animi candorem, amare nunquam deſinam. Locus ex Salluſtij Iugurtha eſt, eum vt in membranis repperi adſcribam: *Iam primum iuuentus ſimul belli patiens erat, in caſtris per laborem vſu militiam diſcebant.* eamque lectionem olim expreſſerant in Vegetio excudendo Colonienſes, vno excepto, quòd, *ac*, particulam inſeruiſſent. De re ipſa teſtimonium etiam Plinij accipe, ex libro octauo

Adoleſcentes Rom. parendo imperare diſcebant.

epiſto-

epistolarum. Inde, ait, *adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, vt imperare parendo, duces agere, cùm sequuntur, adsuescerent.* Tertullianus ad Martyres: *Nemo miles ad bellum venit cum deliciis, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis, & substrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit. etiam in pace labore, & incommodis bellum pati iam ediscunt.* *Etiam in pace belli incommoda ferebant.*

Per laboris vsum.] M. N. & C. *per laborem vsu.* quod & Sallustianis membranis vidi confirmatum. attamen laboris consuetudinem Vegetius dixit lib. 3. capite secundo.

Sudes scienter figere norit.] Eas aggeribus superimponi, & vallos appellari infra videbimus. neque mirabere hanc scientiam in tyrone requiri, si scias castra ponere, fossas ducere, & alia castris muniendis facientia, ipsorum militum Romanorum munia fuisse. *Ipsi milites opera olim fecerunt.*

AD CAPVT V.

Proceritatem tyronum, à consule Mario, scio semper exactam.] Libri M. S. N. *Proceritatem tyron. ad incommoda scio semper exactam.* Membranæ H. habent *ad incommam.* certè illud *à consule Mario* glossarium esse rectè censuit acutissimus, mihique amicissimus Ianus Mellerus Palmerius. Neque id vlli libri agnoscunt, vnà Parisiensi editione excepta: in qua legitur *Proceritatem tyro à Consule Mario ad victoriam scio semper exactam.* nugæ meræ. in membranis Susij reperi, *proceritatem tyronum scio quondam semper exactam.* Iterum Palmerio adsentior ex *quondam* facienti *commodam.* Proceritas commoda hic, quam alij mediam militarem vocarunt staturam. hanc qui superabant dicebantur statura proceri, qualis depingitur apud Spartianum Hadrianus. *Statura prolixa*, qualis apud eundem Pescennius Niger: *Eminentem staturam* Suetonius vocauit. *eximiam* Liuius lib. 7. Qui minores erãt, exiles, breues, & breui statura dicti. De statura media, militari, iusta, & cõmoda, exempla ponã. Statura iusta Galbam obseruaui à Suetonio descriptum. Itidem Liuius: *Corpus alteri magnitudine eximium versicolori veste, pictisq; & auro celatis refulgẽs armis: media in altero militaris statura*, lib. 7. ab Vrbe condita. Itidẽ media ætate mulierẽ Plautus Aululария appellauit. Imo & Imperatorem Alexandrũ Seuerũ, statura militari, apud Lampridium video describi: & longitudine Romana

Sublatum à Vegetio mendum.

Statura media, militaris, & cõmoda.

Statura procera, eminens, prolixa.

Ætate media mulier.

Statura Romana.

Romana Imperatorẽ Gordianum à Iulio Capitolino. De ſtatura commoda Plautus Aſinaria exemplũ ſuppeditauit.

Qua facie noſter Saurea eſt, ſi is eſt, iam ſcire potero.
II. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventrioſus,
Truculentis oculis, commoda ſtatura, triſti fronte.

Commodus comma.

Idem Milite, commodum cõuiuam appellat, qui loqui, & tacere ratione poſſit. quiq. iuſtã tantũ orationis ſuæ partem perſequi, & ſuã itidẽ tacere, cùm aliena oratio eſt, norit.

Pedes quinque & dodrans ſtatura bremis.

Vt ſenos pedes, vel quinos, & denas vncias habentes.] Suetonius breuem ſtaturam dicit, quæ erat pedum quinque & dodrantis, in Auguſto, cap. 79.

Pedis vna diuiſio in XVI. digitos: Altera pedis diuiſio in duodecim vncias.

Denas vncias habentes.] Sunt libri in quibus vox *vncias*, mutauit in *tnrmas*. Itidem hoc lib. cap. 12. pro *duas vncias adacta* ſubſtituerunt quidam *duabus viis ad*. vtrumque illorum ineptiæ debetur, qui non intellexerunt Romanos per pedem menſuram ſignificaſſe, diuiſiſſe autem in quatuor palmos, digitos ſexdecim. diuiſiſſe item pedem in vncias duodecim, ita vt duodecima pars pedis vncia appelletur. pollicem dici auctor eſt Frontinus. De diuiſione pedis in palmos quatuor, ſeu digitos ſexdecim, præter Vitruuium teſtes mihi Columella, Frontinus, Feſtus in *Trientem*, Iſidorus & alij. Altera pedis diuiſio nata eſt apud eos, qui pedem pro aſſe habuerunt, eumq́ue (quemadmodum & aliud omne integrum quod aſſem nominarunt) in duodecim æquas partes diſtribuerunt. Vnam portionem vnciam dixerunt, duas ſextantem, tres quadrantem, & ſic deinceps: prout Iuriſconſulti libram, pondo, ſeu aſſem diuiſêre, ſingulisque partibus ſua indidêre nomina. Hinc patet quàm Latinè ceſpes dicatur *altus ſemiſſem* infra apud Vegetium, quod ibi ineptum quidam cenſent, & malunt *altus ſemis pedem*. Itidem Aſtrologi duodecimas diametri ſolis, & lunæ, digitos, ſeu vncias vocant. Etiam anni curricula ad libræ plenitudinem antiquitas collegit, menſibus duodecim vnciarum nomine cõputatis, vt auctor eſt Caſſiodorus lib. 1. Variarum capite 10. Dicta autẽ Vncia ab vno, Sextans ab eo quòd ſexta pars aſſis eſt, Quadrans quòd quarta, Triens quòd tertia pars, Semis quòd ſemis, id eſt dimidium aſſis. & ſic deinceps reliquæ aſſis partes: vt docet Priſcianus, de ponderibus, & menſuris.

Vegetij locus confirmatus.

Annus olim in duodecim vncias diſtributus.

Vncia vnde dicta.

Vncias habentes.] Verbum *habentes* nullum eſt in libro S. N. &

S. N. & H. Inde suspicari possumus olim hæc numeris perscripta fuisse, hoc modo: *puta* VI. *pedum, vel certe* V. *vel* X. *vnciarum inter alares equites, &c. probarentur.*

Ciuilis pars florentiorem adduxerat iuuentutem.] Peccare non videor, qui cum membranis legam *abduxerat.* Nam vt Vegetium intelligo, notat eos, qui domi, quàm militiæ viuere; in foro quàm in castris versari; togati, quàm sagati incedere malebant. Sic auctor noster hoc lib cap. 7. *dum honestiores ciuilia sectantur officia.*

Minorem quidem corpore, sed fortiorem armis.] Octo apud me exemplaribus probatur *armis*, pro *animis.* at non proinde & mihi. impedit Vegetius qui non tantùm corporibus, sed etiam animis præstantissimos desiderat hoc lib. cap. 7. & lib. 2. cap. 5. Impedit quoque Sallustius, cuius locus dignus qui adducatur: *Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi, res magis militaris procederet. Nam & priusquam incipias consulto, & vbi consulueris maturè facto opus est. Ita vtrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.* Coniurationis Catilinariæ principio.

Vine corporis, an magis animi viribus res militaris procedat.

AD CAPVT VI.

SED qui dilectum acturus est.] Seruius in Virgil. Æn. lib. 8. auctor est apud Romanos tria militiæ genera fuisse. Nam aut legitima erat militia, aut coniuratio, aut euocatio. legitima, quæ & sacramentum dicitur, erat eorum qui singuli iurabant, se *pro Rep. esse facturos*, nec discedebant nisi completis stipendiis. Aut certè si esset tumultus, *id est bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus.* Verrius & Festus in voce *Tumultus.* tunc quia singulos interrogare non vacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, vnum roseum, quo pedites euocabat; alterum cæruleum, quod erat equitum, dicebat, *qui Remp. vult saluam esse me sequatur.* & qui conuenissent simul iurabant, & dicebatur ista militia coniuratio. Fiebat etiam euocatio. nam ad diuersa loca diuersi propter cogēdos mittebantur exercitus. Conquisitores hos vocari memini à Liuio lib. 30. & Hirtio lib. de bello Alexandrino. Ritum coniurationis etiam Arnobium video attigisse lib. 2. aduersus Gentes: *Cùm paratis bella, signum,* inquit, *monstratis exarce? aut fecialia inrattatis?*

Tria militia genera.

Legitima militia quæ.

Quid tumultus.

Coniuratio qualis.

Euocatio qualis.

Conquisitores militum.

per clarigationem repetitis res raptas? Quæ ex Seruio mutuati sumus, eadem video & Isidorum ab eo sumpsisse lib. 9. Etymol. pòst etiam Budæum ad Pandectas, item alios. Adiungendum censui & Gallorum morem in conscribendis militibus. Hi bellum inituri lege communi omnes puberes armatos conuenire cogebant, & qui ex eis nouissimus venerat, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus adfectus necabatur, memoriæ prodidit Cæsar lib. 5. belli Gallici. Qui verò apud Romanos in legitima militia, & publico dilectu, olim non respondebant, vt proditores libertatis in seruitutem redigebantur. Testis mihi Menander Iureconsultus *l. qui cum vno. §. qui post. ff. de re militari.* & Franciscus Duarenus lib. 1. disputationum cap. 4. sed mutato postea statu militiæ à capitis pœna recessum est *d. §. qui post.* Etiam illud admonendum, certos dies constitutos fuisse intra quos legitimæ militiæ dilecti expeditioni se parārent. Festus: *Iusti dies dicebantur triginta, cùm exercitus esset imperatus, & vexillum in arce positum.* Porro etsi militibus scriptis iam, iuratisque, dies, quo adesse deberent, præfinitus esset, quo citati consuli respondērent; erant tamen in eo excusationes, morbus sonticus, auspicium, sacrificium, anniuersarium, &c. de qua re adeundus Gellius lib. 16. cap. 4. & Polybius lib. 6. fuit quoque cùm aliam dilectus habendi rationem publica necessitas requisiuit, vt etiam illi, qui vacationem à militia habebant, nomina dare cogerentur. Liuius lib. 7. *Et cùm (quod per magnos tumultus fieri solitum erat) indictio indicto, dilectus sine vacationibus habitus esset, legiones quantum maturari potuit, in Auruncos ducta.* Similis quoque & bello Gallico dilectus fuit, in quo opificum vulgus, & sellularij minimè militiæ idoneum genus hominum exciti: Liuio teste lib. 8. Imò & senes nomina dare vel inuiti coacti non semel: Liuius lib. 5. & lib. 27. Alia itē & in educendo exercitu ratio nonnunquam obseruata. Mira sanè quam in cogendis militibus festinationem prædicat Liuius lib. 3. extremo. Nimirum mane cùm iuuentus in campum Martium dilectus caussa cōuenisset, signa militaria eo ipso die, à Quæstoribus ex ærario prompta, delataque in campum, & quarta eiusdem diei hora inde exercitum mouisse. Obseruatione dignus mos de signis militaribus ex ærario promptis. vbi tēpore pacis deposita obseruabant ea Quæ-

Gallorum mos in connotādo milite.

Romani in dilectu non respondentes puniti, vt proditores.

Mutata illa pœna mutato militia statu.

Milites lecti, diebus xxx. se parabant.

Data tamen in eo excusationes.

Necessitas publica dilectus rationem mutauit.

Dilectus sine vacationibus.

Opifices & sellularij militiæ adscripti.

Senes nomina dare coacti.

Exercitus quatuor horis conscriptus, & eductus.

Signa militaria tēpore pacis vbi, & à quibus custodita.

stores

ſtores. Idem Liuius: *Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem conuenire armatos iuniores iuſſiſſet, ſignáque eodem ex ærario Quæſtores deferre.* lib. 7. Atqui non minus dignum obſeruatu, quod ex Appiano de bel. Hiſpanienſi didicimus. Nimirum, quòd cùm in prædicto dilectu agendo conſules minus ſincerè dicerentur verſati, poſtea placuit non deligendo, ſed ſortitione milites vocari. Hac ratione congregatum exercitum primus duxit in Hiſpaniam L. Lucullus conſul, qui ſecum legatum habuit Cornelium Scipionem. Sed fortaſſe nimis multa hæc, de dilectu, & exercitu educendo quibuſdam videbuntur, attamẽ in eam partem peccare malo (ſi id peccare eſt,) quàm omittere, quod huc pertinere video. ideoque & alios ritus adſcribam à me obſeruatos. Fuit ſub principibus Rom. & ille mos, vt dies expeditionis publico edicto indicaretur. Sic Imper. Alexander Seuerus in expeditionem bellicam exiturus, dies itinerum publicè proponebat, ita vt edictum penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum erat, Illa die, illa hora ab Vrbe ſum exiturus, & (ſi dij voluerint) in prima manſione manſurus. deinde per ordinem manſiones, deinde ſtatiuæ, deinde vbi annona eſſet accipienda; & id quidem eo vſque, donec ad fines Barbaricos veniretur. iam enim inde tacebatur. auctore in illius vita Lampridio. Formulam qua Gothi in expeditionem euocati fuere, ex Caſſiodoro adſcribam. *Atque ideo per Nandium Saionem noſtrum admonendum curauimus, vt ad expeditionem in dei nomine, more ſolito, armis, equis, rebúſque omnibus neceſſariis ſufficienter inſtructi, octauo die Kal. Iuliarum proximè venientè, modis omnibus deo fauente moueatis.* lib. 1. Variarũ ca. 24. De teſſera expeditionali alibi quoq. dicturi ſumus. Ceterùm priùs quàm Vrbem egrederentur duces, munus gladiatorium, & venatus dediſſe ex Capitolino didicimus. qui alterum factum ſuſpicatur; vt duces inter ſe cohortes videndo; ferrum, & vulnera ne perhorreſcerent. Sacra item fecêre ante egreſſionem, vt videre eſt apud Herodianum lib. 6. Etiam antequam prœlium committerent, ſacra feciſſe docere poſſum. ſic Audaciæ & Pauori ſacra facta à Scipione, conſtat ex Appiano, lib. de bello Punico. Neque à Romanis tantum: Lacedæmonios duces prælium inituros ſacra Muſis perſoluiſſe ſcribit Plutarchus in Lycurgo. Myſios equum immolaſſe Florus teſtatur: *Illi*, inquit, *ſtatim ante*

Dilectus ſortitione inſtitutus.

Quis primus lectum ſortitione militẽ ediuerit.

Dies expeditionis edicto indictus.

Edictum etiam ante duos menſes, quam egrederentur, ſuſpiſam.

Formula illius edicti.

Duces ante egreſſionem venatus dabant.

Etiam ſacra faciebant.

Sacra facta etiã ante prælium.

Idem faciitarunt Lacedæmony. Item Myſij.

Mos vetus belli indicendi.

aciem immolato equo concepêre votum. Nunc qui olim ritus fuerat indicendi belli, in solo hostium, & per feciales, idem post & in educendo exercitu domi obseruatus. Romani antiquitus hunc morem tenuerunt, quòd fecialis testibus puberibus adhibitis, in terram cui bellum illaturi erant, hastam coniiciebat. Eum ritum ab Æquicolis, ab Anco Martio Rege Romam translatum testis mihi Liuius lib. 1. à Rheso primum excogitatum scribit auctor De viris illustribus, cap. 5. Formula istiusmodi indictionis in Liuio est lib. 1. & Gellio lib. 16. Noctium Atticarum cap. 4. Videndus etiam Nonius Marcellus, & Festus in *Feciales*. Verùm vbi propagato imperio bellum remotissimis nationibus indicendum fuit, ne foret necesse, vt dixi, eò feciales mittere, habuerunt Romani ante portam Carmentalem columnam, quam bellicam cognominarunt, quòd belli index esset, ab ea hastam sanguinolentam quæ in templo Martis reposita erat, iaciebant versus eam partem, quò profecturus erat ipse exercitus. Auctor Dio in Marco Antonino. Victor De regionibus Vrbis. Festus in *Bellona* Gabriel Simeonius in obseruationibus antiquis, & Bartholomæus Marlianus lib. 6. De antiquæ Romæ topographia cap. 4. cum quo sentire tamen non possum. De hasta sanguinolenta per Persas etiam, patrio more, proiici solita, videndus Ammianus Marcellinus lib. 19. Historiarum. Etiam illud sacrorum fuit, vt, qui belli curam suscepissent, Martis templum ingrederetur, & primò ancylia, mox hastam simulacri ipsius commoueret, dicendo *Mars vigila.* eius rei auctor nobis Seruius 8. Æneid. Denique & liberi, & vxores, & reliqui militatum exeuntium propinqui, vota suscipere, atque eadem ante vrbis portas tabella suspendere, illisque reducibus persoluere solent: quem ritum ex Propertij Elegia 3. lib. 4. Turnebus adseruit lib. 23. Aduersar. cap. 6.

Vnde Romam translatus.
A quo excogitatus.

Bellū Romæ indici cœpit ad columnā bellicam.
In eo vsui hasta sanguinolenta.

Hastam sanguinolentā & Persæ iecerunt.
Duces ante egressionē Martis templū quare ingressi.

Vota suscepta pro exeuntibus militatum.
Quando persoluta.

In equis, & canibus virtus multis declaratur indiciis.] *Motus equini de auribus intelliguntur, animos Leonum frons, & cauda indicant*; Solinus cap. 30. De forma equorum etiam Plinius videndus. Virgil. 3. Georg.

Signa generosi equi.

Nec non & pecori est idem dilectus equino:
Continuò pecoris generosi pullus in aruis,
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces

Andet,

Audet, & ignoto seſe committere ponti.
Nec vanos horret ſtrepitus, illi ardua cernix,
Argutúmque caput, breuis alnus, obeſáque terga:
Luxuriátque toris animoſum pectus, honeſti
Spadices, glaucíque: color deterrimus albis
Et giluo: tum ſi qua ſonum procul arma dedêre,
Stare loco neſcit, &c. libro eodem de boum forma:
—— optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima cernix, &c.

Signa bonit.

De ſignis generoſi equi adeundus etiam Conſtantinus Cæſar lib. 16. De agricultura, ca. 1. Columella lib. 6. cap. 29. De boum forma Columella lib. 6. cap. 1. & idem Conſtantinus lib. 16. cap. 2. & Varro lib. 1. Rei ruſt. cap. 20. Itidem & Caſſiodori locus elegans, qui lib. 4. Variarum ca. 1. *quorum pectora* (de equis loquitur) *vel crura ſphæris carneis decorè ornantur, coſtæ in quandam latitudinem porriguntur, alnus in breuitate cõſtringitur, caput cerninam reddit effigiem, imitantes velocitatem cuius videntur habere ſimilitudinem.* Adi ſi libet de equis etiam Varronem lib. 2. De re ruſtica cap. 7.

Alia ſigna boni equi.

Et canibus.] Signa quibus canum virtus probatur, aliquammulta petere licet ex Varrone li. 2. De re ruſtica cap. 9. & Columella lib. 7. cap. 12. quæ breuitatis cauſſa hîc prætereo, idem de equorum forma facturus, niſi cẽſuiſſem eam rem militibus neceſſariam, & ad rei militaris ſcientiam pertinere: etſi canes quidam in aciem produxerint. Plinius lib. 8. cap. 40. Et Olaus Magnus de Finlandis.

Canum ſigna.

Canes in aciem eduſti.

Valentibus digitis, longioribus brachiis.] lib. M. S. N & duo Suſij, *Valentibus brachiis, digitis longioribus.* Obſeruaui quod dignum puto memoria, Romanos digitos ſibi amputaſſe, cùm militiam detrectarent. exemplum de C. Vettieno apud Valerium Maximum, quem ob id, publicatis bonis, æternis vinculis punitum ſcribit, eoque pertinere viſum Iuriſconſulti reſponſum de eo, qui filium dilectus tempore debilitauit. *l. qui cum vno. §. qui filium. ff. de re militari.*

Digitos ſibi amputabant Rom. detrectantes militiam.

Interpretata l. qui cum vno ff. De re militari.

Ventre modicus.] Quemadmodum Vegetius tyronem requirit ventre modicum, ita milites, ſi interea, dum ſtipendia facerent, obeſi & perpingues facti eſſent, ab Imperatoribus multatos accepimus. Ageſilaus nimia ſagina grauem equo priuauit. Cato Cenſorius pinguem militem velut reip. incommodum iure inceſſiuit, cuius inter guttur,

Tyrones pingues non legendi. Milites obeſi multati.

Equites obest equo privati.

& inguen, cuncta sub ventris dominio forent. de eadem re ipse Cato in Orationibus, *Nimis pingui, & corpulento censores equum adimere soliti, scilicet minus idoneum rati cum tanti ponderis corpore, ad faciendum equitis munus: quæ res cum ignominia facta est.* Gallis equidem id proprium fuisse scio, vt sese exercerent, quóne obesi, ac ventre prominulo forent. si quis enim iuuenis modum zonæ præscriptum excederet, mulctabatur. hoc docuit Strabo.

Galli milites diligenter cauebãt ne modum Zonæ præscriptum excederent.

AD CAPVT VII.

Piscatores, aucupes bello inidonei.

PISCATORES, aucupes.] Istiusmodi genus hominum iis castris potius conueniret, vbi calceatis dentibus milites eunt ad pugnam, quales apud Plautum Captiuis recenseri videmus.

Multis, ac multigeneribus opus est tibi
Militibus, primùm dum opus est pistorienſibus,
Opus paniceis, opus placentariis quoque,
Opus turdetanis, opus est ficedulenſibus.
Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

Piscator militum tribuno concessus. Item dulciarius vnus.

Attamen piscatorem vnum, vnum dulciarium Valerianus Imperator Claudio, militum tribuno, dandum assignauit, & multa alia. vt apud Trebellium legimus in diuo Claudio. Verùm tamen ea obtinuere corrupta iam magna parte militari disciplina veterum.

Placentarius quis.

Dulciarios.] Glossæ πλακεντάριος, placentarius, dulciarius. Meminit quoque dulciariorum Lampridius in Eligabalo, & Iulius Firmicus lib. 8. Mathes. cap. 11.

Lintearij, quid dicti à Linteonibus.

Linteones.] In membranis partim *Lintiones*, partim *lentiones* dicuntur. Lintearij vocati, qui lintea venderent: Linteones qui conficerent, texerent. Glossarium vetus *Lintearius*, ὀθονοπώλης. Iterum cap. De artificibus, LENTIARIVS ὀθονιακός. etiam in veteri inscriptione:

NEGOTIATORES. LENTIARI. ET CASTRASIARI.

Linteonum meminit & Seruius lib. 7. Æneidos: & Iulius Firmicus lib. 2. & lib. 3. Mathes. non semel. ex quibus manifestum est rectè & ordine fecisse Cuiacium, qui pro *Linteones* in locum reduxit *Lintearios* l. 7. c. De excusatione munerum.

Recte à Cuiacio emendata l. 7. C. de excusatio. munus.

Qui aliquid tractasse videbuntur ad gynæcea pertinens.]

nens.] Græci ædificia sua in duas partes distribuêre. In qua viri sine fœminarum interpellationibus versabantur, eam andronitida appellabant: vbi verò cõgruerent mulieres, gynæconitin vocabant. Gynæceum ea fuisse pars videtur, in qua fœminæ lanificio præcipuè, & textrinæ operam dabant: Vitruuio teste lib. 6. De Architec. cap. 10. hinc apud Paulum Diaconum lib. 8. historiarũ, & Petrum Crinitum lib. 10. De honesta disciplina cap. 2. de Narsete legimus: Augustam ei, quòd eunuchus esset, mandasse, vt cum puellis in gynæceo lanarum pensa faceret. Et inde gynæciarij dicti ab Imperatoribus Valentin. & Valente; C. de Murilegulis. & in aliis Imperialibus constitutionibus. Fuit etiam dea Græcis Gynæcia culta: (Romani Bonam deam vocabant) cuius solemnia in domo cos. aut prætoris, dum per vxorem procurarentur; maritum, & mares omnes domo egredi oportebat. Plutarchus in Cæsare, & in Cicerone. Obseruatione dignum quòd Romanorum Matresfamiliæ primum locum ædium tenuerunt, Græcarum fœminarum Gynæconitis, in intima parte ædium fuerit. Cui rei testem habeo luculentissimum Æmilium Probum, in præfatione. Romanorum fœminas in atriis operari solitas docet quoque Arnobius, cùm Romanos à maiorum more multum recessisse exprobrat. lib. 2. aduersus gentes. *Matresfamiliæ*, inquit, *vestræ in atriis operantur domorum? industrias testificantes suas?* Adhibendus etiam Festus in *Andron*.

Græcorum ædificia in duas partes distinãa.
Qua pars viris relicta.
Quæ fœminis.

Gynaciarij.

Gynæcia Dea Græcorum.
Bona Dea Romanis erat.
Eius solemnia quomodo celebrata.
Rom. matresfamiliæ primũ locum ædium tenebant.
Græcorum fœminæ intimum.

Venatores conuenit sociare militiæ.] Sertorius ex primis Romanorum ducibus fuit. is cùm in venationibus transire per aspera quæque, & inuia aliis, esset adsuefactus; peritiam consecutus est inuadendi atque euadendi ex locis difficillimis: eóque aduersarios suos velitationibus potius, quàm publica pugna aggressus superauit. teste Plutarcho, in Sertorio. Diuus Adrianus anno ætatis quinto & decimo militiam iniens, studiosus venandi fuit vsque ad reprehensionem, teste Spartiano. Mithridates veritus insidias, venandi studium finxit, quo per annos septem neque vrbis, neque ruris tecto vsus est, & corpus ad omnem virtutis patientiam durauit. Iustinus lib. 37. Exercitationis bellicæ gratia iuuenes olim ad venationem eductos discere possumus ex Xenophonte in Cyri Pædia. Venationem quippe non modò ad corporis exercitationem vtilissimam

Venandi consuetudo quantum in bello Sertorio profuerit.

Iuuenes ad venationem adsuefacti, exercitationis bellicæ gratia.

censuerunt, Galenus De ludo paruæ pilæ, & libro De tuenda sanitate: Xenophon lib. De venatione. Atistoteles 1. Politic. Plin. lib. 5. epist. sed ad bellicam fortitudinem adsequendam omnino necessariam, Xenophon in Cyri Pædia. & Plinius Panegyrico. Plato non vno loco, nominatim lib. 7. De legibus. Vbi post triplicem Aquatilium, Volatilium, ac Terrestrium venationem, postpositis duabus prioribus, eam maximè in iuuenum educatione commendat, in qua homines quadrupedia, equis, canibus, ac propriis corporibus venantur. Quin & ipsas legiones Romanorum ab Imper. Maximino, solis venationibus frequenter exercitatas fuisse, scriptum reliquit Iulius Capitolinus.

Venatio triplex.

Qua vtilissima exercendis tyronibus.

Legiones venationibus exercitatæ.

In prima delectorum examinatione.] Libri veteres partim *dilectus*, partim *dilectuum*, quod amplexus sum. Quod autem Vegetius examinationē dicit, id ab aliis video examen appellari, apud Cassiodorum, lib. 5. Variarum cap. 21. *Si te tyronem nostra indicia dilegissent, si ad examinis trutinam venisses incognitus.*

Examen tyronū.

In Sertorio præcipuè constat laudatum.] Liber Collegij trium Coronarum legit, *in sercorio*. liber M. & alter Susij *in prætoris*. inde fortè facere licebit, *in prætoriis*. Prætorij, & consulares dicebantur, qui prætores, & consules fuissent. l. 1. C. De dignit. lib. 12. l. 1. & l. vlt. C. De decurionibus lib. 10.

Prætorij qui.

Et moribus debet excellere.] Iuuentutem legionibus inferendam Flauius noster, & genere vult, & moribus excellentem. & merito. Olim enim dum res Romana moribus antiquis, virisque stetit, certum est tyrones ad militiam adsumptos, non tantùm iuuenes, sed ingenuos: reliquos verò extra ordinem militasse. Imò ne ingenui quidem omnes admissi. si quidem Histriones omnes, præter Atellanos, à stipendiis militaribus repulsos fuisse, tradit Liuius lib. 7. & Valerius Max. lib. 2. cap. 4. num. 4. Ceterùm bello ciuili inter C. Marium & Syllam, Marius milites non more maiorum, neque ex classibus, sed vti cuiusque libido erat (capite censos plerosque) scribere cœpit. testantur Sallustius, Festus, Florus, alij. Antea enim arma tantum tradi solebant hominibus idoneis, id est, qui facultates suas pigneri viderentur opponere. Plutarchus in Mario: Serui à militia armata legibus prohibebantur, alioquin capite puniti:

Milites omnes olim ingenui. Nō omnes ingenui admissi.

Bello ciuili Mariano aliter milites scripti.

Serui à militia prohibiti.

niti: ita enim intelligendum Marciani responsum *l. ab omni militia. ff. de re militari.* nam ab alias militias seruos admissos & retractos, discimus ex l. *super seruis.* cum *l. seq. C. qui militare possunt, vel non.* adhibenda etiam *l. 2. C. De Tyronibus.* Huc respexit poëta Virgilius lib. 9. Æneid.

Virgilius illustratus.

——— *Quem Serna Lycimnia furtim*
Sustulerat, vetitisque ad Troiam miserat armis.

Quàm olim seueri in militum dilectu Romani fuerint, quàm curiosi, patebit ex Vlpiani responso, quod adscribo ex l. 8. ff. De re militari. *Qui status controuersiam patiuntur, licet re vera liberi sunt, non debent per id tempus nomen militiæ dare, maximè lite ordinata; sine ex libertate in seruitutem, sine contrà petantur. Nec hi quidem qui ingenui bona fide seruiunt: sed nec qui ab hostibus redempti sunt prius, quàm se luant.* Item litigiosi, item criminosi, item adulterij, vel aliquo iudicio publico damnati, inter milites non recipiebantur. *l. qui cum vno. & l. vlt. ff. De re militari. & l. prima C. qui militare possunt.* Et Flauius Vopiscus exemplum proponit ex Aureliano. Sed labante paulatim Reipub. statu ab seueritate illa maiorum procul recessum est: admissis ad stipendia libertinis, seruis, pastoribus, etiam gladiatoribus. Libertini cùm antea ad militiam non admitterentur, bello Italico militare cœperunt. testatur Liuij Epitome lib. 73. D. Octauius, libertino milite præterquam Romæ incendiorum caussa, etsi tumultus in grauiore annona metueretur, bis vsus est. sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos. teste Suetonio, in Octauio cap. 25. Seruos in militiam adsumptos passim Historiæ loquuntur. In iis tamen hoc obseruatum, vt prius libertate donarentur. Florus lib. 2. cap. 6. *Arma non erant, detracta sunt templis: deerat iuuentus, in sacramentum militiæ liberata seruitia.* Idem lib. 3. cap. 21. Liuius lib. 31. *Aliam,* inquit, *formam noui dilectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit, octo millia iuuenum validorum ex seruitiis, prius sciscitantes singulos vellentne militare, empta publicè, armauerunt.* Appianus De bellis punicis, *Senatus,* inquit, *eadem die bellum decreuit, & seruos per præconem pronunciauit liberos.* De pastoribus vnum testimonium Cæsaris adhibeamus. de Pompeio loquitur: *Copias vndique omnes ex nouis dilectibus ad se cogi iubet, seruos, pastores armat.* lib. 1. De bello ciuili. ex eodem libro de Gladiatoribus audiamus: *Gladiatores*que;

Quàm diligenter olim milites adscripti.

Litigiosi, vel publico iudicio damnati, nō admissi.

Recessum paulatim ab illa diligentia.

Libertini quando primum militare cœperint.

Quo loco libertini fuerint in exercitu Octauij.

Serui ad stipendia vocati.

Prius tamen libertate donati.

Pastores quoque armati.

Etiam Gladiatores.

Scelerati quoque ad stipendia admissi & captini.

torésque, quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertati confirmat, atque iis equos attribuit, & se sequi iussit. Quinetiam sceleratos à Dictatore M. Iunio, aduersus Hannibalem armatos accepimus. Liuius lib. 32. *Ad vltimum propè desperatæ reip. auxilium, cùm honesta vtilibus cedunt, descendit equo, dixitque, qui capitalem fraudem ausi, quíque pecuniæ iudicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa, pecuniaq; se exsolui iussurum.* Etiam senes qnandoque nomina dare, vel inuiti coacti sunt; vt alibi docui. Etiam ætate non iusta tyrones admissi, exemplum luculentissimum in Rep. Rom. Appio Claudio Pulchro, & Q. Fuluio Flacco cos. apud Liuium lib. 34. Sed hoc necessitas rei Romanæ vsurpare coëgit. quanquã postea fuerint ad militiam iuniores quoque admissi. D. Hadrianum quinto & decimo ætatis anno militiam inisse, Spartianus scribit. Etiam inscriptiones ea de re in monumentis.

Tyrones ad militiam adscripti nõ iusta ætate.

D. Hadrianus anno ætatis XV. militiam iniit.

MILITAVIT. AN. X.
VIXIT. ANN. XXV.

Vegetio auctore incipientem pubertatem *ad dilectum* coactam docemur hoc lib. c. 4. Quinimo *impuberes olim* non milites tantùm, verumetiam tribunos militum fuisse scribitur. quod non moribus receptum, sed Imperatorum libidine aduersum disciplinam maiorum quandoque vsitatum; cùm aliquos legibus soluerent; quanquam id nullo reip. bono. Ceterùm vt ne hoc intẽdisse solùm videamur, proferamus, vt apud iudicem instrumenta, tabulas, & testato agamus. *Imperator Iustinianus Ioanni præfecto prætorio. Licet antiquis legibus permittebatur pupillis, si tribunatum numerorum merebantur, vltimum elogium conficere, attamen indignum nostris temporibus esse videtur.* l. 18. C. De testa. militis. Videnda quoque l. penult. ff. De legatis tertio, & Antonius Augustinus, cuius viri diligentiæ, eruditionique omnes iuris studiosi non leuiter debent, libro singulari ad Modestinum. Flauius Vopiscus de filiis Veteranorum in vita Probi. Item & alios honores, ac maiores Principum libido prostituit. consulares viros fecêre etiam illos, qui consulatum nunquam gesserant, sed honorarij tantum consules erant. Sic prætores honorarij, qui in eum ordinem adlecti fuerunt, etsi præturam nunquam gessissent. testatur constitutio Zenoniana ad Se-

Impuberes Tribuni militum. Id Imperatorum libidine introductum.

Idem Imperatores maiores quoq. dignitates, & magistratus prostituerunt. Consules honorarij. Prætores honorarij.

ad Sebastianum præfectum prætorio. C. De consulibus lib. 12. & Iulius Capitolinus in Pertinace. Lampridius adscriptos vocat; dum in vita Alexandri Seueri ita scribit: *Nec quemquam passus est esse in palatinis nisi necessarios homines, iure iurando deinde constrinxit, ne quem adscriptum, id est, vagantem haberet, ne annonis vemp. grauaret.* quanquam ibi malim *vacantem*: pro, *vagantem*. sæpè in locum alterius alterum immigrasse alibi doceo, ex affinitate videlicet litterarum C. & G.

Adscripti & vacantes.

Lampridius leuiter emendatus.

De dignitatibus honorariis, bellicis, ciuilibus, quæ minoribus pariter & maioribus largiebantur, consulenda l. Quicumque infantes, Cod. Theod. De re mil. & l. 1. eiusdem Cod. Qui à præbitione tyronum, &c. l. XLI. eiusdem Codicis, De Decurionibus. l. quidam, ff. De re iudi. Item Suetonius Octauiano. & luculentissimum fragmentum Agathiæ Smyrnei, lib. v. De bello Gothorum: quod diligentiâ doctissimi Io. Leuuenclai nuper erutum.

Si pluribus stipendiis moretur in castris.] Hoc loco per stipendia, anni quibus milites merent, intelligendi sunt. quo modo & Seruius hanc vocem interpretatus est lib. 8. Æneidos principio: & sæpe eadem ita vsi Liuius, Tacitus, Iurisconsulti, & ipse Vegetius locis infinitis. Plautus Mostell. *Vnum vbi emeritum est stipendium.* Significant etiam stipendia ipsum æs, & pecuniam, quam milites accipiebant. Dictum Varroni stipendium à stipe: quòd æs quoque stipem vocarent, lib. 4. De ling. Latina.

Stipendiorũ nomen annos significat.

Stipendium pro ipso ære.

Stipendium vnde dictum.

Nunquam exercitus profecit tempore belli.] Abiicio τὸ *belli*, auctoritate librorum S. & N. & absque iis esset, adulterinum esse conuincant verba præcedentia. *quid enim prodest si exerceatur ignauus? si pluribus stipendiis moretur in castris?* Vbi per stipendia annos quoque auctor noster intelligit. vt iam antè interpretati sumus.

Sublatum glossema ex Vegetio.

Dum indicti tyrones possessoribus.] In libris VV. erat aut *professoribus* aut *professionibus*, rectè emendabatur à Iacobo Cuiacio Iurisconsultorum nostri sæculi absque controuersia principe, *possessionibus* ad *l. Senatorum. C. De dignitatibus lib. 12.* quòd nimirum tyronum, vel equorum productio personale munus sit. l. vlt. ff. De muneribus, & honoribus. & quòd tyronum præbitio in patrimoniorum viribus potius, quàm in personarum muneribus cõlocetur. l. 7. C. De tyronibus. Non possum tamen quin indicem in optimis libris

Tyronum & equorum productio personalis.

Tyronum præbitio patrimonialis munus.

libris meis,& membranis perſcriptum eſſe *poſſeſſoribus*.quod ſi quis tueri volet, adeat l. reſcriptio ff. de muneribus, & honoribus. ex ea manifeſtum fiet, & Suetonij Octauio, cap.25. quàm ſit proprium huic loco vocabulum *indicendi*. quod cùm ſuſtulere Pariſienſes, legentes hîc *addicti*, pro *indicti tyrones*, verè pro theſauro carbones ſuppoſuerunt. Ceterùm vt ad Vegetiũ interpretãdum veniamus, ſciendum eſt Romanos ſubditorum ſuorum poſſeſſionibus, ſiue patrimoniis indixiſſe non modò agminales equos, mulas, angarias, atque veredos; de quibus in l. vlt. §. patrimoniorum. ff. de muneribus, & honoribus: & alibi à nobis dicitur; ſed etiam quaſuis annonarias ſpecies, naues etiam, & alias res pro modo ſcilicet capitationis imperaſſe. imò & præbitionem tyronum. probari poteſt ex l. 2. & l. 7. C. de tyronibus. Fuit quoque, cùm aurum protyronibus inferretur, qua de re conſtitutio Imperatorum, Honorij, & Theodoſij: *Tyrones quorum pretia exhauſti ærarij neceſsitas flagitauit.* l. 1. *Cod. Theodoſiano*, *Qui à præbitione tyronum.* Qui verò tyrones, vel aurum tyronum exigebant, Temonarij dicti fuere. l. 14. C. Theodoſ. de extraord. muneribus, & l. 2. eodem *Cod.* de deſertoribus. Ammianus: *Supplementa, inquit, legionibus ſcripta ſunt, indictis per prouincias tyrociniis, omnisq; ordo, & profeßio* (fortean *poſſeßio* legendum) *vexabatur, veſtem, armaq; exhibens, & tormenta, aurum quinetiam, & argentum multiplices q; vi cibariæ copias, & diuerſa genera iumentorum.* lib. 21. Hiſtoriarum. Itidem pro parauereedis, & annonis pecuniam collatam, videre eſt apud Caſſiodorum libro 12. Variarum cap. 15.

Romani poſſeſſionibus ſuorum multa indixerũt.

Equos.

Annonarias ſpecies.

Etiam tyrones.

Aurum illatum pro tyronibus.

Temonarij qui.

Ammiani locus tentatus.

Aurum pro annonis, & angariis tributum.

Per gratiam, aut diſſimulationem probantur, taléſque.] Monui rectius eſſe, *probantium, tales ſociantur armis.* quod in omnibus libris ſcriptis & excuſis reperi, extra vnũ Colonienſem, & Pariſienſem. ſed nihil, aut parum egerim, ſi ſola lectionis varietate paſcere lectorem velim. Nam quod Vegetius porrò ſuadet, à magnis viris, magna diligentia tyrones legendos, id à maioribus ſuis diligenter factum, vel ex eo colligere poſſumus, quòd homines idoneos mittere in prouincias ſolent, qui equos certa forma, ſtatura, ætate, legerent; ſtratores vocabant; quibus, quòd equos probarent, à prouincialibus, nomine probæ non amplius quàm vnum ſolidũ poſcere licebat. Conſulenda Imperatorum, Valentiniani, & Valentis cõſtitutio, quæ eſt C. lib. 12. t. de ſtrato-

Probatores tyronum diligenter requiſiti.

Miſſi in prouincias, qui equos probarent.

Stratores vocabant.

Stratorum præmium pro proba.

De stratoribus. sed ad illam nisi Iacobi Cuiacij notas adhibueris, feceris intelligendo, vt nihil intelligas. Facit quoque huc Ammiani Marcellini locus lib. 29. *Constantinus strator paucos militares equos, ex iis ausus mutare, ad quos probandos missus est in Sardiniam.* Stratorum aliud quoque munus, & proprium fuit, de quo nos suo loco.

AD CAPVT VIII.

SED non statim punctis signorum inscribendus.] Liber M. N. H. *scribendus* malūt. & ita locutus Vegetius lib. 2. cap. 5. Vbi de re ipsa vide quæ dicturus sum.

Qui ex paruissimis finibus.] Fecerunt hîc suo more inepti, & voce Latina sublata, substituerunt, *paruis*, sed inuitis omnibus membranis, & optimis excusis exemplaribus. Varro: *quam hilaritatem significantes animi, rictus paruissimus, vt refrenato risu roseo.* apud Nonium in *Rictus*. Lucretius:

Parvissimus, Latinum verbū.

——igitur paruissima quanto
Et lenissima sunt, ita mobilitate fruuntur.

Et mundi ipsius fine distendit.] Quidam mss. *ostendit*, sed hoc mihi pro Vegetiano non est, quem suspicor *extendit* dixisse. X. & S. sæpe locum mutarunt. homines ignari illius rei, cùm reperissent *ostendit* pro *extendit*, fecerunt suo more quod proximum erat, & ad suum captum, *ostendit*. Idem error in §. publica autem iudicia, Instit. de publicis iudiciis: vbi frustra viri docti verbum *ostendendi* pro *extendendi* ex membranis adferunt: nam eadem ratio verbi deprauati, quam posuimus. Eundem puto errorem inesse §. vlt. titulo de confirmatione digestorum: *& suum vigorem in iudiciis ostendentes in omnibus causis.* legerim *extendentes*. Sic l. 2. C. de Apostatis: *Quod de inofficiosis actionibus constitutū est, proprias exigat actiones.* Vbi membranæ in quibus *eserat* reperi, verā, & genuinam lectionem esse demonstrant *exerat*. Nam extendere, exerere vires, vigorem & similia, Latinius dici nemo dubitat. Idemque verbum recipiendum censeo, §. item Lex Iulia de vi. Instit. dicto titulo. Itē *Lex Iulia de vi publica, seu priuata aduersus eos exoritur*, malunt membranæ *exeritur*.

Defensus locus Institutionum Iustiniani.

Tentatus locus ex Pandectis.

Emendata l. 2. C. de Apost.

Restitutus locus Instit.

Quæ Cato ille Censorius de disciplina militari.] Librorum Catonis De re militari fragmenta aliquanta apud Sextum Pompeium Festum, aliquanta apud Noniū Marcellum, & alios Grammaticos reperire est. Ex primo illius,

Catonis libri De re militari.

De re

Ex iis fragmentum.

De re militari, fragmentum hoc apud Seruium 2. Georg. *pedites quatuor agminibus, equites duobus antibus duces.* Fuit eiusdem liber De tribunis militum, testis mihi Nonius in *proletarij.*

Catonis libri multi desiderati.

Fuit eiusdē quoq. scriptoris Oratio de præda militibus diuidēda, testis Nonius in *Fite*, & Gellius lib. 11. cap. 18.

Catonis sententia falsa.

Vbi verba Catonis quòd impensè sibi placuissent, adscripsit. placuissent scio magis, si in nostra hæc tēpora deplorati ssima Gellius incidisset: *Fures*, inquit, *priuatorum furtorū in uerno, atque in compedibus ætatē agunt: fures publici, in auro, atq. in purpura.* Fuit & Catonis Oratio de præda in publicū referenda. testem habeo Priscianum Grammaticum lib. 7. extremo.

Cornelij Celsi scripta.

Quæ Cornelius Celsus.] De scriptore hoc ista posteris prodidit Volaterranus lib. 14. *Cornelius Celsus*, inquit, *de arte Rhetorica, de re militari, de re rustica, deq; medicina libros conscripsit, verùm ad nos tantum peruenit eius medicina, oratorio modo conscripta.*

Frontini prænomen.

Quæ Frontinus.] Sextus Iulius Frontinus dictus fuit, cuius etiā alij libri De re militari fuêre, prēter ea, quę nunc circumferuntur strategemata. ostendam infra lib. 2. cap. 3.

Paterni Iureconsulti nomen.

Quæ Paternus diligentissimus iuris adsertor.] Huic Terrunteni Paterni nomē reddo. Nam & index Iurisconsultorum Pandectis Pisarris præfixus Τερεντίνιος Πάτερνος appellat, & iisdem libris inscriptiones legum. Alij Tarrutinum nominant.

Eius fragmenta in Pandectis.

Huius Paterni etiamnum fragmenta reperio l. 7. & secundum libros quosdam, in l. 15. falso Papiniano adscripta. ff. De re militari. Aliud eiusdem quoque fragmentum reperi l. 12. ff. dicto tit. & l. vlt. ff. de iure immunitatis. neque iis libris auscultо, qui, ferè illis omnibus locis, varia huic Paterno nomina fingunt, eumque nunc Macrum, nunc Marcianum appellant. sed à Macro diserтim illum videmus distingui prædicta l. 12. à Marciano res ipsa secernit, cuius libri De re militari nulli laudantur. Paternum hunc vixisse obseruo, sub Imp. Cōmodo Antonino, & præfectū prætorio fuisse. in quo testem habeo Lampridium. *Crudelis vita Commodi, Quadratum, & Lucillam compulit ad eius internecionem consilia inire, non sine præfecti prætorio Tarrutini Paterni consilio.* in vita Commodi. vbi videre est, ob cōsilium istud, ipsum Paternum paulo pòst interemptum.

Paternus quando vixerit. Præfectura prætorij functus.

Paternus interemptus.

Augusti disciplina.

Quæ Augusti, Traiani, Hadrianique constitutionibus cauta sunt.] In disciplina Augusti, vt auctor est Macer Iurisconsultus libro 1. De re militari, ita caueba-

tur.

tur: *Etsi scio fabrilibus operibus exerceri milites non esse alienum: vereor tamen si quicquam admisero, quod in vsum meum, aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi sit tolerandus.* l. officium ff. de re militari.

Hadrianiq́ue constitutionibus.] Dionis testimonium hîc duxi proferendum, qui perinde, vt & alij Historiographi, diui Hadriani in re militari, industriam, diligentiam, fortitudinemq́ue mirum in modum commendat, his ferè verbis: *Cœpit milites ad omne genus pugnæ exercere, atque interim alios afficere honore, alios castigare verbis, postremò omnes ea quæ facere oporterent docere, atque vt milites haberent vnde exemplum sumerent, ipse duriter vinere, pedibus iter facere, aut in quæuis loca equo proficisci, nunquam vehicula, aut quadrigas conscendere, nullo calore, nullo frigore, vt capite operto esset, adduci (vt verbo dicam) quamdin principatum tenuit, ita milites rebus gerendis exercere, præceptis instituere; vt quæ tum ab ipso constituta sunt, ad hæc tempora vim legis, atque disciplinæ militaris obtineant.* Hæc Dio. Quòd autẽ Traianum, atque Hadrianum libros De arte ac disciplina militari scripsisse quidã affirmet, hoc vno Vegetij loco motus, is sciat me sibi nondum adsensurum. Extat opus Æliani De instruendis aciebus, ad eundem hunc D. Hadrianum, quod à Flauio hîc non recensẽri mirarer; si vllum ab eodem ex Græcis scriptoribus, de arte, ac disciplina militari citari viderem.

D. Hadrianus cæteroquin disciplinæ militaris. Ipse suis militibus tolerantiæ exemplar erat.

Aelianus de instruendis aciebus.

Horum, quos supra retuli.] Alia sententia mea est, plures videlicet auctorem nostrum, quàm quos paulò antè retulerit, rei bellicę scriptores inspexisse, seu expilasse. Nam qui Paterni libros vidit, eundem suspicor & aliorum Iurisconsultorum de eadem disciplina, opera vidisse. Dictò indice Pandectarũ recensentur Macri militarion βιβλια δύο. Tarruteni Paterni βιβλια τέσσαρα. Menandri militarion βιβλια τέσσαρα. Pauli liber singularis de pœnis militum. & rectè eo modo inscribitur l. qui commeatus. ff. de re militari. eandem inscriptionem, vulgatis reiectis, recipiendam existimo l. qui excubias, & l. vlt. ff. dicto tit. Insuper & Cincij De re militari sex libros fuisse, testem habeo Gellium lib. 16. cap. 4. Euangeli libros De re militari laudari video apud Plutarchũ in Philopœmene, eundẽ cum aliis huius disciplinæ scriptoribus enumerat quoque Ælianus de instruendis aciebus, in cuius præfatione laudãtur opera Stratoclis, Hermiæ, Frontini, Æneæ, Cyneæ, Thessali, Pyrrhi Epirotæ

Vegetius plures auctores inspexit, quam quos nominat. Iureconsultorum opera de disciplina militari.

Mutatæ inscriptiones legum ff. De re militari. Cincij libri de re militari.

Diuersi scriptores de disciplina militari Græci.

Epirotæ, Alexandri eius filij, Clearchi, itẽ Pausaniæ, Euangeli, Polybij Megalopolitani. Ad hæc Eupolemi, Iphicratis, Posidonij Stoici, Brionis horũ opera, simulque eorum omnium, quorum De re militari libri sua ætate exstarent, legisse se Ælianus fatetur. Non ingratum puto, aut molestum fore lectori, si quos in hac disciplina auctores, aut ipse vidi, aut laudari ab aliis memini, hoc loco adnumerem. Sunt autem Polyæni Strategemat. libri septem Græcè conscripti. Leonis Imp. de bellico apparatu opusculum Græcè conscriptũ, quod Latinè reddidit Ioannes Checus Cantabrigiensis. Higini opus de castrametatione nondum editum, hodie à doctis citatur. Mauritij nescio cuius de militia Rom. librum, partim Græcum, partim Latinum, Turnebus citat lib. 24. Aduers. cap. 16. Æliani de militaribus ordinibus, more Græcorum instituendis, libros Græcè audio editos à Francisco Robortello, multis picturis, & imaginibus illustratos. eosdem quoque ab eodem Robortello seorsum Latinè datos, sed videre nondum potui. Roberti Valturij De re militari libri 12. Latini, etiam Gallicè translati exstant. Comparatio militiæ Rom. & modernæ, est apud Ludouicum Regiũ lib. 11. De vicissitudine rerum. De re militari libros quoque vidi Italicè scriptos à Nicolao Machiauello, quos Teutonicos feciſſe dicitur Ioãnes Herold. Hoechsteten. Alios de eadem arte Italicos libros vidi Hieronymi Garimberti: Cornasi quoque De re militari libri septem, metris Italicis scripti, dicuntur excusi Venetiis. Vidi & Gallorum in hac parte labores, inprimis Instructions sur le faict de la guerre. qui liber Guilhelmo de Bellay adscribendus videtur. Item Discours sur la Castrametation des Romains, opus D. Gulielmi de Choul. extat & enchiridion Strategematicon Anselmi Stoeckelij Latinè scriptum. Item Georgij Viuienni Institutio belli gerendi terra mariq́ue, Gallicè conscripta. De arte militari moderna immensum vidi volumen lingua Germanica conscriptum à Leonardo Fronzbergo. qualẽ librũ, & Lazarũ Schwendi reliquisse, at nondum editum, scio esse, qui adfirment.

Item Latini.

Item Italici.

Item Gallici.

Item Germanici.

Epitomen Vegetius confecit.

Epitomata conscribo.] Vel solus iste locus suffecerit ad probandum epitomen tantùm de re militari Vegetium confeciſſe. Memini Guilielmum Budæum pro *epitomatorum* restituere ex libris VV. *epitomarum*. ad l. qui leuandæ. ff. ad legem

legem Rhodiam de iactu. quo loco idem asserit, epitomata vsu quodam inualuisse, sed malè. cùm epitome genere fœminino dicendum sit, non epitoma neutro genere, quòd hoc neque analogia, neque auctoritate doctorum defendi possit. *Epitomare* verbum apud Trebellium Pollionem obseruaui in xxx. tyrannis, cap. 29.

Epitome fœminino genere dicendum.

AD CAPVT IX.

SED ad cursum præcipuè adsuefaciendi.] Auctoritate librorum M.S. H. & quatuor Susij, lego: *Sed & cursu præcipuè adsuefaciendi.* Nam & hoc orationis membrum à vetere de militari disciplina scriptore Vegetio suppeditatum censeo, nam *cursu* dictum pro *cursui*. Pari quoque phrasi Varro: *Prætor dictus, qui præiret iure, & exercitu.* lib. 4. De lingua Latina. sic apud eundem Turnebo teste: *In re militari prætor dictus, qui præiret exercitu.* Item à Nonio Marcello id obseruatum reperimus. Antiquos, & inter illos Varronem in primis, datiuum pro ablatiuo, & contra frequenter vsurpasse. quin etiam Virgil. 6. Æneidos:

Ablatiuus pro datiuo Veteribus placuit.

Et contrà.

——— *Teq; aspectu ne subtrahe nostro.*

Ceterùm vt à Musis ad Martem redeamus, varias causas Vegetius hîc subdit, quare ad currendum adsuefieri velit iuniores. Addo etiam armatorũ cursum Olympiade sexagesima quinta probatum fuisse. quod non malè Pausanias, propter rerum militarium exercitationem factum esse iudicat lib. 5. Ælianus. Etiam armatos currere cum sarcinis præcipit Vegetius lib. 2. cap. 23.

Cursus armatorum.

Vt fugientium terga faciliùs cõprehenderent.] Quò in persequendis hostibus citatiores sint milites, cursu diligenter exercendos monet. Ast aliam Lacedæmoniis in hac parte disciplinã fuisse audies. Hi quoties hostem in fugam verterant, vicerantque; insequebantur, quoad victoria, hostium fuga omnino confirmata esset. inde cõtinuò receptui canebatur. quòd neque generosum, neque Græcanicũ ducerent, illos cædere, & necare; qui declinarent, cederent, atque abirent. quæ res honori ipsis, & vtilitati fuit. quotiens enim acriùs aduersarios inuaderent, fugere illi quàm resistere malebant: quod renitentes interimi, cedentibus parci animaduerterent. refert Plutarchus in Lycurgo.

Lacedæmonij quatenus hostem sequerentur.

De exercitio Gn. Pompeij Magni Sallustius hoc memorat.]

morat.] Recepi in textum τὸ *Gn.* auctoribus quatuor libris meis. Porrò pro *hoc memorat*, vnus *commemorat*: tres alij *memorat* legunt. De cetero nondum satis cõstat ex quo Sallustij libro Flauius noster hæc, vel ante eũ alij descripserint.

Sertorius paruo exercitu pluribus restitit.

Par esse Sertorio.] Q. Sertorius cum paruissima militum manu octo circiter millium, aduersus quatuor Romanos duces bellũ gessit, quanquam sub iis essent peditũ millia centum viginti, equitum septemmillia, & præter funditores, & sagittarios, etiam vrbes infinitæ. Cottam nauali prælio superauit, Phidium prętorem in fugam egit, Domitium Iberiæ Proconsulem contriuit, Toranium (Torium Florus vocat) cum toto exercitu deleuit, Metellum in tantam necessitatem compulit, vt L. Lollius ex Narbonensi

Diuersi contra eum duces missi:

Postremo & Pompeius.

prouincia, Cn. Pompeius Magnus (quo de hîc agitur) ex vrbe cum summa festinatione ad eum mitterentur. videndus Plutarchus in Sertorio, & Florus lib. 3. cap. 22. & alij.

AD CAPVT X.

Flumina subitò exundantia exercitui incommodare.

ETIAM ab ipsis aquis discrimen incurrit.] Hoc ad flumina traho, quæ subitò exundantia, *exercitui*, vel proficiscenti, vel castra metanti magnum *solent inferre incommodum*. quare fidem habere non potui membranis, quæ paulo antè suggerebant legendum, *& ignorantia natandi*, cùm verbum *natandi* ab aliis exsulet. Ducem verò antè inuestigare oportet, num campus, in quo manendum erit, subitis tempestatibus quandoque inundari soleat, quæ res neglecta magnum aliquando malum attulit militibus Cæsarianis, vt ostendam lib. 3. cap. 8.

Continuare, valet apte coniungere.

Quos tot bella, & continuata pericula.] Continuandi verbum elegans, & non vulgare in rebus quæ strictim aptæ, & valdè coniunctæ dicuntur. Ea phrasi Varro lib. 2. De re rustica cap. 9. Boues clunibus cõtinuatos dicit. idem verbum & Festo infra restituemus. Cic. lib. 2. de Diuinatione: *quæ est continuatio, coniunctio & natura, quam, vt dixi, vocant συμπάθειαν.* Idem lib. 1. De natura deorum: *Etenim admirabilis quædam continuatio, seriésque rerum, vt alia ex alia nexa, & omnes inter se aptæ, colligatæq; videantur.* Attamen in libris S. N. exstat, *& continua pericula*. in Veteri meo impresso, *quos tot bella & continuata sunt pericula*. Quam lectionem si reliqua auctoris nostri verba admitterent, interpretandum esset con-

continuari, comitari. Apuleius: *Inde me commodùm egredientem continuatur Pythias condiscipulus*: lib. 1. de Asino aureo. Idem: *incontanter ergo dimotis turbalis continuare pompam meam volentia fretus*; lib. 11. de Asino aureo. *Continuari, comitari.*

Campum Martium vicinum Tyberi.] Cõsulendi de antiquæ Romæ topographia scriptores. Inter eos Barthol. Marlianus lib. 6. cap. 19. cum sequentibus. *Campus Martius Tyberi vicinus.*

Vel lixas.] Lixæ Liuio aliisque Historiographis sunt, qui exercitum sequuntur lauandi & coquendi gratia. de his ita Nonius Marcellus: *Elixum quicquid ex aqua mollitur, vel decoquitur. nam lixam aquam veteres esse dixerunt. Vnde lixæ dicti, qui militibus aquam ad castra, vel ad tentoria solent ferre.* Videndus quoque idem in voce Lixarum. Iterum Fulgentius de prisco sermone, lixam interpretatur mercenarium. Ad opinionem illius accedere video Festum. *Lixæ*, inquit, *qui exercitum sequuntur quæstus gratia, dicti, quòd extra ordinem sint militiæ, eisque liceat quod libuerit. Alij eos à Licha appellatos dicunt, quòd & ille Herculem sit secutus, quidam à liguriendo quæstum.* Hactenus Festus, qui alibi istiusmodi mercenarios etiam *metellos* appellauit. Sed & calonum quoque proprietas habetur, quòd ligna militibus submini strent, κάλα enim ligna Græci dicunt. Nonius in *Calonum*. Glossæ, *calo*, δοῦλος δημόσιος. Festus *Calones*, inquit, *militum serui dicti, quia ligneas clauas gerebant, quæ Græci κάλα vocant.* Etiam Caculas à Plauto eadem de causa dictos, idem annotauit. Cui astipulatur & Glossarium, *Cacula*, δοῦλος στρατιώτης. Porro Festo & Calatores serui dicuntur, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare. quia semper vocari possent ob necessitatem seruitutis. Item Glossæ *Calatores* δοῦλοι δημόσιοι περίπολοι. *Lixæ qui sint.* *Vnde dicti.* *Alia nominis ratio.* *Metelli qui.* *Calones vnde dicti.* *Alia nominis ratio.* *Cacula qui.* *Qui Calatores.*

Quos galerios vocant.] Nomen *galerios* puto ab operarum incuria hoc loco natum, cùm à Vegetio infra semper dicantur *galearij*. Magna inter libros dissensio, in quibus, *galerio*, *galiarios*, *galliarios*, *gallarias*, *galliarias*, vel *gallerias* dicuntur. Sunt & libri apud me in quibus iidem homines infrà locis aliquot, *Calearij* dicuntur. quod ego suspicabar ad etymologiam Calonum respicere. Sed aliter visum Isidoro, cui Calones dicuntur Galearij militum. item veteri Onomastico eruditissimi ac celeberrimi Petri Danielis, in quo similiter est *Calones, galearij militum.* *Magna librorũ pugna de nomine Galeariorum.*

AD CAPVT XI.

Vt duplum pondus cratis haberet, quàm scutum.] Simile genus loquendi istud Trebellij Pollionis: *habuerunt duplicem numerum nauium, quàm illum, quo vrbes Asiæ expugnare conati sunt.* In D. Claudio.

Notandum locutionis rarum genus.

Sed etiam post meridiem exercebantur ad palos.] In vno manuscripto repperi *à meridie.* Verùm videamus rem ipsam. In militia prælusiones Tyronũ, & varias fuisse, vno Vegetio teste manifestissimum est. cui rei campiductores, armorũ magistri, destinati. De quibus paulò pòst, cap. 13. & 14. agitur. Exercitationi isti ad palum, *palaria* nomen fuisse docet Sosipater Charisius Institutionum Grammat. lib. 1. *Hæc palaria, cùm milites ad palos exercentur, hæc parentalia νεκύσια.* Ratio prælusionis duplex fuit. nam ad palum sex pedes è terra eminentem cominus sudibus, id est clauis, seu gladiis ligneis exercebantur, vt hoc eodem capite satis superque ostenditur. & apud Iuuenalem Sat. 6.

Palaria quæ fuerint.

Ad palum duplex exercitatio.

——— *Aut quis non vidit vulnera pali*
Quem cauat assiduis sudibus, scutoq; lacessit
Atque omnes implet numeros.

Etiã meminere Plato 7. De legibus. Arist. politicis, & Hieronymus Mercurialis libro 3. de arte gymnastica cap. 4. de altero prælusionis genere ad palum, quod eminus instituebatur, consulendus auctor noster lib. 2. cap. 23.

Nec vnquam aut arena, aut campus.] Illud ad gladiatores, alterum ad milites referendum. præmisit quippe: *Palorum enim vsus non solùm militibus, sed etiam gladiatoribus plurimum prodest.* Ælius Lampridius in Commodo: *In arena*, inquit, *rudibus inter cubicularios gladiatores pugnauit.* Gladiatorij autem Tyrones, æquè atque militares proludendo exerceri solitos facile mihi fuisset probatu, nisi elaboratum de Gladiatoribus I. Lipsij nostri opus consulendum putassem.

Palorum vsus & militibus & gladiatoribus vtilis.

Rudibus gladiatores pugnare discebant.

Nunc quasi caput, & faciem peteret, nunc lateribus minaretur.] Proprium huic loco verbum illud, *peteret*, Virg. 9. Æn.

Petere vox gladiatoria.

At Nisus ruit in medios, solúmque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.

Petitiones. In quem locum Seruius notat, *Petitiones propriè dicimus impetus Gladiatorum.* Cic. in Verrem: *non omnes hominis petitiones.*

Petitio-

Petitiones porrò has, cum aduersas & rectas; tum auersas, & à latere institui solitas, præter Vegetium, Quintilianus indicauit, lib. 9. cap. 1. *In armorum certamine aduersos ictus, & rectas manus, cum videre, tum propulsare facile est: auersæ tectæq; minus sunt obseruabiles.* *Petitiones in prælusione ad palum variæ.*

Crura succidere, recederet, adsultaret, insiliret.] Locus suppletus mea opera, & vnius libri auxilio, qui omnibus cæteris auctior vno verbo, quod mea sententia, & orationis, & armaturæ huius numeros supplebit. Itaque legamus: *Crura succidere, accederet, recederet: adsultaret, insiliret.* quam lectionem vno Susiano exemplari, post aliquot inde menses gauisus sum approbari. quanquam hoc mihi iam penitus sedisset, verbum *accederet*, in locum suum, tanquam in iustam possessionem remittere, cùm & in ipsa acie, tam accedendi, quàm recedendi spatium pugnantibus vidissem attribui, lib. 3. cap. 14. Illustrabam quoque locum testimonio Hirtij ex bello Africano: *Cæsar contra huiusmodi hostium genera copias suas non vt Imperator exercitum veteranum, victorem maximis rebus gestis; sed vt Lanista iuniores gladiatores condoceface ret, quo pede se reciperent ab hoste; & quemadmodum obuersi aduersariis, & in quanto spatio resisterent. modò procurrerent, modò recederent, comminarenturq; impetum.* *Suppletus Vegetij locus.*

AD CAPVT XII.

Non cæsim, sed punctim ferire discebant.] Liuius lib. 31. *Gallis, Hispanisq; scuta eiusdē formæ ferè erant; dispares, ac dissimiles gladij. Gallis prælongi, ac sine mucronibus; Hispano (punctim magis, quàm cæsim adsueto petere hostem) breuitate habiles, & cum mucronibus.* Quòd verò punctim doceantur petere tyrones, id caussæ fuisse intelligimus, quòd cæsa, quocunque impetu illata, frequenter mortis non det causam: puncta plerumque mortalis sit, & obuia quæque penetret. *Gallorum gladij quales olim. Hispani punctim magis quàm cæsim adsueti petere.*

Contra puncta duas vncias adacta.] Pro *duas vncias* libri quidam *duabus viis.* Hos cur sequi nemo debeat, docui hoc lib. cap. 5.

Duplicis autem ponderis illa cratis & clava.] Exemplar M.S.N. malebant *dupli*, quod non displicet: & ita quoque legendum videtur capite superiori. *clauas ligneas dupli æquè ponderis.* præcessit enim, *vt duplii pondus cratis haberet, quàm scutum publicum.* Grauiora in prælusione tyronica, quàm in *Emendatus Vegetius. Grauiora arma in prælusione, quàm in publicis prælio.*

publico prœlio arma. Id eò factum Vegetius testatur, quò depositis armis grauioribus, securior, alacriorque tyro pugnaret. Eò pertinere video & Lycurgi Legislatoris institutum, qui iuuentutem arctiùs domi habuit, quàm militiæ: frequentiora, maioraque exercitia militum in sedibus, quàm in castris esse voluit: qua via effecit, vt Lacedæmonij expeditionibus instantibus lætarentur; tantum abest, vt à vita, & disciplina castrensi abhorrerent.

Lacedæmonij cur læti imminente bello.

AD CAPVT XIII.

Armatura, genus exercitij.

ILLO exercitij genere, quod armaturam vocant.] Id exercitij genus diligentissimè obseruabatur à Romanis, tradebaturque à campiductoribus, vt à Vegetio docemur. qui alibi armaturæ gestum vocat lib. 3. cap. 4. alibi numeros, gestusque appellat lib. 1. cap. 4. Gestus verò illi, & arma ei rei adhibita, peti commodè possunt ex ipso Vegetio lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 4. & lib. 1. cap. 11. quibus locis hac de re etiam adnotamus.

Armaturæ genus, & numeri.

Et à campidoctoribus traditur.] Libri aliquot habent *& campi doctoribus traditur.* alij, *& primis doctoribus.* alius, *& à primis doctoribus.* Exemplar S. impressum sequor, in quo erat *& à campiductoribus traditur.* Doctores pro ductores ἀρχαϊκῶς scriptum erat. Itidem in Glossario veteri Campidoctor ὁπλοδιδάκτης. Armiductor ὁπλοδιδάσκαλος. Lampridius in Alexandro: *Campiductores vestri hanc vos docuerunt.* Ammianus: *Horum campiductoribus*, inquit de Gallis loquens, *vt fortium factorum antesignanis, post ciuitatis excidium, armatas statuas apud Ædessam, in regione celebri locari iusserat Imperator.* Iterum Ammianus: *Sed vbi ventum est Aquileiam, Marinus de campiductore eo tempore vacans, auctor pernicios sermonis.* lib. 15. A ducendi verbo duces, ductores Varro format. inde & verbum ductandi. Sallustius *exercitum in Asiam ductauerat*, & ipsi Ductus eidem Sallustio, 3. Historiarum: *Quoties*, inquit, *à prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi.* Itidem Æmilius Probus, *quorum ductu res malè gestæ dicerentur.* Pro eodem alij videntur vsurpasse nomen *ducatus.* Iulius Capitolinus: *Petenti signum prima die Tribuno dedit, Militemus: exprobrans vtique segnitiem temporum superiorum, quod quidem etiam antè in omnibus ducatibus dederat.* Sueton. Tiberio: *Confidēs veniebat, ostento sibi, ac maioribus suis*

Campiductores.

Armidoctores.

Duces, ductores. Ductus, & Ducatus.

in

in omni ducatu expertissimo, cap. 19. Eadem voce alios rursum dignitatis præfecturam, & militare imperium significasse video. Sueton. Nerone, *Impuberē adhuc, quia ferebatur ducatus, & imperia ludere, mergendum demandauit*, cap. 35. Scripsit itidem Lampridius Imperatorem Eligabalum præposituras & ducatus, & officia palatina vendidisse. Etiam pro regione vel στρατιᾷ, id nomen accipitur. Originem autem ducit, à ducando, vnde & ducatores, de quibus est in Lexico veteri; Ducatores, ἀγοὶ ἡγεμόνες προηγέμενοι. Itidem Alphenus Iurisconsultus nauis ducatorem appellat, apud Vlpianum in l. quemadmodum, §. si nauis ff. ad legem Aquiliam. Similiter & classem ducere Quintilianum dixisse arbitror. Ducum & Comitum nomen olim non eius dignitatis, cuius hodie. & à re militari eæ dignitates originem trahunt. opibus verò auctæ, postquam agros, villas, arces, & oppida, ad victum sibi adsignata (parochias illi tanquam præbendas vocarunt) ad heredes cœperunt transmittere. quod primus Constantinus A. permisit.

Ducatus, pro dignitate præfectura.

Ducatus, pro regione.

Ducatores.

Duces & comites nostri, vnde originem ducūt.

Armaturis melius pugnari, quàm cæteris.] Ita restitui ope duûm optimorum codicum. in uno V. scripto est, *armatura melius pugnare Romanos, quàm cæteros.* vulgo edebatur, *armaturam melius pugnare quàm cæteros.* sed vtrumque, meo quidem iudicio, non tam sincerum, vt istud nostrum. Nam armaturæ certum genus militum (iuniorum puto) qui sub campi ductore meditabantur, & armaturam docebantur. patet ex hoc capite, & patebit magis ex emendationibus nostris ad cap. 23. lib. 2. vbi milites isti vitam mihi debent: & cap. 17. eiusdem libri; vbi per me, in ordines militares restituti, & reducti in aciem. Nam locus illis erat inter leuis armaturæ milites, ipso Vegetio teste libro 2. cap. 15. vbi nomen armaturarum integrum, & incorruptum in omnibus exemplaribus, cusis, scriptis. Tribunos armaturarum Ammianus Marcellinus commemorat lib. 14. Historiarum. Idem & rectores armaturarum appellat lib. 15. Etiam scholas armaturarum in Notitia vtriusque imperij obseruabam, alteram armaturarum iuniorum, alteram armaturarum seniorum.

Armaturæ sunt milites iuniores.

Rectores armaturarum: schola armaturarum.

Cum armatura vtcunque eruditi.] Solus liber M. *cum armaturæ vtrumque eruditi.* Ammianus, *artiumque armaturæ pedestris perquàm scientissimus*, libro tricesimo.

Vt & doctores armorum.] Quid à campiductoribus hi differant, iam intelligit scio diligens lector, ex iis, quę suprà ex glossario adduximus. quod ad rem ipsam, Historiæ adhibendæ sunt, quibus docemur, anno ab Vrbe condita DCXLVIII. bello Cimbrico, primum P. Rutilium consulem Cn. Manlij Collegam è ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, plagas vitandi, & inferendi militibus præcepta dedisse. Adeundus Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. Illi rei C. Cæsar equites Romanos, etiam Senatores præfecit. Suetonius: *Tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus, per equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat*, cap. 26. Videndus etiam Vegetius lib. 2. cap. 9. & cap. 12.

Quando primũ cæpti institui tyrones à magistris.

Tirones ab equitibus etiam à senatoribus eruditi.

Pro frumento hordeũ cogerentur accipere.] Quod in prælusione tyronum seruari solitum prodit Vegetius; idem quoque in legionariis militibus, veteranisq. puniendis vsurpatum obseruaui ex Liuij lib. 37. *Cohortibus quæ signum amiserant, hordeum dari iussit.* testes quoque Suetonius Augusto, Plutarchus in Marcello, & Dio lib. 49. & Polybius. Itidem Appianus de Cæsare libro De *bellis Illyricis*: *Reliquos ea æstate hordeo, frumenti vice, cibari iussit.* Plinius lib. 18. cap. 7. gladiatores Hordearios vocatos vult, quòd antiquitus hordeo victitarent. Galenus lib. De alimentis 1. Faba eos & ptisana vsos tradit. Tertullianus quoque ad Martyres de Athletis loquens: *Continentur*, inquit, *à luxuria, à cibis lætioribus, à potu incundiore.* Cæterùm punitis negligentioribus, rudioribus, conueniens erat diligentiores præmia accipere: cùm pœna & præmio (vt legislator ille censebat) optimè omnia regantur. Agesilaus certè, in exercitatione suorum militum, præmia proponere consueuerat; vt hi quorum egregia in hac re opera extitisset atque industria, studiosiùs armarentur, atque ornarentur insigniùs. Auctor Xenophon lib. 3. De rebus Græcorum, & Æmilius Probus in ipsius vita. Quod amplius est, etiam victis in solatiũ datum aliquid, ex Virgilio docebo: cuius libro 5. Æn. hi versus:

Hordeum pro frumento tyronibus quando datum. Datum etiam hordeum militibus pro pœna.

Gladiatores Hordearij dicti.

Athletarum cibus, potus.

Agesilaus in exercitatione militum etiam præmia proposuit.

In prælusionibus præmia quoque victis proposita.

Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem,
Victori velatum auro vittisq; iuuencum;
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.

Ad reuerentiã nostram.] In V. Susij erat *ad reuerentiam Romanam.* Appius Claudius in oratione sua ad populum,

Hæc,

Hæc, inquit, *Romano nomine sunt digna?* Ibidem, *An hic sit terror nominis nostri?* apud Liuium lib. 5. ab Vrbe condita. Pertinet eôdem sententia quæ apud Cassiodorum lib. 10. Variarum cap. 18. *Absit enim vt vrbs illa muris videatur protegi, quam constat hominibus vel sola opinione fuisse terrori.* Ibi ora libri pro *hominibus* adiectum habet *gentibus*. mihi verosimile planè, legendum *omnibus*.

Correctus Cassiodorus.

Præliorum delicta emendationem non recipiunt.] Verè Imperatorium illud apophthegma Lamachi apud Plutarchum. Is præfectum quendam manipuli peccantem reprehendebat: & cùm ille diceret, se nunquam posthac similiter peccaturum; Non licet, inquit, in bello plus delinquere. Vegetij alium locum subiungam ex libro 3. cap. 5. *Siquidem nulla sit negligentiæ venia, vbi de salute certatur.*

In bello non licet bis delinquere.

AD CAPVT XV.

Et disci opus est diligenter, & quotidiano vsu, exercitioque seruari.] Fruſtra quid discitur, nisi quotidiana meditatione, & iugi exercitio perdiscatur. Hinc est, cur exercitationem non solùm tyronum, sed & militum, tam legionariorum, quàm auxiliariorum; atque adeò ipsorum veteranorum, totiens Flauius noster commendet atque imperet. Intermissa enim consuetudo, & animos militum debilitat, & corpora; lib. 2. cap. 23. & sequentibus. Neque id æstate tantummodò seruandum, verumetiam hieme, dicto cap. 23. Idem & Claudianum præcepisse audies lib. 4. De Honorij consulatu:

Quidquid discimus, vsu atque exercitio seruandum.

Exercitatio intermissa debilitat corpora & animos.

Milites tũ hieme, quàm æstate exercendi.

——— *Si bella tonant, prius agmina duris*
Exerce studiis, & sæuo præstrue Marti.
Non brumæ requies, non hybernacula segnes,
Enervent torpore manus.

Exercendi milites, & quidem perpetuò, non modò cùm expeditionibus occupati sunt, verùm etiã in sedibus. quod præter auctorem nostrum iussisse vidi Imperatores Theodosium & Valentinianum in l. duces C. De offic. mil. iud. Si quis enim adsuetum olim castrensibus laboribus militem, otio sinet torpescere, habebit lasciuientem, & promptum ad seditiones. Vegetius lib. 3. cap. 4. & Cornelius Tacitus in vita Agricolæ, scriptor non vulgaris, & ad disciplinam eius æui indicandam supra vulgi opinionem vtilis.

Exercendi quoq. dum in sedibus sunt.

Miles otiosus promptus ad seditiones.

Milites etiam in pace exercendi.

Iphicrates nunquam otiari milites passus est. Nam & si bellum non esset, fodere, fossas ducere, arbores cædere, &c. voluit: vt de illo commemorat Polyænus lib. 3. Strateg. Imperator Probus multa opera militari manu perfecit; dicens annonam gratuitam militem comedere non debere. Gallos nostros in bellis quoque floruisse accepimus: vt verò cum otio segnitia intrauit, pariter cum virtute libertatem amisêre. quod alibi scriptum reliquit (si memoria non fallit) Tacitus. Exercitatio ad disciplinam militarem addiscendam facit; facit ad propagandam; &, quod caput est, ad conseruandam facit. *Nihil in vita quod perfici absque exercitatione possit: quæ ipsa omnia exsuperat*; ex sententia Cynici, quam in illius vita refert Diogenes Laërtius.

Sine exercitatione nihil perficitur.

Scipio singulis cohortibus sagittarios miscuit:

Aphricanus quidem Scipio.] Adscribendum puto, quod Iulius Frontinus eadem de re memoriæ prodidit: *Scipio Æmilianus*, inquit, *ad Numantiam omnibus non cohortibus tantùm, sed centuriis, sagittarios, & funditores interposuit*: lib. 4. Strateg. cap. vlt. Eò respexisse videntur qui hoc loco apud Flauium nostrum olim ediderunt, *Nisi in omnibus centuriis lectos sagittarios miscuisset fundis*. Sed ego illis fidem non habeo, qui τὸ *fundis*, hîc assuëruerunt. Neque magis membranis auscultо, quæ pro *centuriis* legebant *tentoriis*. Sed de disciplina militari à Scipione diligentissimè restaurata, dicemus infrà lib. 3. cap. 10. in fine.

Idem disciplinam castrensem emendauit.

Iugum quid sit & qui fierct.

Sub iugum miserant.] *Iugum* est (teste Liuio lib. 3. & Festo) *sub quo victi transibant, fiebátque hoc modo: fixis duabus hastis, super eas ligabatur tertia; sub iis victos discinctos transire cogebant.*

Rom. à diuersis subiugati.

Eam ignominiam non modò à Numantinis, sed à Samnitibus Romani passi sunt ad furculas Caudinas. Consulendus Liuius lib. 9. qui rem totam, atque adeò morem ipsum non ita cognitum, paucis verbis in lucem reuocat: Primi, inquit, *Consules propè seminudi sub iugum missi, tum vt quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ obiectus: tum deinde singulæ legiones, circunstabant armati hostes exprobrantes, eludentésque.* Idem lib. 3. de Equis Romanorum ope per Tusculanos subactis: *Inermes*, inquit, *nudique omnes sub iugum ab Tusculanis missi.*

Ritus subiugandi.

AD CAPVT XVI.

FVNDARVM autem vsum.] A funda funditores dictos tradit Vegetius lib. 3. cap. 14. Vbi idem ostendit ex lino vel setis fieri solere. Eam sic quidam describunt: Funda funiculus est, qui duobus capitibus manu capitur, altero cum ansula, ne exeat; altero sine, vt dimitti possit: atque in medio latior est, vt ibi lapis contineatur. hunc, circumacto valide funiculo, & ab vno capite dimisso, vehementer proiiciebant funditores. Testis Hieronymus Mercurialis lib. 2. De arte Gymnastica, cap. 12. Quod ad inuentionem fundæ; Plinius lib. 7. naturalis Historiæ, cap. 56. Phœnices eius inuentores facit. Idemque lib. 3. cap. 5. Baleares funda bellicosas, Græcis gymnasias testatur dictas. Contrà Vegetius noster Balearibus præter vsum, etiam inuentionem fundæ tribuit, secutus Lucium Florum & alios. Florus equidem lib. 3. cap. 8. tribus quemque fundis prœliari solitum testis est, & cibũ pueros à matre non accepisse, nisi quẽ ipsa monstrante percussissent: certos etiam eorum ictus fuisse; cùm hæc sola genti arma fuerint, id vnũ ab infantia studiũ. pro Vegetio etiam stare video Virg. 1. Georg.

Stupea torquentur Balearis verbera fundæ.

Item illud Statij libro primo:

Roboráque & grauidas fundæ Balearis habenas.

Denique & illud Ouidij:

Non secus exarsit, quàm cùm Balearica plumbum
Funda iacit; volat illud, & incandescit eundo.

Funditores Baleares etiam Liuium celebrare memini, lib. 30. Et vide quæ de iisdem dicta à nobis, libro 3. cap. 14.

Funditores à funda.

Fundæ descriptio.

Fundæ inuentores.

Vegetius, Florus, alij à Plinio dissentiunt.

Baleares tribus fundis ad prælium exisse.

Vt matres paruos filios nullum cibum contingere sinerent.] Operæ pretium mihi facturus videbar, si rei confirmandæ, illustrandæ, Diodori Siculi testimonium huc accerserem: *Arma*, inquit, *eis sunt fundæ tres: Vnâ caput cingunt, alterâ ventrem; tertia in manibus gestatur. In prœlio lapides multo maiores, quàm reliqui iactant robustè, vt aliquo tormento lapis missus videatur. In vrbium expugnatione, lapidum iactu eos, qui desuper ex propugnaculis tuentur mœnia, vulnerant. In pugna verò scuta, galeas, omnéque armorum genus confringunt. Ita autem rectè lapides propellunt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuo à pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis.*

Balearibus tres funda; & quæ in parte corporis illa gestata.

Imponunt

Imponunt enim supra erectum lignum panem, signum quod iactu petant, neque ante cibum capiunt, quàm panem lapide eiectum, pro cibo sumant, permissu matris. lib. 6. Vnde figura facta: quam hoc loco ob oculos ponendam curauimus.

Funditor Balearis.



Sæpe enim aduersum bellatores cassidibus, cataphractis.] In duobus exemplaribus reperi *catastinciis* pro *cataphractis*, qua voce nondum video quid voluerint librarij.

AD CAPVT XVII.

PLVMBATARVM quoque exercitatio.] Vnus manuscriptus codex H. disertè hîc,& integrè perscriptum habet,*exercitio*. Itidem lib.2.cap.9. *Exercitatio non solùm peditum, sed etiam equitum legionariorum*. Ibidem manuscriptus N. & alter Susij,*exercitio*.& eandem fortè lectionem istic quoque olim habuit H. qui eo loco nimis interpolatus. Offendit fortè aures ea vox sciolorum, qui eam Latini iuris non esse putârûr, ipsi nihil minùs quàm Latini. Quis enim non videat ab exercito exercitatu, exercitationem: ab exerceo exercitu exercitionem declinari ? qua phrasi, progressiones & institutiones in Tusculanis suis parens Latinæ linguæ & Pater Patriæ M. Tullius Cicero; & Gallinas ad partitiones aptas doctissimus Romanorũ Varro, & alij alia dixerunt. Sed quin Iurisconsultorum nostrorũ auctoritate me tueor? Papiniani inprimis, qui exercitionem effert l. 1. ff. De officio eius cui mandata est Iurisdictio: & Iuliani, in l. hæc stipulatio 200. ff. de verborum significationibus: & l. 15. ff. Vt legati, seu fideicommissi nomine caueatur. Nec est quod contra Florentinas Pandectas iis locis exercitationis nomen recipiamus.

Emaculatus aliquot locis Vegetius.

Exercitio verbale, ab exerceo, exercitu.

Quos Martiobarbulos vocant.] Apponenda existimaui verba Leonis, vt ea considerent docti: *Ad coniicienda*, inquit, *eminus iacula, & Matzarbulum, quod nunc dicitur Saliba, & tzicurim*: cap. 7. de apparatu militari, numero quarto. Sed & Turnebum audiamus, qui lib. 24. Aduersariorum cap. 12. lasciuia quadam militari Martiobarbulos appellatos censet milites, qui plumbatas, id est glandes plumbeas gerebant. quæ & ipso nomine Martiobarbuli vocatæ, perludum,& iocum videntur: quòd cùm pisces in deliciis essent, in quibus numerantur Barbi, & Barbuli; plumbatæ, quasi non conuiuij, sed Martis Barbi essent & cibi, ioculariter Martiobarbuli dici potuerint. Et vetus quidam Grammaticus Barbulum interpretatus est φάγρον ἰχθύων. In manu scripto H. toto hoc capite *mattiobarbuli* ter scriptum est: sed in M. & S. *marciobarbuli*. Attamen postremus ille codex tertio loco legebat: *quos autem barbulos*, abiecta voce *Martio*. In aliis omnibus erat, *quinos autem martiobarbulos*.

Martiobarbuli unde dicti.

Barbi, & Barbuli Pisces.

Iouinianos atque Herculianos censuerint appellandos.]

Defensa vulgatis Veg. lectio.

dos.] Aliquantis in libris *Iouinianos* aut *Iouiarios* vocatos vidi, sed malè. nam eam denominationem non ferunt doctæ aures, non fert ipsa ratio denominationis; cùm his militibus nomina ab Ioue & Hercule deriuata sint. Priscianus lib. 2. de formatione nominum agens: *A propriis deriuata plerumque Iante A habent, Iouis Iouianus, Cæsar Cæsarianus.* Prior ad

Iouis Iouianus format. Diocletianus Maximianum imperij consortem adsumsit.

imperiũ Diocletianus peruenerat: is consorte imperij opus esse cernens, Maximianum adlegit. cumque Maximiano ad omnia obsequentissimo vteretur tanquam filio, felicissima sibi cognomenta hi Principes indidêre, vt quemadmodum Ioue patre natus Hercules, ita Diocletianus Iouius, Maximianus verò Herculius diceretur. *Testes Historiæ;* & inter illas Pomp. Læti epitome. Ab iisdem verò, *Iouianos* & Herculianos milites porrò cognominatos, luculêtissimo testimonio Zosimi in hunc locum notauit amicus meus Franciscus Modius Brugẽsis. Iouianorum & Herculianorum mentio perfrequens in Panegyrico Mamertini, prædictis Imperatoribus dicto: item in Notitia vtriusque imperij, & Sozomeni lib. 6. cap. 6. tum apud posteriores historiographos, Ammianum, Capitolinum, & alios. Vnum ex Ammiano testimonium laudo, quòd videatur in mendo esse, *post minacem*, inquit, *tonitruum crebritatem, & fulgurum, Iouianus nomine miles cœlo tactus*; lib. 23. Sed ibi τὸ *nomine* mihi prò glossemate est. Ad eundem modum & Caracalla, quòd magnus esset in Alexandrum Magnum eius amor, Alexandri nomine adsumpto, phalangem sexdecim milliũ hominum instituit, quos Alexandrinos appellauit; iisdemq. armis pugnare præcepit, quibus ipso Alexandro viuo fuerant vsi. Testem habeo Dionem, & Herodianum. Alexander Magnus certos sibi milites tanquam socios, ac sodales legerat, ἑπτάρχας, καὶ πεζεταίρους, teste Diodoro Siculo lib. 18. & Arriano non vno in loco. Sed ab armis, id est argẽteo clypeo, Argyraspides iidem nominati. testem habeo Iustinum lib. 14. Historiarum. Ad imitationem illorum, Romanorum Imperator Alexander, non modò Argyraspides, sed & Chrysaspides fecit, teste Lampridio. Etiam apud Athenienses ab Iphicrate duce milites Iphicratenses clari fuerunt, vt auctor est Æmilius Probus. Ab eadem origine esse puto, Honorianos, Theodosianos, Constantianos, Gratianenses, Valentinianenses, &c. in Notitia vtriusque imperij.

Diocletianus Iouius, Maximianus Herculius vocitatus. Ab his milites Iouintani, & Herculiani.

Ammiani locus mihi suspectus.

Alexandrini milites à Caracalla instituti.

Alexandri Magni Argyraspides. Alexandri Cæsaris, argyraspides, chrysaspides. Iphicratenses milites.

Neque

Neque inibi subſtitit κατοχὴ illa Principum. Romæ enim, & Viennæ etiam portas à prædictis Diocletiano, & Maximiano Iouias & Herculias, etiam populos Galliæ Iouios, atque Herculios nominatos, ſcribit idem Pomponius Lætus. Commodus Antoninus eò temeritatis, ſeu potiùs ineptiæ, peruenit; vt populum Romanum, Cõmodianum; Vrbem, Commodianam iuſſerit appellari, teſte Dione, & Lampridio. Sed de hac re alibi loco commodiore.

Portæ ciuitatum à Cæſaribus cognominatæ.

Etiam populi.

AD CAPVT XVIII.

Sed etiam à ſtipendiariis militibus.] Conſenſu Veterum codicum M. S. N. H. R. B. emendo *ſtipendioſis militibus.* Stipendiarij dicebantur, qui ſtipendia pendebant, non qui merebant. Liuius lib. 3. *Miſſis circa ſtipendiarias ciuitates exactoribus, ſtipendij ſpem propinquam facere.* Varro: *Milites ſtipendiarij ideò, quòd eam ſtipem pendebant. ab eo Ennius ſcribit: Pœni ſtipendia pendunt.* eo loco, pro *milites*, Turnebus *multi* reponendum, vel *militis* ſentiebat. Mihi neutrum ſatis placuit, & ab eo tempore quo Varronem legi, proximè ductum litterarum, ſuſpicatus fui *limiteis* ſcribendum. de quibus limitibus multa in l. 2. C. de præfec. Prætorio Africæ. Redeo vnde abieram. Stipendioſos accipio, pro veteranis, quaſi qui multa ſtipendia fecerint, meruerint: Veteres & eruditos milites vocat hic ſcriptor, lib. 2. cap. 23. ibique in re ſimili iunioribus opponit. Tum etiam ex Grammaticorum ſententia obtinuit in *oſus* finita copiam, abundantiam ſignificare. Sic Varro à pecunia, pecunioſus format, 7. de Ling. Latin. & Nigidius Figulus lib. 11. Cõmentariorum Grammaticorum *vinoſus, mulieroſus, religioſus, nummoſus* formari ſenſit. Videndus Gellius lib. 4. cap. 9.

Emendatus Vegetij locus.

Varronis lectio vulgaris, ſuſpecta de mendo.

Stipendioſi qui.

Nomina in oſus abundantiam deſignant.

Salitio equorum diſtrictè eſt ſemper exacta.] Monui in optimis libris ſcribi *exercenda.* in libro M. τὸ *diſtrictè* deſidero. id an rectè, alij iudicent. Cicero Q. fratri, *Sic enim habeto, me nunquam à cauſis & iudiciis diſtrictiorem fuiſſe, atque id anni tempore*: lib. 2. epiſtola 15.

Super quos iuniores primò inermes, dum conſuetudine proficerent.] In duobus mſs. *quos ſupra.* Inde in M. deſidero totum hoc membrum, *dum conſuetudine proficerent.* pro quo in quatuor exemplaribus ſcriptis erat *dum conſuetudo proficeret.*

De gloſſemate mihi ſuſpectius Vegetius.

Demum

Demum armati cogebantur ascendere.] Optimi codices malebant, *deinde armati*. Quod in salitione equorum præcipitur, primò inermes equites, inde armatos, etiam gladios, vel contos manibus tenentes, ad insiliendum desiliendumque adsuefaciendos; item pedites in ambulatione, decursionibus, primò sine pondere, postea armis, etiam sarcinis fuere grauati; lib. 2. cap. 23. Similiter equites non solùm in planis, sed etiam in abruptis, & fossarum hiatu difficillimis semitis, se & equos suos exercere iussi: lib. 3. c. 2.

Correctus Vegetius.

Equites primò inermes, post armati exercebātur.

Itidem pedites.

Et insilire, & desilire.] Desultores Liuio & aliis dicti, qui alterum equum attrahunt, in quem celeriter transilire, vbi res postulat, possint. Videndus est Festus in *paribus*; & Alexander Neapolitanus lib. 6. Genialium cap. 22.

Desultores qui fuerint.

Vt in tumultu prœlij sine mora ascenderent.] Erat in vno V. *condescenderent sine mora*. fortean id ab illorum ingenio, qui in membranis repererant *escenderent*: nec sciebant quid eo facerent, quod valet *ascenderent*, teste vetustissimo Grammatico Cornelio Frontone, cui etiam adsentit Palmerius noster in suis Spicilegiis; adductis, imò persanatis, aliquot locis Sallustianis.

Escendere, pro ascendere.

AD CAPVT XIX.

PONDVS quoque baiulare.] Qui vecturas onerum suo corpore faciunt lucri caussa, baiuli appellati. Græci βαστάζοντα appellabant, teste Gellio lib. 5. cap. 3. Baiulare dicuntur, qui corpore proprio ferunt. eam enim propriam illi verbo significationem tribuere voluit Nonius Marcellus, cùm ex Plauti Asinaria hunc versum laudauit:

Baiuli qui.

Baiulare qui dicuntur.

Ego baiulabo; tu, vt decet dominum, ante me ito inanis.

Et disertè Caius lib. 3. ad legem XII. tabularum, *Ferri propriè dicimus, quæ quis suo corpore baiulat; portari ea, quæ quis iumento secum ducit; agi, ea quæ animalia sunt*; l. ferri ff. de verborum significationibus. Hinc patet impropriè Flauium nostrum dixisse suprà ca. 3. *portare pondus*: & lib. 2. cap. 23. *portare onera*. quibus locis idem exercitium militare attingit. Diligenter autem iuuenes in Gymnasiis, ferro, plumbo laminisque ferendis exercitatos, etiam dum saltu certarent, multis testimoniis confirmauit diligentissimus huiusmodi exercitationum inuestigator, illustrator, Hieronymus Mercurialis, lib. 2. De arte Gymnastica cap. 11. propositâ ibidem in gratiam

Ferri quæ dicuntur: Quæ portari.

Tyrones in gymnasiis laminis ferendis exercebantur.

gratiam eorum, qui his ſtudiis capiuntur, vetuſtæ tabulæ picturâ. Fuit etiam in vſu, & gymnaſticas inter exercitationes, Pyrrhicha ſeu armata ſaltatio (Enopliam ſunt qui vocârint) à qua Pyrrhichiarij, ſeu Pyrrhicharij in l. aut damnũ, ff. de pœnis. De militari armata ſaltatione, quam à Pyrrho inuẽtore nominatam putant, adeundi Plato 3. De legib. Lucian. in Dialogo de gymnaſiis, Strabo, Spartianus in Hadriano, Plin. lib. 7. cap. 56. Hieronymus Mercurialis, Guliel. Budæus ad l. athletas, ff. de iis, qui notantur infamia.

Saltatio armata.
Pyrrhichiarij.
Armata ſaltatio à Pyrrho nomen accepit.

Neceſſitas imminet annonam pariter & arma portandi.] Vtrumque onus ſubeundum militibus fuit in expeditionibus arduis. ſed Ciceronem audi: *Noſtri exercitus vnde nomen habeant, vides. deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati menſis cibaria, ferre ſi quid ad vſum velint, ferre vallum. nam ſcutum, gladium, galeam in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus; arma, etiam membra milites eſſe ducunt. quæ quidem ita geruntur aptè, vt ſi vſus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare poſſint*; Tuſcul. 2. Si quis verò Ciceroni, quaſi in ſcholis Philoſophicis hac de re diſputanti, fidem derogare auſit; aliud teſtimonium ex ipſa Hiſtoria accipiat. Ammianus libro Hiſtoriarum 17. *Tutum*, inquit, *ex annona decem & ſeptem dierũ; quam in expeditionem pergens vehebat cernicibus miles.* Quàm velim hæc perpendere ductores & præfectos noſtrorum militum; dum patiuntur ſuos non ſolùm ſarcinas grauiores, quàm pro vſu militaris hominis, verùm mũdum neſcio quem, etiam meretrices, quocunque locorũ circumuehere! Cui rei ſimul vt portas egreſſi ſunt, videas eos agricolis plauſtra, currus, ſcaphas, aliaque imperare, non quaſi in patria hæc, ſed in media Turcia facerent.

Milites ſæpe arma, & annonam portare coacti:
Idem & vallum tulerunt.
Annonam dierũ XVII milites ferunt.
Mollities noſtrorum militum.

Vergilio ipſo teſte cognoſcimus.] In S. N. & Suſs. erat *cognouimus:* in M. *cognoſci poteſt.* qui idem codex totum illud orationis membrum, *ſi vſus acceſſerit*, quod paulo antè alij præmittunt, non agnoſcit.

Gloſſema puto V. geriunoc-cupaſſe.

AD CAPVT XX.

PEDITES tamen conſtat eſſe nudatos.] Obſeruaui particulam *tamen*, in optimis pleriſque codicibus abeſſe, neque inſolentem eſſe locutionem. Præceſſit quidem coniunctio *licet*; ſed illa (vt & alia eiuſdem ſynonyma, *ſi, etſi, etiamſi, quanquam, quamuis*) abſolutè, & ſine ſequela frequenter

Tentatæ aliquot leges C. de vsuris

vsurpata confirmare possim. sed quia res non tanti videtur, vno aut altero contentus ero: l. 1. C. de vsuris, ita hodie vulgatur: *Si interrogatione præcedente promißio vsurarum rectè facta probetur: licet instrumẽto conscripta non sit, tamen optimo iure debentur.* Sed in hoc capite *τὸ tamen* à liberalitate ineptorũ profectũ esse, quiq. benigni voluerunt esse de suo, solæ mẽbranæ Colonienses cõuincunt: eandemq. particulam eiiciunt eædem membranæ in l. quamuis; & l. quamuis Bassa C. eodem tit. sed aliorum membranis ibidem adstipulantibus.

Gratiani tempore arma Rom. mutarunt.

Vsque ad tempus D. Gratiani.] Notat Vegetius ab Vrbe condita ad Gratianum vsque Principem, cataphractis & galeis munitos fuisse Romanorum pedites. verùm exinde negligentia interueniente, ac cessante campestri exercitatione, grauia hæc arma visa, atque deposita, nullo rei Romanæ bono. Historiam illorum temporum consului, ibiq́ue Gratianum hunc intellexi exercitu Romano prorsus neglecto, paucos Alanos, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi antetulisse, adeoq́ue Barbarorum comitatu, & propè amicitia, captum, vt sæpe habitu illorum iter fecerit. inde in tantum ab eo auersos suorum animos, vt paulò pòst interfecerint. Paulus Diaconus libro Historiarum 12. & Epitomæ Victoris. Similis etiam negligentia in Valente Gratiani patruo, qui eodem tempore Orienti præerat. Hic Gothos Danubium transeuntes, sine vlla fœderis pactione, non suscepit modò, sed paratum sibi existimans firmissimum contra quosuis hostes præsidium, sic amplexus est; vt milites suos neglexerit ac despexerit. ceterùm Gothi se iis finibus non tenuêre: contra quos Valens infeliciter aliquoties pugnauit, & ad extremum ex prœlio fugiens, ab iisdem concrematus est: testis Ammianus, Diaconus, Victor, Sozomenus lib. 6. capite vlt. Socrates lib. 4. cap. vlt

Gratianus Romanos milites neglexit. Alanos suscepit:

A suis interficitur.

Valens suis neglectis, Gothos amplectitur:

A Gothis aliquoties superatus

Ab iisdem combustus est.

Et cataphractis, & galeis muniebatur.] Cataphracta, siue *καταφράκτη*, lorica; est thorax militaris, seu pectorale munimen: & inde cataphracti equites. nomina apud Græcos nata à *φράττω*, quod ipsis sonat, *munio*. Etiam cataphracti pedites, pro loricatis Liuio dicti lib. 37. sed his pectus solum cataphracta fuisse munitum volunt: equitibus verò corpus totum, & præterea ipsos equos; quod infra ostendemus.

Quid cataphracta.

Cataphracti unde dicti.

Cataphracti pedites, & equites.

Quæ

Quæ rarò vtique milites induebant.] Abest particula *vtique* in M.C.H. Susianus codex vnus legebat: *Quæ rarò vtique milites induebantur.* fortean *vtrique milites induebantur* legi possit: cùm enim grauia arma existimata dicat, propter exercitationem campestrem omissam; cur non & equites hic vnà cum peditibus complectamur, caussam nullam video; nihil tamen muto.

Itaque ab imperatore postulant primò cataphractas, deinde cassides deponere.] Conuenit, fateor, illud *cassides deponere*, cum verbo *postulant*: pro quo in aliis erat *postulatum*; in aliis *postulabatur*: & per libros VV. liceret, nullum hîc verbum facerem, nullam controuersiam verbo *deponendi* Latinissimo mouerem. In membranis H. *cassides sede ponere*: in M. *sedem refundere*: in S. & N. *se debere fundere*: in duobus Susij *se debere refundere*. quæ varietas haud dubiè, non de nihilo est. Arma Romanorum erant ex ære pleraque, quæ ob id fusa dicere quis possit. Liuius de prima classe: *Arma*, inquit, *his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica; omnia ex ære.* Multa quoque in eam sententiam ex Vergilio & Seruio adferre non sit difficile. clauos item æreos in constructione nauium auctor noster commendauit. Rostra item in nauibus ærea fuisse; & priùs æris, quàm ferri cognitum vsum, doceo apud eundem hunc auctorem lib. 4. Videant tamen doctiores ánne *refundendi* verbo, pro, *restituendi*, *reddendi* Flauius vsus sit. quo modo *refundere nummos*, *refundere sumptus*, boni scriptores sæpe dixerunt. Obseruaui autem Principes Romanos, cùm pro dignitate, & gradu annonarias species militibus adsignarent, arma quoque inter alia adscripsisse, quorum aliqua sibi seruarent, aliqua restituerent ac refunderent. Sic apud Trebellium Pollionem in D. Claudio notitia est, in epistola sacra Imperatoris Valentiniani, qua ipsi Claudio tanquam tribuno Martiæ legionis quintæ, post annonarias species, hæc iubet dari. Verba ipsius Trebellij adscribo: *Torquem libralem vnum, cassidem inauratam vnam, scuta chrysographata duo, loricam vnam, quam refundat.* Ibidem paulò post: *Cocum, quem refundat, vnum; mulionem, quem refundat, vnum; subarmale vnum cum purpura; notarium, quem refundat, vnũ; structorem, quem refundat, vnum.* fortè melius legatur *stratorem*, pro *structorem*. Arma autem distribui solent ex armamentariis: id quod ante me video obseruatum ab

Arma Rom. pleraque ex ære.

Claui, & rostra nauium ærea.

Refundere, est reddere, restituere.

Principes arma distribuenda curasse:

Et alia multa adscripsisse militibus, pro suo cuique gradu.

Tentatus Trebellij locus.

Arma ex armamentariis distributa.

Adriano Turnebo lib. 12. Aduersariorum cap. 6. ad quem beniuolum Lectorem remitto.

Multitudine sagittariorum sæpe deleti sunt.] Fortean *sagittarum* scripserit Vegetius. Quod autem vsui veniſſe Romanis hic traditur, vt nudati pedites; cataphractis, galeisque depositis; infeliciter sæpe cum Gothis pugnârint; id inprimis eueniſſe scio illo prœlio, quo Valens A. superatus, & flamma hostili exustus est. Paulus Diaconus: *Ad primum Gothorum impetum perturbatæ sunt Romanorum equitum turmæ, nudatóque pedites deseruêre, qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti*: lib. 12. Historiarum. Itidem Orosius, *Nubibus* (inquit) *sagittarum obrutæ.*

Dubitatum de Vegetij lectione.

Vel cataphractas, vel galeas pedestribus reddere.] Sed quærat nunc aliquis quid pro cataphractis, quid pro galeis milites Vegetij ætate, & deinceps gestârint? Respondeo; pro lorica & cataphracta fuisse tunicam, quam Thoracomachum appellârunt. cuius vsum ad descriptionem mea mihi diligentia suppeditauit. Nam dum in eo sum, vt quæ ad bellica tormenta intelligenda, explicanda faciunt, conquiram; commodùm incido in librum, cui titulus Notitia vtriusque imperij, eique coniunctum libellum de rebus bellicis. ex quo quæ de thorachomacho ibidem tradebantur, cum beniuolo Lectore, & studioso huiusmodi antiquitatum lubens communicabo: *Inter omnia*, inquit, *quæ adnersum bellicum prouida posteritatis cogitauit antiquitas, Thoracomachum quoque mira vtilitate ad lenamen corporis, armorum ponderi, & asperitati subiecit. hoc enim vestimenti genus, quod de coactili ad mensuram, & tutelam humani pectoris conficitur, de mollibus lanis timoris sollicitudo, solertia magistra, composuit: vt hoc inducto primùm, lorica vel cliVanus, aut his similia fragilitatem corporis, ponderis asperitate non læderent; membra quoque vestientis, inter armorum hiemisque discrimen tali solatio adiuta labori sufficiant. Sanè ne idem Thoracomachus pluuiis verberatus ingraueſcente pondere adficiat vestientem, de Libycis bene confectis pellibus ad instar eiusdem Thoracomachi faciem conueniet superinducere. Hoc igitur vt diximus Thoracomacho induto, cui Græca appellatio, ex tuitione corporis nomen adsumpsit. soccis etiam, hoc est calciamentis, & ferratis ocreis indutis, superposita galea, & scuto, vel gladio lateri aptato, arreptis lanceis in plenum, pedestrem subiturus pugnam, miles armabitur.* Quæ primùm inuenta vestis sustinendo aut leuando armorum ponderi, eadem postillà armaturæ

Romani pro lorica thoracomachũ induerunt.

Thoracomachus qualis fuerit.

Thoracomachus vndedictus.

turæ loco fuit. Itidem puto pro galeis postea pileos istos Pannonicos fuisse, de quibus Vegetius eodem hoc capite. Quod ad Thoracomachum, non verba præmissa, verùm etiam figura, quæ in eodem libello proposita est, ita euenisse indicat; & est talis, qualem hîc propositam vides. quam bona fide, vt depictam istic videram, exprimendam curaui.

Thoracomachi abusus.

Pilei Pannonici.

Legionarius thoracomacho indutus.



Eandem hanc figuram esse comperi, quam à Germano quodam suppeditatam sibi, in sua castrametatione indicauit D. Gulielmus de Choul, vir nobilis, & Christianissimi Francorum regis Consiliarius. Sed quia in eiusdem castrametatione etiam effigies sunt legionariorum militum, eâ armaturâ, quâ florente adhuc imperio, id est sub Traiano, Hadriano, Antonino Pio, & M. Aurelio Romani induti fuerunt; placuit easdē hîc figuras proponere inspiciēdas.

Legionarius miles depictus ex tabula marmorea Mogontinensi.



Legio-

Legionarius antiquus, qui est in Prouincia Narbonensi.



Ex quibus figuris etiam illud obſeruabã, libera republica, ac floréte imperio, minores Romanis gladios fuiſſe, geſtatoſque à dexrra, qui declinante imperio maiores fuerunt, pendẽtes à ſiniſtra. qui etiam hodie gladij gẽstãdi mos permanet. Illi rei etſi plura teſtimonia ſuppetant; dicis cauſſa vnum tantùm recitabo ex Polybij fragmentis lib. 6. vbi ille

Libera republica, & ſub primis principibus gladium miles a dextra gerebat.

Poſtea gladij maiores facti, geſtati à ſiniſtra.

Veterem Romanorum armaturam proponens, post descriptionem scuti (ita enim apud Polyb. interpretandum θυρεὸν, non *clypeum*; vt verterat Ianus Lascaris; multis iam antè probauit Aldus Manutius Pauli filius in libro De quæsitis per epistolam) ad gladium transit in hæc verba: *Vnà cum scuto ensis pendet; ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, anceps est, mucrone eximio, defertur violenter, eo quòd obliquus eius firmus, stabilisque existit.* Vide Horat. Epod. Ode 7. Dignum obseruatu, quod apud Dionem legebam, Imperatorem Macrinũ, qui multis annis ante Vegetij æuum rei Romanæ dominus fuit, armaturam prætorianorũ militũ immutasse, ablatis squamatis Thoracibus, & scutis iis, quæ instar canalis facta fuerãt, quò eos dẽ ad pugnã redderet expeditiores.

Qualis olim Romanorum ensis.

Imp. Macrinus arma prætorianorum mutauit.

Thoraces squamatos, & magna scuta abiecit.

Qui cum arcu scutum tenere non potest, faciat?] Differt hoc loco interpunctio nostra, à vulgatis editionibus. Sed non mea hoc opinione, sed librorum veterum M. S. H. N. & duorum Susianorum auctoritate effectum est: quorum magna pars etiam suasit, vt paulò post scriberem, *quorum & capita nuda constant, & pectora.* vulgata lectio habebat, *quorum & capita nuda esse constat, & pectora.*

Rato meditanti arma, raro tractanti.] Nihil certius est, quàm à verbo *meditanti*, auellendum esse *arma*, annectendumque sequentibus; scribendo *Raro meditanti, rarò arma tractanti.* Plus centies enim *meditari* pro *exercere* auctor noster eo loquendi modo posuit. Neque ipsi soli ea phrasis vsitata: Paulus Diaconus, *Spiculis meditari, summæq; voluptatis credere destinata ferire*; lib. 12. Histor. extremo. Sed alios testes ex Latio medio, & ipso foro Romano potiùs citemus. Cicero: *Multi naturæ vitium meditatione, & exercitatione sustulerunt*; lib. 2. De diuinatione. Plautus Mostel. *exercent sese ad cursuram.* Idem Sticho, sc. Mercurius: *Simulq; ad cursuram meditabor me.* Virgil. *Agrestem tenui meditabor arundine musam.*

Meditari pro exercere.

Meditatio eadẽ notione.

Et (quod est grauius, & turpius) aut capi, aut certè fuga rempublicam prodere.] Libris plerisque incognitum est illud comma, *& turpius.* De cætero in Susiano legitur, *aut capi, aut certè fugere, & rempub. prodere.* Clariùs in M. *aut certè capi, aut fugere, aut rempublicam prodere.* quanquam tolerabilis sit atque vsitata bonis scriptoribus, Liuio inprimis prior illa lectio; tamen ab hac membro vno, & reipsa (vt mea opinio est) superatur. quòd nimirum milites non satis muniti;

muniti; vi,& virtute hostium,aut capiuntur,aut in fugam aguntur;aut vltro,& sua sponte ad hostes transeunt.illa ad militum ignominiam pertinent. Tertium hoc, omnium maximè periculosum Reipub. vt quæ postillà vim passura est,ab iis manibus,quas ipsamet armauit. Qui iudicaturus est de hac nostra opinione,quam in medio positã relinquimus; videat hæc Vegetij verba lib.3. cap.9. *Tunc fracti labore & tædio, plurimi deserunt, aliquanti produnt, aliquanti se tradunt.*

Milites ad hostē transeuntes, plus nocent, quàm qui fugiunt.

Apud antiquos Murus dicebatur pedestris exercitus.] *Murus, qui muniendi causſa manu parabatur, & quo sepiebant oppidum:* Varro lib.4. De lingua Latina. Tractum autem id nomen,per metaphoram, ad exercitus instructionem, non vno loco. Ammianus lib. 16. *Steterunt vestigiis fixis, antepilanis, hastatisq;, & ordinum primis veluti insolubili muro fundatis.* Item Lucanus:

Murus vnde dictus.

Grauis armatura in acie pro muro.

——*Parthoq; sequenti*
Murus erit quodcunque potest obstare sagittæ.

Vegetius lib.2. cap.17. *excipiebat autem prælium grauis armatura, quæ tanquam murus (vt ita dicam) ferreus stabat.* Iterum lib.3. cap.14. *Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi.* Tractum etiam id vocabuli ab aliis auctoribus aliò. Horatius: ——*hic murus aheneus esto.* Cic. in Verrē: *Ad omnes enim eos impetus, quasi murus quidam, boni Imperatoris nomen opponitur.*

Nisi quòd pilatæ legiones.] Dictæ legiones pilatæ, vt alibi pilati milites,à pilis: sic cetrati apud Cæsarem, & alios, à cetris; Peltati à peltis; scutati à scutis; funditores à fundis; tragularij à tragulis: sagittarij à sagittis; cataphracti à cataphractis,&c. Neque ab armis & telis solùm, verùm etiam à legionibus (quæ ipsæ à numero nomen adeptæ) nomina milites sortiti sunt. hinc Primani, Secundani, Quintani, Decimani, Vndeuigesimani, Vigesimani, &c. frequentes apud Tacitũ, Suetoniũ,& alios Historicos. De quibus Crinitus lib.vndecimo De honesta disciplina,cap 10. Aliud quoque in legionibus denominandis placuit,cùm ex habitu vel ob varios euentus, aut insignem virtutem nomen iisdem inditum. Eo exemplo Alauda, quam Cæsar dictator in Gallia,ab aue Alauda (galeritam olim nominabant, à pluma eminente in capite) instituit. Huius legionis mentio est apud Cic. ad Atticum, & Plinium in Naturali historia. Item in veteri lapide: C. SALLIO. MATERN.

Pilatis militibus vnde nomē. Vnde Peltatis, cetratus, scutatis, sagittariis, &c.

Legionibus nomen à numero.

Legionibus nomen ex variis causis datum.

BVCINATORI. LEG. V. ALAVDÆ, &c. Ab euentu legio Fulminatrix vocari cœpit, M. Aurelij tempore, Diaconus lib. 10. Virtute sua aliæ nomen parasse videntur, legio Rapax: Fidelis: Pia: Adiutrix: I. Flauia pacis: II. Flauia virtutis: III. Flauia salutis, &c. De quibus passim in Historiis, lapidibus, & constitutionibus quoque Principum. Etiam à Diis cognominatæ videntur. Legionis quintæ Martiæ meminit Cic. in Philipp. & Trebellius in Claudio: Legionis primæ Mineruiæ Spartianus in Hadriano. Sed videamus potiùs legionum cognomina ex lapide veteri, qui Romæ in Capitolij area conspicitur.

Legiones nomen Deorum quoque habuerunt.

NOMINA. LEG.

II.	AVGVSTA.	II. ADIVTRIX.	IIII. SCYTHICA.
VI.	VICTRIX.	IIII. FLAVIA.	XVI. FLAVIA.
XX.	VICTRIX.	VII. CLAVDIA.	VI. FERRATENSIS.
VIII.	AVGVSTA.	I. ITALICA.	X. FRETENSIS.
XXII.	PRIMIGENIA.	V. MACEDONICA.	III. CYRENENSIS.
I.	MINERVIA.	XI. CLAVDIA.	II. TRAIANA.
XXX.	VLPIA.	XIII. GEMINA.	III. AVGVSTA.
I.	ADIVTRIX.	XII. FVLMINATRIX.	VII. GEMINA.
X.	GEMINA.	XV. APOLLINEA.	II. ITALICA.
XIIII.	GEMINA.	III. GALLICANA.	XIII. PARTHICA.
I.	PARTHICA.	II. PARTHICA.	

Pilani, triarij dicti.

Ad pilanos vt tandem sermo redeat, vnde cœperamus; memini etiam solis triariis id nomen peculiare fuisse: Ouid. 3. Fastorum:

——— hastatos instituítque decem
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat.

Disertè & manifestiùs Varro: *Pilani Triarij quoque dicti*, lib. 4. De lingua Latina. Et inde Principes, simulque hastati omnes vno sæpe nomine antepilani vocati, quòd ante triarios essent. etsi illorum ordo non semper idem fuerit, vt mox audies. Liuius lib. 8. *Rorarij percurrebant inter antepilanos, addebantq; vires hastatis, atque principibus.*

Antepilani qui.

Hastatis, & principibus diuersis temporibus, diuersus locus in acie.

In prima acie pugnantes principes.] Vegetius, & hîc, & lib. 2. cap. 2. octauo, & cap. decimoquinto; rursum lib. 3. cap. 12. & cap. 13. Principes in prima acie constituit, hastatos in secunda: quod aliter libera republica obseruatum:

quod

quod ex Ouidij loco, quem præmisimus, & Appiano de bellis Punicis constat. sed vt clarum fiat lectori, Liuiũ adhibeo: *Romani*, inquit, *mediam aciem, Latini cornua tenuerunt. hastatorum prima signa, deinde principum erant, Triarij postremos claudebant.* lib. 47. Itidem apud eundem scriptorem ordines hi conlocati lib. 8. & eodem modo apud Polybium in castrametatione; quem vide. Neq. ego hîc primus controuersiam moueo. Nam olim inter scriptores non satis hac de re conuenisse ostendit Donatus in Eunuchum Terentij: *Post principia*, inquit, *militare dictum est, & ambigunt an in extremo agmine hic locus sit, an in medio.* In causſa est res militaris commutata, sub Principibus Romanis. Neque solâ hac parte, ea variauit. sed nos Vegetium sequimur, quem interpretandum suscepimus. Scio pluribus locis, in armatura militum præsertim, dissentire huius præcepta à Liuianis, & aliorum Historiis. sed illa omnia ita exactè persequi, non est mei instituti, neque huius loci.

Triarij locus postremus attributus.

Post principia.

Sed triarij genibus positis solent intra scuta subsidere.] Aliis libris, *inter scuta subsistere*, probabatur. absit, vt hoc homini sano persuadeãt. scutorũ longitudo pedũ quatuor, latitudo curuæ superficiei pedũ duorũ semis, scriptore Polybio tradita est. intra hæc scuta quàm commodum fuerit militi, genibus positis, aut altero tantum flexo subsidere; & inde cõsurgendi, ineundæq. pugnæ signũ expectare, nemini dubiũ est. Vide quæ dicturi sumus hac de re, lib. 2. cap. 16.

Scutorum longitudo, latitudo.

A quibus constat sæpe factam esse victoriam.] Libri optimi præpositionem non admittebant. de re ipsa Liuius lib. 8. *Vbi Triarij*, inquit, *consurrexerant integri, refulgentibus armis, noua ex improuiso exorta acies, receptis in interualla ordinum antepilanis, clamore sublato, principia Latinorum perturbant.*

Triarij consurgentes ad pugnã, antepilanos omnes antra suos ordines recipiebant.

Erant autem apud veteres, inter pedites, qui dicebantur leuis armaturæ.] In exemplaribus scriptis, legas, *erant tamen.* Quos autem ferentarios, funditores, hîc appellat Vegetius, eosdem rorarios alij vocârunt. Varro lib. 3. De vita populi Romani: *Rorarij appellati, quòd imbribus, ferè primum rorare incipiat.* Iterum idem lib. sexto De lingua Latina: *Rorarij dicti à rore, qui bellum committebant antè, ideo, quòd antè rorat, quàm pluit.* Festus: *Rorarios milites vocabant, qui leni armatura primi prælium committebant, quòd vt ante imbrem ferè rorare solet, sic illi ante grauem armaturam, quòd prodibant, rorarij dicti.* Inter hos Vegetius

Rorarij qui. Quomodo pugnarent.

Leuis armatura tota quomodo pugnaret.

getius alibi recenſet, *ferentarios, armaturas, exculcatores, ſagittarios, funditores, & tragularios*: qui ante aciem procedentes aduerſarios prouocabant; quos, ſi fugare poterant, ſequebantur; ſi eorum virtute reprimebantur, recipiebant ſe ad ſuos, id eſt poſt principes, & haſtatos. vide Vegetium lib. 2. cap. 15. & 17.

Principia, pro principibus. Principia, pro ordine principum.

Inter principia legionum recipi ſolebant.] Principia interdum ipſos principes, ſeu principales milites ſignificabant, vt alibi probabo: interdum ipſum ordinem principalium, vt hîc apud Vegetium noſtrũ, apud Liuiũ, Tacitum, & Salluſtium, innumeris locis: & ita Terentianus ille:

—— hic ego ero poſt principia, inde omnibus ſignum dabo.

Principia locus in caſtris.

Principia etiam dicebantur in caſtris vbi ius reddebatur. Probus in Eumene, l. officium ff. de re militari; l. prima C. de veteranis. Florus lib. 3. cap. 3. Tacitus primo Hiſtoriarum: Liuius, *Fugatis*, inquit, *ex principiis ac paulò poſt è caſtris tribunis*. lib. 38. Iterum ibidem, *& iura reddere in principiis ſinebant.*

Galea pellibus induta.

Omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant.] Ex pellibus hi pilei, & æquè omnibus gregariis vſui; vt ex auctore noſtro hîc diſcere licet: eo fine, quò ne grauis galea videretur his, qui iſtiuſmodi pileos in capite geſtare conſueti eſſent. Illud etiam Romanæ militiæ fuit, vt milites galea ſimplici vterentur, cui lupi pellẽ aut aliud huiuſmodi imponerent, quod integumentum pariter inſigneque eſſet, vt in prælio ignauiter, aut ſtrenuè ſe gerẽtes faciliùs agnoſcerentur, teſte Polybio. Ad ſolos ſigniferos hoc trahit Vegetius libro ſecundo, cap. 16. vbi hac de re etiam dicturus ſum. Alij aliis rebus in galeâ vſi, vel ad horrorem, vel ad ornatum. De quibus multa apud Alexandrũ ab Alexandro, lib. 1. Genialium, cap. vigeſimo. Etiam pinnæ adhibitæ; quod alibi doceo. Etiam hiantium animalium formæ ſuperpoſitæ galeis. Virgil. 7. Æn. extremo:

Alia quoque galeis adhibita horroris cauſſa.

Vt animaliã hiantia.

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſuprà eſt.
Cui triplici crinita iuba, galea alta Chimæram
Suſtinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.

Plumæ in galeis.

In quem Virgilij locũ videdus Adrianus Turnebus lib. 28. Aduerſ. cap. 16. Plutarchus in Mario galeas equitum Cimbrorum, & plumis, & horrendis hiantium animalium formis inſignes deſcribit. E re militari haud dubiè mos, quo etiamnum

etiamnum hodie insignia familiarũ exornata atq. distincta videmus, cùm galeis insidẽt leones, lupi, cerui, canes, aquilæ, vultures, dracones, & aliarum bestiarum siue capita, siue cornua, siue pedes, quæ (quasi minùs Christiana sint) improbasse scio virũ multæ lectionis, & magni iudicij Ioannem Ludouicum Viuem in suis Symbolis. Originem moris tam antiqui (cognitus enim antè, quàm sciretur, qui Christiani essent) ipse me nunc primùm inuenisse. Ab Ægyptiis enim descendisse obseruaui, apud Diodorum Siculum, lib. 2; vbi ille Reges eorum, caput leonis, tauri, aut draconis principatus insigne, capite gestasse scribit. Ab Ægyptiis porrò mutuatos hoc Græcos, & ab his Romanos, vt multa alia quæ ad disciplinam militarem pertinebant, magnam mihi verisimilitudinẽ habere videtur. Præsertim quòd Lacedæmoniis galeæ inuentionem videam tribui à Plinio, lib. 7. cap. 56. Reliquum est, vt de cristarum in galeis prima inuentione dicatur. Primi Cares galeis cristas illigasse, itemque in scutis simulacra finxisse, iisdemque lora adiunxisse scribit Herodotus lib. primo. Ocreas, & cristas quoque Cares inuenisse Plinius testatur lib. 7. cap. 56.

Insignia familiarum etiam galeæ ornatus hodie distinguit. A disciplina militari ille ritus.

Mos ornandi galeas deriuatus ab Aegyptiis.

Romani multa a Græcis, in disciplina belli sumserunt; illi ab Aegyptiis. Lacedæmonij galeam inuenerunt. Cares galeæ cristas primi adhibuerunt. Item simulacra in scutis.

Pila vocabantur.] Liuio libro nono: *Pilum haud paulò quàm hasta vehementius ictu, missuq; telum.* Appianus De bellis Gallicis, pilum describit telũ iaculo dissimile, videlicet hastile quadrangulum, præfixo ferro quadrangulo, paris longitudinis, cætera molli, præter cuspidem. Cuius definitio conuenire potiùs videtur veruto: cui Polybius trium cubitorum longitudinem tribuit. Vegetius ferrum pili nouem vnciarum tantùm, siue pedale, ac trigonum fuisse docet. ipsum hastile quantum fuerit, non indicat quidem hoc loco, sed tradit lib. 2. cap. 15. & disci ex Polybio potest. is in suo fragmento lib. 6. De castrametatione: *Pili, inquit, telum lignum habet longitudine plerumque bicubitale, crassitudine digitali, spiculum vnius spithamæ, palmi inquam maioris, eò vsque attenuatum, & acutum, vt mox primum post iactum necessariò flectatur, sitq; inhabile ad remittendum. alioqui commune fieret telum.*

Pili elegans descriptio.

Quæ in scuto fixa non possent abscindi.] Leguntur hæc aliter in M. S. N. H. & tribus Susij scriptis codicibus; hoc modo: *quod in scutum fixum non posset abscindi; & loricam scienter, ac fortiter directam facilè perrumpit.* quæ lectio conuenit ipsi ferro quod pilo præfixum est, non hastili, aut toti pilo.

Quas

Bebræ ignota tela.

Quas Bebras vocāt.] In lib. N. *bebyas*, in H. *brebras*, in Suſ. *brebas*, appellari video. Neq. ſcio quid ſequendū; nam id teli genus, ſi fatear me ignorare, nō puto mihi vitio verſum iri.

Minora ſpicula dextro pede in antè poſito eiiciebantur: maiora, præpoſito ſiniſtro. Pila eadem quæ ſpicula.

Ita enim vibrandis ſpiculis vehementior ictus eſt.] Spicula hæc maiora procul dubio, quàm pila. hæc dextro pede in antè collocato, illa præpoſito ſiniſtro ad maiorem impetum eiicienda præcipit. Mireris tamen & meritò, quæ pila hîc vocet Vegetius, ſuo æuo peculiari nomine ſpicula dicta; lib. 2. cap. 15.

Superlatiuus, pro comparatiuo. Priſcianus ad confirmationem ſuæ opinionis Vegetij teſtimonium prædixit.

Vt & latera eorum ſubducantur ab hoſtibus.] Codex M. & N. *Vt latera eorum*. Ceterùm Priſcianus Grammaticus, monſtraturus ſuperlatiuum, pro comparatiuo à bonis ſcriptoribus prolatum, poſt iuriſconſultorum teſtimonia, etiam auctoris noſtri hunc laudat locum libro 3. ad hunc modum: *Vegetius Renatus rei militaris libro primo: Sed latera eorum ſubducantur ab hoſtibus, ne poſſint vulnus accipere, & proximior dextra ſit, quæ poſſit plagam inferre.*

Inſtruendos, ac protegendos omni arte pugnandi; quocunque genere armorum.] Membranæ Suſij malebant, *quocunque armorum antiquorum genere*. quò etiam accedere video M. & H. in quibus reperiebam *inſtruendos ac protegendos omni antiquorum genere*. etſi minimè illis credam, tam concisè illa ab auctore noſtro ſcripta fuiſſe. nam magni apud me aliorum librorum conſenſus, tum ipſa ratio, quæ ad *inſtruendi* verbum, *pugnandi artem*, ad *protegendum antiqua arma* & veterum armaturam referenda indicat. Vegetius hoc eodem cap. *Sed illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non poſſunt, &c.*

AD CAPVT XXI.

Vegetius de cōiectura leuiter correctus.

Non ſolum autē confidentes ſine caſtris iſta patiuntur.] Admiratus ſum pertinacem librorum omnium conſenſum in verbum *confidentes*. magnum tamen pignus dederim *conſidentes* à Vegetio fuiſſe ſcriptum. Frequens locutio iſta Hiſtoriographis, & in promptu apud eundē hunc ſcriptorem, lib. 3. cap. 8. *Incautum eſt*, inquit, *plenumq; diſcriminis, exercitum paſſim ſine aliqua munitione conſidere.*

Rectum correctius.

Et more animalium multi cadunt.] Magis quadrabit ſententiæ Vegetij, quod & hoc loco de coniectura reponimus, *inulti*. Liuius de L. Succio, qui Decem-virorū fraude, à mili-

à militibus in itinere occisus fuit: *haud inultum interfecêre. nam circa repugnantem aliquot insidiatores cecidêre: cùm ipse se prævalidus, pari viribus animo, circumuentus, tutaretur.* Florus: *ne inulti perirent, sanguine Senatus sibi parentabant*, lib. 3. cap. 22. Itidem & ipse Poëta 2. Æn.

—— *Nunquam omnes hodie moriemur inulti.*

AD CAPVT XXII.

ETSI diutius commorandum sit.] Castra quidam triplicia faciunt: Temporanea, id est momentis mutabilia: aut stataria, quibus hostem, dum se in munito loco continuerit, occupare instituas: aut sustentoria, quibus vrgentem, & lacessentem hostem sustineas. de quibus multa lib. 5. cap. decimo & sequenti, Leo Baptista. *Castra triplicia faciunt.*

Loci salubritas elegatur.] Quæ fuerit ratio antiquorum in exploranda loci salubritate antè, quàm statiua constituerent, doceo ad caput secundum libri tertij. *Loci salubritas qui exploretur.*

Cauendum etiam, ne mons sit vicinus altior.] In S. & N. *ne mons vicinus sit, aut altior.* in membranis Susij, *vicinior, aut altior*; quod amplector. Eam lectionem atque interpunctionem non improbabit scio, qui verba Vegetij adhibuerit ex cap. 8. libri tertij; vbi inquit: *In metandis castris non sufficit locum bonum legere, nisi talis sit, vt alter eo non possit melior inueniri: ne vtilior prætermissus à nobis, & ab aduersariis occupatus adportet incommodum.* Idē dicto lib. cap. 13. *Primum auxilium captes ex loco, qui tanto vtilior indicatur, quanto superior fuerit occupatus.* De tumulo à Samnitibus neglecto, & à P. Decio, tribuno Romanorum militum, occupato, memorabile stratagema est apud Liuium lib. 7. & apud Frontinum; quem vide lib. 1. Strateg. cap. 5. num. 14. & lib. 4. cap. 5. numero nono. *Iterum emendatus Vegetius.* *Altissimus locus castris ponendis tutissimus.*

AD CAPVT XXIII.

INTERDVM autem quadrata, interdum trigona, interdum semirotunda.] Triplicem formam munierdorum castrorum proposita vides. semirotundam illam oblongam appellat lib. 3. cap. 8. vbi & alterum formæ genus, rotundum, quarto loco recensēt. Figura quæque vt perfectior, ita capacior creditur. ob id circulari opus est, si exiguas copias tuas videri velis: quadrata, si magnas: triangulari, *Triplex castrorum forma.* *Quarto loco rotunda accedit.* *Pro ostentatione copiarum forma castrorum accommodanda.*

gulari, si maiores. Pulchriora iudicat Vegetius illa castra, quibus vltra latitudinis spacium tertia pars longitudinis additur. De quadrata videndus Polybius. Semirotunda, seu oblonga castra Galbæ fuerunt, quorum figuram ex ex Gabrielis Simeonij Florentini Obseruationibus antiquis mutuati sumus.

Castrametatio Galbæ.



Prout loci qualitas, aut necessitas postulauerit.] In mem-

membranis quibusdam *loci quantitas*, sed amplioris significationis alterum vocabulum. Necessitas autem, quæ mouere nonnũquam castra, etiã formã mutare coëgit; aut omnino, aut pro parte; videlicet cùm accedentibus auxiliis pluribus, forum, & quæstoriũ, quibus diuersa loca in castris ordinariè seruata, in vnum contrahebantur, repletis etiam iis spaciis, quæ circa prætorium vacua esse solent, teste Polybio. Ceterùm origo rei tam necessariæ, tamque salutaris, id est muniendorum castrorum, paucis vt arbitror cognita. Primus sub eodem vallo totum exercitum continere instituit Rex Epirotarum Pyrrhus. quo victo, castris eius potiti Romani: qui notatâ ordinatione ad hanc vsque metationem paulatim peruenerunt; teste Frontino lib. 4. cap. primo.

Necessitas castrorum formam sæpe mutauit.

Forum, & quæstorio loca, in castris diuersa fuisse.

Castra munire quis primus excogitauit.

Papiliones tendunt.] Quid Papiliones essent, iam antè docuimus. nomen illud & Gallis hodie notum, quibus dicuntur *pauillons*: Hispani *Pauellones* vocant. Deputantur in castris loca tendendis papilionibus, sed pro gradu dignitatis legionum, & auxiliorum: equitũ, & peditum, lib. 3. cap. 8.

Dracones, & signa constituunt.] Draconis signum à morte Pithonis serpentis initium sumpsisse, autumant: Alexander ab Alexandro omnes milites, qui hoc signum sequerentur, Draconarios appellatos fuisse adfirmabat. Sed aliud nos docet Vegetius lib. 2. cap. 7. De hoc apud Ammianum locus est, qui horum signorum tanquam viuam imaginem ob oculos ponit. Is in descriptione pompæ, qua Romam ingressus est Constantius, de signis militaribus loquens: *Alios*, inquit, *purpureis subtegminibus texti circumdedere Dracones, hastarum aureis gemmatisq; summitatibus illigati. Hi aëra vasto perflatiles, & ideò velut ira perciti sibilantes, caudarumq; volumina relinquentes in ventum.* lib. 16. Idem lib. eodem: *quo agnito per purpureum signum Draconis, summitati hastæ longioris aptatum.*

Draconis origo in signis.

Draconarij qui.

Draconis descriptio.

Draconis signũ purpureum.

Et signa constituunt.] Omnium primò signa suis locis in castra ponuntur, quia nihil venerabilius est eorum maiestate militibus: Vegetius dicto cap. 8. Cœlius lib. 3. Annalium: *Omnes simul terram cum classi accedunt: nauibus atque scaphis egrediuntur, castrametati signa cõstituunt.* vide Nonium Marcell. in *Metari*. Nunc vt intelligatur qui modus fuerit signorum constituendorum, sciendum est tam aquilam, quam signa alia hastis fuisse imposita. Vix risum tenui, vbi minotauri,

Castris postis primo loco signa figuntur.

Signorum quæ fuerit figura: Lupus

Figebantur in terram.

lupi, aliaque signa (ab ipso Mario olim abolita) in vexillis depicta vidi, ita edita à viro magno, quem non nomino. Hastæ illæ inferiori parte acutæ erant, ita vt in terram facilè figerentur. Quæ res vt manifestior sit inspicientibus, nummos aliquot exprimendos duxi, in quibus semper ea forma.

Signa legionum ex nummis M. Antonij.







Reliquarum legionum ad triginta vsque si videre signa quis volet, adeat Huberti Goltzij Cæsarem in nummis M. Antonij. vbi is homo, maioréne felicitate corraserit, an ad viuum ea expresserit, diiudicare vix possis. Signa verò ita

ita fixa, cùm castra mouenda erant, quandoq. à signiferis conuelli non potuerunt, aut admodum ægrè. quæ res pessimi ominis semper habita: vt exempla apud Liuium, Florum, Suetonium, Orosium, & alios infinita declarauerunt.

Decumana autem porta, quæ appellatur, post prætoriam est.] In solis membranis H. sincera & integra scriptura exstat, *post prætorium*. Inde discimus non modò quis portæ prætoriæ locus fuerit, verùm quasi per satyram, vbi ipsum prætorium in castris. Ora prædicti manuscripti codicis de Decumanis fluctibus, & ouis decumanis quasi maximis, locum Festi adscriptum habet; sed nesciebant illi homines Festũ. aiunt enim, *Paulus inquit, decumani*, &c. adeò eo sæculo Paulus Diaconus compilator, seu expilator potiùs Pompeij Festi in scholis celebrabatur. De porta decumana Liuius lib. 10: *Ab tergo castrorum Decumana porta impetus factus*. Tacitus primo Annalium: *Vt cuncti ruerent ad portas, quarum Decumana maximè petebatur, auersa hosti, & fugientibus tutior*. Nomen huic portæ à limitatione agrorum, ni fallor: Decumanus enim limes, Plinio, Festo, & ipsi Frontino De limitibus; qui agrũ secat ab ortu Solis ad occasum. De ordine harum portarum, de situ, & numero earundem, egerunt Turnebus lib. 30. Aduersariorum; & Alexander ab Alexandro, libro primo Genialium, cap. 12. Sed nõ potuerunt pertingere illi viri, quò Iustus Lipsius vir doctissimus, mihiq́ue amicissimus. Is ad primum Annalium Taciti, quatuor numero portas constituit: Prætoriam, & Decumanam, ex Diametro illi semper oppositã: Principalem dextram, & Principalem sinistram. Cui adstipulari gaudeo ipsum quoque Imperatorem Leonem (quanquam nouum ille scrupulum iniiciat) libro De bellico apparatu cap. vndecimo, numero 15. *Ambitus*, inquit, *fossati, siue castrorum, quatuor portas maiores, & publicas habeat, portulas autem paruas præterea complures. iuxta vnamquamque portam id est egressum, præfectus aliquis castra ponat ad eius custodiam*.

Prætorij locus in castris.

Portæ Decumanæ locus.

Vnde ea dicta.

Quatuor in castris portæ. Prætoria. Decumana. Principalis dextra. Principalis sinistra.

Leo præterea paruas portulas agnoscit complures.

Per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.] Ea vtique porta educebantur, Decumana scilicet, in quos capitaliter animadvertendum erat. Hirtius de bello Africano: *Extra vallum deducti sunt, & crucialiliter interfecti*. Festus: *Vallescit, perierit, à vallo militari, quod fit circa castra. quòd qui eo eiiciuntur, pro perditis habentur*. Seneca libro primo De

Sontes porta Decumana ad supplicium educti.

ira, cap. 16. *Damnatus extra vallum deductus est, & iam cervicem porrigebat, cùm subitò apparuit ille commilito.* Nunc à quo damnati, à quo ad pœnam deputati milites fuerint, ex Vegetio discendum est lib. 2. cap. 9. *Si miles*, ait, *crimen aliquod admisisset, auctoritate præfecti legionis à tribuno deputabatur ad pœnam.* An igitur ipse tribunus capitalem pœnam infligebat? audies. Si fustuaria pœna exercenda erat, ipse quidem militem prior leuiter attingebat, quod alibi doceo: in grauiori supplicio tantùm præpositus erat, vt & centurio. Didici ex Seneca qui prædicto cap. 16. statim subdit: *Tunc centurio supplicio præpositus condere gladium speculatorem iubet.* Erant quippe hi speculatores suppliciis sumendis destinati, vt iam audisti: & probat Tacitus primo Historiarum, nominatim in cæde Pisonis. Quidam, Spiculatores non rectè nominarunt: vt Abdias libro quarto, in supplicio Iacobi & Iosiæ. item alij. Ceterùm Speculatores appellandi sunt: vt apud Iulium Firmicum lib. 8. ca. 26. & in l. diuus, ff. de bonis damnatorum. In Euangelio ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκλάτορα. Accidit nihilo minus quandoq. vt ipsi tribuni supplicium sumerent: cuius opinionis testem do Cornelium Tacitum, apud quem decimoquinto Annalium Flauio caput amputatur à Vesanio Nigro tribuno. & libro eodem, manu Statij adæquè tribuni militaris Lateranus trucidatur. Suspicor autem id ipsum tunc ita obseruatum, cùm, qui puniendus erat, aliqua dignitate reliquis antestaret. Certè Lateranum illum consulem designatum fuisse obseruabam: ipsum Flauium etiam militum tribunum. Si leuiori pœna coërcendus erat miles gregarius, poterat etiã à principalibus, seu principiis castigari; non à solo tribuno aut centurione. Macer: *Inrepens miles non tantùm à tribuno, vel centurione, sed etiam à principali coërcendus*; l. milites, ff. de re militari. Quin & ipsis militum gladiis concisos sæpe milites ex historiis discimus. Tacitus: *Stabant pro concione legiones districtis gladiis, reus in suggestu per Tribunum ostendebatur; si nocentem acclamauerant, præceps datus trucidatur, & gaudebat cædibus miles, tanquam semet absoluerent:* lib. primo Annal. Ælius Lampridius in Commodo Antonino: *Hostis appellatus, lacerandusq; militibus est deductus.* Imò & priscum hunc morem fuisse testatur Ammianus; dum lib. 29. ita scribit: *Quid de istis nefariis proditoribus fieri oportere contubernales deuoti censetis? Senatusq; adclamationem rogantium, sanguine*

Auctoritate præfecti castrorum damnabantur.

A tribuno deputabantur ad pœnam.

Tribunus fustuarium infligebat:

Alias præpositus tantùm, vt & centurio.

Speculatores suppliciis sumẽdis deputati.

Speculatores, non Spiculatores hi vocandi.

Ipsi Tribuni quandoque animaduerterunt.

Quando id videatur obseruatum.

Etiam principes leuiores pœnas inferebant.

Legionarij ipsi animaduertebant: Gladiis suis fontes concidebant.

Priscus etiam ille mos.

sanguine vindicari; eos qui inter Constantianos merebant, prisco more militibus dedit occidendos. Ipsis quoque auxiliaribus duos tribunos lapidandos datos legimus, quòd stellaturas accepissent, Spartiano teste in Pescennio. Etiam in nostra militia similis mos etiamnum hodie in vsu est, vt declarabo infrà, de pœnis militum. Sed de castigationibus militum ista satis sint. Vnus supereſt ritus, quem tacitè non possum præterire. Antequam capitaliter animaduerteretur, classicum cecinit. quod Vegetius testatur lib. 2. cap. 22. Idemque ab vrbano etiàm Magistratu vsurpatum: Varro 4. De ling. Latina mihi testis est, & Tacitus 2. Annal. *In P. Martium consules extra portam Exquilinam cum classicum canere iussissent, more prisco aduertêre.* Adnotatione dignum, quod ex Æmylio Partheniano in vita Auidij Cassij retulit Vulcatius: ab eo videlicet milites in foro virgis cæsos, & in mediis castris securi percussos. quod præter disciplinam maiorum ab eo factum, prædictis satis clarum est.

Auxiliares quosque puniebant.

Stellaturarum acceptarum pœna.

Ante animaduersionem classicum cecinit in castris.

Etiam in Vrbe idem mos.

Securi percussi in mediis castris.

AD CAPVT XXIV.

CESPITES circumciduntur.] Horum vsus in aggeribus extruendis, tãquam in muro lapidum. Cetera certa eisdem erat mensura Vegetius cespitem vult altum semissem, pedem latum, longum pedem semis, lib. 3. cap. 8.

Cespitis in castris munendis mensura.

Ita vt ante sit fossa.] Veram lectionem esse pronuntiaui, *in ante sit fossa*, eamque Vegetio hîc restituunt libri ad vnum omnes, quos videre mihi contigit. Neq. solùm hoc capite ita locutus: nam suprà cap. 20. *sinistros pedes in ante habere: in ante habere dextros* dixit. item alibi non vno loco. Perfamiliaris autem bonis auctoribus hæc præpositionum geminatio, qui hac forma dixerunt: *in super, in ante, in palam, in coram, in vsque, ex ante, ex vsque, ad ex, ab vltra, ab ante, ab vsque, in circum*, pro circumquaque. De quibus loquendi modis annotârunt Ræuardus lib. 3. Variorum cap. 3. Iacobus Cuiacius lib. 3. Obseruationum cap. 22. & Ianus Guilielmius in suis Verosimilibus.

Correctus Vegetius.

Præpositiones geminatæ à Veteribus.

Tunc legitima fossa.] Confirmatur ea lectio omnibus libris excepto vno Colonienſi olim edito, in quo illi boni viri expresserant; *latissima*. sed nugas illi tum agebant, & quidem seriò. Fossam legitimam tumultuariæ opponit: itidem alibi opera legitima & tumultuaria. Ipsique adeò

Legitima fossa tumultuariæ opposita.

milites à Vegetio discriminantur legitimi, à ceteris.

Et alta sub linea, sicut appellant.] Libri S.N. legebant, *alta sublimitas*: alter ex Susianis, *alta sublimius*. Nesciuerunt operæ typographicæ, aut ipsi potiùs librarij, architectonicam. quod condonaremus facilè, modò ne supra crepidam sutores, id est suo iudicio auctorem nostrũ interpolassent.

Longitudo rei exacta ad lineã: Altitudo ad perpendiculum: Anguli ad normam. Quid linea.

Vitruuius, *longitudines ad regulam, ad lineam; altitudines ad perpendiculum; anguli ad normam respondentes exigantur:* lib. 7. De architect. cap. 3. Lineam hanc Græci τελμὴν vocârunt. Adeundus Gellius lib. vltimo cap. vlt., Plinius lib. 7. cap. 20. Adrianus Turnebus in Aduersariis: & diligentissimus Vitruuij interpres Guilielmus Philander, dicto cap. 3.

Fit vt sit alta tredecim pedes.] Quibusdam mss. sextus casus hîc placet, leguntque *pedibus*. rursum alij paulò antè, tribus locis malunt genitiuum: *alta pedum septem: duodecim pedum lata sit: pedum nouem.* Vt vt hæc se habeant, certum est

Impar semper numerus in fodienda fossa.

imparem numerum in fossa percutienda obseruatum; testante ipso Vegetio lib. 3. cap. 8. Quæ regula si in castris olim seruata semper fuit, fatendum erit aliquot locis mendosos Cæsaris Commentarios, & libros iis adiunctos. Ma-

Impar numerus magis faustus:

gis faustus impar numerus habebatur. Apuleius de Asino aureo, lib. vndecimo. *Méque protinus purificandi studio, marino lauacro trado: septies submerso fluctibus capite, quod eum numerum praci-*

Idem aptissimus religioni.

puè religioni aptissimum diuinus ille Pythagoras prodidit: Vergil.

Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore
Licia circumdo: terq; hæc altaria circum
Effigiem duco. numero deus Impare gaudet.

De numero hoc etiam Aristoteles scribit libro De cœlo. & tradimus nos quædam ad libri tertij caput octauum. Eadem de caussa annum ætatis septimum decimum militiæ initiũ dedisse suspicor, & Cæsarẽ positis castris viginti tria castella propè extruxisse, de quibus nos suo loco. Itidẽ annus XLIX. eandem fortè ob caussam militiæ finem dedit.

Munifices valde grauati aggerãdis ligniis.

De lignis fortissimis, quas milites portare cõsueuerunt.] Munifices milites in tantum grauati fuêre portandis oneribus, & adgestione lignorum, vt nonnunquam in seditionibus, ea de re nominatim questi sint. exemplum apud Tacitum non leue: *Nudant vniuersi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant. mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendij, duritiam operum, ac propriis nominibus incusant*

incusant vallum, fossas : pabuli, materiæ lignorum adgestus : & si qua alia ex necessitate, aut aduersus otium castrorum quæruntur. primo Annal.

Ad quod opus ligones, rastra.] Etsi nullis planè libris auctoritas mihi hoc loco detur, audeo nihilominus pro rastris, substituere *rutra*. horum in castris vsus fuit, illorum (meo quidem iudicio) nullus. Miror homines rastris agricolæ manibus extortis, & perlatis in castra, vxorem illius ad ducendum exercitum, eadem opera non adduxisse. Vide simile mendum à me sublatum, lib. 2. cap. vlt. *Magnum mendum de coniectura sublatum.*

Qualos, aliaque vtensilium genera.] Vnæ membranæ Susij auctiùs *qualos, tribulationes, aliaq; vtensil. ge.* Pro eo licebit in textū recipere *tribulos*, modò vt sententia patiatur. Vegetius: *Aggerem faciunt, supra quem valli, hoc est sudes, vel tribuli lignei, per ordinem digeruntur*, lib. 3. cap. 8.

AD CAPVT XXV.

OMNES equites, & media pars peditum.] Qui in acie stare, qui post eos fossis ductis castra munire consueuerint, dico lib. 3. cap. 8.; quanquam varient, & discrepent in eo opere instituto Historiæ. Hirtius partem aciei dum opera fierent, sub hoste instructam stetisse narrat, lib. De bello Africano. Aliter Cæsar: *Prima*, inquit, *& secunda acies in armis, vt ab initio constituta erat, permanebat : post hos opus in occulto acies tertia faciebat. sic omne prius est perfectum, quàm intelligeretur ab Afranio castra muniri* : primo bellorū ciuilium. Iterum: *Cæsar receptui suorum timens, crates ad extremum tumulum contra hostem proferri, & aduersas locari, intra has mediocri latitudine fossas lectis militibus obduci iussit*: libro tertio De bello ciuili. De velis, aliisque rebus, quibus milites opera facientes tegi solent, alibi nobis sermo erit. *Dum opera fierent, qui fecerint in procinctu.*

Quæ secūda, quæ tertia, dōnec opus omne compleuerit.] Addunt membranæ Susij *quæ quarta*. Particulam *donec* M.C.S.N.H. non agnoscebant. quos si sequamur, non video quę sit futura horum verborum sententia. exemplar H. *compleuerint*. Ego tamen de lectione edita nihil muto. Nam *compleuerit*, mihi valet *completum erit*; genere loquendi cognito omnibus iis, qui humaniores litteras primis labris attigerunt. *Verba actiua sæpe passiuam significationem habebant.*

AD CAPVT XXVI.

ORDINES indefinenter ſeruent.] Vox *indefinenter* nulla eſt in libris M.S.N.H & Suſianis. eamque inutilem eſſe clamat quod præmittitur *aſſiduo exercitio*. Erat autem Romanæ militiæ vetus inſtitutum, ne miles, ſine comeatu, ab ſignis abiret; néue præſidio decederet, néue locum in acie relinqueret; ſed ordines diligentiſſimè, continuateque ſeruaret. Ordinum enim nõ ſeruatorum pœnam capitalem fuiſſe, declarat Liuius lib. 2, & Diodorus Siculus lib. 12. Liuij quoque Epitoma lib. 58. teſtis eſt Scipionem ad Numantiam diſciplinam militarem corrigentem, quem militem extra ordinem reprehendiſſet, ſi Romanus erat, vitibus; ſi extraneus, fuſtibus cecidiſſe. Item Liuius lib. 5. *Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit.* Cicero tertia in Antonium: *Si conſul ille, fuſtuarium meruerunt legiones, quæ conſulem reliquerunt.* Cædebantur autem fuſte, Polybio auctore, hoc modo: *Accepto fuſte tribunus vix tantùm attingebat damnatum. quod vbi factum erat, omnes qui in caſtris erant cædentes fuſtibus lapidibuſq́, pleroſque in ipſis caſtris conficiebant. ac ſi qui euaſiſſent, nec ſic quidem ſeruari poterant: quippe, quibus neque in patriam redire liceret, neque à propinquis domum recipi poſſent.* Hactenus Polybius. Sed vnde, inquies, genus hoc caſtigationis? Tarquinium Superbum primum apud Romanos introduxiſſe ſcribit Eutropius lib. 2. & illi adſtipulatur Suidas in voce Σάπεδον. Sed nos ad ordines redeamus. Neceſſitas illa ſeruandorum ordinum magnum quandoque incommodum Romanis attulit: vt ex Cæſaris Cõmentariis liquet. is lib. primo Bellorum ciuilium, de militibus Afranianis loquens, *Genus*, inquit, *erat pugnæ militum illorum, vt magno impetu primò procurrerent, audacter locum caperent, ordines ſuos non magnopere ſeruarent; rari, diſperſiq́, pugnarent. ſi premerentur, pedem referre, & loco excedere non turpe exiſtimarent.* Ibidem paulò poſt: *Hæc tamen ratio noſtros perturbat inſuetos huius generis pugnæ: circumiri enim ſeſe ab aperto latere, procurrentibus ſingulis arbitrabantur: ipſi autem ſuos ordines ſeruare, neque ab ſignis diſcedere, neque ſine graui cauſſa eum locum, quem ceperant, dimitti cenſuerant oportere. itaque perturbatis anteſignanis, legio, quæ in eo cornu conſtiterat, locum non tenuit.*

Sine comeatu ab ſignis diſcedere non licuit.

Ordines non ſeruare in acie, capitale.

Romanus vitè punitus: Miles extraneus fuſte.

Fuſte quomodo cæſi.

Illud genus puniendi Tarquinius Superbus introduxit.

Neceſſitas ordinum ſeruandorum quandoque damnoſa Romanis.

Nec vltra, quàm expedit, aut conglobẽt agmen.] In editione

editione Parisiensi, *nec vltra magis, quàm expedit.* liber M. & duo Susiani codices, *nec contrà quàm expedit.* liber S. *Nec tibi contrà quàm expedit.* Inde genuinam lectionem facile fuisset odorari: *necubi contra, quàm expedit, aut conglobent agmen aut laxent*; nisi eam disertè prodidissent H. N. libri mss. Multum sanè ad rem ipsam momenti habet particula *necubi*: neque minùs ad mentem Vegetij indicandam; qui voluit agmen continuum esse, nullo planè loco interlucere, vel interpolatum esse; sinus aut curuaturas nullas habere. cui rei ne verbum vllum feciſſem, nisi animaduertissem valdè facere emendationem hanc, ad confirmandum locum similem, quem lib. 3. cap. 20. initio restitui. *Vegetius emendatus.*

Et secundum matriculæ ordinem.] A matrice deductum diminutiuum Matricula, id est catalogus, seu index militum. pro *Matricula* Latinissimi dixerunt ferè *Album*. posteriores pro eodem *Pittacium* posuerunt. quod reperias in Codice Iustiniani non vno in loco. Glossarium vetus πιττάκιον, *pittacium, brenis*. Græci etiam *leucoma* vocarunt, vt testis Pollux. *Matricula quid, & vnde dicta. Album. Pittacium.*

Iubetur etiam vt instruant orbes.] Eo genere defensionis resistere aduersariis milites exercitati queunt, etsi numero multo inferiores: sed cõmodissimum putatur, si qui orbem compositurι sunt, locum paulò editiorẽ, vel montem occupare possint. Sic equites Romani, cùm auctore Sexto Temponio decurione, totam Volscorum aciem perrupissent, atq. eadem ratione, id est cuneo ad suos reuenire non possent; tumulo occupato, & orbe instructo, magnam diei partem, & totam noctẽ ibidem se tutati sunt, & maxima cum gloria ad suos tandem redierẽ. testis Liuius, lib. 4. *Orbe facto pauci multos sustinent. Orbibus instructis editiora loca quærenda.*

Equites quoque diuisi per turmas.] Coniunctiuam particulam ex libris vulgaribus & mss. in contextum recepi. aliquot eorum per modum imperatiuum multa hoc capite legebant, vt *Inbeantur, peragant, cedant*: pro *inbebantur, peragebant, cederent, &c.*

Recursu quodam impetus reparent.] Luculentissimum de hoc militaris artis præcepto exemplar apud Appianum occurrit. id facere non potui, quin cum Vegetio, & beniuolis lectoribus communicarem. Is in Historia bellorum Punicorum auctor est trecentos equites Scipionem quos circa se habebat, & alios quotquot dabatur colligere, *Accedendo, recedendo, optime pugnatur: si modo id vicissim faciant eiusdẽ exercitus milites.*

in duas turmas diuisos immisisse in hostem magno impetu; admonitos, vt per vices adsultarent iaculando, moxque cederent, iterumque inuaderent, ac mox retrocurrerent. sic enim fore aiebat, vt semper dimidia pars suis viribus hostes inuaderet, iaculisque abigeret, tanquam in orbem pugnare coactos.

Repero, æquipero olim efferebant.

Impetus reparent.] Edidi *reparent*, ex libris optimis; quanquam olim *repararent* vulgati libri circumferrent: pro quo repereram in M. *repedarent*. Hoc ego aliquando existimabam factum esse ex *reperarent*: videas enim in membranis optimis, *repero*, *æquipero*, *rederguo*, pro *reparo*, *æquiparo*, *redarguo*, &c. Et ita veteres locutos, probat Festus in *rederguisse*. Ceterùm vt codicum Susianorum variantes lectiones inspexi, quas vir nobilissimus, quo est in literas & in omnes literarum amantes animo, perhumaniter mecum communicauit; offendi istîc in duobus mss. *& recursu quodam in præliis repedarent*. quod mirum ni ab ipso Vegetio quoque scriptum sit; saltim quod ad *repedandi* verbũ attinet: quod probum & vetus esse testem habemus Nonium: sed & posterioribus, video vsitatum: Ammiano Marcellino imprimis, qui coæuus huic nostro scriptori. Ammianus: *Nullo terga vertente, euadere festinabant, & velut repedantes sub modulis sensim extra vallum protrusi*; lib. 19. Iterum: *repedauit ad sua castra*; lib. 16. Iterum: *repedauit ad signa ocyùs miles*, lib. 24.

Repedandi verbum Vegetio reddicum.

Pacis tempore exercitatio tyronũ non negligenda:

Quam non antè boni milites assidua exercitatione didicissent.] Iuniorũ assidua exercitatio, non modò cùm iam nomen militiæ dederunt, requisita; sed etiam pacis tempore necessaria est: vt ad caput primũ huius libri ostendi. & hoc illud est quod Theodericus Rex Gothicus apud Cassiodorum præcepit: *Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. gestiunt vituli certamina, quæ impleant ætate robusta, catuli in monellis venationibus ludunt, &c.* lib. 1. Variarum, cap. 40.

Gothici regis hac de re sententia.

AD CAPVT VLTIMVM.

NONNE Epirotæ Pyrrhi armis plurimum aliquando valuerunt? | Optimæ notæ libri M. S. H. N. legunt, *Nónne Epiri Pyrrhi armis*. Ex eo amicus meus I. Gulielmius putabat fieri posse *Epirotæ Pyrrhi*, quasi ex compendiosæ scripturæ distractione. Illud nemini ignotum puto, vt cum Epaminunda Thebanorum; similiter Epirotarum gloriam

Thebani sub Epaminunda floruerunt:

gloriam vnà cum Pyrrho exortam, atque occidisse. Sed quid si plurali numero vtramq. prouinciam intelligamus, vt Epiri significent *Epirum veterem*, & *Epirum nouam*? quas aliquoties coniunctas videmus in Notitia imperij.

Epirota sub Pyrrho.
Epirus prouincia duplex.

Dacos autem, & Medos, ac Thraces.] Constanter in libris M. S. N. H. & duobus Susij scribitur *Mœsos*. quod miror ab aliis, priori illi postpositum; cùm hoc genuinum, & absque libris pro genuino recipiendum, vel ex sola locorum serie probari possit: ex Ptolemæi lib. 3. Plinij lib. 3. cap. 26. Ammiani Marcellini libro Historiarum 27. Flori lib. 4. cap. 12. & infinitis aliis scriptoribus. Medorum fortitudinem, & in regno tuendo (quod ad trecentesimum quinquagesimum annum, auctore Iustino, propagârunt) strenuitatem, non sum ignarus veterum monumentis celebratam. sed de iis nihil minùs, quàm somniauit hoc loco Vegetius. quapropter, si me audis, scribe *Mœsos*.

Magnum mendum e Vegetio ablatum.

Medi suum imperium annis CCCL. tuiti sunt.

Vt ipsum Martem fabulæ apud eos natum existiment.] Apud Thraces scilicet. Ammianus lib. 27. in Mysia Martianopolim constituit, eam Martis patriam si facias, erres. nam à sorore Traiani Principis id nomen ciuitati inditum. Martem verò apud Thracas natum vult Vegetius; adductus Poëtarum fabulis. inter eos Euripidem esse scio, quem memini Thraciam Martis domicilium vocare. Itidem Homerum, qui in Odys. θ. cecinit, Martem vinculis Vulcani solutum, à quo in adulterio deprehensus fuerat, in Thraciam statim abiisse. Deus certè Thracũ Mars fuit, vt testis est Lycophronis enarrator. cultus maximè in ea ciuitate, cui nomen Crestone: Stephanus De vrbibus: & de eodem Lycophron, ὁρκοτομήσω τόντε Κρηστώνης θεὸν, *iurabo item Crestones deum*. Arnobius: *vel Mars Thracius, vel Iuppiter Creticus*. Idem lib. 4. aduersus gentes: *Quis Spartanum fuisse Martem? nónne Epicharmus? Quis in Thraciæ finibus procreatum? non Sophocles Atticus cunctis consentientibus Theatris?* Solere porrò Thraces Marti & Bellonæ captiuorum hostiis litare, testis dicto libro idem Marcellinus. De ferocia, magnanimitate eorundem, & vitæ ipsius contemptu, consulendi Mela, Solinus, Herodotus, Florus, alij. Imo bellicosos vsque eò homines illos fuisse Florus commemorat, vt signis militaribus, armis, disciplinæ quoque Romanorum adsueuerint.

Martianopolis Mœsiæ ciuitas vnde nomen habeat.
Martis patria.
Mars deus Thracum.
Vbi maximè cultus.
Marti captiuorũ hostiis Thraces litarunt.
Thraces bellicæ disciplinæ Romanæ magni imitatores.

GODESCALCI STEWECHII

COMMENTARIVS AD LIBRVM SECVNDVM FLAVI VEGETI RENATI, DE RE MILITARI.

In Prologum.

INSTITVTA maiorum artis armaturæ.] Sex, septem libris aliter hæc leguntur: hoc modo, *Institutа maiorum partis armatæ.* Iterum paulò post ex libris, *antiqua desiderat.* vbi libri aliquot scripti, *ex libris antiquorum ea desiderat.*

Græcum loquendi genus.

Non tam discenda, quàm recognoscēda.] In veteri M. reperiebam, *non tam discendi, quàm recognoscendi.* Sæpe eo modo boni scriptores locuti: & inter alios ipse Cicero, *solum belli gerendi mutare, huc illuc delectandi se conferre.* Vbi de suo benigni illi correctores addunt ferè hæc emblemata, *causſa, gratia, nomine, &c.* Videant doctiores, an idem loquendi genus Vegetio dandum sit. quorum censuræ vt hæc itidem alia, quæ scribo, libens meritò submitto. De prædicto loquendi genere, quod ex Græciâ in Latium adductum est, videat tyro, quæ Priscianus, quæ summum Galliæ ornamentum, & Græcæ linguæ scientissimus, Guil. Budæus notârunt.

Domitori omnium gentium barbararum.] Errare non patior libros S. H. quorum operâ ego, & ipse adeo Vegetius alibi non parùm adiuti sumus: ij legebant, *Dominatori:*

natori: sed deprauatè: conuincit quod præmissum est, *domino, ac Principi generis humani.* Non ingrata illa adulandi formula; sub principibus posterioribus præsertim. Tacitus tertio Historiarum: *Romanum Principem, & generis humani paulò antè dominum.* Item Ammianus libro decimonono: *Nostris virtutes Constantij Cæsaris extollentibus, vt domini rerum, & mundi.* Quanquam fuerint qui illud cane peius & angue vitârint. quod ostendam. Tertullianus in apologetico: *Maledictum est,* inquit, *ante ἀποθέωσιν, deum Cæsarem appellare,* cap. 34. Vbi idem ille scriptor demonstrat, *domini nomen dei cognomen esse, atque inde Augustũ formatorem imperij ne dominum quidem se dici voluisse, atque adeò vetuisse edicto, ne quis eum ita appellaret.* Testatur idem Suetonius, Paulus Diaconus lib. 7. Orosius lib. 6. alij. Itidem Tiberius domini appellationem exhorruit, teste Suetonio cap. 27. In apotheosi Principum qui ritus, quæ ceremoniæ seruatæ, petere licebit ex Herodiani Historiis. Adde Onomasticon vetus: *Diuus Imperator qui post mortem deus habetur.* Item Tacitus: *Deûm honor Principi non antè habetur, quàm agere inter homines desierit.* Ceterùm, vt in viuis nunquam diui facti; item post mortem is honos nemini habitus, qui priuatus diẽ obiisset, vno Diocletiano excepto. huic, quia solus omnium, post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio spontè ad priuatæ vitæ statũ remeauit; contigit (quod nulli post natos homines) vt cùm priuatus obiisset, inter Diuos tamen referretur. testante Diacono.

Principes posteriores ambitiosissimos titulos adamarunt:
Domine generis humani libenter audiebant.
Mundi domini.
Cæsarum nemo deus appellatus ante obitum.
Domini nomen Dei cognomen est.
Augustus Dominum se appellari non est passus:
Neque Tiberius.
Ritus referendi Principes in Deos.
Qui Imperatores Diui dicantur.
Diuus nemo factus, qui priuatus obiisset:
Excepto vno Diocletiano.

Miro itaque timore in parendo audax factus sum.] Membranæ partim *more*, partim *modo*, pro *timore* amplectebantur. Cicero pro M. Marcello: *Quòd si in alterutro peccandum est, malo timidus, quàm parum prudens videri.* Accommodatius ad scriptoris nostri opinionem hoc Plinij arbitror ex libro quinto Epistolarum: *Etenim nescio quo pacto magis in studiis homines timor, quàm fiducia decet.*

Timidum videri præstat quàm parum prudentem.
In studiis timidũ esse præstat, quàm audacem.

Præcedens me indulgentiæ vestræ perennitas animauit.] Codex Susianus legebat *paternitas.* quod dicere possis non malè cohæsurum *indulgentiæ* vocabulo. Item infrà capite tertio huius libri præ se ferebat liber collegij Coronarum, *mi pater Auguste*, pro, *Imperator Auguste.* Sed hoc Musæ ne siuerint, vt in eam opinionem eruditi inducãtur, à Flauio nostro illa fuisse scripta. nam ipsius æuo eiusmodi epitheta principibus Romanis tribuere alij non solent: vt

videre

videre est in Constitutionibus principalibus. Ibi reperias aliam nomenclaturam dignitatis Imperatoriæ; vt *perennitatis:* in l. iubemus, §. sanè fin. C. de sacrosanctis ecclesiis: & suprà libro secundo Vegetius, cap. 18: *Sed huius felicitatis, ac prouisionis est perennitas tua.* Item *Mansuetudinis*; l. decernimus, C. eodem: *Pietatis*; ibidem. *Sacræ pietatis*; l. quoties, C. vbi Senatores. *Serenitatis*; l. nemo C. de paganis. *Clementiæ*; l. humanum, C. de legibus. *Lenitatis*; l. prima, C. quando Imperator inter pupillos. *Diuinæ serenitatis*, l. 2. C. de officio præfecti prætorio Africæ. *Maiestatis*, *Augustæ Maiestatis*, & multa similia; etiam maiora, quæ sensim in palatium irrepserunt, cùm alij diui appellari, alij pro *diis coli* se voluerunt. *Magnificentiæ*, *Celsitudinis*, & his similes titulos, officiis tribui, Iuris studiosi non possunt ignorare.

Imperatoriæ dignitatis varia nomenclatura.

AD CAPVT PRIMVM.

EQVITVM alæ dicuntur.] Libri scripti, & M. *equitum alas dicunt.* sed perplacet, quod in aliis reperisse se ostendit Modius noster, *equitum alij alares dicuntur*, vt quasi opponantur iis, qui peculiari nomine *equites legionarij* paulo pòst appellantur.

Equites alares. Equites legionarij.

Vexillationes vocantur à velo, quia velis, hoc est flammulis vtuntur.] *Vexillum diminutiuum est à velo*; Festus. Inde etiam *vexillatio*. Sed in VV. aliquot legimus, *vexillationes vocantur ab eo, quòd velis.* videndum, factum ne id sit ex eo, quod *Belo* pro *Velo* antiquo more librarij scripserant. Quod ad ipsas vexillationes; eas à legionibus separari videas l. vlt. C. de iis qui non impletis stipendiis, & l. veteranis, C. quando prouocare non est necesse. Vexillationum quoque mentio in l. 2. C. de hæreditate decu: & l. vnica, C. Theod. de bonis militum. Vexillationes, numeros interpretatus Cuiacius in d. l. vlt. C. de iis qui non impletis stipendiis. Sed generale fuit numerorum nomen, quod indicare videtur l. contrà, C. de re militari. Auctor noster & à legionibus, & ab auxiliis vexillationes seiungit, lib. 3. cap. 4. & cap. 10. Idem equites tantùm in vexillationibus fuisse non hoc solùm loco indicasse visus: sed & sequenti cap. cùm *in matriculis legionum, proprios & sibi insitos equites* fuisse scribit. Certè auxiliares vexillationes fuisse ex Liuio suspicor: *Alarij equites, postquam tam memorabile facinus Romanorum*

Vexillationes vnde nomen habeant.

Vexillationes diuersæ à legionibus.

Numerorũ militarium nomen generale.

Alares equites auxiliariorum fuerunt:

equitum

equitum vidère, & ipsi virtute eorum accensi : lib. 49. qui locus dignus, vt videatur. Idem mihi innuere videtur Vegetius cap. 1. lib. 3. Certè siue Scotus, siue alius quicunque auctor Notitiæ Imperij (quam magno rei literariæ bono ex vltimis Britannis antiquariorum studiis repetitam, primus in lucem protulit vir Clarissimus Sigismundus Gelenius annis abhinc triginta,) is, inquam, vexillationes Palatinas, & Comitatenses, sub diuersis Magistris quà in Oriente, quà in Occidente recenset, sed omnibus ferè locis disertim indicat equites fuisse. De iisdem vetus quoque inscriptio:

Idem forè cum Vexillationibus.

Vexillationes equitum.

ITEM. MISSO. AB. IMP.
ANTONIO. AVG. PIO. AD. DEDVCEN
DAS. VEXILLATIONES. IN. SYRIAM. OB
BELLVM. ·.·.·.·.·.·.·.·.·. THICVM.

Vexillationum nomen Turnebus ad emeritos veteranos (Subsignani Ammiano dicebãtur, vexillarij Tacito) traxit, id est eos milites, qui exauctorati, sub signo tamen seorsum tenebantur, donec præmia, & agros acciperẽt. eum vide lib. 3. Aduersariorum cap. 3. & lib. 5. cap. 2. vbi ex Suetonij Galbâ, c. 20. hæc verba; *Excepta Germanicorũ vexillatione*, eo, quo dixi, modo interpretatus est: rectè an secus, iudicare alios mauelim; accepto tamẽ à me, seu potiùs Notitia imperij hoc testimonio, vbi sub dispositione viri illustris Magistri militum per Illyricũ duæ vexillationes Comitatẽses ponuntur, *equites Sagittarij seniores. Equites Germaniciani seniores.*

Subsignani. Vexillarij.

Quia velis, hoc est flammulis vtuntur.] Veteres aliquot libri magis ineptiunt. *famulis vtuntur.* Legendum puto (etsi inuitis omnibus libris) *flameolis vtuntur.* flammeola, à flammeis diminuto vocabulo dicta sunt. Onomasticon vetus, *flammeum manorte, virginale.* Erat flammeum, seu vt alij scribunt flameum, genus veli coloris lutei, vel crocei, quod nouæ nuptæ gestabant. Lucanus:

Lutea demissos velárunt flamea vultus.

Item Iuuenalis satyra decima —— *sedet illa parato*
Flameolo.

Vegetij locus audacter tentatus, seu potiùs emendatus. Flammeola, à flammeis. Flammeum duplex. Quid flammeũ:

Consulendus Festus libro sexto; Plinius lib. 21. cap. 8. Apud Plautum Aulularia, *ab his flameis, flameatios* dictos obseruaui.

Flamearij, qui eo conficerent.

Ad quorum exemplũ ocreati equites sunt instituti.]

Duobus

Duobus mſs. Suſianis placebat, *ocreati milites ſunt conſtituti.* In iiſdem, & aliis nonnullis libris, quæ ſequuntur etiam paulò aliter, *Claſſis item duo genera ſunt; vnum liburnarium; alterum luſuarium.* Pro *nauibus luſoriis* (de quibus ipſe Vegetius lib. 4. capite poſtremo) neſcio quæ monſtra nobis apud librarios nata. Mirum enim quàm ineptum id genus hominum eſſe ſolet, ſicubi aut rem ipſam, aut ſcriptorum verba non ſatis caperent.

Naues luſoria.

Et maior numerus peditum expenſa minore.] In veteribus, *& maior numerus militum.* Ego puto Vegetium abſque vllo detrimento, & peditum, & militum nomine carere poſſe.

Exercitus vnde dictus.

Exercitus ex re ipſa, atque opere exercitij nomen accepit.] In duobus mſs. *Vnde ex re ipſa, atque opere exercitus nomen accepit.* ſed alterum magis cohærens. Vlpianus: *Exercitus ab exercitatione nomen traxit*, l. 1. ff. de teſtam. mil. Varro: *Exercitus, quòd exercitando ſit melior*: lib. 4. De linguâ Latina, & Priſcianus libro ſexto.

Romana autem virtus præcipuè in legionum ordinatione præpollet.] Duriuſculè hoc *præcipuè præpollet.* quod apud ſcriptoré hunc non conſiderandum fortaſſis inquies: ego quoque (vt ingenuè fatear,) iſtiuſmodi perpendere hîc non ſoleo. Neq. tam temerarius eſſem, vt huius loci cauſſa in ius librarios vocarem, nî ſpes magna eſſet litem mihi addicendam. quam vt conteſtarer, auctores fuerunt membranæ Suſij; in quibus legebatur, *Romana autem præcipuè in legionum ordinatione res pollet.* quod genus phraſeos medium Latium quondam poſſedit: eoque reſtitutum apud diuerſos ſcriptores. Caſſiodori locum adduco; ſed ita, vt ſimul illum in dubium vocem. Is lib. 9. Variarum cap. 21. *Arma enim & reliquæ gentes habent: ſola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obſecundat.* vbi legerim, *Rei Romanæ dominis.* Salluſtius primo Hiſtoriarum: *Res Romana plurimùm imperio valuit, Ser. Sulpitio & M. Marcello coſſ.* atque ita locutum Liuium, Tacitum, & alios hiſtoriæ ſcriptores ignorare non poſſunt, qui eos auctores nôrunt. Vlpianus: *Publicum ius eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat*; l. prima ff. de Iuſtitia & iure. quem locum velim nunquam Ia. Rævardus tentaſſet. Ammianus: *Olim ab Auguſto in clientelam rei Romanæ ſuſceptus*: lib. 18. & alibi plus centies. Capitolinus in Pertinace: *Senatorem nobilem in caſtra ducere*

Romana phraſis Vegetio reddita.

Locus Caſſiodori in dubium vocatus, forte emendatus

Res Romana, pro republica.

Defenſa l. 1. ff. de iuſtitia, & iure.

ducere voluerunt, vt eum rebus Romanis imponerent.

Legio ab eligendo appellata est.] Varro: *Legio, quòd leguntur milites in dilectu*; lib. 4. De lingua Latina, & lib. 3. De vita populi Romani. *Legioni vnde nomen.*

AD CAPVT II.

MACEDONES, Græci, Dardani, Phalanges habuerunt.] Quod ad Phalanges Macedonum attiner, experimentum de se re ipsa præstitisse constat; dum Asiaticos & Græcorũ exercitus deuicêre. Sed maiora præstitit Romana acies, subactis tam Africæ, quàm Europæ gentibus. & quanquam Hannibalis fraudibus, ac dexteritate detrimentum passi Romani; mox tamen superiores euasêre, vbi ducem Hannibali parem nacti sunt, vt auctor est Polybius, lib. 17. Vbi ille causſam quoquè, cur apud Romanos ferè victoria fuerit, nõ fortunæ (vt ferè alij solent, qui felices sine ratione duces vocant) sed ducum industriæ, & aciei instruendæ peritiæ tribui. Præ phalange autem Romanorum aciem prolixè commendat: quòd hæc facilè moueri & verti possit, illa difficillimè; hîc viritim pugnetur, ibi generalis tantùm impressio sit; hæc in prœlio infinita habeat loca, & tempora ad pugnandum accõmoda, illa verò vnum dumtaxat locũ & tempus habeat, cùm vsui esse possit; hac in salebris, conuallibus, tumulis, alueisque fluuiorum, illa non nisi loco plano & aperto pugnari queat. Aciei instructionem ab ipso Vegetio discere non est difficile: At phalangis, quòd non facilè obuia fiat, in gratiam studiosorum ex dicto libro Polybij subiiciam: *Vir armatus in ipsa concertationis densitate tribus pedibus firmus perstat. magnitudo autem hastarum secundum primam hastam sedecim; secundum conuenientiam autem veri ac recti quatuordecim cubitos habet. & ex illis quatuor per spatium intermanuarium, & æquilibrium posterioris partis, dum in procinctu stat, adimuntur: manifestum est, quòd decem cubitis hasta necessariò ante cuiusque armati corpus præemineat, quando ambabus manibus in hostem libratur. Hinc autem accidit, vt aliæ hastæ ante secundam, & tertiam ac quartam; aliæ quintam seriem eorum, qui præcedunt in acie, duobus cubitis præemineant: siquidem Phalanx proprietatem & densitatem suam secundum ordinem, & retrò & à latere stantium habuerit, &c.* Videndus quoque de eiusdem phalangis instructione, armatura, & impetu Ælianus.

Græcorum phalanges multum potuerunt: Amplius tamen Romana acies.

Hannibalem, sola virtute ducis, Romani superarunt.

Victoriæ magna pars institutioni aciei tributa.

Quam multis rebus Rom. acies, phalangi Græcorum præstiterit.

Phalangis qualis fuerit instructio.

Et in vna phalange armatorum octo millia censuerunt.] Auctores mihi fuerunt ita emendanti S. N. & duo mſs. Suſij. anteà vulgatum erat, *vt in vna phalange armatorum octo millia censerentur*: non tam aptè, vt illud alterum.

Galli atque Celtiberi, pluresq. barbaricæ nationes.] Optimi codices, *Barbaræ nationes*. eodem modo & Cicero *Afros, Gallos, Hiſpanos, Barbaros* appellat, in epiſtolis ad Q. Fratrem. Itidem alij Latini ſcriptores ſolent omnes illos vocare, qui alia lingua, quàm eorum vterentur. Eodem modo & ipſi Romani Græcis barbari fuerunt, teſtis mihi Feſtus in Barbari; & Plautus Potitium ſacerdotem Romanum Barbarum appellans. Itidem Aſinariæ prologo, *Barbarè*, pro, *Latinè*. Itidem Captiuis *Barbaricum ius*: & apud eundem *Barbarus poëta*; in Milite.

Galli, Hiſpani & alij cur Barbari dicti Romanis. Romani ipſi Barbari quoque à Græcis nuncupati.

Romani legiones habent in quibus ſingulis ſena millia.] Legio non ſemper eodem ex numero fiebat; ſed pro robore militum, aut neceſſitate rei Romanæ, modò exilior, modò maior eſſe conſueuit. Romulus primus legionem extribus millibus peditum, equitibus verò trecentis cõfecit. Varro, Plutarchus, alij. Quòd verò Plutarchus, aduentu Sabinorum in vrbem, aucta ciuitate, numerum legionis à Romulo duplicatum ſcribit; quanquam magna illius auctoritas, mihi tamẽ nunquam perſuadebit. Si enim Liuio credimus, variata fuit, vt dixi, legio, pro vſu Reip. & Senatus arbitrio. Is libro ſexto ab V. C. quatuor legiones *quaternùm millium* ſcriptas prodit. Itidem lib. 38. *Propter quod facinus*, inquit, *tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romæ ſecuri percuſſi ſunt*. Idem libro ſeptimo decem legiones ſcriptas tradit, *quaternùm millium, & ducentorum peditum, equitumq; trecentorum*. Rurſus auctior apud eundem numerus lib. 8. Iterum auctior lib. 31. *Numero*, inquit, *peditum, equitumq; legiones auctæ: millibus peditum & equitibus centenis in ſingulas adiectis, vt quina millia peditum, treceni equites eſſent*. Si mendo vacat prædictus Liuij locus; iam conſequens erit, hunc, quem ſubiiciam, diligenter expendendum. Liuius lib. 52. *Id præcipuè prouinciæ Macedoniæ datum, quòd cùm alterius conſulis legionibus quina millia, & duceni equites, ex vetere inſtituto, darentur in ſingulas legiones; in Macedoniam ſena millia peditum ſcribi inſſa, equites treceni æqualiter in ſingulas legiones*. Nunc quantum ille numerus ſubſequenti æuo auxerit, è Vegetio diſce lib. 2. cap. 6. qui peditum

Legionis numerus ſæpe mutatus eſt. Romuli legio quanta. Diſſentimus à Plutarcho.

Legio variata pro reip. neceſſitate, & Senatus arbitrio

In legione quæ tuor millia:

Quatuor millia quingenti:

Quinque millia CCC.

Liuij duo loca expendenda.

In legione ſex millia CCC.

tum sex millia centum, equites septingentos in legione ponit. Idem lib. 3. cap. 1. in legione mixtis auxiliis, decem millia peditum, & quatuor equitum numerat, à qua summa si præcedentem arithmetica subtractione auferas, videbis quanti auxiliares fuerint.

In legione Vegetij auo, peditum sex millia, centum: equites DCC. itaq; omnes Romani.

Additis auxiliis, in legione hominum quatuordecim millia.

In quibus singulis sena millia.] Præter Liuium, Festus in *sex millium*: Sallustius Iugurtha: Gellius lib. 16. cap. 10. Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. & alij auctores sunt, Marium legionem sex millium peditum primùm cõscripsisse; idque non Senatus decreto, sed ex suo consilio: tum capite censos primùm sacramẽto adegisse. Eundem etiam seruos amplius quatuor millia in belli vsum adsumpsisse: eosque tandem à Sertorio castris exutos, & cæsos esse, scripsit Plutarchus in Sertorio. Idem in bello Syllaniano seruos in vsum belli prouocauit: sed tres tantùm comparuerunt; teste eodem Plutarcho.

Legionẽ sex millium Marius primus conscripsit.

Marius seruis in bello vsus.

Marium serui secundo sequi nolunt.

Quid autẽ inter legiones, & auxilia interesse videatur.] Alias quoq. sequente capite differentias inter Legionarios, & Auxiliares Vegetius cõstituit. His addo, in legionibus solos ciues, in auxiliis Latinos socios meruisse: etiam Barbaros; quod alibi ostẽdam. De ciuibus solis in legiones receptis, testis Dio; qui non vno in loco πολιτικὰ στρατόπεδα, appellat. & apertissimè Plinius, qui lib. 33. cap. 2. ciues auxiliaribus opponit. Idem videtur innuere Vegetius, hoc eodem cap. his verbis: *Legio autem propriis cohortibus plena.* nam eosdem distinguit lib. 3. cap. 1. Quæ omnia si cui minùs sufficere videbuntur, alium à me testem audiat, nec ampliùs audeat hiscere. Tacitus in vitâ Iulij Agricolæ: *Instructos, ruentesq; ita disposuit, vt peditum auxilia, quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent, equitum tria millia cornibus adfunderentur: legiones pro vallo stetêre. Ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti: & auxilium, si pellerentur.* Illud prætereà obseruatum, signa eorundem diuersa vt essent, alio legionarios, alio auxiliares, alio quoque prætorianos vsos: monet Alexan. Neapolitanus lib. 4. cap. 2. Probabit idem Tacitus libro quinto Annal. *Tres eum in Indæa legiones excepêre; tradidit Syria duodecimam: comitabantur viginti sociæ cohortes.* Atqui cohortes in centurias distributas, singulisque centuriis sua vexilla constituta fuisse, auctor Vegetius libro secundo capite 13. De prætorianis vnum Pompeium Festum testem

Legionarij omnes ciues Romani. Auxilia à sociis, & Barbaris.

Apertissimum ad id testimonium Taciti.

Signa legionariorum, Auxiliariorum, & Prætorianorum diuersa.

Prætoria cohors quæ.
Prætorianorum munus: Eorum stipendiũ sesquiplex.

laudasse suffecerit: *Prætoria*, inquit, *cohors est dicta, quòd à Prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo non discederent, & cetero munere militiæ vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent.* In cuius verbis ne quid hæreas tyro, suppetias fero ex Varrone: qui auctor est, *Prætorem olim dictum quicunque præiret exercitui.* Item ex Asconio Pædiano: *Veteres*, inquit, *omnem magistratum, cui parèret exercitus, prætorem appellauerunt.* Cohortis prætoriæ signa priuata fuisse liquet ex nummis M. Antonij, & Cæsaris, apud Goltzium. Sed prætorianæ cohortis originem quia eius hîc mentio incidit, paulò altiùs repetamus. Gorgydam autem apud Thebanos cohortem, quam prætoriam vocârunt, constituisse, ex Plutarchi Pelopidâ didici. Cohors ista, ἱερὸς λόχος, id est, sacra cohors vocata. Constabat autem ex electis viris quadringentis, quibus ciuitas exercitationem victumque præbuit. quem ordinem constituisse quidam voluit ex iis, qui se inter se amarent, aut sanguine coniuncti essent. Quæ ratio & Germanis placuit: vt videre est apud Tacitum De moribus Germanorum: *Quòdque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit: sed familiæ, & propinquitates; & in proximo pignora: vnde fœminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium.* Idem quoque Macedonibus olim mos, vt equites in suam quisque gentem scriberentur, teste Q. Curtio libro quinto. Illud etiam monendus tyro, quod pænè imprudens præterieram; Prætorianos non solùm pedites, sed etiam equites fuisse. testem habemus Suetonium in Caligula cap. 45. & in Claudio, cap. 21.

Pretorium olim quicunque exercitui præerat. Prætorianis sua signa priuata.

Prætoriam cohortem apud Thebanos Gorgydas primum constituit:

Ea sacra dicta: Publico sumtu alta: Constabat ex consanguineis:

Itidem Germanorum olim turmæ.

Idẽmos & Macedonibus quondam.

Prætoriani & pedites, & equites fuerunt. id & nomen cohors indicat.

Ex diuersis locis, ex diuersis muneribus venientes.] Nihil dicam aliud, quàm genuinam lectionem esse, quam libri M. H. N. B. & Susij alter suggerunt, *ex diuersis numeris venientes.* neque solùm hoc loco ea vox emigrauit, vt videbis posteà, lib. 3. cap. 4. Dicti autem numeri interdum ipsæ cohortes. Sozomenus lib. 1. Historiæ tripartitæ: *Ex illo*, inquit, *Romanorum cohortes, quæ nunc numeri nuncupantur, singulæ fecerunt tabernaculum proprium.* Vlpianus: *exercitum non vnam cohortem, neque vnam alam dicimus, sed numeros multos militum*; l. 2. ff. de his, qui notantur infamia. Numeros interdum à vexillationibus distingui suprà ostendi. etiam à limitaneis militibus separati: l. 17. C. De re militari. & apud Flauium Vopiscum,

Numerorum nomen Vegetio restitutum.

Numeri quid sint.

Distincti à limitaneis.

Vopiscum, in Probo. Frequens hæc vox est in ff. & C. titulo De re militari. & C. De officio Magistri militum. & ab ea interpretationem accipere debet l. filiusfamilias. ff. De procurat. Sed quorsum tam multa extranea accersimus, cùm etiam domi loca sint, vbi ea vox adhuc integra est? apud Vegetium scilicet, lib. 3. cap. 9. & cap. 15.

Interpretata l. filiusfamilias, ff. de procuratoribus.

Auxiliares conducuntur ad prœlium.] Auxilia non tantùm à Romanis pecunia comparari solita. Tacitus sexto Annal. *Quæ postquam Artabano cognita, filium Orodem vltorem parat; dátque Parthorum copias: mittit, qui auxilia mercede facerent.* Auctor tamen Herodianus lib. 3. initio, Parthos nec mercenarios milites, nec ordinarios exercitus habere. Idem quoque libro sexto Persas, nec mercenario milite vsos, neque statiuis castris exercitus habuisse: sed omni multitudine virorum, nonnunquam etiam mulierum, Regis imperio coactos, ad bella exisse tradit. Illud silentio prætereundum non est, Gallorum auxilia Asiam sæpe implesse, ipsosque orientales Reges sine mercenario Gallorum exercitu bella nulla gessisse, neque pulsos regno, aliò, quàm ad Gallos confugisse. Adeundus Iustinus lib. 25. Similiter Cares quondam per totam Græciam militantes errauerunt; vt auctor Strabo lib. 14.

Non soli Romani auxilia comparárunt pretio.

Persa mercenario milite non vsi.

Asia Gallorum auxiliis sæpe vsa. Gallorum magnum olim nomen à virtute bellica.

Cares in Græcia sæpe militárunt.

Nec notitia nec affectione consentiunt.] Alij, *nec notione, nec affectione consistunt.*

Nam legionibus semper auxilia, tanquam leuis armatura in acie iungebantur.] Quòd legionibus auxilia semper adiuncta fuisse dicis Vegeti; id non vtique obseruatum fuisse, non sit difficile ex Liuio probare. In Hispania enim multa præclarè iam gesserant Scipiones, sæpe prœlio decertârant; nullius tamen mercenarij militis istîc opera vsi, vsq. ad annum illum quo Q. Fabius Maximus consulis filius, & T. Sempronius Gracchus cõsules fuerunt; hoc est, annum V. C. quingẽtesimum quadragesimum. Sed ipsum Liuium audito: *Id modo eius anni in Hispania ad memoriam insigne est, quòd mercenarium militem in castris neminem antè, quàm tum Celtiberos Romani habuerunt.* Diuersus autem erat locus auxiliis in acie. Gallos Germanosque auxiliares in fronte locatos videmus apud Tacitum 2. Annal. Crassus autẽ apud Cæsarem, eos in media acie posuit; & in castris oppugnandis vsus est telis, lapidibusque subministrandis, ac cõportandis

Romani in Hispania multa gesserunt sine auxiliis:

Quo anno & istic auxiliis vti cœperint.

Auxiliariorum locus in acie non semper idem.

ceſpitibus, vt ſpeciem tantùm pugnantium præberent. id ea cauſa, quòd his minùs fideret: teſte Cæſare 3. belli Gallici.

Auxilia, tanquam leuis armatura, in acie iungebantur.] In vno codice mſ. erat *iuuabantur*. ſuſpicati cœpi ſcribendum *iugabantur*. Cicero 2. Tuſcul: *hoc quidem eſt commune virtutum; omnes enim inter ſe nexæ & iugatæ ſunt.* Auxiliorum etymon à Varrone petendum: *Auxilium appellatur ab auctu; cùm acceſſerant, qui adiumento eſſent alienigenæ*: lib. 4. De lingua Latina. Inſuper eodem hoc cap. pro, *Documentum eſt magnitudo Romana*, libri S. N. ſcribebant, *documenti eſt mag. Romana.*

Iugare verbum puto Vegetio tandum.

Auxilia vnde ſic appellata.

AD CAPVT III.

DEINDE contubernalibus, completis ſtipendiis.] Quot olim emeritæ militiæ ſtipendia & anni fuerint, diuerſimodè inter auctores diſceptatur. Alexãder Neapolitanus lib. 6. Genial. cap. 22. adnotatum reliquit, modò 11. modò 16. annos militiæ finem feciſſe. Apud Tacitum quadragena quidam, alius tricena ſtipendia numerat. Sæpe ea res variauit; ſub Principibus præſertim. diſcimus ex Annalibus Taciti: *Edixit*, inquit, *Tiberius militare ærarium eo ſubſidio niti: ſimul imparem oneri remp. niſi viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur. ita proximæ ſeditionis malè conſulta, quibus ſexdecim ſtipendiorum finem expreſſerant, abolita in poſterum.* Sed idem quoque ab Auguſto antè fuiſſe conſtitutum, teſtatur Sudas. Imò & libera rep. viginti ſtipendia pedites feciſſe docemur à Polybio, lib. 6. Viginti item ſtipendia appellari video l. 9. C. de veteranis. videnda quoque l. veteranis, C. quando prouocare non eſt neceſſe; & l. vlt. C. de his qui non imple. Atqui diſſentire videtur Modeſtinus; dum inquit: *Nam qui viginti annos militauerit, ſimilis illi eſt qui explenerit militiam.* Iuſtus porrò Lipſius apud Tacitum auctor eſt, prima ſtipendia annis viginti quinque fuiſſe definita. Ad cuius opinionem inſcriptionem hanc ex tabula veteri adhibendam putaui:

Anni emerita militia modo plures, modo pauciores.

Quot anni emerita militia Tiberij aut.

Prima ſtipendia annorum XXV.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVAE. NEPOS. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XII. COS. III. P. P. IIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. CLASSE. PR. MISENENSI. QVAE. EST. SVB. IVLIO. FRONTONE. SEX. ET VIGINTI

In claſſe Miſenenſi ſtipendia XXVI. annorum erant.

VIGINTI. STIPEND. EMERIT. DIMISSIS HON. MISS. QVOR. NOM. SVB. &c.

Qui militant, *ſtipendia meveri* dicuntur, l. miles, & l. item miles, ff. de re iudicata. Hinc *emerita ſtipendia*, quæ Iuſtinianus impleta vocauit, C. de his qui non impletis ſtipendiis. inde & *emeriti milites*, quos etiam *veteranos* vocârunt. Martianus in l. deferri, ff. de iure fiſci: *Veterani*, inquit, *ſacris conſtitutionibus delatores eſſe prohibentur, propter honorem vtique & merita militiæ.* item: *milites propter honorem ſtipendiorum, quæ merent, deferre prohibentur.* Si quid ego video, legendum iſtic proximè ductum vulgatæ ſcripturæ, *propter honorem vtique emeritæ militiæ.* Sed cõſiderent hoc eruditiores. Cæterùm qui emeritis ſtipendiis militare rurſum cogebantur, vocabantur *Euocati*: teſte Dione libro 48. Iſidorus *Euocationem fuiſſe dicit, cùm ad ſubitum bellum, non ſolùm milites, ſed etiam cæteri vocabantur.* Sed hac de re iam antè à nobis dictum eſt.

Mereri ſtipẽdia.

Emeriti ſtipẽdia.

Emeriti milites. Emendata l. deferri ff. de iure fiſci.

Euocati milites qui.

Per teſtimoniales ex more dimiſſis.] Quicunque honeſtè mittebantur teſtimoniales accipiebant, vt earum ſuffragio muniti, nõ eſſent obnoxij aliorum calumniis: quod ſtudioſè olim obſeruatum fuiſſe probant mihi monumenta veterum:

LECTVS. IN. PRAETORIO. DD. NN.
EX. LEG. VI. FE. R. F. C.
MISSVS. HONESTA. MISSIONE
VII. IDVS. IANVAR. DD. NN.
IMP. ANTONINO. PIO. AVG. III. ET
GETA. NOBILISSIMO. CAES. II. COS.

Alia de eâdem re inſcriptio ex lapide Neapolitano:

L. ATILIO. L. F. CRESSENTI. VEL
AVG. MISSO. HONESTA. MISSION
EX. COH. VI. PRAETO.

Honeſtè miſſi teſtimoniales accipiebant.

Etiam in palatina militia mos ille diligẽter ſeruatus, vt honeſtè miſſis teſtimoniales darentur, præſtò eſt conſtitutio Imperatorum Valentiniani, Theodoſij & Arcadij. *Dimiſſi è palatio teſtimonialiũ ſuffragio munientur*, l. archiatrorũ, C. Theod. de medicis. Item l. omnes, eod. Cod. de Decurionibus. Hæ *literæ teſtimoniales*, vocantur *epiſtolæ* in l. parui, C. Theo. d. tit.

Vt in armata militia, itidem in palatina.

Miſſionum tria genera: Honeſta qua fuerit;

Ex more dimiſſis.] Tria miſſionum genera erant: prima miſſio honeſta, quæ emeritis ſtipendiis dabatur.

Causſaria:

Secunda cauſſaria, cùm ſenecta, inualetudine, aliáve legitima cauſſa miles mittebatur. Tertia ignominioſa, quâ ob delictum, & crimen militiâ quis ſoluebatur ab ipſo Imperatore, eóve, cui ea de re ſtatuendi poteſtas eſt; l. 1. ff. De his, qui notantur infamia. De prædictis miſſionibus meminerunt quoque Icⁿⁱ in l. milites, §. miſſionum, ff. De re militari. In l. teſtamenta, ff. De teſtamento militis. In l. 2. ff. De his qui notantur infamia. In l. paupertas, ff. de excuſationibus. In l. ignominiæ C. de his qui non impletis ſtipēdiis Miſſionis cauſſariæ formula eſt apud Caſſiodorum lib. 5. Variar. cap. 36. Oportunè in memoriam venit locus corruptus apud Apuleium lib. 4. Mileſiarum, ſiue De aſino aureo: *Rebar enim me iam prorſus exanimatū ac debilem, mereri cauſæ remiſſionem.* Vidi, qui emendaret, *pauſam, ac remiſſionem*: Ego legerim, *cauſſariam miſſionem*. Miſſionis ignominioſæ exemplum elegans apud Hirtiū De bello Africano, hac formula: *Cæſar poſtero die de ſuggeſtu conuocatis omnium legionum tribunis centurionibuſq; &c. C. Auiene, quòd in Italia milites populi Romani contra remp. inſtigaſti, rapinaſq; per municipia feciſti, &c. ob eas res ignominiæ cauſſa ab exercitu meo te remoueo; Hodieq; ab Africa abeſſe, & quantum poteſt, proficiſci iubeo.* Eandē formulam indicat fragmentum hoc Salluſtij: *Vbi eum tota concione ab exercitu cogit diſcedere, dicit ſe eius opera non vſurum, eumq; ab armis dimittit.* Mitti autem ignominioſè ſolent non ſolùm caligati, ſeu gregarij milites: ſed ſi qui alij; vſque ad centurionem. Item præfecti cohortis, vel alæ, vel legionis; vel tribuni, ſiue cohortis, ſiue legionis. hoc amplius: & is, qui exercitui præpoſitus eſt, licet cōſularibus inſignibus vtatur, l. 2. ff. de his qui notantur infamia. & legatum exercitus ab Imperatore ignominioſè miſſum, apud Suetoniū notabam, in Caligulâ cap. 44. Nihilominus nō erat neceſſe eum qui mitteret, ſemper ignominiæ notam inurere. ſcribit enim Vlpianus: *ſed eiſi eum exauctorauerit, id eſt, inſignia militaria detraxerit; inter infames efficit: licet non addidiſſet, ignominiæ cauſſa ſe eum exauctoraſſe*; l. quod ait, ff. de his qui notantur infamia. Puto ex geſtu exauctorantis facilè cōſtitiſſe quo animo exauctoraret. Cingulo autem, & balteo donari, honori dabatur apud Romanos. & inde, qui militarent, vocati *cincti*: & cōtrà, qui miſſi erant, dicebantur *diſcincti, militia exuti, cingulo priuati, &c.* quod ipſum cingulo priuari vt apud Romanos, ſic & apud Gallos olim valdè ignomi-

Ignominioſa. Quis ignominioſè mitteret.

Emendatus Apuleius.

Quis ritus in ignominioſa miſſione:

Formula eius:

Alia eius formula.

Qui poſſint ignominioſe mitti:

Etiam legatus eum ignominia miſſus.

Exauctoratio detra ctis inſignibus.

Cingulo donari honorificum erat:

Diſtingi, & cingulo priuari ignominioſum.

ignominiosum. vt videre est in Stilo antiquæ curiæ Paris. cap. *de Duello*. De cingulo hoc accipiendum est, quod dicitur in l. 23. 38. 43. ff. de testamento militari, & infinitis locis Codicis Iustiniani. Videndus quoque de eodem Isidorus lib. 19. cap. De cingulis. Varro *Balteum, quòd cingulum è corio habebant bullatum, balteum dictum.* Isidorus: *Balteus dicitur non solùm quo cingitur, sed etiam à quo arma dependent.* Iterum Isidorus: *Dictæ autem torques, quòd sint tortæ. & Bullæ, quòd sint similes rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur.* Istiusmodi bullis ipsa cingula militaria exornata fuisse suspicor pro dignitate eius qui gestaret: perinde vt & caligæ militum exornatæ ac distinctæ fuerunt. Virgil. 12. Æneid.

Cingulum hoc è corio; Balteum alij vocarunt.

Baltei bullis ornati, distincti.

Et iam iámque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat, infelix humero cùm apparuit ingens
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis.

Item caligæ militum.

Fuit tamen, (vt ad missiones redeamus) cùm sine ignominia exauctorarentur. testatur Tacitus, *Missionẽ dari vicena stipendia meritis: exauctorari, qui sena dena fecissent.* Ea verba Turnebus lib. 3. Aduersar. cap. 3. interpretatur, quòd missio data fuerit iis, qui penitus dimittebãtur: exauctorati fuerint, qui soluebantur stipendio; nec tamen dimittebantur, sed habebantur sub vexillo, vsque dum agros, & præmia acciperent. Si pedites erant, subsignanos; si equites erant, vexillationes vocatos censet idem Turnebus lib. 5. Aduersar. cap. 2. nam & illos stipendio solutos, apud vexillum retentos, alio nomine militiæ labores pertulisse. qua de re paulò antè memini de vexillationibus agens. Quartũ genus missionis, si quis euitandorum munerũ caussa militiam subisset: sed illa existimationem nõ lædebat, l. secunda ff. de his qui notantur infamia. hi enim mittebantur, vt domi potiùs, quàm foris reip. vsui essent. Addo & aliud genus missionis, quod gratiosum Liuius vocauit: inde, ni fallor, quòd per gratiam ab Imperatoribus impetraretur: *Et quorum stipendia*, inquit, *ante emerita, gratiosa missio sibi visa esset.* Sed nunc tempus est, ad alium quoque morem explicandum transeamus, non minùs vtilem, & scitu necessarium his, qui de veteri disciplina militari cognoscenda laborant. Si multi milites in aliquod flagitium conspirauerant, vel si legio deficiebat, auocari militia solet. quod ostendit Modestinus I.C^tus in l. desertorem, ff. de re militari. Item Suetonius: *Decimam legionem*

Exauctoratio quid differat à missione.

Subsignani apud signa detenti post exauctorationem.

Missionis quartum genus.

Missio gratiosa etiam quinto loco numerata.

Legio tota auocari militia solet:

Etiam cum ignominia mitti.

contumaciùs parentem, cum ignominia totam dimisit; in Octauio cap.24. Res tota ex Lampridij Alexandro aperta erit: *Cùm nihilominus post illa fremerent, exclamauit, Quirites discedite, atque arma deponite. mirando exemplo, depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus; non ad castra, sed ad diuersoria varia discesserunt.* Quirites vides appellari, quasi ciues & pagani essent, iure militiæ adempto. Sic Cęsar exercitum seditiosum vno verbo compescuit, *Quirites* appellando, qui sacramentum eius detrectabant. auctor Tacitus primo Annalium, Suetonius, Plutarchus, Lucanus, alij. Non displicet mihi consiliũ Muciani, qui magnam manum militum seditiosorũ, qui iusta stipendia habebãt, cum honore: cæteros, *qui in culpa erant*, ignominiosè misit; sed carptim, & singulos; quò tutissimo remedio cõsensus multitudinis extenuaretur. qua de re videndus Tacitus 4. Historiarũ. Similiter cùm de Capua occupanda milites Romani consilia clàm iniissent, non absimili prudentia vsus, qui rem omnem resciuerat, C. Martius Rutilius, vt videre est apud Liuium libro septimo. Illud præterea obseruatu non indignum putaui, Legionem ignominiosè missam, quandoque restitutam. testis Lampridius in Alexandro. Suet.: *Nonam quidem legionem, apud Placentiam, quanquam adhuc in armis Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit, ægreq; post multas & supplices preces, & nisi exacta de sontibus pœna, restituit.* In Iulio cap.69.

Quirites appellando, quibus militiæ ius ademptum volebant.

Seditiosi potius carptim mittendi.

Ignominiosè missa legio nonnunquam restituta.

Vegetius correctus, seu liberatus glossemate.

Aliquantos militiam deserere, vel diuersis casibus interire.] Qui *militiæ* nomen hîc inculcarunt, illi nihil minùs, quàm militares fuerunt; in Musarum comitatu certè non valdè frequentes. In codice M.S. N.& H. erat, *aliquantos deserere, vel diuersis casibus interire.* atque ita absolutè sine casu id verbi videas vsurpari in legibus IC^rorum nostrorum, & constitutionibus Principũ plus millies. Ammianus lib.31. *Pars pleraque deseruerat, Merobaudis suasu.* Sed ne longiùs abeamus, ipse sibi Vegetius testis luculentissimus, lib.3.cap.9. *Tunc fracti*, inquit, *labore & tædio plurimi deserunt, aliquanti produnt, aliquanti se tradunt.* Iterum libro secundo capite quinto, *nunquam deserturos militiam, nec mortẽ recusaturos pro Romana republ.* Vbi τὸ *militiam*, ab aliis quoque intrusum suspicor. Idem quoque mendum constitutionẽ Imperialem insedit, quæ est in l.4. C quibus ex caussis serui pro præmio libertatem accipiunt. eam ex optimis membranis sic restituo: *Si deser-*

torem

torem seruus prodiderit, libertate donetur. vulgatæ editiones: *Si desertorem militiæ &c.* Similes haberem locos quos per me restitutos huic adnecterem; nisi mihi nuper in Belgio periissent Notæ, quas paratas habebam ad Vegetium. magnos ille mihi, quisquis nesciente, inuito inspexit, legit, & in præsens vsq. detinet, labores imposuit; qui secundùm subeundi nunc plurimi fastidiosissimi: dum ad membranas, & veteres libros momentis pænè singulis recurrendũ est. sciunt illi, qui in eadem palæstra exerciti sunt. Sed Musis hoc libenter do, atque adeò ipsi reipub. quibus tamen dum nimium nuper tribuere volui, pœnè in magnum incidi infortunium, obsidentibus omnes vias sicariis. vt non immeritò de me solicitus fuerit meus Franco Esthius Gorcomius: cuius versus non alia causa, quàm vt de ipsius in me amore, & de ingenio pariter adolescentis constet, adscribo.

Emendata l. 4. c. quibus ex causis seruis pro præmio.

Qualis Pirithous salnum cùm Thesea vidit,
Post Labyrinthæa sæua duella fera;
Qualis, vbi Æneam vinum conspexit Acestes,
Thura dedit Superis, thura marisque Deis:
Talis ego statuam Dîs seruatoribus aras
Lætáque florenti tempora fronde tegam.
Nam meus en rediit Belgarum sanus ab oris
STEVVECHIVS, *Phœbi Pieridúmque decus:*
O quæ pro vestra suscepi vota salute!
Quámque metu nostro spes fuit vsque minor!
Quàm veritus GODESCALCE *fui, nè tam mihi fidum*
Tela cruentarent sanguinolenta caput!
Dum tu per terras audax prorumpis & vndas,
Nilque timor mortis, tótque pericla mouent.
Cunctáque contemnis doctos vsurus amicos,
Quos fouet alma suo Belgica terra sinu.
Ah tua, crede mihi, nimium temeraria virtus,
Fœcundum furiis dum meditaris iter.
Vidi ibi clade noua latices fluitare cruentos,
Et putre sanguinea tabe rubere solum.
Vidi ego, & extimui, quæ cæde recente tepebant,
Hærerent iugulo ne subitò arma meo.
Nam quid iam tutum est? quæ iam prædonibus ora,
Vesana aut rabie, barbariéque vacat?
Cuncta ferox Gradiuus habet, rabidóque furore

Grassatur

Grassatur terris æquoribúsque simul.
Insidiæ passim, spoliorúmque improbus ardor:
Hostis is est quisquis, quod dare possit, habet.
Nec parcit truculenta sacris Bellona Camœnis,
Non quenquam immunem Cyrra diserta facit.
Bella vbicunque vigent, prædæq; immensa libido,
Nullus Hyantæis fontibus extat honor.
Et quicquam Musásue tuas, artésue putasti,
Spes vbi dira lucri est, profore posse tibi?
Te poterat saltem terrere canorus Arion,
In mare quem nummi præcipitauit amor.
At bene seruârint quòd te pia numina, quòd te
STEVVECHI *incolumem restituêre mihi;*
Grator ouans, tota dulces & mente triumphos
Lætus ago, testor sidera summa poli.
Testor Parnassi iuga, Pegasidésque puellas,
Thyrsigerúmque patrem, lauriferúmque Deum.
Per te namque mihi iam famæ gloria crescit,
Nec mea sub densa nube Thalia latet.
Quanquam ego non venor ventosæ murmura laudis:
Si teror à paucis, laus opulenta mea est.
Si probat exculti mea carmina SVSIVS *oris,*
Síque mea VTENHOVI, *túque* METELLE *legis:*
Hoc satis; Aoniæ nihil amplius opto sorores,
Hæc Diuæ nobis munera sola date.
Nil vulgi strepitum, popularem nil moror auram,
Principibus gratum vatibus esse iuuat.
Quos inter non vilis ades, mea cura, STEVVECHI,
Larga cui sacræ Phocidos vnda fluit.
Qui tetricam Astrææ Phœbo alternare bilancem
Consuesti; & clarum reddit vterque labor.
Hæc nos fecerunt studiísque animísque coire,
Pérque hæc Theseus me tibi iunxit amor.
His auibus iam nomen habes, laudémque perennem,
Et tua doctorum fama per ora volat.
Saluete GODESCALCE *redux, mihi sidus amicum:*
Saluete, & longùm sanus, amicè, vale.

Magnus in illis labor est militandi.] In H. scriptum est, *labor est & militandi*. M. legebat, *magnus in illis labor est, grauiora in eis arma*, abiecto verbo *militandi*. & certè non valdè illo

dè illo hîc opus; cùm constet in legionibus non aliud, quàm militandum fuisse. quanquam fuerit Imperator, qui desidiam negligentiamque suorum castigaturus, tesseram vigiliarum dedit, *Militemus*.

Tessera, Militemus.

Grauiora arma.] Legionariis diuersa ab auxiliariorum armis apud Tacitum video tribui, duodecimo Annalium, vbi hæc verba: *Si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum: si hinc verterent, spatis, & hastis auxiliariorum sternebantur.*

Legionariorum & auxiliariorū arma diuersa.

Sera munera, seuerior disciplina.] In libris aliquot non *munera*, sed *munia* legas; vel *vulnera*. sed valeant illi cum suis vulneribus, eaque hostibus inferant, non bonis scriptoribus. Rursum pro *Sera munera* optimi quique codices, M. S. N. H. & duo Susiani, substituunt *plura munera*. quod de oneribus, quibus legionarij adstricti erant, intelligendum erit. quanquam considerandum, quod præcessit, *magnus in illis labor est*. Illud certũ est, milites, magnos olim labores subiisse in aggerendis lignis, vallis ferendis, cæterisque operibus ad castrorum munitionem pertinentibus. de qua re nos lib. 1. cap. 23. At dixerit aliquis, an hæc solis legionariis, hoc est, ciuibus Romanis imponis? Marcellinum audies: *Sed auxiliarij, inquit, milites semper spernentes munia huiusmodi, ad obsequendi sedulitatem Iuliani blanditiis deflexi, quinquagenarias longioresque materias vexêre cernicibus ingrauatè.* lib. 18.

Auxiliares opera facere detrectabant.

Seuerior disciplina.] Tres mss., H. scilicet, & duo Susiani, malebant *seuior disciplina*. Atqui auctor erit ipsi duci, lib. 3. cap. 10. ipse Vegetius, vt auctoritatem maximam seueritate sumat, omnes culpas militares legibus vindicet.

Seueritate auctoritas parandа in exercitu.

In auxiliis festinant militiæ sacramenta percipere.] Consule Vegetium hoc lib. cap. quinto.

Vbi & minor sudor, & maturiora sunt præmia.] Non auscultо libris, qui *macriora*, vel *maiora* præmia nominabant. Illud ex Plinio discimus; solere suo æuo Auxiliares torquibus aureis donari. At ciues non nisi argenteis: sed contra armillas ciuibus dabant, quas non habebant externi. &, quod miremur, coronas ex auro ciuibus dedêre: lib. 33. Naturalis historiæ cap. 2. Sed cur maturiora præmia auxiliaribus, quàm legionariis? & hoc certè egomet ipse interdum quæsiui. Suspicor tamen ea causa maturiora dici, quòd hi præmia & agros non nisi completis iustis stipendiis consequerentur; illi, vt pretio conducti, stipendia sua

Auxiliares torquibus donati aureis: ciues non nisi argenteis.

Ciuibus armillæ datæ, at nullæ auxiliaribus.

Corona ciuibus data ex auro.

Cur maturiora videantur dicti Auxiliorum præmia.

sua maturiùs emererent; & per consequens præmia citiùs multo acciperent.

Et scribendo, & res gerendo clari fuerunt.

Si disciplinam militarem conferret in litteras.] Rectè equidem Crispus Romana primus in historia: *vel pace, inquit, vel bello clarum fieri licet. & qui fecêre, & qui facta aliorum scripsêre, multi laudantur.* At maior Catonis gloria, vt qui rebus multis præclarissimè gestis non contentus; non ea, quæ ab aliis gesta sunt, sed præcepta de arte militari, quæ omnis posteritas sequeretur, conscripsit.

Honorificum de arte militari scribere.

Vegetius emendatus.

Sextus Iulius Frontinus sub Nerua vixit.

Scripsit de aquæ ductibus.

Frontinus Diuo Traiano ob eiusmodi comprobatur industriam.] Sequor libros optimæ notæ M.S. N. H. & Susij, in quibus: *D. Traiano ab eiusmodi comprobatus industria.* Notandum Sexti Iulij Frontini æuum: quem tempore Neruæ floruisse testantur ipsius libri De aquæ ductibus, & Æliani præfatio in librum De instruendis aciebus. Cetertùm quòd D. Traiano eum comprobatũ dicat noster Flauius ob editos De militari disciplina libros, verosimile mihi fit, eos ipsos huic Imperatori dedicatos fuisse. Sed ne quid erres, non iam illius στρατηγημάτων opus, cui ne nunc quidem Imperatorium, aut alterius nomen præfixum est, respicio, * sed alios eiusdẽ Frontini libros De rei militaris scientia quæro, ac desidero. quos ab eo scriptos fuisse mecum fatebere, quisquis ipsius præfationem in Strategem. legeris, & legeris vigilans. Suspicatus aliquando sum hunc eundem Iulium Frontinum esse, quem Tacitus lib. 4. historiarum prætorem facit vrbanum, Vespasiano, ac Tito consulibus, anno V.C. DCCCXXIII. quemque idẽ scriptor in vita Agricolæ, à rebus bello gestis celebrat. quam sententiam neque etiam nunc depono. Eundem hunc auctorem esse De limitibus agrorum, illiusmet libri præfatio indicat.

**Quid si hic ille liber sit qui vulgo quartus in opusculo Frontini? nam tres στρατηγικῶν ipsemet Frontinus tantùm agnoscit.*

Idem auctor De limitibus agrorum.

AD CAPVT IIII.

SINGVLOS consules, non ampliùs, quàm binas duxisse legiones.] Hac de re dicturi sumus ad caput primum libri tertij.

Vt cuiuis bello duæ legiones crederentur sufficere.] In exemplari M: *vt cuiusuis.* in solo manuscripto H: *Vt cui bello duæ legiones fierent, crederentur posse sufficere.* Fortean *cuicui* geminatione vocis legendum librarij non intelligentes, adsuërunt postea de suo, & more sibi consueto, verbum *fierent.*

Cuicui. pro cuicunque.

Idonea

Idonea sententia sit, & vsitatum loquendi genus: *Vt cuicui bello duæ legiones crederentur posse sufficere.* Sic *cuicuimodi, qualis qualis, quantus quantus, qualiter qualiter*, pro *cuiuscunque modi, qualiscunque, quantuscunque, qualitercunque*, Latinis auctoribus vsitata fuisse, vel pueri sciunt. & si testibus agendum esset, possem ex solis ff^or^. libris citare perquam multos. Vno tamen loco id non animaduersum, caussam, puto, dedit erroris in l. quæret 135. ff. de verborum significat. quæ hodie sic vulgatur ex pandectis Florentinis: *Quæret aliquis, si portentosum, vel monstrosum, vel debile Mulier ediderit, vel qualem visu, vel vagitu nouum, non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis, quàm hominis partum.* Imperfectam eius legis sententiam esse vidit Alciatus, emendauitque vel *inæqualem visu, vel vagitu nouum*, & in ea sententia habuit qui illi applauderet magnum virum; sed aliter ego sentio, scriboque *vel* QVALEM *visu, vel vagitu nouum &c.* Vox *qualem* maioribus typis scripta, valet *qualemqualem*, id est *qualemcunque*. & simile vestigium paulò ante in *debile Mulier*, pro, *debilem mulier*, quia consonantes librarij non geminarent. quod quidem hic obseruatum est, in altero nō animaduersum: nam quotquot hodie litteræ, syllabæ, verba, ita maioribus typis in textu Florentino expressa videmus, nō ipsi autographo, sed Lælij Taurelli, hominis doctissimi diligentiæ, industriæq. accepta ferenda sunt. æqualibus enim & paribus vbiq. litteris toti illi Pandectarū libri conscripti sunt; vt ex Ioanne Metello Sequano IC^to^ amico meo didici, qui iisdem vnà cum Antonio Augustino, nunc archiepiscopo Tarraconensi, magno reip. bono vsus est. Post *portentosum, vel debilem, ac monstrosum partum*, non video qui locus sit *inæquali*. dicendum potiùs clausulam, *vel qualemcunque visu, vel vagitu nouum*, vt generalem, post multa specialia, rectè subiici. quemadmodum in l. si seruus seruum, §. cum eo, ff. ad legem Aquil. Opinionem meam eo confirmari video, quòd Vlpianus auctor proditæ legis, particulas illas sæpe geminârit: nominatim in l. 3. ff. de proxen. l. 15. §. 31. ff. de iniuriis l. 2. ff. de bonor. possessio. secundum tabulas. & alibi.

Qualis qualis; qualiter qualiter, pro qualiscunque, qualitercunque.

Explicata & emēdata, l. quæret. ff. de verb. signif.

Alciati emendatio reiecta.

Pandectæ Florentinæ quomodo & quibus characteribus scriptæ.

AD CAPVT V.

NAM puncturis in cute punctis milites scripti.] Hæc quid sibi velint (fatebor ingenuè) non capio: & puto

puto eos ipsos, qui ita edidêre, pariter mecum non intellexisse. Valdè etiam libri mei hîc variant, vt & aliis locis, vbi res remotior à vulgo tractabatur. ibi enim illi muli, qui libris describendis destinati erant, omnia secundum suum captum agere, addere, demere, quadrata rotundis mutare. in veteri editione Col. *Nam pictis in cute punctis.* in Pariſ. *nam puniceis.* in S. *picturis.* quod ipsum etiã in H. membranis, sed ab adulterina manu factum; vt apparet ex *victuris*: quæ mihi genuina lectio est, confirmata codice M & duobus Susij, in quibus scribebatur, *Nam victuris in cute punctis.* *Punctis victuris* dixit, quasi permansuris. eâ phrasi, qua viuere leges, actiones, lites, & eædem vitam accipere dicuntur ab Imperatoribus in Cod. Iustin. qua de re aliás nobis dicendi locus erit. Sed vt ad explicationem Flauij nostri veniamus; certum est milites punctis, seu stigmatis signari solere. quod etiam Accursium video non ignorasse Instit. de testam. militis. Idemque in fabricensibus fieri solitum, ostendit Impp^rum Arcadij & Honorij constitutio, C. de fabricensibus, lib. vndecimo: *Stigmata, hoc est, notæ publicæ fabricensium brachiis ad imitationem tironum infligantur, vt hoc saltem modo possint latitantes agnosci.* Notati autem milites punctis, seu notis, in manu, vt docet Iacobus Cuiacius ad dictam constitutionẽ; & Turnebus lib. 24. Aduersar. cap. 12. Idem probant epistolæ D. Gregorij, ex quibus discimus constitutum fuisse, *Ne quis manu signatus ante expletam militiam, in monasteriis reciperetur.* Iulianus omnes Cæsarienses clericos in numeros militũ adscripsit, teste Zozomeno lib. 5. cap. 8. Valens, vt omnes monachi militarent, legem dedit, teste Diacono lib. Historiarum duodecimo, & Eusebij Chronico. Sed redeamus ad notas. Aquarios etiam, seu hydrophylacas, custodiæ aquæductuum deputatos, nomine suo, manibus singulorum impresso, signari præcepit Imperator Zeno; l. decernimus, C. de aquæductibus lib. vndecimo. Notas Thracias seu Threcias, Cicero & alij nominârunt; quòd Threces punctis scriberentur, quemadmodũ Britanni glasto se inficiebant, vt essent horridiores in prœlio. Nonius, *Stigmatias veteres punctos in notis dici voluerũt*: sed locus ille hiulcus est; supplendus, ni fallor, *in fronte notis.* De seruis enim indicare velle videtur, quos litteratos hac de caussa appellârunt. Plautus Casina: *Si hic litteratus me sinat. quod bonum, atque fortunatum*

Magna macula Vegetio ablata.

Stigmatis milites, seu punctis signati.

Itidem fabricenses.

Militibus ea puncta in manis.

Clerici omnes militiæ adscripti.

Monachi militare cacti.

Aquarij in manibus nomẽ Imperatoris impressum gestabant.

Notæ Thraciæ, seu Threciæ vnde.

Britanni glasto se inficiebant.

Tentatus locus Nonij.

Litterati serui quare vocati.

fortunatum mihi sit. Idem Rudente: *Nam hæc litterata est, ab se cantat cuia sit.* Sed vbi illæ litteræ, aut notæ seruis? in ipsa fronte. Apuleius libro nono De asino aureo: *Frontes litterati, & capillum semirasi, & pedes annulati.* Eodem pertinet Neuij veteris Poëtæ versus in Lignaria: *Signare oportet frontem calida forcipe.* Valerius Maximus: *Seruus ab eo vinculorum pœna coërcitus, inexpugnabiliq; litterarum nota per summam oris contumeliam inustus.* Videndus de eadem re Plinius lib. 18. cap. 3. Prohibitum verò ne quis cicatricibus seruum deformaret, l. locum autem, ff. de vsufructu, & quemadmodum. Quæ res omnino improbatur ab Imp. Constātino, l. XVII. C. de pœnis. Rarum, & inauditum multis exemplū Iacobitarum, qui Orientem occupant, & magnam Armeniæ partem, qui circumciduntur & simul baptizantur, ferroque candenti characterem crucis frontibus imprimunt, vel alicubi corpori, maximè in pectoribus. quod scripsit Ioachimus Abbas, in appendice Nationum Christianarum.

Seruitutati in fronte.

Postea id interdictum.

Iacobitæ qui in Oriente, fronti characterem crucis imprimunt candenti ferro.

Et matriculis inserti iurare solent.] Rectè correxisse videor, *cùm matriculis inseruntur, iurare solent.* neq. id meo iudicio; sed libris optimis M. S. N. H. & altero Susij, iubentibus. Tum Vegetius ipse hoc capite, & lib. 1. cap. 8. indicare videtur non eodem tempore punctis scriptos tyrones, & in legiones, seu numeros militum fuisse relatos. Isidorus lib. 9. Etymol. cap. 3. *Tyrones dicuntur fortes pueri, quòd ad militiam delegantur* (legerim *diliguntur*) *atque armis gerendis habiles existunt. hi enim non ex sola professione natiuitatis; sed ex aspectu, & valetudine corporis existimantur* (malo *æstimantur*:) *vnde & Tyrones dicti; quiq; antequam sacramento probati fuerint, milites non sunt.* Dum in commentandis his occupor, recurro fortè ad mea Aduersaria, in quibus notare soleo, si quid obseruatu dignum occurrerit legenti. commodùm se offert Vlpiani locus, qui est in l. ex eo tempore, ff. de testamento militari, qui vnus ad sententiam meam, id est emendationem præcedentem, corroborandam poterit sufficere: *Ex eo, inquit, tempore quis iure militari incipit posse testari, ex quo in numeros relatus est, antè non: proinde qui nondū in numeris sunt, licet etiam lecti tyrones sint, & publicis expensis iter faciunt, nondum milites sunt. Debent enim in numeros referri.* Res clara. & nugas agam, si verbum addam ampliùs.

Iterum magno mendo liberatus Vegetius.

Tyrones non simul vt scripti sunt, in legionis numerum quoque relati.

Tyrones qui dicantur.

Quomodo æstimarentur. Isidorus correctus.

Tyronibus iure militari nō permissum testari.

Iurare solēt.] Illud ex legibus & disciplina militari obtinuit, sine cōsensu ducis, & sine sacramento militari, cum

Militi iniurato non permissum pugnare cum hoste.

Sine permissu ducis idem quoque illicitum.

hoste non licuisse pugnare. Qua de re memorabilia exempla Posthumi dictatoris, & T. Manlij Torquati, qui ob hoc filios etiam securi percusserunt. Liuius lib. 4. & lib. 8. Diodorus Siculus lib. 12. Agellius lib. 17. Valerius Maximus lib. 2. cap. 7. Etiã re Romana declinante hæc obseruata: vt videre est apud Vulcatiũ in Cassio. De sacramento præstando audi quæso prudentissimi viri Catonis sollicitudinem. Is enim ad Publium Æmiliũ scripsit, vt si filiũ, quem in legione, ab Æmilio Paulo antè dimissa, militasse intellexerat, pateretur in exercitu remanere; secundò eum obligaret militiæ sacramẽto. narrat Cicero primo Officiorum.

Qui iniuratus hostem interfecisset, cædis reus erat.

Neque frustrà hac de re sollicitus Cato. qui enim iniuratus miles hostem interfeciſſet, cædis reus habebatur: Plutarcho auctore in Problemat. Iuramentum apud antiquos

Sacramentum militare quomodo antiquitus præstitum.

præstabatur hoc modo: Scriptis militibus, tribuni suos quisque in suas legiones vocantes, vnum ex omnibus maximè idoneum lectum iureiurando obstringebant, se, quoad posset, mandata ducum exsecuturũ. inde reliqui omnes procedentes singuli, se omnia facturos, in verba primi iurabant. Quo facto, indicto militibus ad conueniendum loco, eos dimittebant. adeundus Polybius in Castrametatione.

Formula iuramenti.

Formulam huius iuramenti adscribere visum est ex Cincij libro quinto, De re militari: quam inde mutuatus est Gellius lib. 16. Noctium Atticarum, cap. 4. scribitque adactos milites in hæc verba: *In Magistratu C. Lælij C.F. cos. L. Cornelij P. F. cos. in exercitu decémque millia passuum prope, furtum non facies, dolo malo solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos. Extra hastam, hastile, ligna, pabulum, vtrem, follem, faculam, si quid ibi inueneris, sustuleríſve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, vti tu ad C. Lælium C. F. cos. Luciúmve Cornelium P.F. cos. siue ad quem eorum ius erit, proferas: aut profitebere in triduo proximo, quicquid inueneris, sustuleríſve dolo malo: aut domino suo, cuium id censebis esse, reddes. vti quod rectè factum esse velis.*

Quando ea cœperit initium.

Liuius in historia belli Punici secundi, Paulo & Varrone coss: Milites tunc, inquit, *quod nunquam antea factum erat, iureiurando à tribuno militum adacti, iussu consulum conuenturos, neque iniussu abituros. nam ad eam diem nihil præter sacramentũ fuerat: & vbi ad decuriatum, aut centuriatum conuenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniurabant, sese fugæ, atque formidinis ergò non abituros, neque ex ordine recessuros; nisi teli sumendi, aut*

petendi,

petendi, aut feriendi hostis, aut civis servandi caussa. Id ex voluntario, inter ipsos, fœdere, à tribunis ad legitimam iurisiurandi adactionem translatum. De sacramento militari dixi lib. 1. cap. 6. Glossæ veteres, *Sacramentum ὅρκος στρατικός*. Iterùm *στρατεία, militia, sacramentum*. Formulam illam, de qua Liuius, in rep. Romana fuisse concedo: alia tamen postea sub Principibus fuit; cùm nomen Principis iuramento inserere, & per maiestatem Imperatoris iurare cœperunt. Tacitus de veteranis in iuramenti præstatione cunctantibus, lib. 4. Historiarum: *Et cùm cætera iurisiurandi verba conciperent, Vespasiani nomen hæsitantes, aut leni murmure, & plerumque silentio transmittebant*. Alia iterùm formula sub principibus Christianis fuit, cùm *per deum, & per Christum, & per Spiritum sanctum* iurare cœperunt: Vegetius hoc eodem cap. Præstabatur autem iuramentum in principiis apud signa. vt apud Tacitum I. Lipsius ostendit. Imò in ipso, ni fallor, prætorio. quod vt suspicer solus inducit Tacitus 4. Historiarū: *Spernunt* (inquit) *oblatos sibi agros, & stipendia orant. preces erant, sed quibus contradici non posset: igitur in prætorium recipiuntur*. Quandoq. & in prœlium iam ituros se mutuò certo iurisiurandi genere obstrinxisse obseruaui: nempe, *nisi parta victoria, ex acie nō reuersuros*. apud Liuiū lib. 2. apud Cæsarem tertio belli ciuilis. Tum *hoc, aut illud facturos*. exemplū suppetit ex eodē Cæsare: *Conclamant equites sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad vxorem aditum habeant, qui non bis per hostium agmen perequitasset. quæ res probata, atq. ad iusurandū omnes adacti sunt*. lib. 7. belli Gallici. Rursum apud eundē, lib. primo belli ciuilis: *Postulant, vt iurent omnes se exercitū, ducesq; non deserturos, neque prodituros, neq. sibi separatim à reliquis consilium capturos. Princeps in hæc verba iurat, subsequuntur Tribuni militum, Centurionésque, centuriatim producti milites idem iurant*. Iterùm lib. 3. belli ciuilis: *Princeps Labienus procedit, iurátque se eum non deserturum, eundémque casum subiturum, quemcunque ei fortuna tribuisset. hoc idem reliqui iurant legati, hoc tribuni militum, centurionésque sequuntur: atque idem omnis exercitus iurat*. Quod amplius est, ad iuramenta istiusmodi præstanda etiam vi subinde milites adacti. exemplum memorabile de P. Cornelio Scipione apud Liuium: Is vbi à clade Cannensi nobiles quosdā iuuenes, mare, ac naues spectare intellexit, & de Italia deserenda cogitare, ingressus in hospitium L. Cæcilij Metelli, inuentoq. ibidem iuuenum

Alia formula sub Principibus.

Alia iterum sub Principibus Christianis.

Iuramentum in castris vbi præstarint.

Iuramento alio se mutuò obstrinxisse inter dum, in prælium euntes.

Iusiurandum sanctissimum.

Ad iuramenta istiusmodi etiam inuitos coëgerunt.

concilio, de quibus illa nuntiata erant, stricto super capita consultantium gladio, hunc in modum iurauit: *Ex mei animi sententia* (inquit) *iuro, vt ego remp. non deseram, neque alium ciuem Romanum deserere patiar. si sciens fallo, tum me Iuppiter* OPT. MAX. *domum, familiam, rémque meam pessimo letho afficias.* In hæc verba, & L. Cæcilium, & reliquos omnes, qui aderant, iurare coëgit; teste Liuio lib. 31. Exemplũ superstitiosum quoque in sacramenti ritu, quod de Samnitibus Liuius refert lib. 10. Quisquis eiusmodi antiquitatum studiosus es, alium insuper ritum ab Ammiano disce, à quo ego didici non paucos. Is lib. vigesimoprimo Historiarum: *Iusiq;* (inquit) *vniuersi in eius nomen iurare, solenniter gladiis cernicibus suis admotis, sub execrationibus diris, verbis iuranêre conceptis.*

Formula istius turisiurandi.

Solemne in eo gladios cernicibus admouere.

Sacramenti nomen à disciplina bellica ad ecclesiam tractum.

Militiæ sacramenta dicuntur.] Vegetius hoc libro cap. 3. *In auxiliis festinant militiæ sacramenta percipere.* Vt alia de re militari vocabula, sic & hoc quoque ad ecclesiam Patres traxerunt. Tertullianus ad Martyres: *Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc cùm in sacramenti verba spondimus.* Idem De pudicitia: *Vt sacramento benedictionis exauctoretur, nunquam in castra ecclesiæ reuersurus.*

Imperatores olim acclamatione exercitus fiebant: Id nomen Cæsar in summam potentiam vertit: Eum sequuti in eo & reliqui Principes.

Nam Imperatori, cùm Augusti nomen accepit.] Imperatoris nomen antè omnibus datum quibus exercitus acclamatio deferret; sed Cæsar, vt summam potentiam, id primus in prænomen vertit. & pòst reliqui Principes secuti sunt. testis Dio, Suetonius, Isidorus, alij. Quanquam in exercitu mos solitus omnino non cessârit. de qua re nos alio loco. De Augusti nomine, quod à Senatu delatũ, iam antè à me dictum lib. 1.

Tanquam præsenti & corporali Deo, fidelis est præstanda deuotio.] Tertullianus ad Scapulam: *Colimus ergo,* inquit, *Imperatorẽ sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominẽ à Deo secundũ, & quicquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem.*

Imperator quo modo colendus.

Qui Deo regnat auctore.] Regis Gothici non Gothica sententia, digna, quæ huic Vegetianæ subscribatur: *Quam maximè causa regiæ dignitatis supernis est applicanda iudiciis: quia ipse nihilominus ordinauit, cui suos populos parêre cognouit.* ex Cassiodoro lib. 10. Variarum cap. 31.

Quis sit desertor.

Emansor quis.

Non deserturos militiam.] *Desertor* à Modestino vocatur, *qui per prolixũ tempus vagatus, reducitur. Emansor qui diu vagatus ad castra regreditur.* l. desertorẽ, ff. de re militari. *Lenius autem*

delictum

delictum emansoris habetur; vt erronis in seruis: desertionis grauius, vt in fugitiuis, l. qui cum vno §. edicta. ff. eodem tit. *Desertor etiam habetur, qui quis belli tempore abest à signis*, l. 1. C. de desertoribus. Testis quoque Appianus lib. De bellis Punicis, pro desertoribus lege castrensi habitos, quotquot vlteriùs secederent, quàm vnde signorum cantus audiri posset: & quicquid tales committerent, exercitui imputatum. Attamen inter ipsos desertores distinctio seruatur. qui in pace deserunt, si equites sunt, gradu pelluntur: si pedites, militiâ mutant; in bello idem admissum, capite punitur, l. non omnes, ff. de re militari. In puniendis autem desertoribus ratio etiam habita ordinis, stipendiorum, gradus militiæ, loci, vel muneris deserti, & anteactæ vitæ. tum & illud in quæstionem venit, si cum altero, vel cum pluribus quis deseruerit; tum quo in loco apprehensus sit, eadem l. non omnes. Desertori quoque dum abest stipendia non currunt, l. cùm allegaris, C. de re militari. Nec donatiua, l. prima, C. eod. & l. ex caussa, ff. de re militari. Vtrumque autem accipere, hoc est, & stipendia & donatiua medij temporis, possunt, cùm in eorum restitutione principalis liberalitas specialiter hoc indulget; l. qui excubias, ff. de re militari. Si in desertione vita fungantur, cedunt illa fisco, l. 4. C. de re militari. Seuerius nescio, an contumeliosius puniendi genus, quo Spartani in desertores vtebãtur: Imprimis omni magistratu repellebant, ad matrimonia non admittebant; obuius quisque, cùm volebat, cædere poterat; ipsique squalidi abiectique circumibant, ista sustinentes, barbam partim radebant, partim nutriebant, pallia consutis diuerso colore pannis ferebant; vt in Agesilao prodidit Plutarchus.

Grauius alterius crimen.

Qui habiti pro desertoribus.

Desertores distinãti:

Quæ ratio eos puniendi.

Desertoribus dum absunt, stipendia non currunt: Etiam donatiua perdunt: Recipiũt, si Princeps in restitutione specialiter hoc indulsit. Desertorũ commoda, si moriantur, fisco cedunt. Spartani contumeliosissimè puniebant desertores.

AD CAPVT VI.

In vna legione decem cohortes esse debere.] Et hinc est, cur in vna legione decem onagri fuerint, qui singuli, per singulas cohortes, in carpentis bobus portabantur, hoc lib. cap. 25. Cohors peditum erat, vt & centuria, seu manipulus; turma equitũ. Vegetius hoc eodem lib. cap. 14. Cincius sexto De re militari. In vna legione centurias cõstituit sexaginta, manipulos triginta, cohortes decem. cuius fragmentum apud Agellium lib. 16. cap. 4. Nomen cohortis explanat Varro lib. 4. De ling. Latina: *Cohors, quòd vt in villa,*

Cohors peditum. Turma equitũ.

Cohortes in legione decem.

Cohors vnde nominatur.

ex pluribus tecteis coniungitur, & quiddam fit vnum : sic hæc ex manipulis copulatur cohors. De Rom. & aliorum cohortibus, vide Plutarchum in Pelopida: & adiunge, si lubet, Alexandrum Neapolitanum lib. primo Genialium cap. quinto.

Aquila præcipuum signum.

Hæc enim susçipit Aquilam: quod præcipuú signum in Romano est semper exercitu.] Aquilam præcipuum in legione signum fuisse, historiæ mille locis indicant: ex quibus etiam illud discimus, Aquilifero hoc signum in hostes ferente, aut Imperatore id in hostes confertos, aut castra hostium proiiciente, partam sæpe Romanis victoriam. Primum eius rei exemplum apud Florum *lib. 1. cap. 11.* apud Ammianum lib. 16. Aliud apud Cæsarem *lib. 4. belli* Gallici: apud Liuium lib. 3. extremo, & *lib. 34.* Apud eundem lib. 4. consul signum in castra hostium iniicit, quò

Aquila, & signa in hostes proiecta vt pugna magis accenderetur.

Signiferi tardiores à ducibus interfecti.

acriùs subeant milites. Quin imò non veritus Q. Seruilius Priscus dictator, vnum ex signiferis suis occidere, quòd in ipso dimicandi ardore lentiùs procederet in hostem; Liuio teste lib. 4. Caussa proiiciendorum in hostes signorũ, quòd

Signa amittere valde dedecorosum erat.

summum dedecus esset militibus, signa amittere, aut deserere. indicat Ouidius 3. Fastorum:

Non illi cœlo labentia signa tenebant;
Sed sua, quæ magnum perdere crimen erat.

Vna aquila tantùm in singulis legionibus; Signa tot, quot cohortes.

Id porrò tyrones ex me discere cupio, in quaque legione vnã tantùm aquilam fuisse; signa plura. imò tot, quot erant cohortes: Vegetio teste lib. 2. cap. 13. & Lucano poëtâ lib. 1.

———per signa decem felicia castris,
Pérque tuos iuro quocunque ex hoste triumphos.

Accedit & Tacitus primo Annalium: *Eò furoris venêre, vt tres legiones miscere in vnam agitanerint; depulsi æmulatione, quia sua quisque legioni eum honorem quærebant, aliò vertunt, atque vna tres aquilas, & signa cohortium locant.* De cetero, qualis & quanta, & ex qua materia ea aquila fuerit, tradit Iustus Lipsius in Commentario suo ad Annales Corn. Taciti. De eadem Dio in Pompeio: *Aquila aurea, sic enim appellatur, quæ sacellum habet perexiguum, in quo collocata est, quæ longissimæ hastæ adfixa, gestatur in omnibus exercitibus, ex delectu comparatis. cuius quidem hastæ pars inferior peracuta est; ita vt possit in terram defigi. ea inquam aquila cum Crasso Euphratem transire noluit, sed terra vix potuit anelli.* Istiusmodi aquilæ cum sacellis in nummis, ni fallor, visuntur. vnus apud me (quem dono accepi ab adolescente nobili

Aquila quanta, & ex qua materia.

Aquilæ sacella.

Bartho-

Bartholomæo de Treslong) Imperatoris Constantini cum hac inscriptione CONSTANTI. ·.·.·.·.·.·. In cuius altera parte ea signa, hac forma, quæ mihi illa sacella aquilarum videntur.

Nummus Constantini.



Aquilæ primam inuentionem Ioui ferè tribuunt, quem illa, pro insigni, vsum ferunt; alij in naue, alij in legione. qua de re videndus Lactantius, & Isidorus lib. 18. cap. 3. Sunt qui ad Romanos à Troianis translatam putent; inter quos Mapheus Vegius: *Atqui legionibus Romanis aquilam C. Marius in secundo consulatu suo propriè dicauit. Erat & antea prima cum quatuor aliis, lupis, minotauris, equis, apris, quæ singulos ordines anteibant. Paucis antè annis sola in acie portari cœperat, reliqua in castris relinquebantur. Marius in totum ea abdicauit. ex eo notatum, non ferè apud legiones vnquam hybernatum esse, in castris, vbi aquilarum non sit iugum.* quæ verba Plin. ex lib. decimo Naturalis historiæ, cap. 4. & notauit Batauiæ nostræ alterum decus Hadrianus Iunius, libro 3. Animaduersionum cap. 2. De Minotauro, de manipulis, de imaginibus Imperatorum, & pilis, de labaro, alibi dicturus sum. de apris Festum audiamus: *Porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat; quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsa porca fœdus firmari solebat.* De ritu isto fœderis ineundi, consulendus Liuius lib. primo, Varro De re rustica lib. 2. cap. 4. Virg. Æn. 8. Quintil. lib. 8. cap. 3. Festus in *fœdus* & *feciales*. Ceterum ad signa nos redire oportet, quorũ primam in bello originem solicitè quãdoq. quæsiui, & Ægyptiis nunc video tribuendam, apud quos magna religione cultum Taurum, Apim, cæteraque animalium genera, historiæ ac Poëtæ loquuntur. Caussam eius latriæ solus Diodorus Siculus edocere potest, qui libro secundo auctor est, veteribus illis Ægyptiis nullam omnino militarem disciplinã fuisse; & cùm à vicinis bello sæpiùs superarentur, excogitasse ferre aliquod insigne, quod milites sequerentur. Figuras igitur animalium, quæ pòst coluerunt, in tabulis

Aquila signum Iuppiter inuenit.

A Troianis ad Romanos manauit.

Lupi, minotauri, equi, apri inter signa militaria.

Porcus quinto loco inter signa.

Ægyptij primi inuentores signorum bellicorum.

pictas ductores eorum in bello tuliſſe. inde cognitum, ſeruatumque, ſub quo militaret quiſq. ordine, victoriamque conſequutos. Porrò vt litteras, & ſigna in vexillis Rom. fuiſſe Vegetius ſcribit lib. eod. cap. 13. vt eas litteras milites legentes, vel inſpicientes, aberrare in quantouis tumultu à ſuis non poſſent: itidem veroſimile eſt figuras illas beſtiarum non pro nudo & muto ſigno ab Ægyptiis prælatas, ſed vt pro litteris, & ſcriptura eſſent. ſolet enim is populus, ſingulis figuris, ſeu litteris, ſingula nomina exprimere, & verbis nonnunquam ſignificare ſententias totas. ſic *vultur, naturam ſignificabat: auis, regem,* Ammiano teſte lib. 17. De cæteris Ægyptiorum Hieroglyphicis notis adnotârunt Diodorus lib. 4. Strabo, Plinius, Plutarchus, Sozomenus, & ſacræ hiſtoriæ non indiligens auctor Ruffinus. Cæterùm ne quis hunc diſciplinæ militaris ritum temerè ab Ægyptiis à mederiuari contendat; doceo optima quæq. militaria præcepta ab Ægyptiis ad Spartiatas ſeu Lacedæmonios per Lycurgum tralata: teſtantibus ſcriptoribus aliis; & diſertim ipſo Plutarcho in vita Lycurgi. Deinde ab his, vt etiam à cæteris Græcis multa ad Romanos manaſſe, teſtis mihi, qui inſtar omnium eſt, M. Tullius Cicero, in prima Tuſculana, in epiſtola prima ad Q. fratrem; & ipſe adeò Vegetius lib. 3. prologo, & cap. 10. & 17.

In vexillis Rom. ſigna, & litteræ.

Ægyptiorum notæ Hieroglyphicæ.

Lacedæmonij omnem fere diſciplinam militarem ab Ægyptiis acceperunt: Romani à Græcis.

Hæc imagines Imperatorum, & præſentia ſigna veneratur.] In codice M. *hic imagines Imp. & præ. ſigna veneranter.* Magna olim militaribus ſignis deuotio religioque delata eſt. *Numina legionum* appellat Tacitus 2. Annalium: alibi *bellorum Deos*. adorari quoque ſolita oſtendam infra de *Labaro*. Imperatorias autem imagines in ſignis militaribus fuiſſe, teſtatur Iſidorus lib. 17. cap. de ſignis, Suetonius, Tacitus non vno loco. Vnius Herodiani teſtimonium audi ex lib. 8. in vita Maximini: *Poſtquam de ſignis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio, vt ad eos loqueretur, continuò obtruncant.* Quo ex loco & illud didiciſti; cùm ad defectionem res tenderet, imagines illas à ſignis fuiſſe reuulſas. quod & Tacitus primo, & quarto Hiſtoriarum teſtatum reliquit. Neque eius ſolummodò, qui exercitus in præſentiarum regebat, imago in ſignis colebatur, ſed & aliorum, quibus Imperator hoc permittebat. Suetonius Tiberio: *Quædam munera Syriacis legionibus dedit, quòd ſolæ nullam*

Signis militaribus multum veligionis deferebant.

Imagines imperatorij in ſignis.

Imagines iſtæ auulſæ in defectionibus.

Quorum imagines in ſignis poſitæ.

nullam Seiani imaginem inter signa coluissent. Imperator Macrinus in honorem filij sui, in castris signa & vexilla Antoniniana fieri præcepit: vt auctor est in Anton. Diadumeno Ælius Lampridius. Etiam eorum quibus id populus deferebat. Tacitus 4. Annal. *Simul populus effigies Agrippinæ ac Neronis gerens, circumsistit curiam.* Ibidem paulò pòst: *quid reliquum, nisi, vt caperent ferrum, & quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces, imperatoresq; diligerent?* Etiam eorum qui antè vita functi erant. quod mihi indicare videntur Germanici verba, apud Tacitum, in concione ita exclamantis: *Tua, dive Auguste, cœlo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem cum militibus, quos iam pudor, & gloria intrat, eluant hanc maculam.* Imperatores Rom. post mortem tantùm in Deos referri solitos alibi doceo: horum quoque signa in castris ab obitu, Deorum simulacra appellare videtur Tacitus Annalium quintodecimo: *Magna vtrimque specie, inde eques compositus per turmas, & insignibus patriis: hinc agmina legionum stetère fulgentibus aquilis signisque, ac simulacris Deûm in modum templi.* Atq. illa opinio mea de hoc loco Taciti: quanquam istic vir doctissimus vocem *Deûm* tanquam additiciam inducendam censuerit. Sueton. Calig. *Aquilas & signa Romana, Cæsarumq; imagines adoravit:* cap. 14. Neque solis in imaginibus, is honos mortuis habitus. Nam apud Macedones & Tabernaculum Alexandri in castris semper erectum, etiam post mortem: Plutarcho, & Diodoro auctoribus. Imaginum ille vsus, cùm ob alias, tùm etiam ea de caussa, vt opinor, inuentus; vt milites in expeditionibus eas intuentes, tam defunctorum, quàm viuorum memores, studio imitationis in hostem audaciùs irent, & ob venerationem, militarem disciplinam diligentiùs seruarent. Non absimilis ritus apud antiquos in gymnasiis, vbi non modò simulacra Deorum, sed & philosophorum imagines proposuêre. De priori testis Apuleius in lib. de Dogmate Platonis, vbi de ara, Cupidini in Academia consecrata. testis quoque Lactantius libro 1. cap. 10. De altero multa Sidonius Apollinaris ad Faustum scripserat, quæ ab eo pòst mutuatus Petrus Crinitus lib. 1. De honesta disciplina, cap. 11. eoque pertinet inscriptio vetus, quæ Romæ in Auentino ad D. Alexij:

Etiam imagines defunctorum in signis.

Imagines illas defunctorum, simulacra Deûm videtur appellasse Tacitus.

Taciti lectio confirmata.

Alexandri tabernaculum in castris etiam post mortem erectum.

Imagines, quare videantur gestata.

Imagines Deorũ in gymnasiis: Ibidem & Philosophorum.

TI. CLAVIVS. SECVNDVS. COACTOR. CVM. TI. CLAVDIO TI. QVIR. SECVNDO. F. VIATORIBVS. III. VIR. ET IIII. VIR.

Athenæus lib. 5. in descriptione nauis quadraginta ordinum varia animalia expressa agnoscit; etiam duodecim cubitorum. id an ad hostium terrorem, iudicent alij. Inter nummos M. Antonij, esse scio vbi in nauis prora Antonij caput expressum est.

Imagines imperatorum in manibus.

Nummus M. Antonij.



Imagines bonis ducibus etiam in vrbe erectæ.

Neque solùm in castris, & bello, honorem illum viris magnis, bonísque ducibus Romani deferebant. Romæ enim viuorum quoque Imperatorũ imagines erectæ, cultæ: Suetonius Caligula. Etiam in prouinciis imagines & titulos honoris caussa, tribuni militum viui, & alij meruêre; Suetonius Tito. Etiam in Pompis publicis ducum defunctorum imagines Romæ circumuectæ: testes mihi Appianus De bello Hispan. de Scipionis sola imagine ex Capitolio tracta; cùm aliorum ex foro traherentur: & Valerius Maximus lib 6. cap. 15. Fuit & alibi magna antiquorum superstitio circa maiorum imagines. Nam in atriis domorum cereæ imagines singulis disponebantur armariis. has ita colebant, ac si illi, quorum vultus exprimebant, vixissent. Diebus festis & in lætitia, sertis floribusque ornare, præsertim die natali, solebant. In luctu, tanquam conscios, deformabãt. In exsequiali pompa extra ædes proferebant, & longa serie, velut familiæ décora repræsentabant. docet Tacitus 4. Annalium, Iuuenalis satyra 6. & 8. & obseruauit Alexander Neapol. lib. 5. cap. 24. & lib. 3. cap. 7. Præterea, vt imagines illæ atrienses, item signa legionum in lætitia, obuiam itionibus ornabantur. Claudianus:

Etiam tribuni imagines & titulos in prouinciis meruerunt.

Imagines ducum in pompa publica circumuectæ.

Imagines in atriis domorum.

Eadem quamodo cultæ.

In funere elatæ hæ imagines.

Signa militaria quando ornata.

Lætaturq;

Lætaturq; tamen, Mauortia signa rubescunt
Floribus, & subitis armantur frondibus hastæ.

De quo ritu præclarè amicus noster Iustus Lipsius apud Tacitũ. Etiam vncta signa in lætitia legimus apud Plinium lib. 13. Naturalis historiæ cap. 4. Eodem modo & simulacra quondam præter coronarum ornatum, & vnguentis vncta, primus obseruo ex Minutio Felice: *Non boni viri est*, inquit, *Marce frater, hominem domi forisq; lateri tuo inhærentem, sic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deserere, vt tam inculento die, in lapides eum sinas impingere, effigiatos sanè, & vnctos, & coronatos.* Sed ad formam signorum transeamus. Aquilæ quales fuerint, manifestum ex nummis, quos huic cõmentario plures inserui. Signa reliqua non aliud olim, quàm oblongæ hastæ, quibus in summo breue transuersum appositum lignũ tantùm non ad formam crucis. In medio titulus COH. VI. COH. VII. &c. pro numero. quod apud Tacitum docet I. Lipsius. Cæterùm quòd pilæ signum ad solas Imperatorum imagines quidam trahere velint, quæ tanquam clypei, & velut in suggestu altera super alteram ponuntur, nondum mihi persuadere potuerunt. Isidorus lib. 18. cap. 3. *Pilam*, inquit, *in signa cõstitmisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto orbe subiectas; vt magis figuram orbis ostenderet.* Imperatorum imagines signa diuersa fuisse, ab aquilis, & reliquis signis, dubiũ esse cuiquam non potest. Vegetius hoc lib. c. 7. *Aquiliferi, qui aquilam portant: Imaginarij, vel imaginiferi, qui Imperatoris imagines ferunt.* Tum & illud nemini ignotũ, pilas illas, circulos, siue clypeos, in omnibus ferè signis cõspici. quod sciunt qui veterum monumẽta, & nũmos tractant. videbis infrà in nummis Galbæ. Ex quibus ostendo ritũ & morem veterum, qui fuit in alloquendo exercitu. & ibi pilas illas conspicies supra se mutuò positas: etiã in iis hastis in quarum summitate insidet aquila. Hoc ampliùs: similes clypei seu globuli reperiuntur in nũmis C. Valerij Flacci cos. anno Vrbis DCLX. In nũmis C. Flauij Fimbriæ cos. anno DCXLIX. In nummis M. Cornelij Cethegi cos. anno DXCIII. Neque tamen libera rep. in iis signis cuiusquam imagines poni potuerunt. Vides quàm obscura hæc res sit.

Simulacra etiam vncta.

Signa aduersum qualia.

Pila inter signa militaria.

Imagines diuersa signa ab aquilis.

Pila seu globuli siue circuli in signis, etiam libera rep.

Habet pedites mille centum quinque.] Si numerus hic rectè se habet, vt eum tuentur omnes libri, erant in millenaria cohorte gregarij pedites mille, quinque item

Millenaria cohortis explicatio.

Ordinarij

In ea centum decani.

Ordinarij, à quibus illi regebantur: teste Vegetio hoc libro cap. 8. Sed quid illis centum qui superant faciamus? eos dico esse decanos, & capita contuberniorum. tot enim arithmetica demonstrabit, si secundum disciplinam militarem, atque ipsum Vegetium hoc libro, cap. 13. & cap. 25. singulis contuberniis, id est, decem militibus singulos præfeceris decanos. Eo posito recta etiam erit numeratio totius legionis, quam Vegetius fuisse indicat peditum sex millium centum, equitum septingentorũ viginti sex. Tantum enim videbis hominum si cohortis primæ peditibus 1105. addideris nouies 555. Et primæ Cohortis equitibus, qui sunt 132, addideris nouies 66. Cæterùm vt primæ cohortis pedites interpretati sumus, itidem de aliis faciẽdum est cohortibus: in quibus singulis pedites sunt 555. In his prior ille numerus, quinq. centurias indicat; secũdus quinquaginta decanos, qui in singulis centuriis decem esse debent: tertius verò numerus, ipsos quinque centuriones. Sed nunc ad turmas: in quibus singulis equites 32. numerantur. Tales in prima cohorte quatuor, efficiunt simul equites 128. Sed qui desideratur hic numerus, vt computus cum Vegetio conueniat; eos dico esse quatuor decuriones: qui singuli singulis turmis præpositi, secundũ Vegetium hoc lib. cap. 14. In reliquis cohortibus equites 66. qui numerus complectitur duas turmas cum duobus decurionibus.

Decanus vndecimus erat, & caput contuberniij.

Legio, pedites habet sex millia centum; equites DCCXXVI.

Cohors prima seu millenaria habebat equites CXXXII.

Reliquarum cohortium explicatio.

In quibus singulis quinque centuriones, & Decani L.

Decani in singulis centuriis decem.

Turma erat equitum XXXII.

Primæ cohortis equites explicati.

Equites loricatos centum triginta duos.] Membranæ H. *duo.* & ita veteres, quarto casu, *duo*, declinasse alibi doceo. Abeunt nescio quò S. N. & duo Susij, in quibus legitur *triginta sex*; augent enim hanc milliariam cohortem, quatuor equitibus. Itidem faciunt in numero legionis infrà, hoc eodem capite; vbi duo Susij C. S. N. & ipse H. (cõsentiente etiam vtrobiq. Accursio nostro in l. 2. ff. de his qui notantur infamia,) equites recensent *septingentos triginta*, cùm in aliis ponãtur solùm *septingenti viginti sex*: vt iam antè inita ratione declarauimus. Sed de hac pugna pòst agemus.

Duo, pro duos.

Dissensio librorũ in numero millenaria cohortis.

Et legionis.

Hæc caput est legionis.] In H. & altero Susij, *Hæc prima est apud legiones.*

Et appellatur cohors quingentaria.] Exemplar M. *Quinquagenariam* cohortẽ vocat: H. *quinquagintariam.* sed operarum illa menda sunt: nam vt prima cohors millenaria vocata fuit, à numero gregariorum militum; itidem hæc, & sequen-

Quingentaria cohors, vnde dicta.

& sequentes omnes, à quingentis gregariis, quingentariæ rectè appellatæ. Spartianus in Hadriano cohortis quinquagenariæ meminit. ea autem quingentaria vocanda est; aut ego, quænam illa sit, planè ignoro.

Spartiani locus suspectus mihi.

AD CAPVT VII.

PRINCIPALIVM militum, & (vt proprio vtar vocabulo) principum nomina.] Legendum, *principiorum nomina*; iubentibus omnibus libris. & errant, qui principia in ordinibus tantùm fuisse existimant. Nam *principia*, milites ipsi dicebantur, & quidem castrensi vocabulo; etsi etiam principes vocati. sed iis moribus hodie viuitur, non credunt, nisi testes demus. Frontinus, qui ad manus est, lib. 2. Strateg. cap. De insidiis, numero 30. *quo missa principia quietem omnibus castrensibus dabant.* Ammianus lib. 15. *Et sensim cum principiorum verticibus secretius collocutus, iisdem magnitudine promissæ mercedis adnisis, cultu purpureo draconum, & vexillorum insignibus ad tempus abstracto, ad culmen imperiale surrexit.* Idem lib. 22. *Præsentibus Iouianorum Herculianorumq; principiis & tribunis.* Idem lib. 25. *Collecti*, inquit, *duces exercitus, adnocatisq; legionum principiis.* Itidem *& numerorum principia*, idem Ammianus vocauit lib. 28. extremo. Hæc cui non facient satis, is adeat l. 1. C. de veteranis; & l. iubemus, C. de erogatione militaris annonæ. ibi enim confirmatam hanc meam opinionem videbit satis superque. nec dubito, quin statim pedibus in meam sententiam iturus sit.

Principia ipsi principes vocati, more castrensi.

Explicata l. 1. C. de veteranis: & l. iubemus, C. de erogat. militaris annonæ.

Tribunus maior per epistolam sacram Imperatoris iudicio destinatur.] Scrinia Imperatorũ diuersa fuerunt: inter ea scrinium sacrarum epistolarum. ibi hæc epistola scripta, tradita; & ibidem conseruatum fuit eiusdem exemplum, vt infra docebo.

Scrinia Principũ diuersa fuerunt.

Quos ex tribu primus Romulus legit.] Tribunos à Tribu vocatos certum est, tres autem ex numero tribuum à Romulo primùm lectos, testãtur Liuius, Auctor de viris illustribus, Plutarch. in Romulo. Posteà, exactis regibus, & libera Repub., dũ magna cõtentio fuit de plebeis ad consulatũ admittendis; eò dilapsi sunt, vt tribuni militum consulari potestate, partim ex plebe crearentur. & creati indictis comitiis tres, anno Vrbis conditæ CCCX. teste Liuio lib. 4. & Dionysio Halicar. lib 2. Inde etiam

Tribuni à tribu.

Tribuni militum consulari potestate: Partim ex plebe, partim ex patribus:

Tres numero:

Sex numero.

etiam ab interrege L. Valerio Potito,& sequentibus comitiis,sæpe sex creati, eadem potestate:Liuius lib.5. Etiam decem numero creati fuerunt,& ampliùs. Põponius IC^tus in l.2.ff.de origine iuris, *Hiq; constituti sunt vario numero;interdum etiam viginti fuerunt; interdum plures, nonnunquam pauciores.* Locus ille maximis in Gallia viris,G. Budæo, & Lud. Russardo, suspectus, quòd non meminerint viginti lectos esse: ideoq. legunt,*interdum etiam seni fuerunt.* Viginti lectos fuisse, ex ipso Liuio docebo: at plures lectos,non memini.Liuius lib.3. *Ibi*,inquit,*coniuncti alteri exercitui, viginti tribunis militũ negotium dederunt,vt ex suo numero duos crearent, qui summæ rerũ præessent. M.Oppium Sextum Manilium creant.* factum autẽ id cùm à patribus plebs secessisset, decem tribunis in Vrbe, decem itidem in castris electis; vt ab eodẽ Liuio docemur. Deinde placuit,nõ comitiis,sed suffragiis ad legiones Tribunos militum fieri,Q. Seruilio Ahala, L. Genutio secundùm coss. anno Vrbis CCCXCI. vt auctor est Liuius lib.7. A consulibus,dictatoribus lectos, *Rufulos*, mox *Rutulos* appellarunt, à Rutilio Rufo COS. qui de imperio illorum primus tulerat. testes Asconius Pædianus, & Festus. Qui populi suffragio, & Tribuni plebis rogatione fiebãt, dicti Comitiati.qui militum suffragio in castris fiebant, dicti Suffecti. Tandem ad Imperatores,cum tota re Romana,hæc potestas quoq. deuoluta.ij tribunos delegerunt homines insigni testimonio, in quibus esset specimen magnæ & expertæ virtutis. quorum munus quale fuerit, discę ex Vegetio hoc lib. cap.12. Hadrianus Cæsar post Octauiũ primus disciplinæ militaris restaurator, non alios,quàm prouectæ ætatis viros,prudentiæ summæ,doctos ætate,& vsu,ad tribunatum euexit. neminem ad eum gradũ prouexit,nisi plena barba,aut eius ætatis, quæ prudentiâ & annis tribunatus robor impleret; quemq. non honor militum,sed iustitia commendaret:testãte in eius vita Spartiano. Fuit autẽ prisci moris, vt cùm Princeps ad tribunatũ quempiam eueheret, gladium ei in manũ daret,insigne imperij,dicens:*En accipe gladiũ. quòd si hic quidẽ Principe dignus est,vtere pro me.* Notauit hoc Crinitus lib.5.c.6. Eadem vsus formula Traianus, cùm Suram prætorianis cohortibus præfecit: *Accipe*,inquit,*gladiũ, quem pro me, si benè atq. ratione imperauero,distringes:sin minùs,eo ad interitũ meum vtere*: Dio in Traiano. Sudæ verba adiicio,quòd ipsa Græca,nescio

Defensa partim lectio in l.ff.de orig. iuris.

Tribuni cõsulari potestate viginti.

Tribuni militum comitiis fieri desierunt. Lecti suffragiis ad lectiones. Rufuli alij.

Alij Comitiati:

Alij suffecti.

Tribuni creati à Principibus;

Et quales.

Hadrianus Cæsar militaris rei restaurator.

Quales ipse Tribunos legerit.

Tribunorum creandorum ritus

Gladius tribunorum insigne.

ca,neſcio quo pacto,cultius,atq. grauius rē ipſam exprimere videantur. ſunt autē hæc: Δέξαι τὸ ξίφος τοῦτο, καὶ εἰ μὴ καλὸς ὑπάρχω, ὑπὲρ ἐμοῦ· εἰ δὲ μή, κατ' ἐμοῦ χρῆσαι. Hunc morem,vt & alios multos veteres, ſuboſcurè attingit Martialis lib. 14. epigram. 32.

Militiæ decus hoc,& grati nomen honoris,
Arma tribunitium cingere digna latus.

Longior interdum ſum,quàm volo.ſed quia hæc prouincia ſuſcepta eſt, ſatisfaciendum iis eſt, quibus hoc meo labore gratum facere volui; id eſt humaniorum litterarū,& ipſius etiam antiquitatis ſtudioſis. Quare facere nō poſſum quin ſubiiciam & alterum inſigne Tribunorum, de annulis,quibus ab aliis diſtincti erant caligatis,ad imitationē ferè conſuetudinis vrbanæ. Vt enim ciues Romani annulos aureos geſtare non poterant, niſi qui ſenatorij ordinis eſſent,& equeſtris,auctore Dione in Auguſto; & quemadmodū annuli equeſtrem ordinem,à plebe;& rurſum tunica ſenatum ab annulis diſtinguebat, teſte Plinio lib. 33. cap. 1. eodem modo etiam belli,Tribunos militares annuli aurei,à cetero militum vulgo ſecernebant;cùm hi ferreis tantùm,illi ſolis aureis vterentur: vt me docuit Appianus de bello Punico. At poſtea Imperator Seuerus militarem diſciplinam omnem,ducumque reuerentiam ſubuertens,primus frumenti ſummā militibus adauxit, annuliſq. aureis vti paſſim permiſit. auctorem habeo Herodianum lib. 3. De Carthaginienſibus quoque illud memoriæ proditum eſt, pro expeditionum numero,in quo meruiſſent, annulorū ornatum retinuiſſe: Ariſtoteles in Polit. Crinitus lib. 4. De honeſta diſciplina,cap. 12. Sed & ea inſignia quibus Centurio decorabatur,huc pertinere arbitratus ſum. Is vitem accipiebat, eaque milites,puta ob leuiora delicta, puniebat. qua de re alibi nobis ſermo erit. Interim ne hoc adfirmaſſe tantùm videamur, confirmandum auctoritate veterum ſcriptorum. Lucanus libro ſexto, de Scæua Centurione:

Tribunorum alterum inſigne.
Senatorij ordinis annulos aureos geſtabant:
Item equeſtres.
Hi annulis à plebe diſtincti.
Senatores ab equitibus tunicæ diſcernit.
Tribuni militum annulis aureis vſi:
Ferreis ceteri milites.
Seuerus diſciplinam maiorum corrupit:
Annulos paſſim aureos permiſit.
Annulos pro expeditionum numero Carthaginienſes adſciuâ-runt.

Scæua viro nomen, caſtrorum in plebe merebat,
Ante feras Rhodani gentes; ibi ſanguine multo
Promotus, Latiam longo gerit ordine vitem.

Centurionis inſigne, vitis.

Item Silius Italicus de Ennio poëtâ:

Ennius antiqua Meſſapi ab origine Regis,
Miſcebat primas acies, Latiæq; ſuperbus
Vitis adornabat dextram decus. ——————

Ordinarij

Ordinarij dicuntur, qui in prœlio primos ordines ducunt.] Certandum denuo cum illa veteri hydra variorum capitum, quod velim liceret rariùs facere. In C. & P. *qui prœlio præsunt, & primos*, &c. M. *qui primi sunt, & quia ord. du.* S. *quia primi sunt, ordines dicunt.* N. *qui in prœlio, quia primi sunt, ordines ducunt.* Nec video quid ex iis melius edita lectione erui possit; cùm in prima, id est millenaria cohorte, quinque ordinarij ponantur, hoc lib. cap. 8. & cap. 15. omnes in prima acie pugnãtes principes, Ordinarios appellat. Subdubitare cœpi, an sub illo, *ordines dicunt*, aliquid lateat. quasi ipsos ordinarios milites, ordines vocârit; vt paulò antè principales, principia. qua phrasi, illa in Codice Iustiniano, *apparitio, procuratio, officia*, &c. pro *apparitore, procuratore, officialibus*, seu *ministris*, &c.

Procuratio, apparitio, pro procuratore, apparitore.

Flauiales item tanquam secundi Augustales à D. Vespasiano sunt legionibus additi.] Amissa libertate reip. quemadmodum ab Imperatoribus Rom. penes quos ius, arbitriumque rerum omnium fuit, multa immutata in re forensi, Sueton. Octauio: Idem factum ab iisdem & in re castrẽsi: nouæ militares leges, noua in castris instituta, noua arma, noua etiam militum nomina interim introducta. de Augustanis, quos Neronem; de Dacisianis, quos diuum Claudium milites legisse ferunt; de Ostensionalibus, scribit Alexander Neapol. lib. 6. cap. 22. De Iouianis & Herculianis suprà à me dictum est; item de Primanis, secundanis, decimanis, vigesimanis, &c.

Principes Romani in re forensi multa immutârunt:

Item in disciplina castrorum.

Augustani milites.

Imaginarij, vel imaginiferi, qui imperatoris imagines ferunt.] Codex H. comma illud, *vel imaginiferi*, non recipit: alij mss. & excusi loco *ferunt*, legunt *portant*. & sic aquiliferi, & signiferi dicuntur portare, hoc eodem capite.

Optiones ab optando appellati, quòd antecedẽtibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum, atque vicarij solent vniuersa curare.] *Procurare*, scribunt alter Susij, & H. sed hic totum illud, *antecedentibus ægritudine præpeditis*, resputt. iterum ille Susij, & H. *hi tanquam adoptati, cum eorum vicario solent vni. procurare.* eam lectionem vt minùs ausim recipere, facit, quòd optiones tribunis, centurionibus decurionibusque fuisse videam; vicarios autem eosdem habuisse nondum didicerim. De optionibus decurionum disertè Varro lib. 4. De lingua Latina, *Decuriones dicti, qui*

Vicarios an Tribuni habuerint.

Decuriones qui.

qui abeo in singulis numeris sunt etiam nunc terni, quos hi primò administros ipsi sibi adoptabant, Optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt. De Optionibus ita Nonius Marcellus: Optiones in cohortibus, qui sunt honesti gradus, vt optatos, quod est electos, & adoptatos, quod adscitos. Varro lib. 3. De vita pop. Rom. Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, vt semper plenæ essent legiones, à quo optiones in turmis decurionum, & in cohortibus centurionum appellati. declarat quoque inscriptio vetus:

Tribunis non semper datum fuit optiones facere.

Optiones supplendis legionibus.

C. LVCILIVS. C. F. VEL. VINDEX
MIL. COH. VI. PRAET. VIX. ANN. XXX.
MILITAVIT. ANN. XII. PRINCIPALIS.
BENEFICIARIVS. TRIBVNI
DEINDE. OPTIO. IN. CENTVRIA

Optio, teste Festo, anteà dicebatur Accensus, qui dabatur centurioni adiutor à tribuno. Si Catoni credimus, & decurionatus, & optionatus quondam fuerant bonis tantùm, ac strenuis parata. quod ille scriptum reliquit, in ea, quam apud equites habuit. Inclinante verò imperio alia huius verbi notio fuit. Iunius in suo Nomenclatore ex Suetonio Optionem interpretatur, qui excubiarum negotium obiret per oculatos inspectores, ipse excubiis præfectus. Certè apud multos, & idoneos scriptores optio, pro eo est, qui alteri vicariam operam præstat, neq. id solùm in castris. Sic Speculator optionem habet apud Vlpianum, ff. de bonis damnatorum. & optio fabricæ est l. vlt. ff. de iure immu. quē tamen custodē fabricæ ibidē interpretatus Turnebus.

Optio dicebatur antea Accensus.

Optionis alia significatio.

Signiferi, qui signa portāt, quos nunc Draconarios vocant.] Cur ipsis signiferis id nomen Vegetij æuo, docet hoc libro cap. decimotertio: *Dracones etiam per singulas cohortes à Draconariis feruntur ad prælium.*

Draconis signum in singulis cohortibus.

Tesserarij, qui tesseram per contubernia militū nunciant.] Nuntiabantur tesseræ scriptoris nostri ærate, & antea. signa vocalia alibi appellauit, quòd voce humana pronuntiarentur, vel in vigiliis, vel in prœlio, lib. 3. cap. 5. At stante republica alius modus dādæ tesseræ fuit: taleola enim illi vsi, seu tabella lata inscripta τὸ σανιδεῖον Polybius appellauit, & ξυλήφιον, vt notat Turnebus lib. 19. Aduers. cap. 26. Glossarium vetus, Tesserarij γραμματεῖς. Istiusmodi quoque tesseræ olearię, cœnariæ, ærariæ, frumētariæ illæ, de quibus

Tesserarij.

Tessera, vocale signum.

Tessera per taleolam data.

Tesserę frumentariæ.

passim in historiis. quibus oleum, cœna, æs, frumentum Romæ præberetur. expressas videre est in nummis duobus congiar., quos eruditissimus,& omnis antiquitatis inuestigator diligẽtissimus Io. Sambucus Pannonius edidit. Tesseras autem frumentarias ex ligno & plumbo fuisse, docuit I. Lipsius in suis Electis. addo ego etiam ex ære fuisse: testis Constitutio Valentiniani,& Valentis l. 5. Cod. Theodo. de annonis ciuicis. Redeo ad tesserarios. Probat etiam Iacobus Cuiacius lib. 7. Obseruationum, cap. 33. idque ex Plutarchi Galba Tesserarij,& optionis nomine significari eos, qui nuntiorum & ὑπηρεσιῶν, id est speculatorum ministerio funguntur: ex quo loco appâret non mutatione litterarum dici Spiculatores, quasi ab spiculis potiùs ea appellatio sit; sed quòd ij sint in speculis. Posterior ætas Scultatores nuncupauit, quasi auscultatores. hinc nocturnarum excubiarum tesseras, ex eo ordine, qui tractant, Tesserarij dicti sunt. hactenus Cuiacius. vide, si vacat,& Turnebum lib. 4. Aduers. cap. 7. & I. Lipsium in primum Histor. Taciti. Fuerant nihilo minùs etiam alibi vsurpatæ in re militari tesseræ, ac tesserarij. nam & profectionis tesseræ datæ; Veget. hoc lib. cap. 9. Data etiam tessera ituris in prœlium, Veget. lib. 3. cap. 5. Appianus Bellorum ciuilium lib. 2. in pugna Pharsalica, Pompeianis *inuictum Herculem*: Cæsarianis *Venerem victricem*, pro tessera fuisse, scribit. idemque memorat Ammianus lib. 2. Iterum Ammianus: *Tessera*, inquit, *solemni armatos omnes celeri eduxere procursu.* lib. 14. & lib. 31. Data itidem militibus pransuris. Liuius: *Consul extemplò tesseram dari iubet, vt prandeat miles*: lib. 9. Tesserâ quoque ex hibernis milites euocati: Ammianus, *Nondum adulto vere, missa per militares numeros expeditionali tessera, cunctos transire iussit Euphratem.* lib. 23. Nunc eò veniendum est, vt discamus à quo tessera illa vigiliarum dari solita, & per quem peti, & distribui seu nuntiari. Vegetius à præfecto legionis petendam dicit, lib. 2. cap. 9. *Vigiliarum*, inquit, *sine profectionis tessera ab eodem petebatur*: Polybius verò à Tribuno datam vigiliarum tesseram auctor est. Hæc ita obseruata, si in exercitu non erant, qui maiorem potestatem haberent: si enim Imperatores & duces exercitus præsentes erant, ipsi tesseram dabant. Vegetius ipse indicat lib. 3. cap. 5. *Pro signo dicitur: vtputa, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris: & alia, quæcunque voluerit*

Illæ ex ligno, & plumbo: Etiam ex ære.

Speculatores cur sic vocati.

Tesserarij.

Tessera profectionis.
Tessera prœlij.
Tessera Pharsalicæ pugnæ.

Tessera prandij.

Tessera euocationis.

Tessera vigiliarum a præfecto legionis data:

Data ab Imperatoribus, & ducibus.

luerit dare is, qui in exercitu habet maximam potestatem. Idemque pro me testatur Plutarchus in Sertorio. Ab hoc ipsi Tribuni petere debebant, & inde ipsi militibus distribuebant, vt videre est apud Appianum lib. 5. Bellorum ciuilium : *Tum Lucius*, inquit, *Tribunos misit, vt tesseram à Cæsare acciperent. illi attulerunt ei matriculam, sicut hodieq; mos est, cùm Tribunus petit tesseram , Regi offerre præsentem numerum in libello Diario.* Reliquum etiamnunc & illud est docere , quis primùm distribuendæ tesseræ inuentor fuerit. indicat Plinius: *Ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias inuenit Palamedes bello Troiano*: lib. 7. Naturalis historiæ cap. 56.

Tesseram Tribuni distribuebant.

Tesseram quis primus in bello dederit.

Vigilias quis primus inuenerit.

Campigeni, hoc est antesignani ideo sic nominati, quia eorum opera, atque virtute exercitij genus crescit in campo.] M. *Campigeni , hoc est antesignarij , ideò sic vocati.* Illos antesignanos H. appellat, *antesigna.* Neque minùs dissentiunt veteres libri in sequentibus. In M. legitur, *quia eorum op. atque virtute gens crescit in campo.* H. *exercitij ingens vis creuit campo*: etsi olim in eodem scriptum fuerit, *exercitus genus crescit*, &c. In codice trium coronarum, & ms. N. *exercitui ingens vis crescit in campo.* In altero Susianorum, *quia eorum ope, atque virtute vigens vis crescit in campo.*

Campigeni.

Metatores qui præcedentes locum eligunt castris.] Mensores porrò Vegetius postea vocatos dicit, qui in castris ad podismũ dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant. Atqui Metatores istos alij antecessores vocabant. Mauritius in lib. De militia Romana : *Antecessores*, inquit, *qui ante agmen eunt, & loca castris metandis idonea deligunt, & vias, quà duci exercitus commodè possit, vident. Mensores, qui loca castris metandis metiuntur.* Quæ fragmenta Mauritij, cum aliquot aliis, apud Turnebum reperias lib. vigesimo quarto Aduersariorum cap. 16.

Metatores.

Mensores.

Antecessores: Eorum munus.

Beneficiarij ab eo appellati.] Dictos censet Vegetius ab eo, quòd beneficio tribunorum promouerentur. Militum beneficiariorum meminit Cæsar tertio Bellorum ciuilium. Atqui Suetonius Tiberio: *Venit*, inquit, *etiam in suspicionem per quosdam beneficij sui centuriones à commeatu castra repetentes.* De iisdem inscriptio in lapide Romano:

Beneficiarij, tribuni beneficio promoti.

D. M.
CORNELIO MARCIANO
MILIT. COHORT

XII. VRB. BENEF
TRIBVN. QVI
VIXIT ANNO.
XXV.

Aliter Festus libro secundo De significatione verborum: *Beneficiarij milites dicebantur, qui vacabant muneris beneficio. è contra munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus reip. faciebant.*

Beneficiarij vacantes.

Librarij. Librarij ab eo, quod in libros referant rationes.] De his accipienda illa inscriptio vetus Tarraconensis nunquam ante hac euulgata:

C. TADIO. C. F. IANVARIO. PISAVRENSI.
VIXIT. ANN. XXXIIII. C. TADIVS
LVCANVS. LEG. VII. G. F. LIBR.
OPTIME. DE. SE. MERITO

Librarios. Interpretor *Legionis septimæ Geminæ Felicis librarius.* De libratoribus paulò pòst agemus. & de illis, mea opinione, hæc inscriptio accipienda non est.

Tuba directa. Buccinatores, qui tuba, vel ære curuo.] Tubam directam ipse Vegetius infrà describit lib. 3. cap. 5. Ouid. 3. Met.

Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat. ———

Cornua in se reflexa. Cornicines, cum cornibus in se reflexis, exprimendos curauit in sua castrametatione D. Guilielmus de Choul. Tubas directas videas passim in nummis veteribus, præsertim in quibus tropæa sunt.

Committere prælium. Vel buccina committere prœlium solent.] Verbum *committendi* hîc amo. nam de exercitibus, & aciebus, quæ inter se componuntur, id est, in certamen, & pugnam exponuntur, dictum est. neque aliud quàm poëtæ istud:

Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.

Committere leg. ones: Sic *prœlium committere, legiones committere*, Cicero dicebat; Sic *aciem committere* Florus lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 6. Itidem *bellum committere, profligare, conficere*, apud eundem lib. 2 cap. 15. Eâdem phrasi Suetonius dicebat, *Naumachiam committere* in Claudio. Sic athletæ, gladiatores, etiam poëtæ ipsi, & oratores committi tralatè dicuntur. Inde etiam *commissiones* declinatæ apud Plinium in epistolis, Macrobium, Suetonium Aug. & alibi. Pro eodem etiam *componere* Latini dixerunt. Ausonius in monosyllabis:

Quis Mirmilloni componitur æquimanus? Threx.

Etiam *comparandi* verbum eadem significatione vsurpatum. Suetonius Calig. *E spectaculis detractum repente Threci, mox Hoplomacho comparauit.* *Comparãdi verbum eãdem significatione.*

Armaturæ duplares, qui binas consequuntur annonas.] Armaturæ *duplares* vel *duplices* Vegetio; *duplicarij* Liuio lib. 2. & Varroni, & in lapidibus *duplarij* dicuntur. his ob virtutem duplicia cibaria dabantur: δημοσιεῖται Arriano & veteri Grammatico: διδραχμοπολῖται, Polluci vocati, quòd duos denarios mererent, cùm vnus esset stipendium militi diurnum. Cæsar 3. belli ciuilis: *Quem Cæsar, vt erat de se meritus, & de rep. donauit militibus ducentis æris, atque ab octauis ordinibus ad primipilum se transducere pronuntiauit; cohortemq; postea duplici stipendio, frumento, veste, diariis, militaribus donis amplissimè donauit.* quem locum, ne quis miretur, ita lego cum doctissimo Petro Victorio. Turnebus tamen, & alij aliter eundẽ laudant. *Duplares & duplicarij.* *Duplarij.*

Ad podismum dimetiuntur loca.] In vno ms. *demetiuntur*, aliis *metiuntur*. Podismum dimensionem pedibus factam interpretatur Guil. Budæus, ad l. vltimam, ff. de iure immunitatis. *Quid podismus.*

Vel hospitia in ciuitatibus præstant.] Solent mensores in adsignandis hospitiis, manu sua domus deputatas militibus singulis enotare, & postibus hospitaturi nomen adscribere. quod si quis deleuisset, falsi reus habebatur, ex constitutione Imperatoria, l. prima. C. de metatis lib. 12. Vbi autem iam ingrederetur miles, domo in tres partes diuisa, primam eligendi facultatem dominus habebat, secundã miles, seu hospes, tertia iterùm ipsi domino relicta. quod quatenus obseruatum fuerit, patet ex constitutione Arcadij & Honorij, l. 2. C. de metatis. & nouella 129. De transitu militum. Cõcedebatur tamẽ sola hospitalitas sub hac conditione, vt nihil ab hospite, quod vel hominum, vel animaliũ pastui necessariũ forer, postularetur, l. 5. C. dicto titulo. Immò neq. culcitas, non lignũ, non oleũ extorquere poterant; l. vnica, C. de salgamo hospitibus non præbendo. Imò nec lignũ prouinciali, nec operam vllam à milite extorqueri Imperator Pescennius Niger passus est, teste Spartiano. Excogitârant milites cœnatica tẽpore Valentiniani Imperatoris, nomen nouum. quo tanquam pro cœna prouinciales expilabant. sed ea præberi vetuit Cõstitutio Imperatorum *Quomodo mensores hospitia adsignabant.* *Falsi reus, qui nomen militis postibus inscriptum delebat.* *Miles tertiam domus partem habebat.* *Miles ab hospite nihil poterat petere;* *Non oleum, culcitas, aut lignum.* *Cœnatica quæ sublata.*

peratorum Valentiniani, & Valentis, ad Victorem Magistrum militum: Cœnaticorum, inquit, *nomine milites, & super his stantes, nihil penitus à prouincialibus accipere audeant. Sciant enim milites, quòd oportet eos commoda sua (quæ in annonarum perceptione adipiscuntur) accipientes, extrinsecus detrimentis prouinciales non afficere.* Ceterùm dũ iter faceret exercitus, curare debebant singularum prouinciarum præsides, per quas transitus fiebat, in parato haberent vnde expensæ fierent, alendo exercitui necessariæ. vt ea ratione, quaquà proficisceretur, sine querimoniâ aleretur exercitus. In quo illa tamen seruata ratio est, vt ex eo, quod prouinciarum præsides coaceruatum haberent, species, singulis singulorum ordinum optionibus, id est, annonæ militaris erogatoribus traderent. illi porrò in præfectos legionum, & milites erogarent. De his autem, quæ ita expendebantur, debebant Optiones solita recauta collatoribus facere, quò postea rerum traditarum pretia, in collationem fisco inferendam reputarentur. Neque enim vel subito militum aduentu, ac minùs paratis præsidibus grauari possessores poterant; cùm & eo casu, quod militibus impendebant, in contributionem publico proximè inferendam reputaretur. In tantum, vt si quis multo milite præ ceteris fuisset grauatus, ex vniuerso publicorum eius prouinciæ tributorum corpore, illi satisfiebat; vt docemur Nouella Iustiniani, de transitu militum 129. Immò & damna ab exercitu transeunte data, pecunia, & largitate Principis sarcita obseruaui, apud Cassiodorũ lib. 2. Variarum cap. 8. Eadem de caussa etiam Tributũ remissum lib. 12. Variarum cap. 5. Atqui innocuos & modestos militum transitus esse debere, ostendit Rex Gothorũ Theodericus, *qui ides se exercituales fassus est gratãter subire expensas, vt ab armatis custodiretur intacta ciuilitas,* apud Cassiod. lib. 5. Variarũ cap. 26. Sed aliis (proh dolor!) moribus hodie viuitur. nam cùm sumptus grãdes sint, maior grauiorq. militum petulantia, malitia; transitum, qui possunt, pecunia redimunt. quẽ morem etiam apud Romanos duces fuisse testis mihi Tacitus lib. 1. Historiarũ: *Lento deinde agmine per fines Allobrogũ, & Vocontiorum ductus exercitus. ipsa itinerũ spatia, & stationum mutationes venditante duce fœdis pactionibus, aduersus possessores agrorum, & magistratus ciuitatum.* Cõstitutum tamen à Iustiniano, vt quodcunque à ciuitatibus aut prædiis, eo nomine per concussionem

Milites suo stipendio contenti esse debent.

Qui modus fuerit alendi exercitum proficiscentẽ per prouincias.

Alij iterum optiones.

Quicquid exercitus transeunti impendebatur, reputatum in collationes publicas.

Si prouincialis præ ceteris grauatus fuerat, id illi resp. satis faciebat.

Damnum illud etiam Principes sarciuerunt. Eadem de caussa remissum tributum.

Transitus militum pecunia hodie redimitur. Idem quoque apud Rom. factitatum.

Quicquid inde pecuniæ accipitur, restituendum in duplum.

nem acceptum fuerit, restituatur in duplum; dicta Nouella. Sed ad hospitia tempus est redire. Superuenientibus militibus, quibus hospitia in ciuitate præberi oportebat: omnes quos id munus contingebat, suscipere cogebantur: attamen per vices, ne alius magis alio prægrauaretur. testis luculentissimus, Ictus noster Vlpianus l. & qui originem, §. eos milites, ff. de muneribus & honoribus. At dixerit aliquis, An erant, quos id munus non contingeret? Erant, inquam, & sunt etiamnum hodie, qui demonstrare pluribus legibus possint, se ab hoc onere immunes esse. sed demonstrare tantùm, postquam leges bello siluêre coactæ. Arcadius libro singulari De muneribus ciuilibus: *Magistris qui ciuilium munerum vacationem habent; item grammaticis, & oratoribus, & medicis, & philosophis, ne hospitem reciperent, à principibus fuisse immunitatem concessam, & D. Vespasianus, & D. Hadrianus rescripserunt*; l. munerum, ff. de muneribus, & honoribus; & l. medicos; & l. Grammaticos, C. de professoribus; & l. habente, Cod. Theodosiano De medicis. Ceterùm ij magistri, qui pueros primas litteras docent, siue in ciuitatibus, siue in vicis (quos Lampridius in Seuero, litteratores vocat, & doctissimus Ictus Frãciscus Duarenus primo Disputationum, cap. 5.) hi, inquam, immunitatem illam non habent, l. 16. §. vlt. ff. de vacat. & excusatione munerum. Medicis immunitatis priuilegium primus contulit Augustus, liberatus graui periculosoque morbo, ab Antonio Musa. testis Dio. Non prætereundum interim, quod de Sertorio memoriæ proditur: eum, cùm in Hispaniam venisset, à receptione militum ciues liberasse. in suburbanis enim milites hibernare iussit, tabernaculis ibi pro tempore instructis; ipseque ante omnes ei rei exemplum præbuit. quod quàm fuerit prouincialibus gratum, testatur in ipsius vitâ Plutarchus.

In magnis ciuitatibus hospitia militibus tributa vicissim.

Ab hospitio militibus præstando quidã immunes.

Magistri, qui primas litteras docent:

Litteratores vocati.

Medici à quo primùm immunitatem impetrarint.

Milites in suburbanis hibernarunt.

Torquati simplares, quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit.] Abest ab exemplari M. H. & quatuor Mss. Susij illud, *quibus*. De cetero non omnes, qui strenuè in bello se gesserant, etsi torquem meruissent, statim solidum ex auro accepisse verosimile est. quare legendum fortè cum altero Susij, & H. *Torques solidæ virtutis præmium fuit*, quomodo *solidum gaudium, solidũ beneficium*, Terẽtius: *solidã lætitiam, felicitatẽ*, alij boni auctores dixerunt.

Solida virtus.

T. Manlius Torquati nomen meruit:

Idem tributus honor C. Nonio Asprenati.

Dona militibus quo ritu distributa.

Laudati milites strenui pro concione.

Milites non minus laudibus quàm præmiis mouentur.

Qualia militibus distributa dona.

Coronæ datæ.

Coronæ variæ.

Sed videant hoc illi, quibus in eam rem plus supperit otij. Nota multis historia est T. Manlium Tribunum, militem Gallum prouocatorem occidisse, & inde sibi posterisque Torquati nomen peperisse: Liuius lib. 7. Auctor De viris illustribus cap. 28. Cicero tertio Officiorum, alij. De C. Nonio Asprenate, qui & ipse Torquati nomen meruit, vide Suetonium Octauio cap. 43. Alia, scio, à me hoc loco exspectas, beniuole lector, de donis militaribus, quibus illi ab Imperatoribus donari solebant: & certè digna res quæ illustretur, cùm ad veterum disciplinam militarem illa pertineat, si qua alia. Putaui equidem non alio apud auctorem hunc nostrum magis idoneo loco agi de ea posse. quare quod in eo quoque ritu à me obseruatum, lubens merito referam: Solent Imperatores parta victoria suggestum, aut tribunal conscendere, & conuocato exercitu, pro concione milites laudare ac gratias agere; Sallustius Iugur. Tacitus secundo Annalium, Liuius lib. 7. Etiam nominatim, si quorum singularem in prœlio virtutem animaduerterant, prædicare, testem habeo Plutarchum in Coriolano, Liuium lib. 10. extremo, Ammianum lib. 24. *Laudibus enim non minùs, quàm præmiis animi militum gaudent*, vt scribit Liuius lib. secundo. Sæpe tamen satis non fuit laudasse; prædicationi enim adiungebant varia dona. Distribuebant autem imprimis coronas: quas varias fuisse scimus ex Ciceronis Verrinis, Tertulliano De corona militis, Liuij libro septimo, Polybij libro sexto, Zonaræ libro secundo; Suetonij Caligula cap. 45. Plutarchi Mario, Plinij lib. 7. cap. 28. & lib. 22. cap. 3. cum aliquot sequentibus. De iis Agellius (ita enim A. Gellium nunc vocant) *Militares*, inquit, *coronæ multifariæ sunt, quarum quæ nobilissimæ sunt, has fermè esse accepimus: triumphalem, obsidionalem, ciuicam, muralem, castrensem, naualem*; lib. 5. noctium Atticarum, cap. 6. Vbi etiam causæ eorum nominum accuratè explicantur, vt & apud alios in symbolis. vnde sequentes figuræ:

Coronæ

Coronæ militares.

Corona graminea, sive obsidionalis.



Corona quernea, servati gratia civis.



Corona muralis.



Corona castrensis, valli insigne recepti.



Corona naualis, classis monumenta subacta.



Coronæ explemtoriæ.

Torques inter dona.

Coronam quis primus militibus dederit.

Nouum genus coronarum à Caligula inuentum obseruaui, quas ipse Solis, Lunæ, siderumque specie distinxit, & *exploratorias* appellauit: Suetonius in eius vita cap. 42. Etiam torques distribuerunt. probat Vegetius hoc capite, & Tacitus secundo Annalium. Adde auxiliares milites à Romanis, aureis torquibus donatos; at ciues non nisi argenteis. Coronas tamen aureas (quod magis miremur) ciues acceperunt. Eam quis primum acceperit non constat: at

A. Post-

A. Posthumium Dictatorem primum eam contulisse certum est. videndus Plinius lib. 33. cap. 2. Item armillas. testis Liuius libro decimo extremo, Iuuenalis satyra vltima, Festus in *Armillas*. Item Phaleras, testis Suetonius in Augusto: Iuuenalis eadem satyra, Solinus cap. 6. Etiam in monumentis suis Romani milites hanc gloriam non spreuerunt; vbi dona militiæ accepta enumerata sæpè videmus. fragmentum vnius inscriptionis proponendũ putaui:

Armilla militibus data.

Item Phalera.

Dona militaria in monumentis enumerata.

DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVG
TORQVIBVS. ARMILLIS.
PHALERIS. BELLO. PARTHICO.

De distributione horum donorum memoria quoque in nummis. vnus Imp. Cæs. Ner. Traiani optimi repertus est, cuius proponimus formam:

Nummus Traiani.



Item haftas. testis Pompeius Festus in voce *Hasta*, & in *Optionatus*. Item vexilla. Diuus Octauianus M. Agrippam in Cilicia post nauale victoriam cæruleo vexillo donauit, Suetonio teste. eadem de re etiam lapides veteres meminerunt:

Hastæ datæ.

Item vexilla.

DONATO. HASTIS PVRIS. V
VEXILLIS. VIII. CORONIS
MVRALIBVS. II. VALLARIBVS. II.

Item corniculos. Liuius lib. 10. Equites, inquit, *omnes ob insignem multis locis operam, corniculis armilliq; argenteis donat.* Item vestes. Liuius: *data ex præda militibus æris octogeni bini, sagáque, & tunicæ; præmia illa tempestate militiæ haudquaquam spernenda.* eodem libro 10. Hoc amplius, inter vestimenta militaria, ocreas quoque & braccas, & calciamenta, Imperatorem Alexandrum Seuerum dedisse, docet Flauius Vopiscus in Aureliano. Item adoreum, seu far olim conferri solitum, & dari ei, qui rem feliciter gessisset. Etiam vinum addi, testes historię, quotquot meminêre facti Manliani

Corniculi quoque dati.

Data & vestes.

Etiam ocreæ, & calciamenta:

Item adoreum:

Et vinum:

liani contra Gallos Capitolium adscendentes: Liuius, Plutarchus, Valerius Maximus, Auctor de viris illustribus. videndus Plin. lib. 18. cap. 8. & lib. eod. cap. 3. Itē statuæ viris strenuis decretæ. Sic Horatio Cocliti, Mutio Scæuolæ statuæ positæ, & aliis. meminit Liuius, Dionysius Halicarnassæus, Gellius lib. 4. cap. 5. Plin. lib. 34. cap. 5 & alij locis infinitis. Neq. id libera tantū republica obtinuit: nec solis ducibus is honos delatus est. Suetonius in Tito: *Tribunus militū, inquit, & in Germania, & in Britannia meruit summa industria, nec minore modestia, & fama: sicut appāret ex imaginum eius multitudine, & titulis, per vtramque prouinciam.* Quod amplius est, etiam auxiliario militi eundem honorem tributum obseruaui: Armatas quippe statuas Gallorum ductoribus Populo Romano militantibus erectas, scripsit Ammianus lib. 19. Item agri militibus distribuebātur. meminit IC^tus in l. 15. ff. de rei vendicatione, & l. in agris, ff. de acquirendo rerum dominio. Sed illi veteranis & emeritis militibus dati. Lucanus lib. 1.

Statuæ quoque decretæ. id Roma.

Item in prouinciis.

Etiam auxiliario militi statuæ erectæ.

Agri militibus dati.

Quibus agri distributi.

Conferet exsanguis quò se post bella senectus?
Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret?

Illud dignum admiratione, & memoria, quòd Imperator Seuerus militibus limitaneis agros, ab hostibus captos, concessit; eâ lege vt ne ad heredem posterosq. eorum vnquam peruenirent, nisi eos, qui militarent: auctore Lampridio. At veteranis illis agri ferè distributi deductis eôdem coloniis; Sallustius primo historiarum: *Adest nouus exercitus, & ad hoc coloniæ veterum militum; nobilitas omnis, duces optimi.* Consulendus hac de re Carolus Sigonius lib. 2. De antiquo iure Italiæ. Ceterùm cùm in locum Coloniæ destinatum iam peruenerant, quæ ratio sortitionis fuerit, quis modus adsignandorum agrorum per perticam, disces ex Turnebi Aduersariis lib. 2. cap. 32. & lib. 26. cap. 35. Illud si prēteriissem, vitio fortè mihi datum foret: Videlicet concessos militibus limitaneis agros immunes fuisse ab omni collationis ac tributi onere; l. agros C. de fundis limitotrophis. Sed nunc ad priora illa dona redeundum mihi video. Obseruatum autem, vt iis ornati milites, vnà cum Imperatore in triumphum venirent. quod innuit Liuius: *Consules ambo de Samnitibus triumphārunt, sequente Decio insigni cum laude donisque; cum,*

Agri illi ad heredes solos transmissi, qui militarent. Coloniæ deductæ.

Limitaneis agri concessi immunes ab onere tributi.

Donis ornati milites in triumphum veniebāt.

incondito militari ioco, haud minus Tribuni celebre nomen, quàm Consulum esset. lib. 7. Item Appianus lib. bellorum Punicorum, de militibus iuxta triumphalem currum incedentibus: Laureati, inquit, omnes, & fortissimus quisque dona gestans militaria. Item Liuius lib. 10. extremo in Papyrij triumpho: Triumphauit, inquit, in Magistratu, insigni, vt illorum temporum habitus erat, triumpho. pedites equitésque insignes transière, ac transuecti. multæ ciuicæ coronæ, vallaréque, ac murales conspectæ. Notatus mihi & alius ritus apud Dionem in Seuero. nempe in funere Imperatoris, dona hæc in rogum quoque immitti solita. Nunc & illud (quod pænè per imprudentiam præteriissem) dicendum quoque videtur: hæc dona (donatiua IC^ti vocant, & cũ iis Vegetius hoc libro cap. 20.) vnde, & quibus sumptibus præstari consueuerint. Præstabant ea Imperatores vel ex præda, vel ex manubiis; id est pecuniis ex vendita præda coactis, vt definit Nonius Marcellus in *Manubias*. At illud non immeritò nunc quæsieris, an omnis præda militibus, & quatenus permissa? audies. Primùm perantiquus mos Romanis fuit partem prædæ in honorem Deorum cremare. Martẽ belli Deum esse, nemini incognitum est. Et testatur id Arnobius lib. 4. aduersus gentes: Tertullianus de spectaculis cap. 1. Item Eumenius in Panegyrico: Etenim si bello parta Marti dicantur, si mari quæsita Neptuno. Ouid. 3. Fastorum:

Dona militaria in funere imperatoris in rogum iniecta.

Dona, seu donatiua vnde præstabantur.

Manubia quid.

Pars prædæ cremata in honorem Deorum.

Mars deus belli.

Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis;
Arma feræ genti rémque decúsque dabant.

Sed an soli Marti eæ res oblatæ? si quis adfirmet, reclament historiæ. & in primis lex antiqua, quæ apud Liuium lib. 8. Vulcano arma. sine cui alij dinouere volet, sine hostia, sine quo alio vocabulo, ius esto. Iterum Liuius: Magna vis armorum capta, ea omnia Imperator Vulcano sacrata incendit, lib. 3. Idem lib. 10. Spolia, inquit, hostium coniecta in aceruum, Ioui victori cremauit. Diodorus Siculus auctor est Alexandrum Tyro expugnata Herculi magnificum sacrificium fecisse. Romanos Castoris & Pollucis opem in prœliis quandoque sensisse antiquitas fabulata est. testatur templum Romæ iisdem exædificatum, sacra, diesque constituta: Plutarchus in Coriolano, Liuius lib. 8. Sed & Appianus, de bello Hisp. auctor est, Mummium prædam, quæ ferri poterat, in milites distribuisse, reliquam in honorem Deorum, qui belliis præsunt, cremasse.

Etiam aliis diis præda pars consecrata.

Castoris & Pollucis opem senserunt Romani. Templa iis dicta consecratum.

Idem

Idem de bellis Punicis: *Scuta, machinæ, & naues inutiles Martì Mineruæq; sacratas, accinctus gladio cremauit, more patrio.* Eundem consecrandæ prædæ apud Gallos quoque morem fuisse notat Cæsar, sexto belli Gallici. Interdum arma victorum non ex more cremata, sed data in profluentes, vt ceteris, qui resistebant, victoria sic nuntiaretur. Aliud insuper belli vsus inuenit, vt in quo loco hostes superati essent, ibi tropæa erigerentur. de quibus Nonius Marcellus: *Fuga hostium Græcè vocatur τροπὴ: hinc spolia capta, fixa in stipitibus, appellantur tropæa.* Notati mihi primi huius rei vsurpatores ex Ducibus Romanis apud L. Florum: *Domitius*, inquit, *Ahenobarbus, & Fabius Maximus ipsis quibus dimicauerant locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixêre, quum hic mos inusitatus fuerit nostris. Nunquam enim populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobrauit.* lib. 3. cap. 2. & videndus qui idem tradidit Strabo lib. 4. Pompeium deuictis Hispanis tropæa in Pyrenæis iugis constituisse, Sallustius scriptum reliquit. Græcos autem tropæa quoque figere solitos, cùm aliunde, tum ex Plutarchi Pelopida, & Æmilij Probi Datame certissimum est. Tropæorum constituendorum perelegans exemplum vide apud Virgilium Æn. 11. *Ingentem quercum*, &c. Ceterùm eam armorum consecrationem seu concremationem, tropæorumque erectionem à Ducibus factam esse memineris oportet, à quibus etiam tantùm fixa Ioui Feretrio spolia, quæ opima veteres vocabant, quòd ea Dux Duci detraxisset. quanquam Varro opima spolia etiam esse velit, si manipularis miles detraxerit, dummodò Duci hostium. Sed Festus audiendus est: *Spolia quoque*, inquit, *quæ Dux populi Romani Duci hostium detraxit, opima dicuntur. quorum tanta raritas est, vt trina contigerint nomini Romano: Vna, quæ Romulus de Acrone; altera, quæ Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia, quæ M. Marcellus Ioui Feretrio de Viridomaro fixerunt.* De tribus illis spoliis etiam Liuius meminit lib. 1. & lib. 4. & Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. Postea etiã ille inualuit vsus, vt spoliis hostium templa Deorum, forum Romanum quoque exornarentur. Liuius lib. 10. de Æde Quirini per Papyrij Consulis filium dedicata: *Exornauit*, inquit, *hostium spoliis. quorum tanta multitudo fuit, vt non templum tantùm, forumque his ornaretur; sed sociis etiam, coloniisq; finitimis ad templorum, locorumque publicorum ornatum diuiderentur.* Etiam templa ex prædæ pecunia Duces

Galli quoque prædæ partem diis consecrárunt.

Tropæa quoque post victoriam fixa.

Tropæa vnde dicta.

Tropæum apud Romanos qui primum constituerint.

Græci itidẽ tropæa fixerunt.

Tropæa soli duces erexerunt.

Eadem spolia opima Ioui Feretrio fixerunt.

Ea spolia ter solùm à Rom. fixa.

Spoliis hostium & templa & forum Rom. ornatum.

Spolia ad ornatum coloniarum quoque disparita.

ces exſtruere ſolent. Liuius eodem libro: *De reliquo ære ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam locauit.* Aras quoq.,& ſimulacra confieri ſolita, teſtis mihi Tacitus lib. 3. Annalium, & alij. Obſeruatus tamen & iſte ritus, vt ante expugnationem vrbium (ne quid ſuperos offenderent) Deos primùm inde euocarent,& inuitarent Romam. Formula iſtius euocationis mihi hic omittenda fuit, quòd prolixior ſit. eam qui deſiderabit, petet ex Macrobij Saturnalibus, lib. 3. cap. 9. Et meminit iſtius ritus, qui omnia legiſſe, cuncta obſeruaſſe videtur, Plinius lib. 28. Natural. hiſto. cap. 2. & Verrius Flaccus. De Iunone ex Veiorum opido euocata, atque Romam deportata, extat apud Liuium lib 5. Sed veniamus tandem ad ſpolia manipulariũ,& quantũ ipſis iuris in iis conceſſum ſit, videamus. Duplex ferè iſtius prædæ ratio habita. Nã aut militibus, Ducis Senatuſque Rom. permiſſu, omne concedebatur, quod cuique ſors belli dederat: aut, Romana re id non ferente, præda omnis ad quæſtores redacta, ærario inferebatur. Vtriuſque teſtem do Liuium, qui illud Veiis captis; hoc verò caſtris Faliſcorũ expugnatis obſeruatum fuiſſe commemorat lib. 5. Si fortè lautior præda militibus obtigiſſet, vendere illam quandoque coacti ſunt; ne alibi, quàm in armis eorum animus foret: auctor eſt Liuius lib. 10. Imò & tota præda quæſtoribus nõnunquam tradita; ſed pecunia ipſis militibus diſpertita: Liuius lib. 5 5. initio. Iam ſi ſingularis res, aut ea, quæ diuidi commodè non poſſet, in poteſtatem plurium peruenerat; nomina eorum, qui participes prædæ futuri erant, in vrnã mittebantur, & ſors emergens contentionem dirimebat. Exemplum ea de re elegans apud Flauium Vopiſcũ in Probo. Longior eſſe malo, humane lector, quàm vt reticeam illum ritum, quem Romanis antiquitus fuiſſe teſtimoniis multis probare procliue ſit; ſuſpendendorum ſcilicet, poſt reditum, ſpoliorum in poſtibus ædium. Liuius: *Spolia eius vrbis ante currum laturus, & fixurus in poſtibus ſuis.* Etiam donis militaribus poſtes exornatos fuiſſe innuere viſus Valerius Maximus lib. 2. cap. 8. extremo. Virgil. ſeptimo Æneidos:

Templa exſtructa pecunia ex præda collecta.

Eadem pecunia, & æra, & ſimulacra conſecrata Euocati dij ex ciuitatibus ante expugnationem. Formula certa illi rei fuit.

Iuno ex Veiorũ opido euocata.

Præda illius, qua militibus concedebatur, duplex ratio fuit.

Præda omnis ſæpè in publicum relata.

Prædam nõnunquam vendere milites coacti.

Præda tota quæſtoribus permiſſa diſtrahenda, pecunia militibus diuiſa.

Si de præda diuidunda plures contendebant, ſorte res decidebatur.

Spolia quoque domum relata. Ea fixa in poſtibus ædium.

Multáque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaq;, clypeiq;, ereptáque roſtra carinis.

Atqui

Spolia postibus adfixa ne venditis quidem adibus detrahi potuerunt.

Atqui hæc ne quidem alienatis ædibus refigere emptoribus fuit concessum; vt adnotauit Plinius lib. 35. cap. 2. & pòst vidi obseruasse Turnebum huiusmodi antiquitatum obseruatorem non negligentem. Maximum haud dubiè ac seorsum pretium, bonis & strenuis Ducibus, maiores parauerant triumphum. Ceterùm non ex quibuscunque victoriis ille concessus fuit. quinque enim millia hostium vnâ acie cecidissent oportebat: tum ne multo suorum sanguine victoriam parassent. inde necesse erat auctum imperium: non recuperata bello, quæ amissa fuerant. Deinde ne contra seruos, fugitiuos, piratas, aut simile genus hominum debellatum foret. Postremò, ciuili bello, etsi re felicissimè gesta, neque imperatorium nomen acclamari poterat, neque supplicationes decerni: non triumphantes, ne ouantes quidem, Vrbem ingredi poterant: Liuius sparsim, & Valerius Maximus lib. 2. cap. 8: Carolus Sigonius de antiquo iure ciuium Romanorum cap. de iure triumphandi; & alij.

Triumphus quæque belli pretium maximum.

Triumphus quando concessus.

Quando negatus.

Ara & signa de extraneis hostibus tantum consecrata.

Item nec aras, nec signa Diis statuebant, nisi ob externas victorias. Tacitus de Imperatore Tiberio: *Idem*, inquit, *cùm Valerius Messallinus signum aureum in æde Martis Vltoris, Cæcina Seuerus aram Vltioni statuendam censuissent, prohibuit: ob externas victorias sacrari dictitans; domestica mala tristitiâ operienda:* lib. 3. Annalium. Eadem de caussa spolia ciuili bello capta, in postibus nulla fixa verosimile est.

Domestica victoria, tristitia operiebatur.

Duplares duas, simplares vnam. Erant & secundum annonam.] Iubent optimi manuscripti codices, legamus *duplares duas, sesquiplares vnam semis consequebantur annonam.* In duobus Mss. Susij disertim *sesquiplares* nominantur, & in S. Inde pro iis verbis, *Erant & secundum annonam.* In M.S.H.& tribus Susianis substituitur *semis consequebantur annonam.* Sesquiplaribus vnde nomẽ fuerit, ipse Vegetius indicat, quòd sesqui-annonam acciperent: quemadmodum sesquihoram, sesquimensem, sesquilibram alij dixerunt. sic sesquiplaga interfectus apud Tacitum, & *sesquisenem* Papinius dixit, vt est apud Varronem De lingua Latina.

Duplares militares.

Item sesquiplares.

Sesquisenex.

Candidati duplares.] Ammianus lib. 15. *Sed Lunio Gaiso vetante, tunc tribuno, quem dum militaret candidatus, solum adfuisse Constanti morituro suprà diximus.* Patrem Aurelij Cassiodori sub Valentiniano Principe candidati Tribuni dignitatem gessisse, testatur caput 4. lib. 1. Variarum, ipsius Cassiodori.

Candidati etiã in bello.

Dupla-

Duplares.] Non meminit Vegetius plurium annonarum, quàm duarum, vel vnius & semis. ceterùm ad quinque & amplius annonarum emolumenta, militum commoda excreuisse, testatum reliquit auctor incertus de rebus bellicis, Notitię imperiorum adiunctus: quem suspicari tamen possumus ad Theodosiũ eiusque liberos, Arcadium, & Honorium scriptum esse. Verba illius scriptoris variis de caussis adscribenda putaui: *Ad enormia*, inquit, *militum alimenta ratione non incongrua prohibenda veniamus: quorum caussa, totius tributariæ functionis laborat inlatio. Sed ne tantæ confusionis molem occupatio Augusta fastidiat, breuiùs tam diuturni erroris exitum declarabo. Militaris ordo stipendiis aliquot peractis, vbi ad quinque, vel eo amplius annonarum emolumenta peruenerit, ne hæc diutius percipiens remp. grauet, honesta missione donatus, vacans sibi otio gaudeat absolutus. In cuius locum posterior succedens, totum numerum, per certa temporum spatia, expensis grauissimis relenabit. Quòd si numerosior miles de sequentibus scholis in decedentium locum vocatur, hic quoque pari liberalitate aliò donatus abscedat, vel ad alium ordinem, cui miles deest, locum suppleturus accedat. quæ res non solùm expensis grauidam remp. recreabit, sed etiam curas imperatoriæ prouisionis imminuet. animabit etiam plures ad militiam, quos ab ea stipendiorum tarditas prohibebat. Huiusmodi igitur prouisionis vtilitas in augmentum prouincialium habebit Veteranos, regiis donis opulentos; & ad colendos agros adhuc prævalentes agricolas. habitabunt limites Arabum, quæ dudum defenderant loca, & laborum desiderio potiti, erunt ex milite conlatores.*

Quinque annonæ militibus tandem datæ.

Etiam amplioves.

Ratio l. quandi militares sumptus.

Reliqui munifices appellantur, quia munia facere coguntur.] Vegetius: *Fascicularia tamen, id est lignum, fœnum, aquam, stramen, etiam legitimi milites in castra portabant. Munifices enim ab eo appellantur, quòd hæc munia faciant*: hoc eodem lib. cap. vndeuigesimo. Sed vtrobique optimæ notæ libri M. S.H.N. à vulgata lectione recedunt: & pro *munia*, scribunt *munera*. à quibus & ego recedere non ausim; quanquam non sim nescius, *munia* ferè à Sallustio, Tacito vocitari. Varro: *Munus, quod mutuo animo qui sunt, dant, officij caussa; alterum munus, quod muniendi caussa imperatum, à quo etiam municipes, qui vnà munus fungi debent, dicti*: quarto De lingua Latina. Modestinus militiæ mutationem, & munerum indictionem, inter pœnas militares recenset, l. desertorem, ff. de re militari. Consulendus quoque Iulius Firmicus secundo Mathes. cap. 55. & IC^tus in l. munus proprie. ff. de verborum significatione.

Munifices milites.

Municipes vnde vocati.

ficatione. Nonius Marcellus in *Munia*. Pertinet huc etiam veteris inscriptionis pars:

PRINCIPI. ET PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE
FEL. ADLECTO. AD. MVNERA

Munus tribus modis dicitur.

Pertinet huc & Pauli IC^ti^ responsum, ex libro nono ad edictum: *Munus tribus modis dicitur; vno donum, & inde munera dici, dari, mittíve: altero onus, quod cùm remittatur, vacationem militiæ munerisq; præstat, inde immunitatem appellari: tertio officium, vnde munera militaria, & quosdam milites munificos vocari. Igitur municipes dici, quòd munera ciuilia capiant*: l. munus tribus, ff. de verborum significatione. vbi omnino legendum *milites munifices*: id cum Vegetio nostro & Festo: non *munificos*; etsi repugnet editio Florentina. Nam vox illa mihi à *munifex*, non à *munificus* deriuatur, neque soli mihi. Carisius lib. 1. Grammat. *Munificus munera largitur; munifex, munere fungitur*. Sic signifex, qui signa & simulachra facit. Emendandus Apuleius secundo De asino aureo: *In quo summum specimen operæ fabrilis egregius ille signifer prodidit*. lege meo periculo *signifex*. Arnobius aduersus Gentes: *Inter significes ille memoratus Phidias*. Glossarium vetus, σοδιοποιὸς, signarius.

Emẽdata l. munus, ff. de verborum significat.

Munifex & munificus diuersa sunt.

Emendatus Apuleius.

Signifex.

Signarius.

AD CAPVT VIII.

Triarij ceteris vsu, & ætate præstabant.

CENTVRIO primipili, qui non solùm aquilæ præerat.] Docui alibi triarios milites ceteris ætate, vsu, & fortitudine præstantes, Pilanos; reliquos, quòd iis antestarent, hastatos scilicet, & Principes, Antepilanos nuncupatos. Ab eadem origine, nisi fallor, nomen etiam ordinibus triariorum. Nam primus pilus, ipse centurionatus, & primus ordo est triariorum, ad quem gubernandum ascendebant centuriones. Videlicet ex ordine decimo hastatorum, seu decimo hastato, ad nonũ hastatum; à nono ad octauum (vel secundum Vegetij instructionem, qui principes hastatis præponit) à primo principe, ad secundum principem. & sic deinceps per reliquos omnes ordines ad primipili centurionatum, qui primus & supremus erat in tota legione. Id innuere voluit Vegetius his verbis: *Vetus autem consuetudo tenuit, vt ex primo principe legionis, promoueretur centurio primipili, qui non solùm aquilæ præerat*, &c. Prædictam promouendi rationem

Quid sit primus pilus.

Quomodo ad primum pilum centuriones ascenderint.

tionem ipse auctor noster indicat, quamuis subobscurè, hoc libro cap. 21. *Nam quasi in orbem quendam per diuersas cohortes, & diuersas scholas milites promouentur. ita vt ex prima cohorte, ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem. & rursus ab ea ccentibus stipendiis, cum maiore gradu, per alias recurrat ad primum. Ideò primi pili centurio postquam in orbem omnes cohortes per diuersas administrauerit scholas, in prima cohorte ad hanc pernenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda consequitur.* Primus ille ordo, primus pilus dictus fuit, vt iam diximus, vel, primipili centurio dicebatur. De commodis aliis singularibus primipilatus, potes videre Cuiacium, & alios interpretes, C. de primipilo, libro 12. Ceterùm vt primipilus, ordo primus triariorum; ita hastatorum primus ordo, primus hastatus; secundus ordo, secundus hastatus dictus: & sic deinceps. Itidem primus princeps, secundus princeps, &c. pro ordinibus dictos fuisse, ostendit vir doctissimus, patris & aui quoque nomine nobilissimus, Aldus Manutius, in suis Quæsitis per epistolam. Quæ nomina etiam ipsis eorumdem ordinum ductoribus tributa, ex auctore nostro pâret, cùm primum hastatum, ducentos homines duxisse, primum principem CL. homines gubernasse, secundum hastatum CL. homines rexisse dicit, hoc eodem capite.

Ea de re locus Vegetij, aliàs subobscurus.

Quid primus hastatus.

Quid primus princeps.

Primus hastatus quot milites duxerit: Quot secundus.

Qui non solum aquilæ præerat.] Primipili centurionem aquilæ præfuisse, indicabit Plinius: qui tamen plus lucis hîc à nobis accipiet, quàm ipse huc conferet: *Centurionum in manu vitis, & opimo præmio ad lentas perducit aquilas; atque etiam in delictis pœnam honorat:* lib. 14. naturalis historiæ cap. 1. Valerius Maximus: *Aquilarum altera vix connelli à primipilo potuit;* lib. 1. cap. 6. Aquila præcipuum totius legionis signum, quod nemo nescit: ideoque huic qui præerat, imperabat omnibus ceteris centurionibus, non modò Triariorum, verùm quoque hastatorum, & principum; & primum à Tribuno locum obtinebat, innuit Plinius: *Primum pilum capessens sub Catulo, exclusam ab hoc legionem suam hortatus, Tribunum suum dubitantem per castra hostium erumpere, interfecit, legionémque eduxit.* Neque satis erat his primipilis ad aquilam peruenisse. qui enim in ceteris legionibus ad eum militiæ gradum peruenerant, horum magnam quidem dignitatem fuisse constat: at maximam tamen huius, qui legionis primæ primum centurionatum, seu primum pilum adsecutus

Primipili centurio aquilæ præfuit. Plinius illustratus.

Primipili centurio reliquis centurionibus imperabat:

Primum à Tribuno locum tenebat.

Primipili centurio tribunum interfecit.

Maxima dignitas primipili in prima legione.

erat. liquet exemplo Sp. Liguſtini, ad eum ordinem prouecti, apud Liuium lib. 52.

Mutata militaris disciplina.

Verumetiam quatuor centurias, hoc eſt cccc. milites in prima acie gubernabat.] Hoc præter diſciplinam maiorum introductum; ideoque rem militarem Vegetiano ſeculo, & in hac quoque parte mutatam certum eſt.

Capita ſcholarũ, præfecti aut tribuni.

Capita contuberniorum, decani.

Hic tanquam caput totius legionis.] Itidem tribunos, ipſosque præfectos capita ſcholarũ nuncupabat Ammianus Marcellinus. Sic infra eodem capite, decani, contuberniorum capita appellantur.

Item primus haſtatus duas centurias.] Haſtatum duplicem fuiſſe arbitratur Turnebus; primum, & ſecundum: primum duas centurias duxiſſe, &, vt priorem nomine digniorem fuiſſe: ſecundum haſtatum centuriam ſemis gubernaſſe; &, vt poſteriorem, dignitate fuiſſe minorem. Ceterùm de reliquis haſtatis, ad decimum vſque, non videtur vir tantus (vt leuiter dicã) cogitaſſe: lib. 30. Aduerſ. cap. 32.

Princeps autem primæ cohortis.] In altero Suſij, & M. legebam, *Primus Princeps autem ſecundæ cohortis.* Vocem *primus*, arbitror in textum recipi poſſe, ſine incommodo. verùm illud, *ſecundæ cohortis*, pro, *primæ cohortis*, mea opinio non fert. Adſignat ei Vegetius centuriam ſemis. Turnebus verò hunc duxiſſe arbitratur homines ducentos. in quo tantum virum alucinatum exiſtimo: neque enim feret numerus milliariæ cohortis, in qua omnes hi milites.

Labore milites promoti, non ambitione.

Vt ceteri milites ex tota legione, omni labore, ac deuotione contenderent ad tanta præmia peruenire.] Conſtitutum ab Imperatoribus Arcadio, & Honorio, vt augmentum honoris non ambitione, ſed labore ad vnumquemque deueniret; l. contra, C. de re militari: & l. tyrones, C. de tyronibus: & l. 1. C. de officio magiſtri officiorum. Laboribus omnia belli præmia adipiſci debuiſſe, teſtis ipſe Vegetius, dum milites per diuerſas ſcholas iuiſſe indicat, hoc lib. cap. 21. Dumque ad dignitates non promotos ſcribit, niſi poſt longam, probatamque militiam; hoc libro cap. 10. Imperator Iuſtinianus de limitaneis militibus ſuis in l. 2. C. de præfecto prætorio Africæ: *Et ſemper*, inquit, *prouidimus vnumquemque ſecundum labores ſuos, ad meliores gradus & ad maiores dignitates producere.* Cæſar ſexto belli Gallici: *Centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum*

Non niſi poſt longam probatamq; militiam.

legio-

legionum, causſa virtutis, in superiores erant transducti.

Erant enim centuriones.] In codicibus veteribus M. S. & omnibus membranis legitur, *Erant etiam*: & id probat sequens illud, *Erant decani*, &c. Errorem puto natum, quòd multæ particulæ, quales sunt *enim, etiam, tamen, tantùm, autem, verò, cùm, quanquam, etsi*, & multas similes siglis veteres scripsissent; vnde earum vocum maxima in libris confusio: nam pro omnibus iis indifferenter vidi in aliquot Mss. passim vsurpari notam, seu literam vnicam, quæ ad similitudinem H. litteræ maioris exarata erat: sed vtrimque tamen eminentiori illa transuersa linea, pro qua nostri ferè ponunt N liquidam.

Vegetius mendè liberatus.

Origo mendi.

Siglis veteres multa scribebant.

Erant decani denis militibus præpositi, qui nunc caput contubernij nominantur.] Qui in contubernio decano suberant, sæpe *contubernales* nuncupati Vegetio. *commanipulares*, & *commanipulones* Spartianum, aliosque scio appellasse, & ipsum contubernium *commanipulationem*. *Concorporales* Ammianus vocabat non semel. nominatim, lib. 28. Hinc in Celtica & Belgica quoque lingua, ipsum decanum, corporalis nomine appellari audimus.

Contubernales qui.

Commanipulares.

Concorporales.

In tota autem legione erant centuriones quinquagintaquinque.] Totidem in vna legione centuriones Flauius noster censuit; si, vt apud Modestum est, prima milliaria x. centuriones: reliquæ nouem, quinque habuerunt. Nescio vbi librariis mens fuerit, cùm apud Modestũ centuriones sexaginta sex constabulârunt. Eadem liberalitate (ne dicam ineptia) Alexander Neapolitanus libro 1. Genialium cap. 5. in millenaria cohorte, mille quingentos pedites posuit; additis de suo penè quadringentis militibus. Alij scriptores in vna legione centuriones sexaginta ponunt: inter eos Dionysius Halicarnassæus lib. 9: Cornelius Tacitus Annalium primo; & apud Gellium Cincius lib. 16. Noctium Atticarum cap. 4. Isidorus: *Legio autem habet centurias* LX. *manipulos* XXX. *cohortes* XII. emendandum, *cohortes decem*. Verba Vegetij attentè legenda & expendenda sunt. ait hoc eodem capite: *Secunda cohors habebat centuriones quinque: similiter tertia, & quarta; vsque ad decimam cohortem*. Ergo decem in cohorte millenaria cẽturiones poni necesse est. tot enim istic fuisse oportet, vt quinquaginta quinque habeamus; cùm ex reliquis nouẽ cohortibus centuriones tantùm ex-

Mendum in Modesto.

Centuriones in vna legione LX.

Emendatus Isidorus.

Secunda cohors & reliquæ ad decimam vsque, quinque centuriones habuerunt singulæ.

surgant quadraginta quinque. Et ea ratione hîc confirmatum habebimus numerum quinquaginta quinque centurionum. quibus si adderemus illos quinq. ordinarios milliariæ cohortis, haberemus completum numerum sexaginta centurionum. Sed reclamet ipse Vegetius: qui tantùm quinquagintaquinque cẽturias, disertè in vna legione enumerat, hoc libro cap. 25. Neque hîc, neque ist hîc vlla ex libris veteribus lectionis varietas suppeditatur; quod mirandum est. nam alium ecce scrupulum: In legione milliaria contubernales numerati mille; decani centum; ordinarij, qui eos ducebant, tantùm quinque. hoc libro, cap. 6. his si addas decem centuriones, iam prima illa cohors, quæ anteà erat, 1105. peditum, habitura est 1115 Et exinde erit quoque auctior totius legionis numerus: in qua numerati pedites 6100, equites septingenti viginti sex, hoc eodem libro cap. 6. Sed quod istic libri Col. & collegij trium Coronarum, & cum iis membranæ N. H. & duæ Susij legendum suadent, *equites triginta sex* pro *viginti sex*; id mihi nondum persuaserunt. pugnat enim cum ratione equitum seu eurmarum, quas in prima cohorte quatuor, in reliquis binas censuit Vegetius, dicto cap. 6. Quare consultius mihi videtur decem illos milites, quos illi equitatui addiderunt, peditatui adnumerare. Nec video ex hoc labyrintho aliter eueniri posse, quàm ea via, quam ostendi.

Vegetius in legione centuriones tantùm LV. agnoscit.

Magna librorũ dissensio.

Eidem rationem à Vegetio initã videntur reiicere.

Ratio conciliandi; nescio an sit ea certa.

AD CAPVT IX.

Legati in exercitu munus.

SED legati Imperatoris.] Legatus in exercitu tanquam vicarius est, qui redeunte Imperatore, aut Consule, cedere debet. est enim locum tenens, fiduciariam operam superioris obtinens. Hirtius de bello Africo: *Neque quisquam crederet ipsum Cæsarem, sed aliquem legatum cum copiis in Africam venisse.* Afranius, Petreius, & Varro legati Pompeij nominantur apud Cæsarem primo Belli ciuilis. vbi priorem illum tres legiones; ceteros duas singulos obtinuisse docemur. De legatis consulendus Budæus in l. posteriore, ff. de origine iuris. & meminit Vlp. in l. solet, ff. de officio proconsulis Cornelius Tacitus: *Nam censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda: vtq; legionum legati, qui ante prætoram ea militia fungebantur, iam tum prætores destinarentur*, lib. 2. Annalium. De legatis multa apud Alexandrum ab Alexandro lib. 6.

Vnus legatus pluribus legionibus præpositus.

Legati munus obibant ante prætoram.

lib.6.cap.3.vbi ille ostendit,per quos,& quales Cõsuli, vel Imperatori, vel prætori (nam & hunc exercitum duxisse præter historias testis Vegetius lib.3.cap.1.) legati nominari & adsumi solent.Illud indubium est, plures quandoq. legatos senatum decreuisse vni Imperatori. Pompeium maris imperio suscepto, quindecim accepisse, testatur in ipsius vita Dio. Dictatores ipsi, vt magistrum equitum, & legatos sibi dixêre. Liuius lib.4.*Dictator Mamercus Æmilius legatos se sequi iussit Quintium Capitolinum, & M.Fabium Vibulanum.* Dixi redeunte ad exercitum Imperatore,vel Consule cessisse legatos: iis enim præsentibus,legatos eandem potestatem retinere, non fuisset ex vsu reip., cùm plurium imperium bello semper inutile sit. Exemplo sunt tribuni militum plures consulari potestate electi.testatur Liuius lib.4. & lib.5.Imò & consules Romani si vterque in castris esset, alternis diebus imperium obtinebant. qua de re Liuius lib.31.*Id verò indignum visum,ab tumultuario auxilio iam etiam castra Romana terreri,vt ea modò vna caussa, ne extemplò transirent flumen,tenuerit Romanos,quòd summa Imperij eo die penes Paulum fuerit. Itaque Varro postero die, cui sors eius diei imperij erat, nihil consulto collegâ, signum proposuit.* Etiam & illud dignum obseruatu, quod ante me Adr.Turnebus notauit lib.30. Aduers.:Nimirum cùm sex in vna legione Tribuni essent, singulos per duos menses legioni imperasse. quod ille ex Liuij lib.40.& Polybij historiis,pro me probauit.Ille etiam mos in castris obtinuit,vt quotquot istic essent,alius aliorum subesset imperio; hoc ordine: Miles centurionis, centurio tribuni, tribunus legati,legatus consulis, magister equitum dictatoris imperio parebat,teste Liuio lib.8. Polybius in castrametatione: *Equites, ordinúmque ductores omnes, oriente luce accedunt ad tribunorum tentoria,tribuni ad Consulem.* Atque ea de legatis exercituum, hoc loco dicenda putaui, quos prætorios quoque fuisse,alibi doceo. Erant autem & alij legati, qui principis, vel reip.mandata referebant; Oratores hodie dicuntur.Hi iure gentium publica fide ibant,redibant,inuiolati; etiamsi atrocissima quæque perferrent. Horum alij libera mandata accipiebant,de iis rebus, quæ aliter decerni atque constitui,quàm in re præsenti non poterant. de quibus accipienda,mea opinione,l.14 ff.de legationibus.& meminit Cic.3.de legibus.De isdem Liuius: *His legatis, quæ præsentis*

Legatos qui facerent; & quales dati.

Plures legati vni imperatori dati.

Dictatores, vt magistros militum,item legatos ipsi sibi dicebant.

Bello inutile plurium imperium.

Consules alternis diebus in exercitu imperabant.

Etiam Tribuni militum vicissim imperabant.

Alij aliorum imperio in castris subiecti.

Legati reipublicæ.

Ibant,redibant inuiolati.

Legati cum libertate mandatis.

Interpretata l.14 ff.de legationibus.

disceptationis essent, libera mandata de summa rerum, senatus constituit.

Legati sine liberis mandatis.

Alij legati cum hac potestate non mittebantur; sed omnia Regum, prouinciarum gentiumque postulata, integra ad Senatum vel principem referebãt; aut postulantes ad eundem reiiciebant: testante Cicerone, duodecimâ in Antonium; & Guil. Budæo in suis adnotationibus ad titulum Pandectarũ *De legationibus.* Si legati ab aliis Romam mitterentur, obseruatus mos fuit, quem puto paucis hactenus cognitum: nimirum, si ab inimicis veniebant, extra muros; si ab amicis, intra muros recipi solent. quod ab Appiano didici lib. De bello Hispanensi. Videndus eâdem de re Victor, De regionibus vrbis Romæ.

Legati ab hostibus Romã missi, non recipiebantur intra muros.

Legati Imperatoris.] Intellige per Imperatorem tam Ducem exercitus, quàm Rom. Principem, & Augustum. ille ab exercitu re bene gesta conclamatione militum fieri solitus. Tacitus: *Id quoque Blæso tribuit, vt Imperator à legionibus salutaretur; prisco erga Duces honore, qui benè gesta repub. gaudio, & impetu victoris exercitus conclamabantur, erantq; plures simul Imperatores:* lib. 3. Annalium extremo. Alius à rep. & populo erat, igne, aliisq. rebus insignis. ille modò rei bellicæ præfectus, hic rei Romanæ dominus. qualis primus appellatus Cæsar, & pòst, ab illo, ceteros imperatores numerârunt, auctore Dione in Iulio. Ille sæpiùs eundem honorem adipisci poterat; vt Titus decimumquintùm Imperator appellatus, teste Dione; & cum pluribus eodem tempore eodem honore frui: hic solus, & semel tantùm. ille nomen imperatorium post prænomen, nomen, & cognomen subiungere: hic nomini, ceterisque titulis præmittere solet. imperatores bellici, armis depositis, imperium, ac nomen dignitatis simul deponebant: Augusti, quòd tempus præfinitum nullum haberent, in perpetuum facti censebantur; quanquam decimo quoque anno diem festum celebrarent, sibique propagarent imperium. Qui mos inde fluxit, quòd D. Octauianus olim promisisset se post annos decem, & regnum & prouincias, quas antea sortitus fuerat, relicturũ, senatuique concessurum. qui tamen id non fecit, sed elapso prædicto tempore, rursum aliud decenniũ sibi decerni curauit. qua de re consulendus Dio in vita Augusti. De decẽniis celebratis scio scripsisse quoque Trebelliũ Pollionẽ in Gallienis, & Sozomenum lib. 1. cap. vlt. Miror quid viro erudito

Imperatores militum conclamatione facti.

Hi numero simul plures. Principes vel Augusti, & Imperatores exercitus, quid differrent.

Titus decimumquintùm Imperator in exercitu.

Augusti in perpetuum facti censebantur.

Decimo quoque anno imperium sibi propagari curabant.

Vnde ille mos.

in

in mentem venerit, cùm scriberet, acclamationem illam Imperatorij nominis in exercitu, omnino nullã fuisse sub Principibus, quòd illi omnem rei gestæ laudem sibi seruari & adscribi voluerint. Fateor non tam vsitatum id fuisse, vt antè; at non sublatum tamen. En disertum testẽ Tacitum, cuius verba de istiusmodi Imperatoribus, ex quarto Annalium paulò antè posui: addo quæ ibidem subduntur: *Concessit quibusdam & Augustus id vocabulum; at tunc Tiberius Blæso.*

Imperatores exercitus acclamatione facti quoque sub Augusto.

Ex consularibus ad exercitus mittebantur.] Emendo, *ex consulibus:* & ne quis eam lectionem mihi vitio vertat, indico ex libris eam suppeditatam M. S. H. N. & quatuor Susij. Par phrasis in *exrege, exduce,* (vtrumque apud Ammianum legi) in *exquæstore, proconsule, proprætore, provege,* & aliis similibus. Nomina in e, Latina quidem nulla, sed præpositione addita, & Latina, & masculina fieri, auctor D. Augustinus. De eo loquendi genere ante me permulti dixerunt; Antonius Augustinus lib. 3. Obseruationum, cap. 3: Adrianus Turnebus in Aduersariis: & prolixè Paullus Manutius in commentario suo ad Ciceronis epistolas, quas *Ad familiares* vocant. Constructio verò quæ apud Vegetium in his verbis, *Sed legati Imperatoris exconsulibus mittebantur,* ne quid offendat iuniores; proponam similia ex aliis scriptoribus. Iustinianus: *Et omne studium Triboniano viro excelso, magistro officiorum, & exquæstore sacri nostri palatij, & exconsule credidimus;* ff. de confirmatione Digestorum. Iulius Capitolinus: *Maximum,* inquit, *& Clodium Balbinum Augustos appellauit, ambo exconsulibus;* in Gordianis.

Correctus Vegetius.

Exduce, exrege.

Proconsule, provege.

Quibus legiones & auxilia vniuersa obtemperabant.] Obtemperabat iis totus exercitus, si dictatorij, consulares, vel Imperatorij legati erant: si verò prætorij, tantùm legio vna, & auxilia. Vnam enim solum modo legionem Prætores, mixtis auxiliis (id est decem millia peditum, & duo millia equitum) tanquam minores Duces, eduxisse, memoriæ prodidit ipse Vegetius lib. 3. cap. 1. Legatum prætorium Hadrianum Cæsarem in Pannoniam aliquando missum, apud Spartianum legimus. Censorinum ter consularem legatum, bis prætorium laudat Trebellius.

Legati dictatorij, consulares & Imperatorij. Item prætorij.

In quorum locum illustres viros constat magistros militum subituros.] Auctiùs M. S. & N: *In quorum locum nunc illustres viros constat, &c.* quæ quidem exigua vocis accessio; at

Vegetius verbo audus.

sio; at non exiguum huic loco inde lumen. Indicat enim eo æuo mutatam hac parte militarem disciplinam, & in locum legatorum magistros militum surrogatos. Notitia imperij, per Orientem magistros militum recensetviginti quinque: Paulus Diaconus de Gratiano Imperatore loquens: *Adscinit*, inquit, *& ipse nihilominus æquè ab Hispania Theodosium; & eius ducatu credens Barbaros posse superari: repentè siquidem eum magistrum militum esse denuncians; cum exercitu ad Barbaros destinauit*: lib. 12. Historiarum. Quæsiui quonam tempore hi magistri militum cœperint; sed nihil etiamdum certi de iis reperi. De magistris vtriusque militiæ, de magisterio, & dignitate magisteriæ potestatis, aliquam multas notaui Imperatorum constitutiones, quales sunt l. magisteriæ, C. de Iurisdictione; l. quicunque C. de procuratoribus; l. insignis; & l. prata, C. de pascuis publicis; l. eos qui, C. de comitibus rei militaris; l. prima, C. de excoctione; l. 12. 15. & 17, C. de re militari: & toto titulo C. de officio magistri militum. sed nulla earum est, quæ à superioribus imperatoribus quàm à Valentinianis, aut Gratiano lata sit. Atqui in Chronicis sub retrò principibus reperi. Hieronymus sub Constantino, Constantio, & Constante, Hermogenem magistrum militum agnoscit. Eusebius sub Diocletiano Veturium Magistrum militum commemorat. Quin & sub Probo Imperatore, idem Eusebius Magistrum exercitus fuisse scribit Saturninum: qui Probus propemodum toto sæculo diuum Gratianum, & Valentinianos præcessit. In Fastis video magistros vtriusque militiæ recenseri; sed multo post tempore.

Magistri militũ in locum legatorum.

Quæsitum de tempore, quo magistri militũ esse cœperunt.

Reperti sub Constantino.

Sub Diocletiano. Etiam sub Probo reperti.

A quibus non tantùm binæ legiones, sed etiam *plures numero gubernantur.*] Vera & Vegetiana scriptura, *plures numeri*. Sermo enim est de numeris militaribus; de quibus antè egimus lib. 2. cap. 2. Imperatores Honorius & Theodosius, ad Constantium Magistrum militum, *laborum intuitu regendos numeros dedimus*; l. 14. C. de erogatione militaris annonæ. Plinius de supplicio seruorum qui in tyrocinijs repertierant dubitans, Imperatorem Traianum consuluit epistola, quæ exstat lib. 10. vbi inter alia scribit sic: *Ipse enim dubito ob hæc maximè, quòd vt iam dixerant, sacramento militari nondum distributi in numeros erant. Quid ergo debeam sequi, rogo Domine scribas, præsertim cùm pertineat ad exemplum.*

Vegetius correctus.

Serui in tyrocinijs inuenti, puniti.

Habens

Habens comitiuam primi ordinis dignitatem.] Rectè hunc locũ ita constituit & confirmauit exemplis Fran. Modius. addo videndum caput 28. libri 2. Variarum Cassiodori. vbi comitiuam primi ordinis dignitatem, pro militiæ laboribus strenuè perlatis, confert Rex Theodericus. *Confirmatur Vegetij locus.*

Auctoritate præfecti legionis, à tribuno deputabatur ad pœnam.] Hunc locum habes à me explicatum lib. 1. cap. 23. Veruntamen quod hic auctoritate præfecti legionis fieri dicitur, subdubito, an tantùm absente legato. Legatum etiam ipsum, præsente in castris Imperatore, video ab hoc munere non liberari apud Tacitum primo Annalium: vbi narratio est de seditiosis militibus, eorumque pœnis: *Discurrunt*, inquit, *mutati, & seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primæ C. Cetronium, qui iudicium & pœnas de singulis in hunc modum exercuit: Stabant pro concione legiones districtis gladiis: reus in suggestu per Tribunum ostendebatur. si nocentem acclamauerant, præceps datus truncidabatur, & gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolueret.* Etiam castrorum præfectus apud Romanos Mennius huc vsque auctoritatem suam extendit, bono magis exẽplo quàm iure; cùm seditionem, militum duorum præsenti supplicio repressit: teste Tacito dicto libro. Videndus & Dio lib. 53. & l. 6. ff. de officio præsidis; & l. 9. ff. de custodia reorum. *Legatus iudicium exercuit & pœnas. Præfectus castrorum eandem auctoritatem exercuit præter morẽ.*

Disciplinæ ius, & seueritas, & exercitatio, non solùm peditum, sed etiam equitum legionariorum.] In M. scribebatur *disciplinæ seueritas, exerci*: In membranis H. *disciplinæ seueritatis, exercitus.* In eo saltem optimi libri conueniunt, quòd vtramque copulam abiiciant. Lege, *disciplinæ seueritas, exercitio non solùm, &c.* nisi malis *disciplinæ seueritas.* Exercitio, pro, exercitatio, probè hîc scribitur in N. & S. quod supra monui: vbi idem quoque vocabulum Vegetio restitui, & Pandectis. Pòst comperi à me stare Festum, cuius testimonium pro me audito: *Exercitionem exerciti dicebant antiqui, exercitationem exercitati: Item exercitiorem, exercitissimum: sic vt ab exercitato, exercitatiorem, exercitatissimum.* *Exercitio, & exercitatio Latinè dicimus: Item exercitus, & exercitatus.*

Ipse autem custos diligens, & sobrius.] Optimæ notæ exemplar S. mauult, *ipse autem iustum diligens, sobrius.* eamque scripturam & H. agnoscit. fortean non inelegans lectio esset, *Ipse autem iustus, diligens, sobrius.* quo modo legisse postea animaduerti Pomponium Lætum in libello De magistra- *Tentatus Vegetij locus & sanatus.*

magistratibus Romanorum capite duodecimo.

Legionem sibi creditam.] In vnis Susij membranis legas, *legionẽ sibi traditam*. quod ipsum, etiam synonymũ quandoq. illi priori. nam alterius fidei cõmittentes, etiam *tradere* dicuntur. Sic Virg. 3. ecloga: —— *nuper mihi tradidit Ægon.* Simili modo Cicero, Terentius, Plinius aliíque idonei scriptores, & conseruatores Latini sermonis dixêre, *regendi potestatem alicui tradere, puerum præceptori, prouinciam alicui. sese alteri, aut reipublicæ tradere.*

Verbi, tradere, elegans significatio.

AD CAPVT X.

Iterum emendatus Vegetius.

AD quem castrorum positio, *valli*, & *fossæ destinatio* pertinebat.] Scio amicum meum maluisse, hîc legi, *designatio*. quod significantius & Latinius esse fateor: sed neutrum eorum (etsi destinandi verbum sæpiùs apud auctorem hunc obuium esse non sim nescius) consistere loco hoc patiuntur libri. Nam in M. S. H. N. B. R. & quatuor Susij, *fossæ æstimatio* scribitur. Castra ponere, & fossam, vallumque destinare, nihil aut parùm, meâ sententiâ, distant. nam positis castris, si milites quique, statim loco viso, sciebant ex longo vsu & cõsuetudine metationis, quo quisque loco ire, & vbi tentoria figere deberet, vt docet Polybius; dubium non est, quin etiam fossarum & valli destinatio semper certa fuerit, quatenus ad locum. Relinquebatur igitur æstimatio fossarum, quæ semper eadem mensura non fuerunt, sed pro hostium metu, & propinquitate latiores, vel altiores. Priùs quàm fossarum ductionem inciperent milites, accipiebant singulæ cẽturiæ à campiductoribus & principibus suis pedaturas: posteaque à centurionibus fossa inspiciebatur; & animaduertebatur in eos, qui negligentiùs fuissent operati: Vegetius lib. 1. cap. 25. & lib. 3. cap. 8. Sed à quo tandem illa fossarum æstimatio? ab vno castrorum præfecto: non à campiductoribus, principibus, aut centurionibus. Nam è re militum fuit, vnius potiùs hominis mandato hanc rem statui, quàm multorum in ea sententias aut suffragia exquirere, eò quòd periculosum admodùm sit exercitum sine munimẽtis temerè considere, aut multis de fossarum latitudine, altitudine, inter se contendentibus, detrimentum ab hostibus superuenientibus grauissimum pati.

Milites positis castris statim suum quisque locum agnoscebat.

Fossarum non eadem semper mensura.

Quis modus ducendæ fossæ.

Æstimationem fossæ quis dederit.

Medici

Medici à quibus curabantur.] In singulis legionibus medicus vnus. probauit mihi Ictus in l. inter eos, §. vlt. ff. ex quibus causis maiores. probauit quoque constitutio Imperatoris Antonini: *Cùm te medicum legionis secundæ Adiutricis esse dicas, munera ciuilia, quamdiu reip. causa abfueris, suscipere non cogeris*; l. 1. C. de professoribus, & medicis. Indicat & inscriptio vetus Brixiensis: *Medici in singulis legionibus.*

L. CALI. ARRIANI
MEDICO LEGIONIS. II.
ITALIC.
QVI. VIXIT. ANN. XXXXVIIII.
MENSES VII.
SCRIBONIA. FAVSTINA.
CONIVGI CARISSIMO.

Expensæ etiam ad ipsius industriam pertinebant.] Præcepit diuus Aurelianus vicario suo, inter alia, operam daret, vt milites sibi mutuò quasi serui obsequerentur, & à medicis gratis curarentur. Epistola ipsius Aureliani exstat apud Flauium Vopiscum.

Vehicula sagittarij, nec nõ etiam ferramenta.] Illud *sagittarij*, quemadmodum etiam *saginarij*, quod plerosque codices insedit, factum à non intelligentibus, ex *sagmarij*. Sagmarij verè huc pertinent, quibus apud scriptorẽ hunc primus ego ius postliminij impetro; aliàs fortè perpetuùm hinc exsulaturi. Liber M. & S. *saginarij* hîc legunt: H. *saginarum*; sed istîc posterius illud M, punctis subnotatum, quasi inducendum. codex verò N. *sagittarij* hîc retinet: sed omnibus locis sequentibus, pro ea voce, restituit *saginarij*. vnde suspicari possis hîc per *sagitarios*, intelligendos sagittas edolantes; qui ita dicti à Icto in l. vlt. ff. de iure immunitatis: vbi sagittarij, tubariis, cornuariis, arcuariis connectuntur. eodem modo & quadrigarij, braccarij, carpentarij nuncupantur, l. 1. C. de excusatione artificum. Sed hæc me non remouent à priore sententia: nam & hoc loco *sagmarij* legendum decerno. Amicum nostrum Modium, scio in eo totum esse, vt *sagarios* hos homines appellandos nobis persuadeat. sed id ei vt crederem, animum meum inducere nunquam potui. Sagarios mercatores esse qui sagariam facerent, *Emaculatus Vegetius.* *Sagittarij, tubarij, arcuarij.* *Sagmarij.* *Sagarij qui.*

facerent, ex Vlpiano discere licet, ff. de tributoria actione. & de iisdem inscriptio vetus:

I. O. M.

VOLVVIO. TERTVLLO.

NEGOTIATORI. SAGARIO

EX APVLIA

Ceterùm eos mercatores tanto numero in exercitu Romano fuisse, deinde ita vili loco habitos, vt ducentis eiusmodi, admistis pueris, vnus calo, aut lixa, tanquam dux præficeretur, quod tradit Vegetius lib. 3 cap. 6. hoc inquam quis credat? Sagmarios Vegetio restituendos pronuntiaui: neque me eius decreti pœnitet. lapsus enim librariis valdè procliuis à sagmariis, ad saginarios. Vox ista planè militaris. & vt alios omnes hactenus, proinde & me præterîsset, nî adfuisset Leo Imperator De bellico apparatu: qui & nomen ipsum satis tuebitur, & ipsum eorundẽ hominum munus pariter explicabit: *Pari modo*, inquit, *pro sagmariis, id est, sarcinariis facere oportet: quorum magnus est vsus.* Iterum: *Ipsa autem sagmaria, id est sarcinas, reliquosq; apparatus.* Iterum alibi: *Ex equis sagmatariis, id est sarcinariis, si fieri potest, in vnoquoque contubernio vnum habeat: sin minùs, duobus contuberniis vnum.* Vt hîc equi, itidem serui ferendis armis, annona, & sarcinis quandoque deputati fuerunt. Quod præter alios, testatur Frontinus lib. 4. cap. 1. num. 6., Valerius Maximus lib. 2. cap. 7. vbi Metellus disciplinam militarem, in Africa Iugurthino bello corruptam, corrupturus, neminem militum in agmine, seruorum iumentorumq́ue ministerio, vt arma sua & alimenta ipsi ferrent, vti passus est. In lexico veteri, *Sagma sagmæ, & sagma sagmatis, σάγμα, sella, quam vulgus bastum vocat, super quo componuntur sarcinæ, clitellas alij vocant.* Σάγματα, carpenta quoque Latinè dici posse censuit Iacobus Cuiacius ad l. 1. C. de excusat. munerum: & inibi σαγματοποιοί, emendat in Basilicis, pro σαυμαζοποιοί. Cui vacat, is cõsulat Adriani Turnebi Aduersaria, lib. 24. cap. 8. vbi Ælio Lampridio equum reddit *sagmarium*, pro *saginario*; adducto in confirmationem suæ opinionis Sudâ, & Isidoro. Itidem exemplum illius viri sequens, equum *sagmarium*, pro *saginario* restituo militi, in epistola diui Aureliani apud Flauiũ Vopiscum.

Sagmarij, id est, sarcinarij.

Sagmatarij equi singuli in contuberniis singulis.

Etiam serui in exercitu armis ferendis.

Quid sagma.

Lampridij lectio restituta.

Emendatus Vopiscus.

Ferramenta, quibus materies secatur, vel cæditur.] Veteres consonantes non geminasse, sciunt, qui vel primis labris

Veteres non geminabant consonantes.

labris hæc studia humanitatis degustârunt. ideoque ex *serantur*, quod fuit in veteribus libris, quod proximum erat *secantur*, ineptia hominum effectum est. lego *serrantur*. Sic infrà cap. extremo huius libri, *quibus materies, ac pali dedolantur atque serrantur*. Vbi disertim quod antea suspicabar, *serantur* typis expressum esse, multo pòst tempore comperi in optimo codice collegij trium Coronarum; neque audio ceteros, qui istic *secantur* legendum suadent. *Vegetius emendatus.*

Quibus aperiuntur fossæ, contexitur vallum aquæductus.] Ita eum locum vt ederem optimi libri auctores fuerunt; quanquam in eo assentiar amicissimo mihi Iano Guilielmio; vt legi quoque mauelim ex vestigiis membranarum, *quibus aperiuntur fossæ, consepitur vallũ, aqua educitur*. Nam ad eam lectionem viam facere videtur manuscriptus H. in quo scriptum vidimus, *quibus aperiuntur fossæ, conteßitur vallum, atque aquæductus*. Accedit & S. in quo *concepitur* scriptum, pro *consepitur*. Aliter anteà, & monstrosè hic locus vulgabatur: hoc modo, *quibuſq; aperiuntur fossæ, circa situm valli, & aquæductus*. In alia rursus editione hoc modo, *quibuſq; aperiuntur fossæ, & aquæductus*. *Mutata lectio.*

Arietes, onagri, baliſtæ, ceteraque genera tormentorum.] De his proprius agendi locus erit inferiùs lib. 4.

Vt rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.] Rarò contigit vt militarium aliquis ad ciuilia munia vocaretur: proinde non nisi puluere bellico induratos armatis præfici æquum erat. *Milites in bello maximè promouendi.*

AD CAPVT XI.

HABET præterea legio fabros lignarios, instructores.] Emendabat Modius *fabros, tignarios, structores*: in quo illi adstipulãtur apud me libri M.S. N.H. & tres Susij. Structores, ædificatores interpretatur Imperatoris Constantini Notitia, quæ est in l. 1. C. de excusatione artificum libro 10. eademque seorsum *fabros & tignarios* ponit. Carpentarium, à carpentis faciendis; item tignarium definit Isidorus libro decimo octauo, & inibi lignarios generaliter ligni opifices vult appellari. Item seorsum numerantur *fabri, structores, carpentarij*, inter eos, quibus vacatio grauiorum munerum concessa erat, in l. quibusdam. ff. De iure immunitatis. Structores non ignorauit & ipse Cicero, *Tignarij. Structores qui. Carpentarij qui.*

dum

dum ad Quintum fratrem ita scripsit: *Veni in aream tuam, ves agebatur multis structoribus*; lib. 2. epistola 5. Idem & tignarios agnouit: *Ego me Phidiam esse mallem, quàm vel optimum tignarium.* De claris Orat. Fabrûm tignariorum mentio quoque apud Iureconsultum in l. ferri ff. de verborum signif. & ibi And. Alciatus. meminit eorundem inscriptio vetus:

SABINAE
AVGVST
MAGISTRI QVINQVENNALES.
COLLEGI. FABRVM TIGNAR. &c.

Iterum in alia inscriptione quæ Romæ infra Capitolium ad D. Mariæ de consolatione visitur.

P. /// CORNELIVS.
THALLVS
P. CORNELI. ARCHITECTI FIL.
MAG. QVINQ. COLL. FABR.
TIGNAR. LVSTRI. XXVII.

Emẽdatus Pomponius Latus. Restituo, *Fabri, tignari*, pro *fabri lignari*, apud * Pompon. Lætum lib. 1. De magistratibus cap. 14.

**Is aliquot capita à Vegetio mutuatus est.*

Ferrarij. Ferrarios, pictores.] Itidem à Tarrunteno Paterno Iureconsulto, libro primo Militarium, inter eos quibus grauiorum munerum vacationem condicio tribuit, numerantur *plumbarij, ferrarij, lapidarij, & hi qui calcem cocunt, & qui siluam incidunt*, l. quibusdam, ff. de iure immunitatis. Nunc quos *pictores* Veg. nuncupauit, pro iis M. reponebat *pictores.*

Fabricæ armorũ. Officinas alij vocant. Habebant etiam fabricas scutarias, loricarias, arcuarias.] Has fabricas Cæsar, Æmilius Probus, alij *officinas* vocârunt: neque ad arma fabricanda solum modo in legionibus istæ fabricæ; sed & in oppidis fuêre. Oppidatim certè Mithridatem illas instituisse, testis Appianus De bello Mithridatico. Cæsar primo De bello ciuili: *Frumentum ex finitimis regionibus, atque omnibus castellis in vrbem conuexerant, armorum officinas in vrbe instituerant.* Magnum fabricarum numerum, sub principibus, Romanum imperium habuit; idque pro-

Eas oppidatim Mithridates instituit.

Fabricenses. uinciatim. in quibus ad vsum reip. à fabricẽsibus omne genus armorũ fabricabatur. Recensebo ex Notitia imperij: vbi fabricæ Orientis quinque, *Scutaria, & armorum Damasci. Scutaria, & armorum Antiochiæ. Clibanaria Antiochiæ. Scutaria, & armamentaria Ædessæ. Hastaria Ironopolitana Ciliciæ. Ponticæ verò*

Fabricæ Orientis quinque.

Pontica tres. *tres.*

tres. Clibanaria Cæsareæ Cappadociæ. Scutaria, & armorum Nicomediæ. Clibanaria Nicomediæ. Asiana vna. scutaria scilicet; & armorũ Sardis Lydiæ. Thraciarum duæ. Scutaria, & armorum Hadrianopoli. Hæmimonti Scutaria; & armorum, Marcianopoli. Illyrici quatuor, Thessalonicensis, Naissatẽsis, Ratiarensis: scutaria, Horreamargensis. At paulo maiore numero fabricæ Occidentis, in eâdem Notitia. ac primùm in Illyrico: Sirmiensis scutorum, balistarũ, & armorum: Acimensis scutaria: Cornutensis scutaria: Lauriacensis scutaria: Salonitana armorum. In Italiâ autem Concordiensis sagittaria: Veronensis scutorum, & armorum: Mantuana, Loricaria: Cremonensis scutaria: Tecinensis arcuaria: Lucensis spatharia. In Galliis verò Argentoratensis armorum omnium: Matisconensis sagittaria: Augustodunensis loricariæ: Suessionensis scutaria, balistaria & clibanaria: Remensis spatharia: Treberorum scutaria: Treberorum balistaria: Ambianẽsis spatharia, & scutaria. Si propagandum Romanum fuerat imperium, vel si limites antiqui tuendi contra inuadentes, habebant in diuersis Castellis suos limites limitaneos, præsidiarios, & diuersis quoq. in sedibes sparsas Rom. legiones. quarum numerus crescente paulatim imperio sensim quoque creuisse videtur. Cæterùm adeò numeroso, & sparso militi, vnde arma omnis generis suppeditata fuerint, iam discere à me potuisti, ex fabricis nẽpe istis prouinciatim institutis. Et quotiescunque nouis armis opus erat in expeditionibus, petẽbantur ex illis ipsis fabricis, & ad castra, vel loca deputata, angariis transuehebantur. quod me docuit cõstitutio Imp. Leonis, & Authemij C. de fabricensibus. Nunc ab hominibus priuatis, non alia arma aut fabricari aut vendi poterant, præter cultellos breues, quos nemo in vsum belli adsumeret. Arcus verò, sagittas, spathas, semispathas, loricas, contos, lanceas, scuta, galeas, & cætera id generis arma bellica; non alibi, quàm in publicis fabricis, & à fabris publicis, id est qui annona publica sustẽtabantur, fieri permisit Imperator Iustinianus: cuius hac de re Nouella Ixxxv. de armis. Frequens admodùm de corpore fabricensiũ, & fabricensium munere, priuilegiis, &c. mentio in posterioribus libris Codicis: & inibi rubrica quoque De fabricensibus.

Asiana vna.

Thracia dua.

Illyrici quatuor.

Multi in Occidenti fabricæ.

Limitanei milites imperij limites tuitabantur.

Arma ex fabricis per angarias vecta ad exercitum.

Arma non alibi, quam in publicis fabricis fieri debebant.

Quæ à priuatis fabricari liceret, & vendere.

Fabricenses publicæ functui adhibentur.

Ad morem Bessorum.] Isidorus lib. 9. Bessi, barbari fuerunt, qui à multitudine boum sic vocati creduntur. De his Plinius lib. 4. cap. 11. Item Ouidius:

Bessi populi Thraciæ.

Viuere quàm miserum est inter Bessosq; Getasque.

AD CAPVT XII.

SED etiam ipsi armorum arte perfecti, ceteros ad imitationem proprio cohortarentur exemplo.] Tribunos & præfectos militum, non tantùm militibus quotidie sub oculis suis exercendis, diligentes esse vult Vegetius; verùm etiam suo exemplo eosdem ad facinora prouocare.

Maximinus tyronibus præfectus in exercitu Alexandri Cæsaris:

Talis in exercitu Imperatoris Alexandri Maximinus; qui ob corporis proceritatem, ingentes vires, & rei militaris peritiam, cùm per omnes militiæ gradus adscendisset; etiam tyronibus vniuersis præfectus fuit, vt eosdem ad militiæ exerceret munera, & ad bellandum redderet idoneos. quo in negotio nihil sibi ad omnem diligẽtiam reliqui faciens,

Quàm egregiè illo munere is functus fuerit.

maximam ab vniuerso exercitu gratiam iniuit. quippe non modò, quæ gerenda erant, adsiduè edocere; sed ipse etiam, quæ vsus posceret, priùs obire. Vnde illos non discipulos tantùm, sed æmulos etiam, atque imitatores habuit suæ virtutis strenuissimos: teste Herodiano, lib. 6.

Mutata scriptura in Vegetio.

Tribuni autem sollicitudo, per hanc laudatur industriam.] In codice M. S. & N. tropo iteratiuo, & perfamiliari huic nostro auctori, legebatur, *Tribuni autem solicitudo, tribuni laudabatur industria.* & pari phrasi paulò pòst, *disciplina eruditus incedebat.*

Milites armis splendentibus incedere, præpositis honori dabatur. Arma militum septimo die inspecta: Etiam vestimenta & calcei: Quinto quoque die decurrere iusse.

Cùm miles veste nitidus, armis bene munitus, ac fulgens.] Militem benè vestitum esse, armis splendentibus incedere, ad laudem præpositorũ pertinere, sciuit Auidius Cassius. Hic legionibus Syriacis, luxuriâ diffluentibus, præpositus: arma singulorum septimo quoque die inspexit; vestimenta, etiam calciamenta, & ocreas: teste in *eius vita* Vulcatio. Maximinus legioni tyronũ ab Imperatore Alexandro Seuero præpositus, iussit eam quinta quaque die decurrere, simulacra bellorum agere; gladios, loricas, galeas, scuta, tunicas & calciamenta inspexit: teste Capitolino, in Maximinis.

AD CAPVT XIII.

QVIA sciebant in acie commisso bello, celeriter ordines aciesque turbari atque confundi.] In VV. aliquot legitur, *qui sciebant.* in vno Susiano codice, abiecto commate, reperiebam, *celeriter ordines acies; confundi.* Bellum commis-

Bellum pro prælio

commissum dixit Vegetius suo aut potiùs veterum more, non seruatâ illâ differentiâ, quam Grammatici ponunt, inter bellum, & prœlium. Itidem hoc lib. cap. 17. *Cõmisso bello, prima, & secunda acies stabat immota.* Varro lib. 6. De lingua Latina: *Rorarij dicti à rore, qui bellum committebant antè: ideò, quòd antè rorat, quàm pluit.* *Bellum committere.*

Et singulis centuriis, singula vexilla constituerunt.] Id Vegetius introductum dicit ab antiquis; per quos ille debuit mediam ætatem, non antiquissimam, intellexisse. Aliam quippe rem militarem antiquitus fuisse, id est plures fuisse, quàm cẽtum sub vno vexillo milites, Liuius indicat: qui libro 8. pedites Romanæ legionis, in hastatos, principes, & triarios diuidit; ipsosque triarios tribus vexillis constare docet: *Sub signis, inquit, quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo vnusquisque tres partes habebat. earum vnamquamque primumpilum vocabant: tribus ex vexillis constabat; vexillũ* CLXXXIV. *homines erant. primum vexillum triarios ducebat; veteranum militem, spectatæ virtutis; secundum rorarios; tertium accensos.* Cetertùm vt Vegetij æuo, singula in centuriis singulis vexilla, proinde & Dracones singulos, à Draconariis per singulas cohortes, id est, decem in vnaquaque legione ad prœlium elatos, docemur à Vegetio, hoc eodem capite. *Plures quàm cẽtum milites olim sub vno vexillo.* *Vexillum hominum* CLXXXIV. *Triarij veterani, & spectatæ virtutis.* *Decem in vna legione Dracones.*

Ita vt ex qua cohorte, vel quota esset centuria in illo vexillo literis esset adscriptum.] Ex librorum veterum vestigiis, hæc aut similis lectio videtur erui posse, *Ita vt quæ cohors, quota esset centuria, illi vexillo literis esset adscriptum.* quæ scriptura ad mentem Vegetij propiùs accedere videtur. quòd enim in cohortibus olim prælatam diximus hastam; in ea tabellam ligneam, cum hac inscriptione, COHORS V. COHORS VI. &c. similiter in ipso vexillo posteà expressum fuit, COHORS V. COHORS VI. Itemque pro ratione singularum centuriarum COHORTIS PRIMAE. CENTVRIA PRIMA. vel sic, COHORTIS MILIARIAE CENTVRIA PRIMA SECVNDA: & sic deinceps in reliquarum conturiarum singulis vexillis. *Tentata Vegetij lectio.* *Qualia in vexillis signa.*

Quod intuentes, vel legentes milites.] Abest in vno Susiano codice illud, *vel legentes.*

Centuriones insuper, qui nunc centenarij vocantur, transuersis cassidum cristis, vt facilius noscerentur à suis.] Primùm moneo illa verba *à suis* in omnibus

Magna inter libros veteres pugna.

libris meis nulla exstare. Magnum verò de verbis præcedentibus librorum veterum certamen: In M. C. S. & N. reperi *qui nunc centenarij vocantur, nimium bellicosos loricatos transuersis caßidum cristis, vt facilius noscerentur.* Ineptius, ne dicam putidius, apud Modestum legitur, *nimirum bellicosas loricas.* Proximè ad rem accedere videtur duo mss. exempla Susij, in quibus, remotis hinc, & *bellicosis*, & *loricis*, scriptum vidi, *qui nunc centenarij vocantur, transuersis caßidum cristis litteras habebant.* Accedunt membranæ B. in quibus erat, *transuersis caßidum cristis litteras habentes.* Accedit quoque codex H. sed ille *bellicosos* & *loricatos* illos denuò huc reuocare nititur, dum legit, *qui nunc centenarij vocantur: nimium bellicosos, loricatos, transuersis caßidum cristis, litteras habebant.* Vt vt sit, signum centu-

Centuriones signum habuerunt in galea.

riones in galea habuisse certum est. Vegetius hoc eodem capite: *milites sequerentur non solùm vexillum suum; sed etiam centurionem, qui signum habebat in galea.* Iterùm hoc libro capite decimo sexto: *Centuriones verò habebant cataphractas, scuta & galeas ferreas, sed transuersis, & argentatis cristis.* Samnites olim toti

Samnitum tota legio cristata.

linteatæ legioni galeas cristatas dedêre, vt inter ceteros eminerent: auctor Liuius lib. 10. Litteræ illæ vbi in galea

Torulus in galea.

aut cristis argentatis esse potuerint, vix intelligo. Torulos scio fuisse qui gestârint: Ammianus lib. 16. *Chonodomarius,* inquit, *nefarius quidem belli totius incentor, cuius vertici flammeus torulus aptabatur, anteibat sinistrum cornu.* Fortean pro *litteras habebant*, scripserit Vegetius *titulos habebant.* Tituli certè va-

Tituli varij vsus apud antiquos.

rio in vsu apud antiquos. Sic titulus dicebatur in operibus, qui auctorem, vel artificem indicabat: Suetonius Domit. cap. 5. Item titulum gestabant fontes. Tituli etiam in

Titulum gestauerunt fontes.

Titulus adfixus in ludis:

ludis præfixi, quibus notabatur, cui Deo, cui Deæ, *cuius* Imperatoris saluti, indulgentiæ, victoriæ, &c. fierent: Tertullianus cap. 2. de spectaculis. Titulus etiam seu libellus

Item vendundis ædibus.

ædibus vendundis adfigebatur; l. vnica C. de his qui potentiorum nomine; l. si quis C. de bonis proscript., & l. 2.

Titulum & fiscus adfigebat.

C. de aquæductibus. Titulis fixis etiam vniuersa alicuius substantia fisco applicata: Cassiodorus libro 5. Variarum, capite sexto. Tituli quoque in triumphis populos, Reges

Tituli quoque in triumphis erant.

ciuitatesque deuictas indicabant; Flauio Vopisco teste in

Tituli etiam amphoris adhibiti.

Aureliani triumpho. Titulis etiam amphoræ à bono patrefamiliâs notatæ, in quibus vinum custoditum: Iuuenalis satyra quinta——*patriam, titulumq; senectus Deleuit.*——

Etiam

Etiam victimæ in Capitolium deducendæ, titulum prætulerunt; Suetonius Augusto cap. 59. Potuit similiter & galeæ centurionis titulus fuisse adpositus, & inibi scriptum, CENTVRIO. I. II. &c. huius aut illius cohortis. Redeo ad id, de quo paulò antè dixeram. in libris aliquantis centuriones hos *bellicosos*, *loricatos*, dictos. Loricatos, quòd lorica induerentur dici potuisse, aliquam verosimilitudinem habet. sed cur quæso bellicosi? cùm certo certius sit à caliga ad superiores militiæ gradus nullos admissos, nisi qui benè bellicosi essent, & virtutis suæ egregium specimen dedissent. Suspicatus sum, pro *bellicosos*, *bicccullatos* dici posse. Bucculæ, seu Bucca pars Cassidis est, circa os; & ea, per quam respirat armatus. alij volunt supremam galeæ partem esse, in qua cristæ figuntur, in summo cono. Has qui faciebant, buccularij dicebantur à Paterno Ic^to. in l. vlt. ff. de iure immunitatis. vbi vulgò *buccularum structores* scribitur, cùm legendum sit *buccularij*, *structores*: vt rectè cēsuit Adrianus Turnebus lib. 9. Aduersar. cap. 16. Bucculatos autem esse centuriones, pertinere ad celeriùs eosdem, in tumultu prœlij, agnoscendos, negare nemo ausit. & hoc est, quo de agitur. Nihilominus eam coniecturam in medio positam velim, vti de ea iudicent censores eruditi.

Titulus quoque victimis alligatus.

Bucula pars cassidis.

Rectè Turnebus emendauit l. vlt. ff. de iure immu.

Bucculati fortassean centuriones.

Quatenus nullus error existeret.] Aliquot libri bonæ notæ scribebant, *quatinus error non existeret*. Cornelius Fronto, Festus, & alij Grammatici interpretantur *quatenus*, *qua fini*; *quatinus*, *quoniam*.

Quatinus, quatenus quid differant.

Cùm centeni milites sequerentur non solùm vexillum suum, sed etiam centurionem.] Non ausculto iis libris & editionibus, in quibus legebatur, *cùm cuncti milites*. Nam Virgilij locum præ oculis habuisse Flauius videtur, ex nono Æneidos:

Confirmata Vegetij scriptura.

——— Post illos *centeni quemque secuti*.

Contubernium autem manipulus vocabatur, ab eo, quòd iunctis manibus pariter dimicabant.] Manipulum eundem facit Vegetius cum contubernio: & eandem quoque militarem disciplinam agnoscit Ammianus; qui post centurias manipulos ponit libro 17. his verbis: *Conuocatis cohortibus, & centuriis, & manipulis omnibus, tribunal insistens*. Itidem apud eundem Ammianum legas libro 23. At alia tamen olim manipulorum ratio, & amplior in

Manipulus vnde dictus.

Manipuli maiores antiquitus, quàm Vegetij ætate.

iisdem militum numerus fuit; testantibus passim historiographis. Cincius lib. 6. De re militari, in vna legione centurias sexaginta numerat, manipulos triginta, apud Agellium lib. 16. Noctium Atticarum cap. 4. Idem quoque sentiebat Isidorus, cùm in vno manipulo milites agnoscebat ducentos. Alij sexaginta tantùm in illo homines; rursum alij centum fuisse opinantur; inter quos Vegetius, capite proximo subsequente ita scribens: *Quemadmodum inter pedites centuria vel manipulus appellatur; ita inter equites turma dicitur.* Certè sub Regibus Romanis, libera republica; denique sub principibus prioribus, diuersum à contubernio manipulum fuisse, inde facilè probauero, quòd cõtubernio signum seorsum nunquam fuerit, manipulo fuerit. Varro libro 4. De lingua Latina, *Manipulos exercitus minimas manus, quæ vnum sequuntur signum.* Signi illius formam versus Ouidiani ex tertio Fastorum indicabunt:

Quot milites in manipulo.

Contubernium signum non habuit.

Manipuli qui.

Manipulus signum militare.

Non illi cælo labentia signa tenebant,
Sed sua, quæ magnum perdere crimen erat.
Illa quidem fœno, sed erat reuerentia fœno,
Quantum nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Vnde maniplaris nomina miles habet.

Qualis, & vnde confectus ille manipulus.

Donatus in Eunuch. Terentij: *Cùm Romani, inquit, & Latini sub vno centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi sertum, vel coronam ex manipulo herbæ, vel huiusmodi conficiebant, quem pro signo sequebantur.* Eiusdem rei testem laudare possim Plutarchum in Romulo, & Isidorum libro 18. capite tertio, & libro nono, capite tertio.

AD CAPVT XIV.

Turma vnde appellata. Tres tribus Rom.

INTER equites turma dicitur] Varro, *turma, terma, est; E. in V. abiit, quòd terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnium, & Lucerum fiebant. itaque primi singularum Decuriarum, Decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni:* libro 4. De lingua Latina. Festus *Turmam equitum*, inquit, *dictam esse ait Curiatius, quasi terimam.* qui cetera illa Varronis, ad verbum, posteà subiunxit.

Suppletus magni momenti locus apud Vegetium.

Vt enim centum pedites, ab vno centurione, sub vno vexillo gubernantur.] Primus hunc locum persanaui ope librorum veterum. restitui autem sic, *Centum enim, & decem*

& decem pedites ab vno centurione sub vno vexillo gubernantur. Desiderabantur enim hîc in vna centuria decem Decani, qui singuli singulis contuberniis præerant. Vegetius eodem libro capite superiori: *Vt decem militibus sub vno papilione degentibus vnus præesset Decanus, qui caput contubernij nominatur.* Itidem in singulis contuberniis vndecim homines censentur libro eodem, capite vigesimoquinto. *Decani qui fuerint.*

Centurio eligendus est[qui sit]magnis viribus,procera statura.] Libris omnibus placebat induci illa duo verba, *qui sit*, inde etiam correctissimi legebant *proceræ staturæ.* Sed plura in centurione requisita, quàm vt viribus & statura præstaret ceteros: cum enim Vegetius centurionem vult, qui omnem artem armaturæ perdidicerit, vigilans, sobrius, agilis sit. Hadrianus Cæsar nulli vitem concessit, nisi robusto,& (quod caput erat) bonæ famæ; vt auctor est in eius vita Spartianus. *Quæ requisita in centurione.* *Qualis Hadrianus Cæsar elegerit.*

Scutum rotare doctissimè nouerit.] Istud inter alios armaturæ numeros, & gestus fuisse, alibi innuit Vegetius: *Vt tyro disceret, scutum tractare, & obliquis ictibus venientia tela deflectere:* libro primo, capite quarto. Scutum quatere,ac rotare in campestribus motibus numerat quoque Ammianus Marcellinus initio libri vigesimi primi. Idem quoque factitatum in genere ludi Græcanici trochi, testis mihi Adrianus Turnebus lib. 27. Aduersar. cap. 33. *Scutum quatere ac rotare pertinuit ad numeros armaturæ:* *Idem vsui in ludo trochi.*

Magis ad facienda, quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus.] *Plus mehercules audire, quàm loqui militarem hominem decet, actibus coalitum glorioſis,* vt verbis Iuliani vtar. *Plus audire, quàm loqui debet homo militaris.*

Qui contubernales suos ad disciplinam retineat, ad armorum exercitium cogat.] In quibusdam Susij est, *ad doctrinam retineat.* fortè sincerius erat quod suggerebat H. *Contubernales suos ad disciplinam retineat armorum; exercitum cogat, vt benè vestiti, & calceati sint.* De armis, vestibus calceisque militum, singulis septem diebus inspiciendis,alibi me dicere meminisse potes. Quos autem *contubernales* hîc appellatos vides, Ammianus *concorporales* nuncupabat: *Raptorum,* inquit, *pleraque concorporalibus suis impertientes.* quam vocem & alibi eundem Ammianum vsurpasse obseruaui. *Locus Vegatij excussus.* *Concorporales, idem qui contubernales.*

Imprimis habili corpore.] In membranis partim legas *habilis corpore;* partim *stabili corpore.*

Eosdem cogere loricas, vel cataphractas, contos, & cassides frequenter tergere, & curare.] Liuius: *Secundo*, inquit, *die arma curare, & tergere, ante tentoria iussit.* In vno, & altero exemplo veteri scriptum erat, *contos frequenter tergere, & cassides curare.* In membranis H. disertim scriptum exstabat, *contos & cassides frequenter tergere: curare: samaras.* Sed postremum hoc verbum aliena posteà manus multis punctis subscriptis inducendum indicauerat. verumtamen alia mihi stat sententia. Tergere, curare loricas, cataphractas, & cassides poterant. sed ad contos aliud verbum desiderari visum, id (nisi me animus egregiè fallit) coniectando reperisse videor: nam ex *samaras* fingo verbum *samiare*, quod idem valet, atque acuere: conti enim acui potiùs, quàm tergi debebant. Est autem Samiare vocabulum militare. Leo Imperator De apparatu bellico cap. 3. num. 50. *Samiatores, id est qui omnes acies ferreas exacuunt.* Glossarium ἀκονητὴς, *samiarius, acutiator.* Iterum, *samiator*, ἀκονητὴς. quin & apud Flauium Vopiscum D. Aurelianus tribuno militum præcepit, *Arma tersa sint, ferramenta samiata, calciamenta fortia.* De Samiandi verbo consule & Nonium Marcellum, in *Samum.*

Samiare vocabulum militare. Idem Vegetio restitutum.

Samiatores in exercitu qui fuerint.

Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione, situ, ac rubigine arma fœdantur?] Auctor est Suetonius D. Iulium milites tam cultos habuisse, vt argento & auro politis armis ornaret; simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum forent in prœlio. in Iulio cap. 67. Obiurgati autem & castigati milites Romani non tantùm cùm arma gestarent situ, ac rubigine obducta: nam grandem pœnam incurrebant si arma alienauerant, si in prœlio amiserant. quo de etsi nullam Vegetius mentionem iniecerit; dignum tamen putaui de quo aliquid hoc loco adferrem. Graue imprimis crimen est, si miles arma alienauerit; ea quippe culpa desertioni exæquatur, vt testis est Paulus Ictus libro singulari De pœnis militum: *Vtique si tota alienauit, sed etsi partem eorum; nisi quod interest. nam si tibiale vel Vmerale alienauit, castigari verberibus debet: Si verò loricam, scutum, galeam, gladium, desertori similis est*; l. qui cõmeatus, ff. de re militari. Eâdē de re & Modestinus meminit lib. 4. de pœnis. *Miles qui in bello arma amisit vel alienauit, capite punitur, humanè militiā mutat, qui aliena arma surripuit, gradu militiæ pellendus est*, l. 3. ff. de re militari. Apul. *Et militaris sacramēti Geniū ob amissā spathā verebatur.*

Cæsaris milites arma auro & argento polita gestabant: Quare id Cæsar permiserit. Milites obiurgati, si arma rubigine obducta essent: Puniti, si vendiderant, aut amiserant Armorum alienatio desertioni exæquatur.

Interest, qua arma miles alienārit.

Armorum amissorum aut alienatorum pœna, capitalis. Armorum surreptorum pœna.

Adden-

Addendum porro & illud est, si miles arma alienasset, eam culpam armorum custodi plerumque imputatam, si militi arma commisisset nō suo tempore, l. qui commeatus, ff. dicto tit. Armorum custodes in exercitu Romano fuisse, testis mihi præmissa l. qui commeatus, & l. vlt. ff. de iure immunitatis. testis quoque Romana inscriptio, quam mihi suppeditauit amicus meus Iustus Lipsius:

Armorum custodes in Romano exercitu.

M. VLPIO. MATVRO. SIGNIF.
TVR. SERENI. EQ. SING. IMP.
N. NAT. NORICVS. COL.
VIRVNO. VIX. ANN. XXXVIIII
MIL. ANN. XXIII. AVR
MESSOR SIGNIF. HER. ET
AVR. NOVELLVS. ARMORVM
CVSTOS. SECVS. HERES. ET
VLP. AELIVS. LIBERTVS
EIVS. AMICO. ET. MVNICIPI
OPTIMO. BENE
MERENTI. FAC. CVR.

Item marmor in agro Patauino:

C. IVL. PRISCI
V. A. VI. M. X. D. VIII.
IVL. GERMANVS
ARMORVM CVST
ET
VAL. MARCIANE
PARENTES

Præter custodes illos armorum, armamētaria quoque fuerunt, in quibus arma reponerentur. quorum alibi meminit Cicero. De iisdem Isidorus lib. 15. capite de repositoriis:

Armamentaria, vbi arma deponebantur.

Armarium locus est, vbi quarumcunque artium instrumenta ponuntur. Armamentarium verò, vbi tantùm tela armorum; vnde Iuuenalis:

Armarium, & armamentarium quid differant.

Quicquid habent telorum armamentaria cœli.

De iisdem lapis vetus, qui cum aliis vetustatis monumentis erutus ex rutis cæsis castri Batauici, ad littus Oceani prope Lugdunum Batauorum, quem vidi in ædibus nobilissimorum Dominorum de Wassenaer, in Haga Comitis;

quemque bona fide sic exprimendum curaui: dignus enim videbatur, qui proferretur in publicum.



Spoliarium & armamentarium vbi in vrbe fuerint. Etiam in exercitu.

Bartholom. Marlianus Spoliarium, & Armamentarium Romæ fuisse dicit in Cœlio monte. Neque in prouinciis tantùm, sed & in exercitu, & castris armamentaria fuisse arbitror; in quibus arma custodes illi armorum adseruarent;

rent:id innuere videbatur Iurisc.,cùm diceret, *quì militi arma commisisset non suo tempore*, l.qui commeatus, ff. de re militari. Ceterùm quæ istîc arma deponerentur, & custodirentur,verosimile est grauiora,maiora fuisse: vt lanceas,hastas, clypeos,scuta, parmas, loricas, &c. ac tempore prœlij inde fuisse petita. Eò facere videtur, quod Liuius scribit libro secundo: *Statuisse non pugnare consules, cognitum est;quippe impunè se insultaturos,non credi militi arma, rem ad vltimum seditionis erupturam.* Idem libro 31. *Se constrictum à collega teneri, ferrum atque arma iratis & pugnare cupientibus adimi militibus.* Leuiora arma, vt gladios, pugiones, ne quidem fodientes milites deposuêre. Vegetius: *Cincti gladio fossam aperiunt*, libro 3. capite 8. Eum, qui sine gladio extra vallum processerat, morte punitum, obseruabam apud Tacitum, libro vndecimo. Redeo ad arma in prœlio amissa; de quibus paullò antè cœperam verba facere. Græcorum legibus non qui ensem,aut lanceam, sed qui clypeum amittebant, mulctabantur. militi quippe magis curæ esse volebant,quî ne acciperet,quàm quî daret incommodum. auctorem habemus Plutarchum,in Pelopidâ. Epaminundas moriens quæsiuit, an clypeus saluus esset. quod præter alios scribit Ammianus lib.25. Lacedæmoniæ mulieres filios in militiam dimittentes, mandare solent ἢ σὺν τούτῳ, ἢ ἐπὶ τούτῳ, id est: *aut cum hoc, aut super hoc.* significantes vt aut scutum referrent, aut super scutum mortui efferrentur. Itidem Cornelius Tacitus De moribus Germanorum, *Corpora*, inquit, *suorum etiam in dubiis prœliis referunt: scutum reliquisse præcipuum flagitium.* Illud certè turpissimum, & grauissimum scelus fuit, si miles armatum sese hosti dederet. Eutropius libro secundo: *Romani*, inquit, *captiuos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi iusserunt, quòd armati capti fuissent.* Quàm ignominiosum porrò fuerit, abiectis armis, ex acie fugere, testatur Aristoteles libro secundo Rhet. & libro quinto De moribus.

Qua arma militi asseruata.

Arma leuiora nunquam deposita.

Sine gladio à vallo progressus capitis plexus est.

Armorum amissorum diuersa pœna fuit.

Clypei amissi grauior pœna apud Græcos, quàm gladij vel hastæ.

Scutum amissæ præcipuum flagitium Lacedæmoniis.

Itidem & Germanis.

Deditio cum armis turpissima fuit:

Armorum abiectio ignominiosissima.

AD CAPVT XV.

SED ante signa,& citra signa.] Quid velit *citra*, quiuis facilè intelligit. magis tamen placet libris M. S. H. N. & Modesto, *circa signa*.

Plumbatas quinas positas in scutis.] Etiam ex hoc loco

Plumbatæ, iacula, non glandes. loco coniicere licet, has plumbatas non glandes, sed iacula fuisse, ad modum sagittarum, vt ostendam infrà lib. quarto. Commodè autem in scutis gestari potuisse, facilè capiet, qui scutorum longitudinem, quam alibi tradimus, non ignorabit. Inter scuta autem, & clypeos hoc interfuit, quòd clypeus rotundus, scutum oblongum erat. Virgilius 5. Æneidos:

Scutorum & clypeorum discrimen.

Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis instar.

Idem 8. Æneid. ——— *scutis protecti corpora longis.*

Item bina missilia; vnum maius ferro triangulo, vnciarum nouem, hastili pedum quinque & semis.] Ablego hinc in malam rem illam copulam &. de cetero, *hastili*, tolerari quidem hîc potest: malunt tamen optima exemplaria, & hîc, & paullo pòst *hastile*.

Hastæ & Vegetio vocula.

Post hos erant ferentarij, & leuis armatura, quos nunc auxiliatores, & armaturas dicimus.] Auxiliatoribus haud dubiè non hîc locus est. Iacobus Cuiacius restituebat, *quos nunc scultatores*: Idemque hoc eod. libro cap. 17. pro, *armaturæ*, *scutatores*, legebat, *armaturæ*, *scultatores*. Eidem accedit illud Leonis cap. 3. De bellico apparatu, numero 24. *Scultatores*, inquit, *id est speculatores, qui res hostiũ exquirunt & narrant.* Non prætereundũ tamen, quòd sex libri vetustissimi, vtrobique legant *exscultatores*; ex quo si faciam, *& scultatores*, reclamabit Notitia vtriusque imperij, quæ inter auxilia Palatina numerat *exculcatores iuniores, exculcatores seniores, exculcatores Britannicianos*. Præterea apud Flauium nostrum duo manuscripti H. N. & tertius impressus optimæ notæ S. diserte habent perscriptum *exculcatores*, non autem *exultatores*. vtrum verò eligendum nunc sit, videant docti. Turnebus lib. 24. Aduers. cap. 12. *exulcatores* amplexus est: quos dictos censet, *quia glandes exulcarent & eiicerent*. Excursatores & procursatores scio ab Ammiano vocatos non semel, qui præcurrerent, iter faciente exercitu. Imò tres procursatorum turmas idem cõmemorat in exercitu Romano, lib. 24. Eosdem *cursores* nuncupabat Mauritius De militia Romana; *quòd ante agmen & aciem excurrerent, hostesq; versos in fugam persequerentur*. Alios idem equites fuisse tradit *defensores, qui ex acie nec exeunt, nec excurrunt.* hos cataphractarios noster vocauit: hi vim hostium defendebant, id est propulsabant.

Scultatores qui fuerint.

Exculcatores Vegetio fortè restituti.

Exculcatores vnde dicti. Excursatores, & procursatores in exercitu qui fuerint:

Idem cursores ab aliis vocati.

Equites defensores.

AD

AD CAPVT XVI.

QVI genu posito subsidebant.] Exemplar M.& H. *genu flexo obsidebant.* At contrà Varro, qui in definitione Triariorum eos subsidentes describit: Item Liuius libro octauo, *Rorarij*, inquit, *percurrebant inter antepilanos, addiderantq; vires hastatis atque principibus. sed Triarij genu dextro innixi, nutum consulis ad consurgendum expectabant.* Itidem capite proximo dicuntur *residere.* Gabrias Athenienſium dux rei bellicæ peritiſſimus, quò phalangis impetũ ſuſtineret, iuſſit ſuos in acie ſubſiſtere, docuitque obnixo genu, ſcuto, porrectaque haſta, phalangẽ expectare & excipere. Eius mentio apud Aemilium Probum in eius vita: Diodorum Siculum lib. 15. Sed ſtrategema illud Triariis Romanis quidam vir doctus accommodare voluit. ſed errare ipſum, ex hoc loco facile intelligere eſt, & ex iis quæ de phalange alibi à nobis explicata ſunt. Alia deniq. ratio ſubſidendi fuit in eo ſtrategemate ſeu potiùs ſchemate bellico, quod teſtudinem Romani vocabant. de qua Iſidorus lib. 18. cap. de fundis: *Teſtudo ſeries armorum, umbonibus inter ſe connexorum.* Idem lib. eod. cap. de clypeis: *Eſt & teſtudo ſcutorum connexio curuata in teſtudinis morem.* item vetus Onomaſticon: *Teſtudo, connexio ſcutorum.* Hactenus nominis rationem habes. res ipſa ab Hiſtoriis petenda. Liuius originem à ludicro Circenſi deducit lib. 54. *Iuuenes etiam quidam Romani ludicro Circenſi ad vſum belli verſo, partem humillimam muri ceperunt.* Ceterùm ex eodem diſcamus primum id genus exercitij, quod armaturæ, quæ ſub campiductoribus erant, inter varia ſpectaculorũ genera, Romæ exhibere ſolent in Circo. Liuius dicto loco: *Inter cetera,* inquit, *ſexageni fermè iuuenes, interdum plures ab apparitoribus ludi, armati inducebantur. horum inductio, in parte ſimulacrum decurrentis exercitus erat; ex parte elegantioris exercitij, quàm militaris artis, propioráq; gladiatorium armorum vſum. Cùm alios decurſus edidiſſent motus, quadrato agmine facto, ſcutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſubmiſſioribus, tertiis magis, & quartis, poſtremis etiam genu nixis; faſtigiatam ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant: hinc quinquaginta fermè pedum ſpatio diſtantes duo armati procurrebant, comminatiq; inter ſe, ab imo in ſummam teſtudinem, per denſata ſcuta cùm enaſiſſent; nunc velut propugnantes, per oras extremæ teſtudinis; nunc in media inter ſe concurrentes, haut ſecus, quàm ſtabili*

Triarij genu dextro innixi, ſignum pugnæ expectabant.

Alia longe ratio ſubſidendi Græcorum fuit, in ſuſtinendo impetu phalangis.

Alia etiam ratio ſubſidendi cum teſtudinem Romani facerent.

Teſtudo quid ſit:

Originem habuit a ludicro Circenſi.

Teſtudinem in Circo qualem exhibere ſolent.

Ad imitationem testudinis illius, duplicem Romani in exertitu excogitârunt.

Qualem in campis patentibus exstruxerint.

Inde, vt rediuiui, redintegrabant prælium.

In prædicta testudine construenda vbi equites & impedimenta steterint.

Equi genua flectere edocti.

Aliud testudinis genus in oppugnationibus.

Etiam Bataui id genus testudinis à Romanis didicerunt.

Etiam Persæ vsi.

Testudo similis in pugna nauali.

stabili solo persultabant. Ad imitationem testudinis iam propositæ, duplicem excogitârunt Romani, alteram in campis patentibus, alteram in oppugnationibus. In campis patentibus; si quando circumfusis vndique hostibus, pares esse non possent; in genua milites procumbebant, & clausis vndique extremis grauis armaturæ scutis, receptis in medio impedimentis, & leui armatura, requiescebant: pòst, cùm visum esset, tanquam rediuiui redintegrabant prœlium. Si fortè mihi nolis, at crede Historiarum scriptoribus: Lucius Florus lib. 4. cap. 10. *Deletæ reliquæ copiæ forent, nisi vrgentibus telis, in modum grandinis, quadam forte, quasi docti procubuissent in genua milites, & elatis supra capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde Romani, cùm se rursus extulissent, adeò res miraculo fuit, vt vnus ex barbaris emiserit vocem, Ite, & bene valete Romani, meritò vos victores fama gentium loquitur.* Meminit & Plutarchus in Antonio, & Appianus De bello Parthico. Quinimo in testudine hac construenda, præter impedimenta, & leuem armaturam, etiam equites in medium recipi solent. qui ne quid aliis incommodarent, etiam equos genua flectere, seque inclinare docebant. testis luculentissimus Dio Nicæus in Augusto. Itidem vsi testudine Romani in inuasione murorum: Liuius eodem loco quo suprà, vbi de testudine illâ Circensi: *Huic*, inquit, *testudine simillima, parti muri admota, cùm armati superstantes subissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis æquabatur, depulsisq; iis, in vrbem duorum signorum milites transcenderunt. Id tantùm dissimile fuit, quòd & in fronte extremi, & ex lateribus soli non habebant super capita elata scuta; ne nudarent corpora, sed prætecta pugnantium more. Ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt, & testudini iniecta imbricis in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur.* Idem genus oppugnationis etiam Batauos nostros à Romanis didicisse & vsurpasse, ex Tacito probabo, libro quarto Historiarum. De Batauis loquitur castra Romanorum oppugnantibus: *Appositis plerique scalis, alij per testudinem suorum iam quidem scandebant.* Simili testudine Persæ quoque regem suum à balistarum ictibus, & sagittarum multitudine seruauêre incolumem: apud Ammianum libro vigesimo. Eiusdem quoque modi testudo composita fuit in nauali prœlio. qua de luculentum testimonium apud eundem Ammianum lib. 26. *Coniunctis*, inquit,

quit, *tribus nauigiis, testudinem hac specie superstruxit: densatis co-* *Qua ratione ibi composita.*
hærentes super capita scutis, primi transtris instabant armati, alij post
hos, semet curuantes humilius; tertiis gradatim inclinatis submisse, ita
vt nonissimi suffraginibus insidentes, formam ædificij fornicati monstra-
rent. quod machinæ genus contra murales pugnas ideò figuratur hac
specie, vt missilium ictus, atque saxorum per decursus cadentes labiles,
instar imbrium, euanescant. Præterea si exercitu proficiscente, *Testudinem illā vsui quoque fuisse in transmittendis impedimentis.*
in locis concauis, angustis, & lutosis hæsura videbantur impedimenta, tali testudine facta, milites, equos, & ipsa etiam vehicula transmittere solent. quod nos vult credere idem Dio, loco quo suprà. Figuram istius testudinis ex lapide Romano depictam, inspiciendam exhibere, videbatur lectori fore non iniucundum.

Figura

Figura teſtudinis ex lapide depicta.



Reparata

Reparata pugna posset sperari victoria.] Quatuor libri scripti consentiunt M., in quo vulgârant, *reparari victoria:* liber collegij Iureconsultorum, *sperare victoriam:* N. *sperari victoria.* forte an legi melius possit, *reparata pugna posset respirare victoria.* Similiter veritatem oppressam tandem respirare dixit Ammianus, libro decimo sexto. *Tentatus Vegetij locus.*

Galeas ad terrorem hostium vrsinis pellibus tectas.] Tacitus eum locum præterissem, ni reprehendissent vnæ membranæ Susij; vbi, pro *vrsinis*, habebatur *hirsutis*. Eam vocem tanquam generalem, huic loco melius quadrare, negare non ausim. nam quicquid hirsutum galeæ impositum esset, faciebat ad terrorem hostium. videas passim in numis veteribus, in capitibus exuuias caprarum, arietum, elephantorum, &c. Virg. 7. Æneidos: *Iterum emendatus Vegetius.*

——— fuluosq; lupi de pelle galeros,
Tegmen habet capiti.

Galeæ hirsutis pellibus tectæ.

Item Iuuenalis pro noua hac lectione suffragium feret:

Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.

Galeas autem ex diuersorum animalium pellibus fuisse confectas, probat in Coniectaneis suis ad Varronem, ingeniosissimus Iosephus Scaliger. Præter ea, quæ attuli hactenus, testimonium quoque Polybij adhibendum ex castrametatione; vbi ille: *Adornatur præterea miles & simplici, casside, cui lupi pellem imponunt, aut eiusmodi aliquid; quod integumentum pariter insigneq; sit, ne in prælio suos quisque præfectos strenuè aut ignauiter se gerentes, latère possint.* *Galeæ ex variis olim pellibus.* *Duplici de causa pelles in galea.*

AD CAPVT XVII.

FERENTARII autem, armaturæ, scutatores, sagittarij, funditores, hoc est leuis armatura; aduersarios prouocabant ante aciem procedentes.] Ne quid mireris, ita locum restitutum habes à me, auctoritate, & ope librorum C. M. S. H. N. & quatuor Susianorum. Vegetij sententiam adsecuti non fuerant, qui hîc edendum curârant, *Ferentarij autem, & leuis armatura, scutatores, &c.* abiecto toto illo inciso, *hoc est, leuis armatura.* quod sanè non paruum facinus erat. Armaturas inter ipsos leuis armaturæ milites auctor noster censuerat. hi iuniores, puto, erant, qui à campiductore instituebantur. Armaturas illas inter leuem armaturã ponunt omnes libri, suprà, secundo ab hoc capite. *Personatus Vegetij locus hactenus putridus.* *Armaturæ, inter leuem armaturam.*

Armaturæ illæ pluribus a me locis huic auctori redditæ.

& per me illæ reuocatæ libro primo cap. 13. & libro secundo planè vita donati, cap. vigesimo tertio. Vegetius, *Tertius*, inquit, *ordo disponitur de armaturis velocissimis, de sagittariis inuenibus, de bonis iaculatoribus, quos antea ferentarios vocabant*: libro tertio, cap. quartodecimo. Præter armaturas, & armaturam leuem, erat armatura, hoc est exercitij genus. Vegetius: *Præterea illo exercitij genere, quod armaturã vocant, & à campiductoribus traditur, imbuendus est tyro*; libro primo, cap. tertiodecimo.

Armatura genus exercitij.

Emendatus, ni fallor, Vegetius.

Si eorum virtute ac multitudine premebantur.] Vegetio quidem adsentior scribenti, quòd per paucos victoria consueuit fieri. sed hoc ad ferentarios hos, seu rorarios milites trahendum non est: nam si hostium copias hi videbant sensim crescere, non inconsultum erat, vt illi post alios ordines, in tutum se reciperent. quare videtur hîc legi posse cum membranis H. *si eorum virtute, aut multitudine premebantur.*

Murus in exercitu, armatura grauis.

Quæ tanquam murus (vt ita dicam) ferreus stabat.] Similis planè locus apud auctorem nostrum libro tertio cap. decimoquarto.

Et si hostes fugasset.] De graui armatura id dictũ est, alij libri ad hostes referunt, in quibus scribitur, *etsi hostes fugissent.*

Correctus Vegetius.

Ne aciem suam ordinemque turbaret.] Decem libris meis placebat, *ordinationémque.*

AD CAPVT XVIII.

DIVERSIS cohortibus, diuersa in scutis signa pingebant.] Partem hanc disciplinæ militaris paucis perspectam, quantum in me erit, illustrare conabor. Diuersa quippe in scutis signa picta fuisse, docuit me Scotus, siue quiscunque auctor est Notitiæ imperij, siue libri De dignitatibus tã ciuilibus, quàm militaribus: Vbi innumera huiusmodi insignia scutorũ, seu clypeocentra, tam peditum, quàm equitum. Horum partem aliquam, vnà adhibito titulo, seu nomine ipsorum militum, & magistrorum quibus suberant, huc accersere, non putaui præter rem fore, quòd is liber paucorum manibus teratur. Primo loco exhibentur insignia aliquot eorum, qui sub magistro peditum per Occidentem militabant.

Scutis Rom. diuersa signa adhibita.

Diuersa diuersis exercitibus scuta data, alia auro, alia argento celata: commemorat Liuius lib. 9.

Sub

Sub magistro militum per Occidentem.





Subſequentur nunc aliquot clypeocentra eorum, qui ſub magiſtro equitum per Occidentem militabant:

Sub magiſtro equitum Occidentis.



Hunc



Hunc morem indicare voluit Valerius Flaccus lib. sexto Argonaut.

Cuncta phalanx insigne Iouis, cælatáque gestat
Tegmina, dispersos trisidis ardoribus ignes:
Ne primus radios, miles Romane, coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffuderis alas.

Fulmen in ſcutis depictum.

Legio fulminatrix.

Legionem Fulminatricem Romani habuerũt: de qua apud Dionem in M. Antonino, & alibi. hanc fulmine in scutis decoratam fuisse dubium non est. Veruntamen Imperatoris Constantini alia sententia fuit. Is & in ceteris negotiis religionis nostræ Christianæ deuotissimum cultorem se exhibuit; idemque in militiæ disciplina non neglexit. Alij Imperatores imagines suas in signis præferri curauerant, hic labarum in crucis effigiem mutauit, vt alibi doceo; ipsamque crucis figuram hastis præferri curauit, vt audies. Etiam tabernaculum in exercitu semper habuit, quò se recipiebat, deo Opt. Max. preces suas oblaturus, vt testantur Historiæ tripartitæ. Signa quoque clypeorum sui exercitus cruce idem exornari voluit, atque ipsi labaro Christi nomen adhiberi curauit, vt auctor est Prudentius libro primo contra Symmachum:

Constantinus Christianæ religionis deuotissimus cultor:

Hic crucem pro signo militari præferendam curauit. Tabernaculum, pro oratorio habuit.

Christi nomen in labaro.

Christi nomen in scutis militũ Constantini.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat. ———

Ibidem paullo antè:

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Quòd autem labarum, clypeorumque insignia Christi nomine inscripta dicat Prudentius, id arbitror Græcis litteris factum fuisse eo ferè modo, quo id repræsentant veteres nummi. inter quos reperiũtur Magnentij, in quibus ipsius effigies, cum inscripiione tali DN. MAGNENTIVS. P. F. AVG. in cuius parte versa tale exaratum signum, quale vides, cum eadem inscriptione:

Nummus Magnentij.



Vnde error ille, quo nomẽ Christi, scribatur sic Xps.

Ignari litterarum Græcarum homines, maiorem illam litteram mediam putârunt esse ρ Latinum, cùm sit ϱ Græcum. Natus autem ex istiusmodi signis (si rectè diuino) error, vt in omnibus ferè libris quibus ecclesia Romana vtitur, nomen Christi scriptum & impressum videamus, hoc modo, Xp̄s, Xp̄i, Xp̄m. Præ-

Prætereà in aduerso scuto vniuscuiusque militis literis erat nomen adscriptum; addito ex qua esset cohorte, quáue centuria.] Supereſſe volunt τὸ *literis*, membranæ Susij. de quo alij statuant. Illud pænè me fugerat, quòd in optimæ notæ libris H.M.& S. bis hoc capite legatur, *auerso scuto*, pro, *aduerso*. Si, vt in prælij confusione se mutuò statim internoscerent; vtque de virtute singulorum ductoribus ipsis faciliùs constaret, id factum erat; retinendum erit *aduersis*. Nisi si quis malit in *auerso scuto* nomina scripta, vt eo amisso, vel occisis militibus, de eorum ignauia, loco, & fortitudine pòst liqueret; vix mihi hoc persuadeat. Illud scio scriptum à Dione in Domitiano, Iulianum à Domitiano curam belli Dacici accepisse, eumque ceteris rebus benè constitutis, militibus iniunxisse, vt & sua, & centurionum nomina scutis inscriberent, quò faciliùs ij, qui præclarè aliquid, aut turpiter fecissent, agnoscerentur. Marij & Catuli milites cum Cimbris prœliaturi, tela quisque ducis sui nomine inscripserant. Hinc posteà Catulorum virtus emicuit his, qui de strenuitate, & præstantia militum erant iudicaturi. Auctorem habeo Plutarchum in Mario. Illud obseruatum, primo anno milites scutum gestasse sine omni argumento & insigni, candidum. Virg. 9. Æneid.

Nomen militis in scuto scriptum. Qua parte.

Militum nomina, & pariter centurionum in scutis scripta.

Tela quoque ducum nominibus, & cur, inscripta.

Primo anno scutum tyronis candidum.

—— *parmaq; inglorius alba.*

& inde *candidus umbo*, apud Persium Satyra quinta. testis Turnebus lib. 20. cap. primo. Scutis porrò custodiendis tanta cura adhibita, vt tegumentis fuerint induta, ne pluuiâ corrumperentur aut contritione. Cæsar mihi testis secundo belli Gallici: *Temporis*, ait, *tanta exiguitas fuit, vt non modò ad insignia adcommodanda, sed etiam ad galeas induendas, scutisq; tegumenta detrahenda tempus defuerit.*

Scuta militum tegumentis inducta ad custodiam.

Quæ omne genus militum, omne genus contineret armorum.] Tres Susij scribebant, *omne genus militarium contineret armorum*. At liber collegij trium coronarum malit, *omne genus contineret armaturarum*.

Intra breue autem temporis spacium diligenter electi & exercitati quotidie.] *Diligenter, diligens & diligentia*, voces sunt in quibus elegantior sæpe significatio est; nec vulgo satis perspecta. Neque enim diligenter solùm facere dicimur, quod facimus solerter, curiosè, & studiosè; verùm etiam, quod adhibito dilectu facimus. Ideoque malim hoc

Verbi diligens, non vulgaris interpretatio.

loco scribi, *iuniores diligenter lecti*. sic eosdem *enucleatim adscribi*, paullo antè diximus; vbi vulgò legebatur *enucleati*. Vegetius libro secundo cap. 5: *Diligenter igitur lectis iunioribus*. Itidem lib. 4. cap. 34. *Sed cùm in domibus substruendis arenæ vel lapidum qualitas requiratur, tanto magis in fabricandis nauibus diligenter cuncta quærenda sunt.* Apertius testimonium laudare non possim, quàm est Varronis libro quinto De lingua Latina: *Sed quòd his magis promiscuè, quàm diligenter consuetudo est vsa, transtitiis vtimur verbis.* Vegetius libro primo, cap. 7. extremo: *A magnis ergo viris*, inquit, *magna diligentia idoneos elegi conuenit iuniores*. Pari phrasi Scipio apud Ciceronẽ in Lælio, *querebatur homines in amicis legendis negligentiores esse, alibi diligentissimos.*

Vegetius emendatus.

Diligenter fit, quod fit cum delectu.

Promiscuè, & diligenter, oppositа.

Nec moueatur [Cæsar tua maiestas] quòd olim consuetudo est mutata, quæ viguit huius felicitatis.] Quæ inclusa vidisti, nulli libri scripti mei agnoscunt; ne quidem M. & S. quare in officinis illa posteà adsuta cõstat. At nondum constitutus est locus, ex sentẽtia. Emaculo, & suppleo hiatum hoc modo: *Nec moueat, quòd olim consuetudo est mutata, quæ viguit. Sed huius felicitatis, &c.* Qui particulam *sed*, hinc eiecerunt, id fecerunt inuitis omnibus libris scriptis, & plerisque excusis. lapsi sunt, quòd vsum, & significationem hanc perspectam non haberent. Valet autem *sed* hoc loco, quod *nam, enim, etenim*. Id ignoratum deprauando sæpiùs Vegetio causſam dedit. Restituo & lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 7. Id rectè, & ordine me feciſſe, docebo exemplis; quia vidi magnos viros in hac vocula offendisse. Tacitus quinto Historiarum: *Ne tum quidem Romana classis pugnæ adfuit: sed obstitit formido, & remiges per alia militiæ munia dispersi.* Ammianus Marcellinus lib. vndeuigesimo: *Confines caloribus, tempore febrium arescunt. sed quanto ignis materies ceteris efficacior, tanto ad perimendum celerior siccitas*. Itidem in constitutione Imperatoris Alexandri in l. 7. C. de donationibus inter virum & vxorem, intelligo hæc verba: *Sed si matrimonium inire non valuit.* Cicero ad Q. Fratrem libro 3. epistola prima: *O me sollicitum! quantum ego dolui in Cæsaris suauissimis litteris: sed quo erant suauiores, eo maiorem dolorẽ illius ille casus adferebat.* Ibi Dionysius Lambinus ratus *Sed* particulam aduersatiuam esse, & ob id non quadrare; edendum curauit sua auctoritate, *scilicet quò erant suauiores*. ceterùm (quod liberum cuique relictum est) ab illo dissentio. Similem errorem scio incidisse in Institu-

Emaculatus Vegetij locus.

Sed vsurpatum, pro Nam.

Id magni quidã viri nõ animaduerterunt.

Interpretatia l. 7. C. de donationibus.

Ciceronis lectio confirmata.

Dissentio à Lambino.

tionibus

tionibus nostris, magnum Iureconsultum: sed nunc locus non occurrit. Obseruaui pari phrasi particulam *Nam*, significationem suam mutauisse, & pro *Sed* vsurpatam aduersatiuè; Instit. de codicillis, §. directò: *Directò autem hæreditas codicillis neque dari, neque adimi potest: nam per fideicommissum hæreditas codicillis iure relinquitur.* Ibidem tit. De hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur, §. emancipati: *At hi*, inquit, *qui emancipati à parente in adoptionem se dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris, quasi liberi: si modò cùm is moreretur, in adoptiua familia fuerint. Nam viuo eo emancipati, ab adoptiuo patre perinde admittuntur, ac si emancipati ab ipso essent, nec unquam in adoptiua familia fuissent.* Plinius lib. 14. capite primo, *Nec non vineæ oppugnationum dedere rationem. nam in medicaminibus adeò magnum obtinent locum, vt per sese vino ipso remedia sint.*

Nam, pro *Sed* vsurpatum. *Adhibita lux* §. *directo. Instit. de codicillis.*

Item §. *emancipati, Instit. De hereditatibus quæ ab intestato.*

Omne opus difficile videtur antequam tentes.] Amo membranas N. in quibus disertim scribebatur, *omne opus difficile videtur ante tentamentum.* Ammianus, vt alibi, ita & hîc auxiliares manus Vegetio porrigit. Is libro 24. *Ideóque illos existimaremus erupisse ad audaces excursus & tentamenta.* Scriptor noctium Atticarum: *Exponit igitur tentamenti gratia controuersiam parùm consistentem; quod genus Græci ἄπορον vocant.* libro nono capite decimo quinto. De tentamento, honestamento, regimento, & similibus vocabulis, plura dico libro 3. cap. 7.

Tentamenti vocabulum Vegetio redditum.

AD CAPVT XIX.

SED in quibusdam notarum peritia, calculādi, computandique vsus exigitur.] Fortean Vegetius scripserit: *Sed in quibusdam notarum peritia computandique eligitur.* Nullum est τὸ *vsus* in codice M. Insuper alij, videlicet S.H.N. & quatuor Susij, *eligitur*, referunt; non, *exigitur*. & ita in summario huius capitis est, *Præter corporis robor notandi, & computandi artem in tyronibus eligendam.* quod ita lego cum optimæ notæ libris. Notarum peritia vsui esse potuit in castris ad scribenda militum testamenta, tum ad perscribenda sociis, quæ alios volebant celare: Suetonius Octauio. Ab his notis, Notarij dicti sunt. de quibus Martialis:

Notarum peritia militibus requisita.

Notarum peritia vbi militibus vsui.

Notarij dicti à notis.

Currant verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Notas istiusmodi ad celeriter scribendum primus dici-

Notarum inuentio Mæcenati tributa.

tur inueniſſe Mæcenas: eaſdem complures docuiſſe per Aquilam, tradit Dio in Auguſto. Neq. in teſtamẽtis,& arcanis ſcribendis tantùm vſui militibus hæ notæ; ſed in rationibus quoque vſurpatæ. Sic T. nomini militis appoſitum, ipſum in bello ſuperſtitem eſſe ſignificabat. At contra θ. præpoſitum, obiiſſe indicabat.

Nota, qua militem indicabat ſuperſtitem: Alia quæ indicabat mortuum.

Totius enim legionis ratio, ſiue obſequiorum, ſiue militarium numerorum, ſiue pecuniæ quotidie adſcribitur actis.] Pro, *numerorum*, libri M. S. H. N. edebant *numerum*. Quod vtrùm de numeris legionum, an verò leuiter immutatum in *munerum*, de officiis, laboribus militaribus accipiendum ſit; aliis excutiendum relinquo. Diſcimus autem ex hoc loco Vegetij, vt domi, itidem belli acta confici ſolita. ea qui ſcriberent, Actuarij dicti. quorũ mentionem factam vidi in Conſtitutionibus Imperatorum, l. quicunque, C. de apochis publicis, libro decimo, l. actuarij, l. excellentia, l. iubemus C. de erogatione militaris annonæ. His Actuariis permiſſum erat paciſci & negotiari cum militibus, ipſiſque ante tempus erogationis pecuniam ſpeciéſve annonarias mutuò dare. ſed pro ſingulis ſolidis tremiſſem tantùm, id eſt tertiam ſolidi partẽ accipiebant: non in annos, ſed pro omni tempore dilatæ ſolutionis. neque poterãt actuarij vlla machinatione, pro temporis prolixitate, vnius tremiſſis quantitatem excedere. Quod ſi nunc quæſtio hac de cauſſa inter militẽ & actuarium orie-batur, debebat pecuniam erogator apud principia deponere; & ibi lis decidebatur. quæ omnia docet nos prædicta l. Iubemus, C. de erogatione militaris annonæ lib. 12. Hos actuarios ſunt qui *Actarios* vocari voluerint: quibus adſentitur lapis vetus.

Acta Romæ conſcribebantur; Etiam in caſtris. Actuarij, qui acta ſcribebant.

Actuariis exercitus pecuniam quaſi mutuam dare militibus permiſſum. Quo fœnore id licitum fuerit.

Lis inter Actuarium, & militem emergẽs, vbi deciſa.

Actarios quidã nuncuparunt.

IMP. CAESARI
M. AVREL. ANTO
NINO. PIO. FELICI. AVG
PARTHIC. MAX. BRIT. MAX
GERMAN. MAX. PONTIF. MAX
TRIB. POT. XVIIII. COS. IIII. IMP. III.
P. P. PROC
EQVITES. IN. HIS. ACTARIVS

LEG.

LEG. VII. GEM. ANT. P. FEL
DEVOTI NVMINI MAIESTA
ΦQ EIVS

Maiore propè diligentia, quàm res annonaria, vel ciuilis polipticis adnotatur.] Anteà vulgabatur, *polliticis libris adnotatur*. Verùm vox, *libris*, exsulat ab omnibus membranis, & duobus vetustissimis codicibus impressis: In M. *politicis adnotatur*. in N. & H. disertim scriptum est, *polipticis adnotatur*. quod à Vegetio sic scriptum fuit. eamque lectionem conseruatam vidi (quod meritò mirere) in libro collegij trium coronarum. imò in postremis illis membranis, hoc ad oram interpretamentum: *Polipticus liber est, in quo vita vrbana scribitur*. Sed diu hîc consistendum non est, nam locus itidem emendatus à Iacobo Cuiacio lib. 4. Obseruat. capite 27. quem vide, & Cassiodorum libro quinto Variarum, capite 14. *Emendatus Vegetius.*

Quotidianas etiam in pace vigilias, item excubitum, siue angarias.] Vox, *excubitum*, confirmare partim videtur emendationem, quam huic loco adhibent libri S. H. N. in quibus impressum, & scriptum exstat, *agrarias*; quas nos alibi interpretamur. *Iterum emendatus.*

Quæ vicissim milites faciunt.] Miratus sum particulam *quæ* huic scriptori hactenus adhæresce re. nam illam abdicant libri vetustissimi M.S. & quotquot prætereà vidi membranas: nec video quis illius hîc vsus esse possit; nisi plaustrum percellere voluit, quisquis hoc apposuit de suo. *Iterum emendatus.*

Nomina eorum, qui vices suas fecerunt, breuibus inseruntur.] Breuis, breues, & breuia in iure nostro reperias passim: præsertim in Constitutionibus principalibus, & libris Βασιλικῶν. Definiuntur à Zonarâ: Βρέβιον ἡ ἐπιτομὴ λέγε, καὶ σημείωμα γραφή. Lampridius in Alexandro: *Milites*, inquit, *suos sic vbique scinit, vt in cubiculo haberet breues, & numerum, & tempora militantium*. Alij breuiarium vocârunt. Suetonius in Octauio: *fecit & breuiarium totius imperij, quantum militum sub signis vbique esset*. *Breues quid sint.* *Breuiarium.*

Quando quis commeatum acceperit, vel quot dierum adnotatur in breuibus.] Nihil hîc aliud significat *commeatus*, quàm litteras dimissorias, quibus milites à signis ad aliquod tempus dimittebantur. & eo modo intelligenda *Commeatus, litteræ sunt dimissoriæ.*

hæc

hæc vox in l. 1. 3. 12. & 14. ff. De re militari, & C. de commeatu, libro duodecimo, tit. 42. Commeatum hunc Arcadius & Honorius *epistolas* vocant, l. 2. C. de desertoribus. Festus: *Remeare*, inquit, *est redire, vt commeare vltrò, citrò ire. vnde commeatus dari dicitur, id est tempus, quo ire, & redire quis possit.* Hirtius: *Qui aut morbo impediti, aut commeatu dato, cum signis non potuerant in Aphricam transire.* Formulam, seu potiùs exemplum, Liuius suppeditat, libro trigesimo: *Si quis vestrum suos inuisere vult, commeatum do. primo vere adsitis edico.* Dabatur autem commeatus à Tribunis cohortium, aut præpositis militum, aut vicariis, & domesticis eorum, vel à Principe, vt in l. 1. C. de commeatu docet Iacobus Cuiacius, per *l. vlt.* C. de erogatione militaris annonæ: & *l. 5.* C. de iurisdictione omnium Iudicum.

Epistolas quidã vocárunt. Cõmeatus vnde dicatur.

Commeatus formula.

A quibus datus commeatus.

Tunc enim difficile commeatus dabatur.] Certè expeditionis tempore, imminentibus hostibus, non dabatur commeatus, nec ampliùs quàm triginta militibus; quos tantùm dimitti datis commeatibus, sacra constitutio censuit, l. iubemus C. de erogatione militaris annonæ. D. Octauius ita seuerè disciplinam militarem rexit, vt ne legatorum quidem cuiquam, nisi grauatè, hiberniſque demum mensibus, permiserit vxorem interuisere. Suetonius testis in Octau. cap. 24. Scripsit quoque Paternus, *debere eum, qui se meminerit armato præesse, parcissimè commeatum dare; equum militarem extra prouinciam duci non permittere*, l. officium, ff. De re militari. Q. Fuluius Flaccus censor, Fuluium fratrem, cohortem legionis, in qua tribunus militum erat, iniussu consulis domum dimittere ausum, senatu mouit. Valerius Maximus lib. 2. cap. 7. Liuius lib. 41. Velleius lib. 1.

Commeatus, tempore expeditionis quot militibus daretur.

D. Octauius parcissime commeatum dabat.

Tribuni cõmeatum dare multis, sine cõsensu consulis non debebant.

Nisi caussis iustissimis approbatis.] Sequor membranas H. quæ habent, *iustissimis ac probatis.* Id enim innuere videtur Vegetius, non fuisse satis prætendere iustam decedendi ab exercitu causam, nisi probata illa esset ab iis, qui facultatem habebant dandi commeatus. Alluſit fortè ad probatorias, quarum frequens mentio in posterioribus libris Iustinianei codicis. Hæ litteræ, seu instrumenta, tanquam symbola erant, quæ pro gradu & officio petentium dabantur; modò ex scrinio memoriæ, interdum ex scrinio sacrarum litterarum, vel ex scrinio sacrorum libellorum. Neque in palatina tantùm militia vsui hæ probatoriæ; verumetiam

Restituta Vegetio sua scriptura

Probatoriæ, litteræ seu instrumenta.

Scrinia diuersa. Probatoriæ in palatina militia vsui:

rumetiam in castrensi, vt appâret in constitutione Zenonis, l. neminem, C. De re militari. qua constitutione etiam illud cauebatur, eas probatorias non Magistrorum militum, aut ducum (vt anteà fieri solet) sed ipsius principis manu subsignari debere. Ipsæ quoque probatoriæ codicibus illis, qui in scriniis singulis adseruabantur, inseri solebant, l. 3. C. de agentibus in rebus. Hoc amplius obseruatum, vt qui ad officium aliquod admittendi erant, prolata illa probatoria, trium testium iuratorum testimonio probarent, se veræ & catholicæ fidei esse; l. 9. & sequente, C. de diuersis officiis & apparitoribus, lib. 12. Idemque obseruatum fuisse, etiam cùm in armata militia sacris epistolis quis prouehendus esset, ex Imperatoris Constantini Græca constitutione, & Cedrino probauit Iacobus Cuiacius in notis suis ad dictam l. 1x.

Itidem in castrensi.

Probatoriæ militiæ. Principis manu subsignatæ. Probatoriarum exemplii in scriniis seruatum.

In palatio Cæsarum nemo promotus nisi veræ & Catholicæ fidei esset. Itidem seruatii in militia armata.

Imperatoris militem, qui veste, & annona publica pascebatur.] Auctor est Festus in *Priuato*, milites Romanos priuato sumptu se aluisse ad id tempus, quo Roma à Gallis capta fuit. Liuius libro quarto extremo memoriæ prodidit Anxure capto, anno ante captam vrbem septimo decimo, decreuisse Senatum, vt stipendium miles de publico acciperet, cùm ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset. Eamque rem, etsi reclamantibus resistentibusque tribunis plebis, patres tamen perseueranter tuebantur. conferre ipsi primi, & quia nondum argentum signatum erat, æs graue plaustris quidam ad ærarium conuehentes, speciosam etiam collationem fecerunt. eoque exemplo motis primoribus plebis & nobilium amicis, repentè certamen conferendi ortum est: teste eodem Liuio. De ære graui adeundus Plinius lib. 33. cap. 3. Atqui non eodem anno equitibus, quo peditibus stipendium constitutum. Datum enim peditibus anno vrbis CCCXLVII, Anxure Volscorum oppido prædicto capto, ac direpto; Liuius lib. 4. Equitibus verò anno Vrbis CCCL. bello Veienti; vt ex Liuio discimus initio libri quinti. Dictum autem stipendium à stipe. Vlpianus: *Stipendium à stipe appellatum est, quòd per stipes, hoc est, modica æra colligatur*, l. ager 27. ff. de verborum signific. Varro lib. 2. De vita populi Romani: *Stipendium*, inquit, *appellatur, quod æs militi semestre aut annuum dabatur. cui datū non sit propter ignominiam, ære dirutus est.* Sed stipendium hoc,

Milites Romani sumptu priuato militárunt.

Quando stipendium de publico acceperint.

Argentum Romæ nondum signatum.

Equitibus non eodem tempore stipendium de publico datum, quo peditibus. Equitibus quando primum constitutum. Stipendium vnde nomen acceperit.

AEre dirutus quis.

hoc, nomine pœnæ, per tribunos militibus sæpe ereptum

Æs militi restignatum.

est. testis Festus in voce *resignare*. *Resignatum*, inquit, *æs dicitur militi, cùm ob delictum aliquod, iussu tribuni militum, ne stipendium ei detur, in tabulas refertur. Resignare enim antiqui pro scribere interdū ponebant*. Meminit & Ausonius poëta in præfatione ad Centonem nuptialem. At materiam huius stipendij æream fuisse, ex Liuij lib.7. & mille aliis locis satis cognitum. Dabatur autem ad libram vel trutinam. Varro: *Stipendium ab stipe dictum, quòd æs quoque stipem dicebant: nam quod asses libræ pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quò minus loci occuparet: à stipando stipem dicere cœperunt*; quarto libro De lingua Latina. Plinius: *Quin & militum stipendiorum, hoc est stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur*, lib. 33. Naturalis historiæ. Neque solùm libera republica iste mos fuit: nam sub principibus, etiam posterioribus, æreos nummos pro stipendio pensos, probo ex auctore De rebus bellicis incerto, quem sub Theodosio & liberis eius vixisse, alibi diximus. inquit autē ille: *Sed potentia regalis, pro licentia speciem suam tantùm in auro, argentoq; signauit; quæ pro reuerētia figuræ nullis usibus proficiens, ad honorem regium sacrata permansit. Æris autem materia, quæ præ copia vilior erat, ad dona militaria, & varia populorum commercia signabatur.* Hoc amplius, quod diurnum militibus

Æs militibus ad trutinam datum.

Pensatores stipendiorum.

Principum effigies in nummis aureis argenteisq; tantùm ad honorem, non ad vsum publicum.

persoluebatur, id Polybius lib. 2. appellabat semper *obsonium*. pro quo Liuius lib. 38. in seditione ad Sucronem, semper vsurpauit, *stipendium*. accedit Glossarium vetus: *Stipendium ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικός*. Quantum porrò militare stipendium fuerit, haud procliue dictu: Polybius diurnum peditis quæstum duos obolos statuit; centurionis duplex, equitis dragmam, quæ eadem Græcis ac denarius apud Romanos. De stipēdiis his variæ opiniones fuerunt inter doctos. scripsit de iis Carolus Sigonius, de antiquo iure ciuium Romanorū, Ioannes Stadius ad Florum, Læuinus Torrentius ad Suetonium, Alexander Neapolitanus; & alij. Sed totam illam antiquitatem, qua est animi sagacitate, Iustus Lipsius solus rectè perueſtigauit atq. illucidauit, primo suorum Electorum, cap. 2. & ad primum Annalium Taciti. Duos enim obolos, quorum antè Polybius meminit, redactos ad nummū Romanum, dicit fuisse tres asses, Polybij scilicet ætate, id est sub bellum Punicum secundum.

Opsonium, pro stipendio.

Stipendiū diurnum quantum:

Valde exiguum libera rep.

secundum. sed nimis vile, & perexiguum hoc diurnum stipendium. Primam sub Cæsare, ante bellum ciuile, accessionem factam dicit. vt qui legionibus stipendium in perpetuum duplicârit, teste Suetonio, in Iulio cap. 26. Ergò eo æuo sex aut amplius in diem asses. Secundam accessionem factam docet, sub Octauio. Sub Tiberio certè denis in diem assibus militasse liquet ex oratione Percennij militis seditiosi, apud Tacitum, primo Annalium: *Enimuerò*, inquit ille, *militiam ipsam grauem, infructuosam: denis in diem assibus animam & corpus æstimari.* Hi asses, menstruum stipendium faciebant vnius aurei, prædicti scilicet Tiberij æuo. Aucti tamen vsque ad ternos aureos, quibus & quartum Domitianus Cæsar addidit. ita vt illius tempore miles quatuor acceperit stipendia, siue aureos quatuor. vide Sueton. in Domitiano.

Auctum tempore Cæsaris:

Iterum auctum sub Octauio. Deni asses diurni.

Stipendium amplissimum tempore Domitiani.

Qui veste, & annona publica pascebatur.] Vestem, & annonam de publico militem accepisse Vegetij æuo, puto falsum esse. Illud autẽ Historiæ loquuntur, cùm etiam minima stipendia, id est tres asses diurnos milites merebant; illud in vsu apud Romanos fuisse, vt vestem, frumentum, à quæstoribus quidem acciperent, sed certo, statutoque pretio, quod in persoluendo stipendio detrahebatur. Qua re adductus Caius Gracchus, homo plebis Romanæ studiosissimus, legem tulit, vt saga militibus darentur sumptu publico; nihil hac de causa stipendio militari imminuto: vt prodidit Plutarchus in Graccho. Nihilominus sublata denuò ea lex, aucto, vt iam diximus, stipendio. indicat enim idem seditiosus ille (de quo paulo antè) Percennius apud Tacitum: *Denis in diem assibus animam & corpus æstimari. hinc vestem, arma, tentoria; hinc sæuitiam Centurionum, & vacationes munerum redimi.* De veste militari, consulendus codex Iustiniani, libro duodecimo, titulo 39. item l. prima & l. sexta, C. de erogatione militaris annonæ.

Vestis militi è publico Vegetij æuo non data. Data olim; sed pretium eius à stipendio detrahebatur.

Id abrogatum lege C. Gracchi.

Ea lex denuò sublata, stipendio iam satis lauto.

Vtilitatibus vacare priuatis.] Milites non alibi animum habere debent, quàm in tuenda republica. Cassiodorus: *Publicis debent insudare, qui nomen dedere militiæ*: lib. 2. Variarum, cap. 31. Scripsit quoque Paternus, *debere eum, qui se meminerit armato præesse, ad opus priuatum, piscatum, venatum militem non mittere*; l. officiũ. ff. De re militari. Legionis legatum, notatum ignominiâ à Tiberio apud Suetonium legimus, quòd

Milites de reptuenda soliam oportet esse sollicitos.

Tribuni eos à signis ablegare sua caussa non debent.

quòd paucos milites, cum liberto suo, trans ripam venatum misisset. Tum & Constitutione Imperatoriâ ita cautum est: *Milites, qui à Republica armantur ac aluntur, solis debent vtilitatibus publicis occupari; nec agrorum cultui, & custodiæ animalium, vel mercimoniorum quæstui, sed propriæ muniis insudare militiæ,* l. milites 15, C. De re militari. Itidem cauet Iustiniani constitutio l. vnica C. negotiatores ne militent. Posthumum quoque consularem damnatum scribunt, quòd operâ militum in agro suo vsus esset: epitome Liuij. Iterum Imperator Iustinianus noua Constitutione sua, De militibus, Eos, qui milites priuatis vsibus inseruientes, detinent, omnibus facultatibus priuat, & ærario addicit; ipsos milites cingulo spoliat, & extrema infert supplicia; Nouella CXVI. Eôdem pertinebat, quod Vegetius noster paulo antè præmisit: *Nec aliquibus milites instituti deputabantur obsequiis, nec priuata iisdem negotia mandabantur.*

Milites negotiari non debent.

Pœna eorum, qui priuatis vsibus militem destinant.

Pœna militum, qui se patiuntur decurtari.

Ad obsequia tamen iudicum.] Membranæ H. exprimebant, *Iudicium.* neque id insolens, aut nouum videri debet. In membranis nostris l. 2. C. De officio comitis sacri palatij; & in l. nulli C. De officio Rectoris prouinciæ; diserтim quoque scripsêre, *iudicium*, pro *indicum.* & *præfecti vigilium*, ibidem appellantur in l. vnica, C. De officio præfecti vigilum: Itidem *radicium, cernicium, à radice, cerniee*, veteres declinasse, testis mihi Sosipater Charisius, lib. 1. Itidem *meretricium, ciuitatium, principium, hominum*, & mille alia declinabant.

Iudicium, pro iudicum. Vigilium, pro vigilum. Radicium, cernicium, & similia.

Deputabantur milites, qui vocabantur accensi.] *Accensitos*, hos milites nuncupabat manuscriptus N. Varro lib. 20. Rhetoricorum: *Vt consules, ac prætores, qui sequuntur in castra, accensi dicti, quòd ad res necessarias sæpiùs acciantur*, veluti accensiti. Hos alij *adscriptinos* vocârunt, alij *optiones.* diuersâque iisdem tribuêre munera; vt audies. Imprimis Festus in Optio, eos milites, qui sua ætate Optiones dicebantur, olim Accensos dictos fuisse refert. Eôdem proximè accedit noster Accursius: *Accensi*, inquit, *dicebantur attributi, decurionibus, hoc est ministri eorũ, quasi ad censum additi.* Varro lib. 3. De vita populi Rom. *Accensos dictos* indicat, *quòd decurionibus & cẽturionibus accẽsebantur, id est attribuebantur.* & Ieuis armaturæ fuisse indicat, libratores scilicet, funditores: *Quid*, inquit, *de adscriptiuis? cùm erant adtributi decurionibus, & centurionibus, qui eorum habent numerum, accensi vocabantur: eosdem etiam quidam vocabant ferentarios,*

Accensi milites vnde nomen adepti.

Accensi ferentarij, id est leuis armaturæ.

qui

qui depugnabant pugnis & lapidibus; his armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur. In pugnã productos iam intelleximus: discemus etiam in locum decedentium militum suffectos: Varro, *Adscriptini*, inquit, *dicti, quòd olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus. id est, si qui eorum deperissent*; lib. 6. De lingua Latina. Accensionatus certè in ministerio fuit potissimùm, & ad arbitrium eius, cuius accensi ministratores essent. At verò Optionatum, vt & decurionatũ, pretia fuisse bonis tantùm, atque strenuis parata, auctor Cato Censorius in ea, quam apud equites habuit. Fuêre tamen optiones in castris etiam vilissimi. quales fuisse verosimile est, optiones speculatorum. De quibus nos alibi.

Ferentarij vnde nuncupati?

Defunctis militibus successerũt.

Quos nunc supernumerarios vocant.] Supernumerarij, & inter pedites erant, & erant inter equites; teste auctore nostro lib. 3. cap. 18. De supernumerariis, probanda sententia est, quam auctor incertus De rebus bellicis proposuit, cap. De releuando sumptu militari: *Quia nonnunquam*, inquit, *bellorum ruina, aut fastidio castrensium munerum, deserta militia de summa integritatis intercipit; tali remedio huiusmodi damna supplenda sunt. scilicet vt centeni, aut quinquageni iuniores extra hos, qui matriculis continentur, habeantur in promptu, armis exerciti, & minori, vt pote tyrones, stipendio sublenati; in locum amissorum, si res ita tulerit, surrogandi.* Aliud denique genus supernumerariorum, qui absentes, & titulo tenus militia fungerentur; imaginarij, non veri, milites: quos D. Claudius instituit. auctor Suetonius: *dum equestres militias ita ordinauit, vt post cohortem, alam; post alam, tribunatum legionis daret: stipendiaq; instituit, & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur supernumerum; quo absentes, & titulo tenus fungerentur:* in Claudio, cap. 25. De supernumerariis mentionem factam vidi in l. 2. C. de castrensiariis, lib. 12.

Supernumerarij, tam inter equites, quàm inter pedites.

Centeni, aut quinquageni supernumerarij, extra eos qui matriculis inscripti erant.

Supernumerarij milites alij, titulo tenus.

AD CAPVT XX.

VT ex donatiuo, quod milites consequuntur.] Donatiua commoda erant, quæ militibus distribuebantur vltra stipendia, mera liberalitate, & quidem diuersas ob causas. quales erant, victoriæ, adoptiones, vel inaugurationes Cæsarum. Cassiodorus lib. 4. Variarum ca. 14. *Qui enim debent ad fiscum celeriùs esse deuoti, nisi qui capiunt commoda donatiui? quando amplius de nostra humanitate recipiunt, quàm stipendij iure præstetur.* Dabantur autem & auctoratis in ipso tyrocinio, vt

Donatiuum quid fuerit.

militantibus. confirmat Turnebus lib. 19. Aduerſ. cap. 21. hoc D. Hieronymi teſtimonio: *Ecce donatiuum, quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant.* Dabantur autem hæc annuè; ideoque certum in locum milites conuocari ſolitos, teſtis epiſtola Regis Theoderici apud Caſſiodorum lib. 5. Variarum: *Conſuetudine, inquit, liberalitatis regiæ commonemur, vt Gothis noſtris debeamus ſolemnia noſtra largiri. & ideò deuotio tua millenarios prouinciæ Picenij, & Samnij, ſine aliqua dilatione commoneat, vt eos qui annis ſingulis noſtræ manſuetudinis præmia conſequuntur, pro accipiendo donatiuo ad comitatum faciat incunctanter occurrere.*

Donatiua annuè quoq. data: Ea cauſſa conuocati milites vnum in locum.

Status illi rei dies Kalend. Ianuary.

Statum porrò huic rei diem fuiſſe, diſcimus ex Pauli Diaconi libro vndecimo Hiſtoriarum: *Cùm veniſſet, inquit, tempus, quo imperialia milites dona ſolent accipere (hoc enim agitur plerumque die Kalendarum Ianuariarum, & natali principum, & vrbium regiarum) exquiſiuit quatenus eos ſimpliciter ex priſca conſuetudine falſere potuiſſet.* Aliud inſuper donatiuum, quod commodum erat emeritæ militiæ, & dari ſolitũ poſt iuſtam miſſionem.

Commodũ emeritæ militiæ.

Præmium alij vocarunt.

Emeritum aliud à præmio.

quidam *præmium* appellârunt: Tacitus primo Annalium; *iiſdem in caſtris præmium pecunia ſolueretur.* meminit & Suetonius in Octauio, cap. 24. & 49. *Emeritum* alij vocatũ putant: ſed id diuerſum à præmio fuiſſe, indicare viſus Menander Iuriſconſultus, l. nõ omnes; & Paulus l. qui excubias, ff. De re militari. Emeritum ſuſpicor fuiſſe in agris, præmium in pecunia. nam qui iuſta miſſione mittebantur veterani, præter agros, pecuniam quoq. recipere ſolent. teſtes Hiſtorici; Tacitus imprimis. Aliud præmia, aliud emerita fuiſſe cenſuit quoque doctiſſimus Iuriſ. & omnis antiquitatis amantiſſimus Læuinus Torrentius; qui præmia fuiſſe dicit, quæ vltra emerita dabantur.

Quæritur quando cœperit mos deponendi donatiui apud ſigna.

Dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna.] Id diuinitus ab antiquis inſtitutum fuiſſe, Vegetius indicat. qui mos quando cœperit, etiam nunc mihi incognitum eſt. meminiſſe ſcio Suetonium, in Domitiano, cap. 7. *Geminari legionum caſtra prohibuit, nec plus, quàm mille nummos à quoquam ad ſigna deponi, quòd L. Antonius apud duarum legionum hiberna res nouas moliens fiduciam cepiſſe etiam ex depoſitorum ſumma videretur.*

Follis idem quod ſaccus aut pera.

Denique decem folles, hoc eſt decem ſacci.] Gloſſarium vetus, πήρα, *mantica, follis.* Iuuenalis, —— *& tenſo folle reuerti*: de eo, qui benè nummatus rediret. Liuius lib. 9. *Eques folliculis in caſtra frumentum veheret.* Auctor ad Herennium,

nium, *Parricidæ os lupino folliculo obuoluebatur.*

Addebatur & saccus vndecimus, in quem tota legio particulam aliquam cōferebat; sepulturæ scilicet caussa.] Obseruandum hoc loco, valdè pro humatione cadauerum sollicitos etiam milites veterum fuisse. Sæpe autem Græcos, sæpè Romanos, pactum cum hostibus iniisse de corporibus suorum sepeliendis, testes sunt Homerus, Virgilius, Liuius, & Cassiodorus lib. 2. Variarū cap. 19. & cap. 22. Etiam inducias sepeliendis vtrimque cæsis in acie datas, memorat Liuius lib. 32. Appianus De bellis Punicis scriptum reliquit Asdrubalem, victos à se Romanorum Tribunos rogatu Scipionis, sepeliisse. In Cornelij Taciti Annalibus insigne pietatis exemplum, quod dignum perpetua memoria: *Romanus exercitus sextum post cladis annum trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias, an suorum humo tegeret, omnes vt coniunctos, vt sanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul, ac offensi condebant.* Huic pietati erga mortuos etiam x. viri fauerunt, vt videre licet apud Ciceronem 2. De legibus, & ex ipsis XII. tabulis: HOMINI MORTVO NE OSSA LEGITO, QVO POST FVNVS FACIAS; NISI BELLI, PEREGREVE MORTVO. Magna profectò Tiberij crudelitas; quo imperante sepulturam vltroneâ morte impetratam clamitant Annales Cornelij Taciti: *Damnati*, inquit, *publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora: manebant testamenta, pretium festinandi.* Sed frustà hactenus digredimur. nam apud Vegetium alter locus, qui sollicitudinem de Romanorum sepultura apertè loquitur: *Inter tanta mortium genera, qui acerbissimus casus est, absumenda piscibus insepulta sunt corpora*, lib. 4. cap. 44. Apud Græcos, deditionis seu traditæ victoriæ signum fuit, si per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscerentur; Iustinus lib. 6.

Et ideo signiferi non solùm fideles, sed etiam litterati homines eligebantur.] Liber collegij trium coronarum multò mauelit, *diligebantur.* Hos ideò litteratos Vegetius quærit, vt sciant, deposita seruare, & singulis rationes reddere. Recténe id onus signiferis imposuerit Flauius, ipse viderit. Librarios quoque depositores ei rei præfectos fuisse, verosimile est: de quibus apud Paternum est, in l. vlt. ff. De iure immunitatis.

Milites pro humatione suorum quam olim solliciti.

Sæpe pactum initum de sepeliendis cæsis.

Eius caussa & inducia facta.

Romani post annum sextum reliquias suorum considerunt.

Id lege XII. tabularum permissum.

Tiberij in hac parte inimia crudelitas.

Deditionis signū apud Græcos, & corpora suorum ad sepulturam exposcebant.

Signiferi quamobrem litterati esse debuerint.

Librarij in exercitu.

AD CAPVT XXI.

PER diuersas scholas milites promouerentur.] Hac de re egi paulo superius: & indicat Suetonius in Claudio cap. 25. *equestres milites ita ordinauit, vt post cohortem alam, post alam Tribunatum daret.* Operæ pretium est audire quod aduersus Ioan. Hierosolymitanũ de degradatione Tribuni scripsit Hieronymus: *Finge,* inquit, *aliquem tribunicia potestatis suo vitio regradatum, per singula equestris militiæ officia, ad tyronis vocabulum deuoluntum. nunquid ex tribuno statim fiet tyro? non. sed ante primicerius; deinde senator, ducenarius, biarchus, circitor, eques; deinde tyro. & quanquam tribunus quondam miles gregarius sit, tamen ex tribuno non tyro, sed primicerius factus est.*

Degradatio militis qualis fuerit.

Ex omni legione infinita commoda consequitur.] De his primipili commodis, consulendus Inreconsultus in l. pater, ff. de adimendis legatis: & l. 1. C. de primipil. lib. 12. Neque solus primipilus emolumenta ex legione percipiebat: verùm etiam tribuni sua cõsequebantur commoda: quæ peculiari nomine *stellaturas* vocârunt Imperatores Theodosius, & Anthemius in l. septem, C. de erogatione militaris annonæ. Lampridius in Alexandro: *Annonas militum diligenter inspexit; Tribunos qui per stellaturas militibus aliquid abstulissent, capitali pœnâ affecit.* Non optimè in illius loci interpretatione de Lampridio meritus Io. Baptista Egnatius: qui nescio quid istic blaterat de crimine stellionatus. Itidem *Hadrianus Cæsar passus non est tribunos quicquam à militibus accipere.* testis in ipsius vitâ Spartianus. Pescennius Imperator duos tribunos, quòd stellaturas accepissent, lapidibus obrui ab auxiliaribus præcepit; vt auctor est itidem Spartianus. Consistebant autem stellaturæ in annonis dierum septem, vel earum pretio: teste Cuiacio in prædicta l. 7. C. de erogatione militaris annonæ. & videnda constitutio Theodosij & Valentiniani in l. duces. C. de officio militarium Iudicum. Atqui prætactum morem expilandi milites stipendiarios, damnauit Imperator Iustinianus: *Si usurpauerint,* inquit, *memorati duces, vel officia eorum, seu Tribuni commeatalem de militibus relinquere, aut aliquod lucrum de eorum monumentis sibi acquirere, hoc non solùm in quadruplum inbemus publico dependere:* (ita legunt nostræ membranæ) *sed etiam dignitate eos* *priuari. magis enim debent duces & Tribuni, supra deputata sibi emo-*

De commodis Primipili.

Commoda Tribunorum. Stellatura.

Egnatij error.

Stellaturarum commodũ quale fuerit.

Tribunis interdictum ne milites expilarent.

Si quid ab iis acciperent, restituere cogebantur in quadruplum.

lumenta

lumenta ſecundùm labores, de noſtra largitate remunerationem ſperare; & non de commeatis militum, aut de eorum ſtipendiis lucrum ſibi acquirere. l. ſecunda, §. pro limitaneis, C. de officio præfecti prætorio Aphricæ. Hoc amplius etiam cẽturionibus præter ſtipendium ordinarium, ſua commoda, vacationes ſcilicet; quas illi gregariis militibus annuas præſtabant à muneribus militaribus certâ pecuniæ ſummâ. Hinc Percennius apud Tacitum primo Annalium: *Denis in diem aßibus* (de ſtipendio queritur) *animam, & corpus æſtimari, hinc veſtem, arma, tentoria; hinc ſæuitiam centurionum, & vacationes munerum redimi.* Centuriones porrò munera militibus diſtribuiſſe, & negligentiùs operantes puniiſſe, docet Vegetius lib. 1. cap. 25. & lib. 3. cap. 8. De prædictis vacationibus luculentiſſimè Tacitus, primo Hiſtoriarum: *Flagitatum vt vacationes, præſtari centurionibus ſolitæ, remitterentur. Nemque gregarius miles vt tributum annuum pendebat; pars manipulis, pars per commeatus, aut in ipſis caſtris vaga, dum mercedem centurioni exſolueret, neque modum oneris quiſquam, neque genus quæſtus penſi habebat, per latrocinia, & raptus, aut ſernilibus miniſteriis militare ocium redimebant. Tum locupletiſſimus quiſque miles laborare, ac ſæuitia fatigari, donec vacationem emeret.* Ad hunc morem pertinere mihi viſa hæc verba Tertulliani: *Neque enim ſtatim & à populo eris tutus, ſi officia militaria redemeris:* libro De fuga. Maximum iſtud, & in diſciplina minimè tolerandum malum eſſe, vidit Otho Cæſar: de quo Tacitus libro eodem, quo ſuprà: *Sed Otho, ne vulgi largitione centurionum animos auerteret, ex fiſco vacationes annuas exſoluturum promiſit: rem haud dubiè vtilem, & à bonis poſtea principibus perpetuitate diſciplinæ firmatam.* Itidem paulo pòſt libro iam dicto de Vitellio principe verba faciens: *Vacationes,* inquit, *centurionibus ex fiſco nunerat.*

Centurionum commoda, præter ſtipendium ſtatum.

Ex vacationibus militum.

Centuriones militibus opera facientibus præpoſiti.

Vacationes illæ quomodo redimerentur pecunia.

Tertulliano lux adhibita.

Vacationes illæ ſublatæ ab Othone Cæſare & perſolutæ centurionibus è fiſco.

Eius exemplum ceteri quoque Principes ſecuti.

Sicut primicerius.] In codice M. corruptum eius hominis nomen, qui *primiſternimus*, legit. liber S. & H. *primiſcrinium*, vocant. quod & Turnebus in antiquis libris ſe inueniſſe teſtatur: & id illi nomen perplacet, lib. 24. Aduerſariorum cap. 12. Ceterùm ipſos primiſcrinios, primicerios quoque dictos, teſtatur Cuiacius ad l. 3. C. de apparitoribus præfecto prætor. Primicerium, vocarunt primum ſeu priorem locum tenentem. deinde τὸ *certus* tantùm verbi productionem eſſe quidam exiſtimârunt. D. Auguſtinus Sanctum Stephanum primicerium martyrũ nuncupauit,

Primiſcrinij etiã Primicerij nuncupati.

Quis Primicerius.

Primicerij in omnibus fere officiis

quem protomartyrem alij vocant. Erant etiam & aliorum officiorum primicerij; veluti cubiculariorum, mensorum, decanorum, fabricensium, scriniorum, vtriusque ærarij, palatinorum, aduocatorum: & generaliter quælibet corpora, scholæ, & collegia suum primicerium habebant, vti decanum. notabat Cuiacius ad rubricam C. de primicerio: & meminit Ammianus libro 18. Obseruaui & secundicerios recenseri inter dignitates; neque id vno solo in loco, apud Scotum, seu alium scriptorem, qui auctor sit Notitiæ vtriusque imperij.

Etiam scholis, corporibus, & collegiis sui primicerij.

Secundicerij.

In officio præfectorum prætorio.] Præfectos prætorio sub principibus institutos ad similitudinem Magistrorum equitum, qui Dictatoribus iungebantur, auctorem habeo Pomponium Iurisconsultum, in l. 2. ff. de origine iuris, & l. prima, ff. de officio præfecti prætorio; & l. 1. cum sequenti C. de offic. præf. prætor. Hi plures fuêre, vt discere potes ex Notitia imperij.

Præfecti prætorio sub Principibus, vt Magistri militum sub Dictatoribus.

Illi plures fuerunt.

Ad honestum quæstuosumq. militiæ peruenit gradum.] Pro *gradu*, *finem*, legendum suadent M.S.H. & vnus Susij. De cetero, id te scire volo, amice Lector, in omnibus Vegetij exemplis corruptum adhuc istum Vegetij locum. nam aliam interpunctionem, quàm qua vulgo vtuntur, adhibendam mihi dubium non est. Comparatur enim primipili centurio, cum primiscrinio, seu primicerio præfectorum prætorio. Id si tenes, iam intelligis totum hunc locum ita distingui debere: *in qua ex omni legione infinita commoda consequitur: sicut primicerius in officio præfectorum prætorio ad honestum quæstuosumq; militiæ peruenit finem. Item legionarij equites, &c.*

Sublata è Vegetio peruersa interpunctio.

Cohortes suas contubernij affectione venerantur.] Auctor Tryphoninus Iurisconsultus, præter notitiam & familiaritatem veterem, etiam caritatem inter milites commilitio augescere. l. de hæreditate, ff. de castrensi peculio.

Commilitium etiam caritatem gignit inter milites.

AD CAPVT XXII.

Tvbicen ad bellum vocat milites, & rursum receptui canit.] Ita eum locum edendũ curaui, ne quid mirêre; iubentibus optimæ notæ libris, sex scriptis, & duobus impressis, & ipso adeò Modesto. Velim tamen numero plurali scribi: *Tubicines ad bellum vocant milites, & rursum receptui*

Emendatus Vegetius.

ceptui canunt. Antè vulgabatur sic, *Tubicines ad prœlium vocant milites, & rursum receptui canentes renocant.* Omnino, ne quid grauius dicam, ineptè. verbum *renocant*, olim interpretamentum fuit Latinissimæ illius locutionis, *receptui canere*: ἀναχωλεῖν, Græci vocant. Id illi fungi non animaduertentes, posteà pro Vegetiano receperunt in contextum. Isidorus libro duodeuicesimo Etymologiarũ: *Huius sonitus varius est; nam interdum canitur vt bella committantur; interdum vt insequantur eos, qui fugiunt; interdum receptui. nam receptus dicitur quo se exercitus recipit: vnde & signa receptui canere dicuntur.* hæc ille. Vegetius lib. 3. cap. 5. *vtrum longè persequi fugientes, an receptui canere.* Sed prædictus error librariorũ vt maximè veniam mereatur; illud minimè ferendum, in vno hoc capite tot adsuta Vegetio, & tam monstrosa, ab ineptis hominibus membra. Verba hæc, *& buccinatores erant ornamentum totius legionis in ingressu conflictus, & eius reditu, &c.* hæc inquam verba, vt à Vegetio scripta credamus? qui credunt, stultiores iudico barbaro Potitio. nam eorum omnium, neu vola, neu planta appâret in vllo codice scripto: & absunt à C. M. S. & veteri quoque T. & ab ipso Modesto. Ceterùm Romæne in editione auctoris huius, an verò Parisiis illa monstra progenita sint, non meum iudicium est. Iisdem quoq. libris auctoribus deturbanda quæ paulo pòst eodem hoc capite intrusa sunt: *Et soli milites ad signa eorũ obtemperant:* Tum & istud membrum, quod subiicio, *quoties monenda sunt signa, cornicines canunt*, vt vitiosum, & putridum resecandum suadet codex M. quem in eo sequor ideò, quòd Vegetius paulò pòst subdat: *Cùm autem mouentur signa, aut iam mota figenda sunt, cornicines canunt.* Bis idem vno eodemque, & tam breui capite hic auctor vt dixerit, mihi vero simile nequaquam videtur.

Receptui canere.

Quid sit receptus.

Multa Vegetio adsuta membra ab ineptis, hoc vno capite.

Alterum glossema sublatum.

Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt.] Classicum accipiebatur & pro ipsa tuba, & pro ipso sono; vt auctor est Seruius, ad illud Virgilij 7: Æn. *Classica namque sonant.* – Item Isidorus: *Classica sunt cornua, quæ conuocandi causa erant facta, & à Calando classica dicebantur:* lib. 18. Etymolog. cap. De buccinis. Liuius lib. 5. *Vocatis classico ad concilium militibus.* Inde etiam ipsi præcones *classici appellati, qui tuba, vel cornu, iussu magistratus ex arce, vel circum muros populum ad comitium vocabant:* Varro quinto De lingua Latina

Classici bifaria significatio.

Classicis vnde nomen.

Classici tertia significatio.

Varro bis correctus.

extremo. Sed quòd istic apud Varronem legitur, *in templo iubeas adesse homines*: item paulo pòst, *ante priuati huiusce T. Quinctij Trogi sceleroſi hominis hoſticum canat*; vtrobique mendum insedit, ex nota adspirationis à librariis adiuncta pro *homines*, lege meo periculo, *omnes*: & pro *hoſticum*, scribe, *hoſtium*; seu potiùs, *oſtium*. Nam veterem illum canendi classici morem ante ianuam sceleroſi ciuis, ipse indicauit eodem loco Varro: *Cornicinem*, inquit, *ad priuati ianuam, & in arcem mittas*. Sed domum nos redeamus, id est, ad exercitum. Fuêre in castris Romanorum duo præcipua dignitatis Imperatoriæ insignia; classicum scilicet, & prætorium. vtriusque testis Cæsar, loquens de Pompeio, tertio De bello ciuili: *Scipionis milites cohortatur, vt parta iam victoria præde ac præmiorum velint eſſe parricipes, receptiſq; omnibus in vna castra legionibus, ſuum cum Scipione honorem partitur, claßicumq; apud eum cani, & alterum illi iubet prætorium tendi.* Vegetius: hoc insigne videtur imperij, quia claßicum canitur Imperatore præsente. Hoc eodem capite. Hircius de bello Alexand. Tollitur à multitudine in tribunali, prætor appellatur. Liuius de militibus seditiosis lib. 38. *In prætorio tetenderunt Albius & Atrius: claßicum apud eos cecinit: signum ab iis petitum est. sederunt in tribunali proconsulis Scipionis.* Appianus De bellis punicis: *In qua erat*, inquit, *præfecti claßis prætorium. vnde buccinator ſolebat canere claßicum*; & *praeco edicere*, & *præfectus proſpicere.* Festus, seu potiùs compilator eius Diaconus, in voce Prætoria: *Initiò Prætores erant, qui nunc consules: & ij bella administrabant. quorum tabernaculum quoque dicebatur Prætorium.* Tertium ad Imperatoris dignitatem pertinens, de fascibus scilicet laureatis; elicere videor ex verbis Cæsaris, quæ sunt tertio Belli ciuilis: *Pompeius*, inquit, *eo prælio Imperator eſt appellatus. hoc nomen obtinuit, atque ita ſe poſtea ſalutari paſſus eſt: ſed neque in litteris quas ſcribere eſt ſolitus, neque in faſcibus inſignia laureæ protulit.* Attamen laurea fasces tantùm coronabant post victoriam; imò post triumphum in Capitolio deponebant. Iulius Obsequens in Prodigiis: *Apparuit enim hoſtibus portendiſſe victoriam, cùm ad eos laurũ victricem tulerit, quã in Capitolio debuerat deponere.* Panegyricus Pacatus: *Depoſitis*, inquit, *in gremio Iouis Capitolini laureis, triũphales viri ruſticabantur.*

Claßicum canebas ante oßium ſceleroſi ciuis.

Duo præcipua ſigna Imperatoria dignitatis in exercitu: Claßicum.

Et prætorium.

Tabernaculum ducis quare appellatum Prætorium.

Tertium inſigne Imperatoria dignitatis.

Faſces poſt victoriam laurea coronabant: Poſt triumphum in Capitolio deponebant.

Claßicum cecinit in animaduerſionibus militum:

Vel cùm in militem capitaliter animaduertitur.] Vide quæ hac de re à me scripta sunt, suprà ad caput vigesimum tertium libri primi. Lucanus libro primo:

Nec

Nec ciuis meus est, in quem tua classica Cæsar
Audiero. ———

Classicum etiam ad epulas Imperatorias cecinisse, indicat apud Tacitum Lipsius. & idem ferè hodie mos; præsertim Satrapis Germanis. *Item cecinit ad epulas imperatoris.*

Siue ergo ad vigilias, siue ad angarias faciendas.] Rursum in S.H.&N. sine liturâ perscriptũ inueni, *agrarias.* *Restituta Vegetiana scriptura.*

Siue ad opus aliquod, vel ad decursionem campi exeunt milites.] Aliud processio erat, siue ambulatio exercitus, de qua paullo pòst Vegetius meminit hoc cap. & alibi: aliud hæc militum decursio. quæ cum aliàs, tum fieri quoque honoris ergò solet, ab armatis militibus, in funere heroum & magnorum virorum. Homero teste, Patroclo is habitus honor. item Augusto, teste Dione libro 56. Cæsis quoque Troianis eundem exhibitum honorem, testantur versus Virgiliani: qui rei illustrandæ adscribendi sunt, ex 11. Æneidos: *Processio, ambulatio exercitus.* *Decursio.* *Eadem decursio armata in funere magnorum virorum.*

Iam pater Æneas, iam curuo in littore Tarchon
Constituêre pyras: huc corpora quisque suorum
More tulêre patrum, subiectisq; ignibus atris,
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis, *Ter armati regũ circabant.*
Decurrêre rogos; ter mœstum funeris ignem
Lustrauêre in equis, ululatuq; ore dedêre.
Spargitur & telius lacrymis, sparguntur & arma.
It cœlo clamórque virum, clangórque tubarum.
Hinc alij spolia occisis direpta Latinis *Etiam spolia in rogum iniecta:*
Coniiciunt igni, galeas ensesq; decoros,
Frænáque, feruentesq; rotas: pars munera nota
Ipsorum clypeos, & non felicia tela. *Etiam dona militaria.*

Elegantissimum huius decursionis exemplũ est apud Herodianum libro quarto. Vnde discimus vniuersos equestris ordinis, certa quadam lege atque recursu, motu denique Pyrrichio in orbem decurrisse: imò & currus circumactos, insidentibus rectoribus purpuratis. Neque in funere modò is ritus obseruatus; sed & in anniuersariis celebrandis stato die iteratus. à Suetonio luculentissimum accipito testimonium: *Exercitus honorificum illi tumulum excitauit: circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret:* in Claudio cap. primo. De campi cursione meminit Vegetius lib. 3. cap. 9. *Adhibiti in hac decursione & motus Pyrrichij:* *Etiam currus circumacti.* *Iterata illa decursio in anniuersariis.*

& capite subsequente, vbi armatos præcipit cursu exerceri, & simul sarcinas ferre.

Quod ideò in omnibus exercitiis & processionibus custoditur.] Modestus, *processibus*, legit: quod quarta inflexione, pro eodem esse potest. de quo loquendi modo dictum à me alibi. Nomen *processionis*, vt & *stationum*, *vigiliarum*, & complura huiusmodi, etiam Christiani vsurpare olim cœperunt; testantibus Tertulliani, Cypriani, & aliorum scriptis.

AD CAPVT XXIII.

Adiectum magnum glossema ex Vegetio.

Neque enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit: sed [continua exercitationis meditatio] post quanta volueris stipendia inexercitus miles semper est tyro.] Quæ inclusa vidisti, adulterina, & à mala manu esse, clamant omnes libri, quotquot vidi; extra vnum P. & H. quanquam hic sanam lectionẽ ad oram adscriptam habeat. inculcata autem illa pronuntio ab eo, qui vim, & notionem vnius particulæ, *Sed*, quæ rationaliter hic posita est; non est adsecutus. De qua me agere meministi libro eodem, cap. 18. Perfectissimam autem sententiam habes in his verbis: *Sed post quanta volueris stipendia inexercitatus miles semper est tyro.* Præceperat enim iam Vegetius veterem & eruditum militem semel in die, idque sine intermissione, exercendum esse: iuniores verò manè, & denuò post meridiem. Cicero: *Quid exercitatio legionum? quid ille cursus? clamor quanti laboris est? ex hoc ille animus in prœliis paratus ad vulnera. adduc pari animo inexercitatum militem, mulier videbitur.* Cur? *tantum interest inter nouum & veterem exercitum, quantum experti sumus. ætas tyronum plerumque melior: sed ferre laborem, contemnere vulnus cõsuetudo docet:* Prima Tusculana. Pro tyronibus etiam habiti, qui diu in pace durârunt, quique pugnare longo tempore desierunt: lib. 3. cap. 9. Tum ij quoque tyronum instar sunt, qui homines nunquam viderunt vulnerari aut occîdi: Ibidem cap. 10.

Sed, particula rationaliter posita.

Veteranus semel in die exercendus. Iunior bis in die exercendus est.

Miles inexercitatus fœmina. Quid possit consuetudo.

Pro tyronibus habendi qui diu pugnare desierunt: Itidem illi, qui nunquam viderunt vulnerari.

Idcirco armaturam, quæ festis diebus exhibetur, non tantùm qui sub campi doctore sunt.] Locus hic perpurgatus palmam mihi debet, aut nullus alius. maculatissimi hîc libri editi, & scripti. Vetus editio Colonienſis expressam retinebat, Parisiensis habebat sic, *cum armatura, quæ festis diebus*

Palmaria Steevechij emendatio.

diebus exhibetur in exercitio, idcirco nō tantùm armaturā, qui sub, &c. M. legebat, *Armaturam, quæ festis diebus exhibetur idcirco non tantum, &c.* Inde ego veram lectionem subodoratus sum; hanc videlicet, *Armaturam, quæ festis diebus exhibetur in Circo, non tantum armaturæ, quæ sub campi ductore sunt.* Lapsus librariorum facilis fuit, ex adfinitate litterarum. illud porrò, *in Circo*, genuinum esse, multis confirmare exemplis non sit difficile. ibi enim ad imaginem bellicam, vel (vt cum Liuio & Lucretio loquamur) ad simulacrum belli, pugnæ terrestres, & naumachiæ committebantur. Suetonius de ludis per Diuum Iulium in Circo editis: *Nouissimè pugna diuisa in duas acies, quingentis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus, hinc & inde commissis. nam quò laxius dimicarentur, sublatæ metæ; inq; earum locum bina castra, ex aduerso constituta erant.* Idem in Domitiano, cap. 4. *In Circo præter solennes bigarum quadrigarumq; cursus prælium duplex etiam, equestre ac pedestre commisit.* Quin & Dionem appello; à quo didici tempore Titi A. aliquot millium hominum, adsumptis Athenienſium ac Syracusanorum nominibus, nauale, ac pedestrem pugnam Romæ exhibitam. Easdem pugnas à Domitiano in Circo editas, ab eodem Dione scribitur, in Domitiano. consule (si lubet) Suetonium in Octauio, cap. 43. in Claudio, cap. 21. & Valerium Maximum lib. 2. cap. 4. Adhibe etiam huc, quæ paulo antè ex Liuij lib. 54. retuli de testudinis vsu, ac ludicro Circensi ad belli vsum conuerso. adhibe quoque Virgilium 5. Æneid. Armaturas ignorârunt, qui ita miris modis hîc scriptorem nostrum adfixerunt. Armaturas autem ipse Vegetius milites appellauit, qui armatura, id est, eo exercitij genere imbuebantur, vegetiores, & iuniores. qui omnes, absque me fuisset, non in illo certamine ludicro, sed librariorum, & criticorum quorundam stilis iacebant confecti, iam pænè humandi. Coniecturam hanc meam aliquot amicis, & familiaribus, Ioanni Metello Sequano, Iano Mellero Palmerio, Iano Gulielmio iam probâram. sed pòst accessit vetus liber, licet typis cusus, collegij trium coronarum; in quo disertè erat expressum, *in Circo*, cum reliquis, quæ de armaturis adiecta sunt.

In Circo Rom. pugnæ, & naumachiæ populo exhibitæ diebus festis.

Etiam elephantī in Circo pugnauerunt.

In pugnæ illæ nomina militibus fingebant, ad imaginē bellicam.

Origo & fons Vegetij hic depraua ti.

Armaturæ, milites erant.

Illud verò maius est, vt seruare ordines discant.] Non ineleganter hæc in vno veteri. quare lubitū est adscribere: *Illud verò maius est quiddam, ordines seruare discunt, & vexillum suum in tantis*

in tantis permixtionibus, in ipsa prolusione comitantur: ne inter doctos aliquis error existat, cum multitudinis sit tanta confusio. Et, me iudice, recipienda esset hæc lectio: nam in eo noster est, vt commoda, quæ ex præludione illâ eueniunt, ostendat; non vt rationem ipsius exercitij præscribat. Ordinum seruandorum maxima cura apud Romanos. hinc Macrinus, *arma capiamus, atque vt mos Romano est, ordines in acie seruemus. quippe in acie Barbarorum incomposita multitudo ac tumultuaria, ipsa se fortasse impediet.* ita ille apud Herodianum libro 4. De necessitate illa ordinum seruandorum quæ Rom. milites tenuit, alibi dixi. qui secus facerent, securi percussos testatur Liuius lib. 2. & Diodorus lib. 12. Pari pœna affectos puto, qui signa desererent: quòd capitis pœna irrogetur *his*, qui in bello rem quamcunque faciunt à duce prohibitam, aut mandata non seruant, l. desertorem, §. in bello, ff. De re militari. & ita accipiendam arbitror l. penultimam, ff. ex quibus caussis maiores; adhibita l. x 1. C. De re militari. Apud Græcos, imprimis apud Athenienses, eandem disciplinam fuisse refertur lex Charondæ; qua sancitum fuit, vt qui in prœlio signa ordinésue destituissent, aut arma omninò capere pro patria recusassent, vestibus muliebribus induti, medio in foro sisterentur, idque tertium singulis diebus iteraretur. Nam quòd mortis supplicio leges priores coërcebãt, idipsum prudentissimus legislator maluit probri metu corrigere, & sensim suos à fœminea illa timiditate, ac animi mollitie velut absterrere. auctorẽ do Diodorum Siculũ lib. 12.

Ordines quàm arctè Rom. seruandi:

Qui non seruârunt, securi percussi.

Signa deseruisse etiam capitale fuisse credimus.

Interpretata l. penultima ff. ex quibus causis maiores.

De signis ordinibusue destitutis, lex Charondæ apud Athenienses.

Probri metu emendati milites.

Ad palum quoque, vel sudes iuniores exerceri percommodum est.] Exigua vnius voculæ mutatio ritum antiquum occulit: quem eruo, adiutus libro M. & H. in quibus disertim scriptum, *sudibus.* quibus & alter Susij pòst accessit. Neque enim sudes, vt pali, figebantur in terram; sed pro gladiis ligneis, seu clauis erant. de quibus Vegetius suprà lib. primo, capite vndecimo. Vbi & nos quid Palaria essent, demonstrauimus. Pali figebantur in terram vt nutare non possent: sex pedes eminebant, puta ad iustam viri staturam. hunc palum, cominus sudibus; eminus missilibus procul ferire meditabantur, Vegetio teste hoc cap. & dicto cap. vndecimo. Hac de re testimonium suppeditat Iuuenalis Satyra 6.

Emendatus Vegetius non leuiter.

Palariorum exercitium.

Palos milites cominus sudibus petebant:

Eminùs verò missilibus.

—— *aut quis non vidit vulnera pali,*

Quem

Quem cauat aßiduis ſudibus, ſcutóque laceßit:
Atque omnes implet numeros. ———

Sudibus quoque,& quidem præuſtis in prœlio contra beſtias, vallisque caſtrorum defendendis, Romanos milites vſos, teſtes mihi ſunt Virgilius, Liuius, Florus, Appianus, Cæſar, Ammianus, & alij. Amicus quidam meus putabat *rudibus* Vegetium ſcripſiſſe, pro *ſudibus*: ſed fallebatur. Rudibus milites, ſeu virgis exercitatos fuiſſe, non nego: verùm tunc non ad palum ludebatur, ſed duo milites pluréſue, interdum totus exercitus committebatur. quod me docuit Leo De bellico apparatu, cap. 7. numero 3. & num. 18. & num. 57. Quin etiam exemplum ea de re apud Liuium lib. 26. *Tertio*, inquit, *die rudibus inter ſe, in modum iuſtæ pugnæ concurrunt*: ita enim rectè ex membranis Lipſius noſter emendauit, cùm vulgati, *ſudibus*, præferrent.

Sudibus etiam in prœlio vſi.

Rudibus quoque milites exercitati.

Etiam totæ legiones rudibus inter ſe dimicatæ ſunt.

Liuij lectio confirmata.

Inſurgere tripudiantes in clypeum, rurſuſque ſubſidere.] Membranæ H. *trepidanter* legunt: M. verò & quatuor Suſij, *trepidantes*; idque rectum cenſeo, idemque valere, quod *properantes*. Nonio Marcello *trepidare, non ſolùm metuere, ſed & properare ſignificat*. ſic *trepidare negotium, trepidare ad arcem*, Salluſtium eâ phraſi dixiſſe, diuino illo in coniecturis ingenio Iani Palmerij noſtri ſatis oſtenſum eſt. quare ad ipſius Spicilegia lectorem remitto. *Trepidam carinam*, Lucanus dixerat; Seruius interpretatus, *celerem*. Sic Virgil. *Dum trepidant alæ, ſaltuſq; indagine cingunt*.

Trepidare, pro, properare veteres vſurpárunt: Id verbi Vegetio redditum.

Virgilij verſus interpretatus.

Nunc geſtiendo prouolare cum ſaltu.] Bellator cum curſu ſaltuque veniens, aduerſarij perſtringit oculos, mentemque deterret: priusque plagam infligit, quàm ille ad cauendum, vel ad reſiſtendum certè ſe præparet. Vegetius libro primo cap. 9. Idem lib. 3. cap. 14. *Vehementiùs*, inquit, *cum ſaltu curſuq; tela mittuntur*. Hinc meritò reprehẽſus Pompeius, qui leuiùs caſura pila ſperabat cùm loco retentis militibus, quàm ſi ipſi immiſſis telis occurriſſent. Quod quidem nulla ratione ab eo factum videtur; propterea, quòd eſt quædam animi incitatio, atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ ſtudio pugnæ incenditur. hanc non reprimere, ſed augere imperatores debent, auctore Cæſare lib. 3. De bello ciuili.

Plaga grauior cum ſaltu curſuque infertur:

Peruerſa hac in re Pompeij opinio.

Alacritatem militum augere potiùs, quàm reprimere imperatores debent.

Ita vt ſexcentis pedibus remouerentur à ſigno.] Libri VV. *ſexcentos pedes*, malint. ſed nos hæc Grammaticis relinquimus.

In campo exercitationi deputato si quis lederetur, cessabat Aquilia:

quimus. Illud hoc loco docere nos oportet, sagittarios illos, itidem funditores, ac reliquos milites, si in eo campo, qui exercitationi militibus deputatus erat, aliquem lederent intempestiuè transeuntē, actionē legis Aquiliæ fuisse denegatam: at contrà qui data opera in eum iaculati forent, Aquilia tenebantur; vt auctor fuit Vlpianus lib. octauo decimo ad edictum hodie, in l. 9. ff. ad legem Aquiliam. Idem sanxit Imp. Iustinianus, cuius verba ex §. *Iniuria autem*, Instit. ad legem Aquiliam, ita dictant: *Itaque si quis dum iaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem seruum tuum traiecerit, distinguitur. nam si id à milite in eo campo, vbi solitum est exercitari, admissum est; nulla culpa eius intelligitur: si alius tale quid admiserit, culpæ reus est. Idem iuris est de milite, si in alio loco, quàm qui ad exercitandum militibus destinatus est, id admiserit.* Hinc appâret simili hodie priuilegio gaudere, corporibus sagittariorum adscriptos, quotiens in locis suo collegio destinatis, fortè aliquem, dum se exercent, vel lædunt vel interficiunt. Similia loca sagittariorum (hortos nostrates vulgo appellant) exercendis oppidanis, cùm in aliis prouinciis, tùm in omnibus pænè Belgij ciuitatibus destinata videmus: sæpè plura in singulis vrbibus, pro multitudine, & diuersitate corporum, seu collegiorum. Ea res instituta olim à Ducibus nostris atque Comitibus, magno reipublicæ bono; neque alio fine, quàm scientiæ militaris retinendæ aut restituendæ. testantur & priuilegia prædictis corporibus, hortisque eorundem concessa; & fundi nonnullis eorum à principibus donati. tametsi multis in locis hoc nostro æuo (quod deplorandum est) iisdem abutuntur, de nulla re minùs, quàm de exercitatione armorum suorum solliciti.

Distinctionem tamen ille casus recipit.

Idem hodie obtinere debet.

Loca seu horti sagittariis nostris destinata in vrbibus:

Quo fine ea loca concessa.

Corporibus, seu collegiis sagittariorum etiam priuilegia & fundi dati.

Sed & manu sola omnes milites meditabantur libralia saxa iactare.] In M. & S. editum est *libraria*. Erant etiam in exercitu Romano milites leuis armaturæ, libratores dicti, quòd glandes in prœlio torquebant. Tacitus: *Libratoribus, funditoribúsque attributus locus, vnde eminus lapides & glandes torquerent.* Iterum: *Sensit dux imparem cominùs pugnam, remotisq; paulum legionibus, funditores libratoresq; excutere tela, & proturbare hostem iubet.*

Libratores in exercitu qui fuerint.

Missilia quoque, vel plumbatas.] Non modò in bello, sed & alibi quoque plumbatæ vsui fuêre. quanquam alia earum, quàm missilium figura. Vsui autem in castigationi-

Plumbatæ in castigationibus

bus:

bus: Constantinus A. ad Populum, *Nemo carcerem, plumbatarumq; verbera, aut pondera, aliaq; ab insolentia iudicum reperta supplicia, in debitorum solutionibus, vel à pernersis, vel ab iratis iudicibus expaueſcat*, lib. 2. C. de exactionibus tributorum. Meminit earundem constitutio Imperatorum, quæ est in l. omnes, Cod. Theod. de decurionibus. Hoc genus verberum optimè expressit Prudentius, περὶ στεφάνων:

Tundatur tergum crebris ictibus,
Plumbóque cervix verberata extuberet.
Pulsatus ergo martyr illâ grandine,
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

olim quoque vsurpata. Lex data l. 2. C. de exactoribus tributorum.

Iugiter, perpetuoque exercitio.] M. S. H. legunt *ingi perpetuoq; exercitio*. atque ita centies hic auctor locutus.

Vegetius leuiter correctus.

Vt tempore hyemis de tegulis, vel scandulis.] Vitruuius lib. decimo, cap. primo: *Ædificia constituuntur scandulis robustèis, aut stramentis*. Emendabat istîc Turnebus, *scindulis*, lib. 22. Aduersariorum suorum cap. 18. secutus auctoritatem librorum veterum, & ipsius Isidori. Idemque *scindulis*, pro *scandulis* restituendũ decernit, apud Cæsarem, Plinium, & Palladium; iubentibus eorum auctorum exemplaribus scriptis. Faueo tanti viri mânibus: nam apud Vegetium sex, septem libris, *scindulis* expressum reperi; videlicet in M. H. N. & quatuor Susij. Dictæ scindulæ à scindendis assulatim arboribus. Sunt autem scindulæ tabellæ vicem tegubarum præstantes, quibus contectam fuisse Romã annis CCCCLXX., testis Cornelius Nepos apud Plinium libro decimo sexto cap. 10. Hinc qui *scandularij* dicuntur in l. vlt. ff. de iure immunitatis; vide ne *scindularij* nuncupari debeant.

Emendatus à Turnebo Vitruuius.

Vegetius iterum correctus.

Scindulæ à quo nominatæ sint.

Scindulis Roma contecta annis CCCCLXX. Tentata l. vltima ff. de iure immunitatis.

Porticus tegerentur ad equites.] Etiam athletæ brumali tempore sub tectis exercitati. Vitruuius lib. 5. de architectura cap. vndecimo, *Hæc porticus ξυστὸς vocitatur, quòd athletæ, per hiberna tempora, in tectis stadiis exercentur.*

Milites, & athleta hyeme sub tectis exercitati.

Ceteris autem, etiam hybernis, diebus, si niues tantum pluuiaque cessarent, exerceri cogebãtur in campo.] Quare tam diligens exercitatio militum requiratur, declaratum à me libro primo, cap. 15. Eandem exercitationem etiam hyeme non intermissam, hîc docemur. qua de re & Iustinus, de Mithridate loquens, libro 37. *Hyeme deinde imminente, nõ in conuiuio, sed in campo; non in aduocationibus, nec inter sodales;*

Mithridates inuictum suum exercitum qui fecerit.

sodales: sed inter coæquales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat. exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam, quotidiana exercitatione durabat. atque ita inuictus ipse, inexpugnabilem exercitum fecerat.

Natando sæpè milites exercitati.

Cyri exercitus graue damnum passus ex ignorantia natandi.

Iulius Cæsar natandi peritissimus.

Natare in mari siue fluminibus.] Certum est ex Vegetij libris, militarem gymnasticam natandi exercitio frequenter vsam: lib. 1. cap. 10. & lib. 3. cap. 4. Natandi peritia, vtilis & in naualibus pugnis, & in transeundis vadis, fluminibusque traiiciendis. Auctor Xenophon, Cyri exercitui, ob nandi ignorantiam, magnum illatum incommodum. D. Iulius natandi peritissimus fuit: eoque nomine celebratus apud Suetonium cap. 57. & cap. 64. eaque peritia eundem seruauit, nauigio multitudine militum depresso. quod prodidit Hirtius in eo, quem De bello Alexandrino. Obseruaui autem non in mari solùm, & fluminibus belli tempore natare coactos Romanos; verùm & domi, aliquando in ipsis gymnasiis, interdum in priuatis balneis natandi arte imbutos. Festus: *Piscinæ publicæ hodieq; nomen manet, ipsa non extat, ad quam, & natatum, & exercitationis alioqui causſa veniebat populus.* Balnea autem illi rei idonea, & satis magna fuisse, indicant Epistolæ Plinij, non vno in loco: nominatim libro quinto: *Apodyterion*, inquit, *balnei laxum & hilare, excipit sella frigidaria, in qua baptisterium amplum, si natare latiùs aut tepidius velis.* Illud Aristoteles notatum reliquit, facilius in mari quàm in fluuio natari; quòd mare corpulentia aquæ suæ & crassitie, corpora humana, vt & alia onera, facilius eleuata teneat.

Natando etiam domi milites exercitati in gymnasiis: Illi rei loca publica destinata erant:

Etiam balnea Romani illi exercitioni idonea habuerunt.

Cur facilius in mari, quam alibi natetur.

Gradu pleno ambulare vel currere etiam armatos cum sarcinis.] Itidem Tertullianus contra martyres: *Etiam in pace*, inquit, *laborare, & incommodis bellum pati iam ediscunt. In armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando.* Eum locum in dubium voco: nam quòd interpres ad siccationem lignorum, ex quibus testudines compingebantur, id trahat; in eo mihi non satisfecit. potius traiectis verbis legerim, *testudinem moliendo*: quasi nimirum conentur in illa meditatione testudinem componere; quam scutis coniunctis fieri antè ostendimus.

Milites armati, etiam cum sarcinis decurrerunt. Tertulliani locus in dubium vocatus.

Nam si doctrina cesset armorum, nihil paganus distat à milite.] Iureconsultis nostris ij dicuntur pagani, qui non militant, sed in pagis & vicis suis munera subeunt.

Militibus

Militibus sæpe opponuntur; vt togati sagatis cinctisque. Iuuenalis Satyra 16. *Militibus oppositi pagani.*

——— citiùs falsum producere testem
Contra paganum possis; quàm vera loquentem
Contra fortunam armati, contraq; pudorem.

Pagani autem propriè dicti rustici, quòd domi relinquebantur ad ruris culturam. Sunt apud eosdem Iurisconsultos pagani, à fide catholica alieni, vt qui in verba Christi redemptoris nostri non iurârint; Gentiles alij vocârunt. de quibus videndus Isidorus, & vir eruditissimus, præceptor meus, Victor Giselinus, in suis Adagiis. *Pagani qui sint.*

AD CAPVT XXIIII.

ATHLETA, venator, auriga.] Diuersa spectaculorum ac ludorum genera, diuersis temporibus in temp. Romanam inuecta. quorum finis partim in religione, partim in voluptate populi positus erat. Opinabantur enim antiqui rem gratam se illis ludis, tanquam promissam, diis facere. Arnobius: *Vos æris tinnitibus, & tibiarum sonis; vos equorum curriculis, & theatralibus ludis persuasum habetis deos delectari & affici, irasq; aliquando conceptas eorum satisfactione molliri.* libro septimo cõtra Gentes. Ludos inter alia cœlestis iræ placamina institutos, testantur Liuius lib. 7. Censorinus De die Natali, cap. 12. Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. & alij. Faciebant quoque ludi permultùm ad populi fauorem obtinendum: cui reges, & ipsa respublica, nec non principes ipsi valdè studebant: quo ciues hac voluptate demulsos in officio continerent; quóue faciliùs, quod ab ipsis extorquendum erat, impetrarent. testes mihi Vitruuius lib. 5. De architectura cap. 3. Valerius dicto cap. 4. & Constitutiones Principales Cod. Theod. de spectaculis; & l. 2. de expensis ludorum, eodem Codice Theod. Plinius lib. 36. cap. 15. Veruntamen vt Romanæ rei ampliùs fortuna fauere cœpit, factum est rerum lautitia, vt animi quoque priuatorum lasciuire inciperent, neque fugerent, vel domestico sumptu eiusmodi spectacula ludosque edere. Quòd verò athletas, venatores, aurigas, productos dicat Vegetius propter exiguam mercedem, id aliter apud Græcos constitutum fuisse intelliges: Vitruuius lib. nono De architectura: *Athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum maiores ita ma-* *Spectacula varias ob causas Romæ exhibita.* *Spectacula & ludos placamina. deorum putabant:* *Etiam ob populi voluptatem instituti.* *Priuatorũ quoque sumptu ea spectacula edita.* *Athletis magnũ præmium apud Græcos propositum.*

gnos honores constituerunt, vti non modò in conuentu stantes cum palma & corona ferant laudes; sed etiam cùm reuertantur in suas ciuitates, cum victoria triumphantes, quadrigis in mœnia & in patrias inuehantur, & req; publica perpetua vita cõstitutis vectigalibus fruantur. Disce, si lubet, à quo athletarum certamẽ Romæ primùm datum sit. Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. *Gladiatorum*, inquit, *munus primum Romæ datum est, in foro boario, Ap. Claudio, M. Fuluio coss. Dederunt M. & D. Bruti; funebri memoria patris cineres honorando.*

Gladiatores quis primus Romæ ediderit:

Quis Athletas.

Athletarum certamen à M. Scauri tractum est munificentiâ.

Venatio Circensis:

Venator.] Hos venatores intellige, qui Romæ in Circo venabantur: introducti ab iis hominibus, qui, vt prodigi, epulis, viscerationibus, & gladiatorum muneribus, venationumq́ue apparatu, suas pecunias profundebant in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut omnino nullam relicturi erant: Cic. 2. Offic. Huiusmodi venationes à principibus sæpe editas, historiæ testantur. Dio in Iulio: *multa & varij generis spectacula edidit, theatro ad venationem extructo. id postea Amphitheatrum appellatum, quòd sedes absque scæna haberet.* Eundem per dies quinque venationem in Circo Romano dedisse, ex Suetonio discimus, Iulio cap. 39. Magnifica sanè, & sumptuosa Domitiani spectacula celebrantur. à quo venationes, gladiatoresq́ue, etiam noctibus, ad lychnuchos datæ: teste eodem Suetonio in Domitiano, cap. quarto. Sumptuosissimam quoque venationé Flauius Vopiscus describit: *Genus (inquit) spectaculi eiusmodi fuit (in triumpho nimirum Probi Imperatoris) arbores validæ per milites cum radicibus euulsæ, connexis latè longeq; trabibus affixæ sunt. terra dein superiecta, totusq; Circus ad siluæ speciem consitus, gratiam nobis viroris obtulit. immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ, Libycæ omnes feræ, & cetera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inueniri. immissi deinde populares. Rapuit quisque quod volebat. Sequenti die adiecit in Amphitheatro, vna missione centum iubatos leones, &c.* Totam hanc rem explicaturum non dubito Iustum Lipsium nostrum, cuius altera Saturnalia De venatoribus, spero fore propediem vt in lucem prodeant. Interim si ea spectacula, desita, & ignota prorsus hoc æuo, te capiunt; adi Suetonium in Octauio, cap. 43. in Claudio, cap. 21. Cassiodorum in Variis, lib. 3. & libro quinto.

Sæpè edita à Principibus:

Etiam per aliquot dies continuos:

Etiam noctibus exhibita venationes.

Venatio sumptuosissima ab imperatore Probo edita.

Auriga Circensis.

Auriga.] Etiam Aurigæ inter certatores Circenses fuerunt:

runt: agitatores alij vocauerunt, l. vlt. C. de maleficis. quippe aurigationem in Circo editam, testis Suetonius in Iulio cap. 39. in Domitiano cap. 4. Liuius, Valerius, alij. Curruum verò certamen in Olympicos ludos inuectum nona & nonagesima Olympiade, historiæ loquuntur. Id studium paullatim apud Romanos ita excultum atq. auctum fuit, vt pauca, vel nulla ferè spectacula ederentur, vbi non honorifica agitatoribus præmia proposita essent. Sed disce nunc, huius ludi origo vbi primùm cœperit, & à quo Romam translata. Cassiodorus lib. 3. Variarum cap. quinquagesimo primo: *Primus hoc spectaculum apud Helidem Asiæ ciuitatem Oenomaus fertur edidisse: quod posteà Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis ædificiis, ruraliter ostentauit Italiæ.* Item Hieronymus in vitâ Hilarionis: *Circenses equos nutriebat. Hoc siquidem in Romanis vrbibus iam inde seruatur à Romulo, vt, propter felicem Sabinarum raptum, ab ipso quasi consiliorum deo quadrigæ septeno currant circuitu, & equos partis aduersæ fregisse victoria sit.* At equo vehi omnium primus docuisse fertur Bellerophon. testes do Horatium, & Plinium, lib. 7. cap. 56. Bigas autem primùm iunxisse dicitur Phrygum natio; quadrigas Erichthonius, teste eodem Plinio, dicto cap. Tertulliano De spectaculis cap. 1, & Virgilio, 3. Georgic.

Certamen curruum quando in ludos Olympiacos inuectum: Quantùm auctum apud Romanos:

Quis primus inuenerit: In raptu Sabinarum Romulus primum in Italia exhibuit.

Equo vehi quis primus instituerit.

Bigas Phryges primùm iunxerunt.

Quadrigas Erichthonius.

Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus
Iungere equos, rapidisq; rotis insistere victor.

Aurigarum conatum, & in agitãdo certamen, Virgilij versus ita proponunt, vt spectare, non legere, videamur:

Aurigatio ex pressa versibus Virgilianis.

Nónne vides, cùm præcipiti certamine campum
Corripuêre, ruuntq; effusi carcere currus:
Cùm spes erectæ iuuenum, exultantiaq; haurit
Corda pauor pulsans? illi instant verbere torto,
Et proni dant lora, volat vi feruidus axis:
Iamq; humiles, iamq; elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque adsurgere in auras.
Nec mora, nec requies. vt fuluæ nimbus arenæ
Tollitur, humescunt spumis, flatuq; sequentum.
Tantus amor laudum, tantæ victoria curæ.

Ceterùm dum ita certarent aurigæ, aderant partes seu factiones quatuor; *Prasini, Veneti, Rosei, Albi*, à coloribus agitatorũ nomen ferentes. qui ipsi colores suo quoq. mysterio non caruêre, vt obseruo ex Cassiodoro: *Prasinus*, inquit, *vi-*

Factiones in certamine Circensi quatuor.

Eæ coloribus distinctæ.

Colorum interpretatio.

Ludus alius equestris, cui Troia nomen: A quo inuctus.

Qui ignominiosi in ludis.

Auriga quale acceperint præmium.

Imperator Auitus etiam agitator fuit.

Tentatus Vegetij locus.

renti verno: Venetus nubilæ hyemi: roseus æstati flammeæ: albus pruinoso Autumno dicatus est. lib. 3. Variarum cap. 51. vbi alia hac de re non vulgaria qui volet, reperiet. & apud Isidorum libro Originum octauodecimo. Fuit itidem equestris pugna: cui ludo nomen à Troianis, & inuentore Ascanio. eius descriptionem vide apud Virgilium quinto Æneid. & Dionem in Iulio. Quæ hactenus pluribus verbis à me dicta sunt, ab iis ego abstinere nec volui, nec debui. neque enim patiebatur meum officium, vt quæ auctor hic noster vno verbo tantùm nominârat spectacula ludorum & certamina, ego itidem illa non explicata silentio præterirem.

Propter exiguam mercedem, vel certè plebis fauorem.] Illo iure Romanos scio vsos, vt quicunq. sacris certaminibus deseruirent, ignominiosi non essent; l. quarta, ff. de his qui notantur infamia. Contrà, si qui quæstus caussa in certamen descendebant, aut propter præmium in scenam prodibant, famosi erant: l. 2. ff. dicto titulo. Aurigas, id quod dabatur præmij mendicitate consecutos, demonstrare est ex Cassiodori libro 2. Variarum, cap. 9. vbi rex Theodericus, aliquot aurigis, vt à mendicitate tristissima liberaret, solidos menstruos adsignat, publicis rationibus imputandos. Dio ipsum Imperatorem Auitum currus quandoque agitasse scribit, vestitu prasino: spectatores interfuisse Senatorij ordinis viros, & Leonem vrbis præfectum. atque ab his illum non aliter, atque plebeium hominem aureos petiisse; præfectos certaminum, ipsosque milites coluisse.

Quotidiana meditatione artes suas, aut seruare aut augere consuescunt.] Itidem, *seruari artem*, dixit alibi, libro primo, cap. 15. *quam artem & discì opus est diligenter, & quotidiano vsu, exercitióque seruari*: exemplar M. refert hoc loco, *aut seruare, aut agere consuenit*. propiùs ad rem S. dum legit, *artes suas aut certare, aut agere consuenit*. idque ita perscriptum in membranis se reperisse Modius notauit. ceterùm H. N & quatuor Susij ab edita lectione nihil omnino recedunt. Conieci quandoque ita locum constitui posse, *quotidiana meditatione artis suæ, aut certare, aut agere consuenit*: vt hoc ad aurigas, alterum illud ad venatorem, & athletam referatur. Neque mihi displiceret, verba illa, *artes suas*, induci; etsi loco nondum moueam. Hariolatus ne sim, criticorum iudicium

cium esto. Sed ad rem. quotidiana illa meditatione athletæ, venatores, aurigę priuatim exerceri consueuerant: istic probè, quòd suarum partium esset, edocti; ludis aut sacris certaminibus, in publicum producebãtur, quò & populum delectarent, quoque victoriam adepti præmia potirentur. Eorum exemplo, iugi exercitatione militem erudiendum noster arguit: eò magis, quòd illi plebem tantùm oblectare; hic rempublicam manibus suis tueri debeat. illi præter exiguum lucelli, vel aurępopularis, nihil pretij propositum habeant; hunc verò præda lautissima, castrensia commoda, & summæ dignitates maneant militares. Eoque facit istud Auidij Cassij, *qui dicebat miserum esse, cùm exercerentur athletæ, venatores, gladiatores, non exerceri milites; quibus minor esset futurus labor, si esset consuetus*: vt Vulcatius auctor est.

Athletæ, venatores, aurigæ priùs in gymnasijs exercitii: Postea publicè producti.

Magis interesse reip. vt milites, quàm athletæ exerceantur.

Ordo militiæ, & imperatorum iudicium consueuit euehere.] Optimus ipse sibi futurus interpres Vegetius. respexit enim ad illud quod anteà scripserat: *Tribunus maior per epistolam sacram, Imperatoris iudicio, destinatur: minor tribunus prouenit ex labore.* lib. eodem cap. 7.

Artifices scenici.] In membranis H. disertim perscriptum vidi, *Artifices tethnici*; & ad orã illius libri adscriptum, *tethnici, id est positores*. quod ego tanquam parergon non potui facere, quin monerem. *Ponere*, & *reponere* Romano loquendi genere, de fabulis proponendis, ac denuò redhibendis dici solitum, non ignorant, qui humanioribus literis imbuti sunt. Iuuenalis Satyra prima: *Pone Tigillinum.* ——

Posita & repetita fabula apud Romanos.

Itidem Horatius in Arte:

Nęue minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

Itidem intelligo quod de fabula apud Romanos à Liuio primùm datâ scripsit Cicero 1. Tusc. item quod de tollendâ fabulâ dicitur apud Plautum, Milite, sc. *Nisi quidem.* Videtur enim istîc dici, fabulã posuisse, qui narrabat, vt vidisset per impluuiũ osculantem Philocomasiũ cum altero.

Artifices scenici ab exercitio, pro laude vulgi, non recedunt.] Atqui scenici videntur præmia non minùs venati. Capitolinus indicat in M. Antonino: *Tęperanit etiam scenicas donationes, iubens, vt quinos aureos scenici acciperent; ita tamen vt nullus editor decem egrederetur.* Scenicos præterea operas suas locasse, & ideò infames iudicatos, testis mihi erit Papinia-

Scenici non laudem, sed & præmia spectabant. Scenicas donationes M. Antoninus quatenus temperárit. Scenici infames erant.

nus l.10.ff.de adult. & Vlpianus l.2. ff. De his qui notantur infamia:& principalis constitutio in l.Imperialis, C.de nuptiis.& rubrica tota cod. Theodosiano, de scenicis. Primam horum spectaculorum in rempublicam Romanam inuectionem iamdudum, vt arbitror, à me desideras. eam habeto ex Liuio. is primùm initio libri septimi, ita scribit: *Ludi quoque scenici, nona res bellicoso populo (nam Circi modò spectaculum fuerat) inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur.* Iterum lib. 33. *Ludos scenicos per quatriduum eo anno primùm factos ab curulibus ædilibus memoriæ proditur.* id quod Liuius postremo loco refert, factum Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Graccho iterum cos.

Ludi scenici quando Romam primùm inuecti.

AD CAPVT XXV.

PRIMVM omnium instruitur iaculis, quæ nullæ loricæ, nulla possunt scuta sufferre.] Varias agnouit antiquitas loricas. nam lineas, coriaceas, æneas, ac denique ferreas gestasse comperi. Lorica linea Alexandrũ Magnum indui solitum, scribit in vita eius Plutarchus. Item & Græcorum heroës vsos, testis Homerus Iliad. β. Herodotus Polyhymnia. itidẽ de Hispanis memoriæ prodidit Liuius libro 31. Idem ille Samnites totam legionẽ linteatam habuisse scribit, libro nono extremo: & Festus in *legio*. Liuij hæc sunt verba: *Forma erat scuti: summum latus, quà pectus atque humeri teguntur, fastigio æquali; ad imum cuneatior, mobilitatis causa: spongia pectori tegumentum, & sinistrum crus ocrea tectum. galeæ cristatæ, quæ speciem magnitudini corporum adderent, tunicæ auratis militibus versicolores; argentatis linteæ candidæ.* Certum genus militum Imperator Caracalla instituit, quos Alexandrinos appellauit: hos thorace ex triplici lino indutos fuisse, videbis apud Dionem, in Caracallâ. Suetonius in Galba: *Loricam tamen, inquit, induit lineam.* Lineam loricam, pro ænea militibus Athenienſibus dedit Iphicrates. testem do Diodorũ lib. 13. & in eius vita Probum. Varro, *Lorica*, ait, *à loris, quòd de corio crudo pectoralia faciebant, posteà succuderunt Galli è ferro sub id vocabulum, ex annulis, ferream tunicam.*

Lorica antiquis varia fuerunt. Linea lorica.

Legio linteata Samnitum.

Scuti perelegans descriptio.

Alexandrini milites.

Lorica linea.

Lorica coriacea.

Lorica ferrea.

Quibus muli ad trahendum.] Manuscriptus H. & quatuor Susij legunt, *multi*. quod vereor, ne mentiantur.

Nam hæ quanto maiores fuerint, tanto longiùs tela iaculantur.] Augẽt verbo vno C.S. M. & H. in quibus legitur,

gitur, *longiùs ac fortiùs*. vide, ne de suo hoc addiderint librarij.

Item decem onagri, hoc est singuli per singulas cohortes, in carpentis bobus duobus portantur armatis.] Alter Susianorum referebat, *bobus trahentibus portantur armatis*. Vox *duobus* nulla est in codice M. S. H. N. neque illi aliud quid eius loco substituunt. hoc ampliùs, pro *armatis*, omnes illi referunt, *armati*. quod non ad boues, sed ad ipsum Onagri machinamentum referendum est. Rectè igitur emendamus, *bobus portantur armati*. Vegetius hoc eodem capite de carrobalistis loquens: *Singula*, inquit, *contubernia ad armandum vel dirigendum, hoc est undecim homines deputantur*. Itidem in Notitiâ Imperij verba de balista sonant: *Quæ quanto minùs ad armandum se virorum ministerium quærit, tanto est ingenij virtute præstantior*. Iumenta hæc, quæ machinis bellicis, ceterisque rebus trahendis in exercitu necessaria erant; siue muli, siue equi, siue boues erant, prouinciales præstare tenebantur. Cererùm præstitis animalibus, prouinciales neque pabulis, neque pecunia danda grauari poterant: l. comperimus, C. de cursu publico, lib. 12. Porro vt hîc, in expeditione bellica, machinis, armis, ceterisque huc illuc transferendis boues, mulos vsui fuisse videmus: similiter & in cursu publico, bobus, mulis, asinis quoque antiquitus vsos, testatur Imperatorum cónstitutio, l. prima, Cod. Theodosiano, dicto titulo. Id autem à Iuliano sublatum, scribit Socrates lib. 3. cap. 1. Imò totum illum publicum cursum (cùm priuatorum onus antè fuisset) in se recepit Imperator Seuerus, teste Spartiano. Idem ille D. Hadrianum cursum fiscalem instituisse, alibi scriptum reliquit.

Emaculatus Vegetius.

Verbi Armandi noua significatio.

Iumenta bellico vsui necessaria prouinciales suppeditasse: Iumenta autem qui præstabant, alere non tenebantur.

Boues, muli, asini quoque in cursu publico.

Cursum publicum ex priuato fiscalem fecit D. Hadrianus.

Quatenus contextis eisdem (sicut dicunt) monoxylis.] Eum locum explicabo lib. 3. cap. 7.

Item ad fossarum opera facienda.] Membranæ H. *faciendum* scribunt. Id, tanquam insolens, offendit aures eorum, qui hîc reposuerunt, *facienda*; existimantes benè mereri se de Vegetio, cùm meriti sint admodũ malè. Gerundia enim veteres magis amasse videtur quàm ea, quæ Gerundiua Grammatici vocãt. Inde illi longè alio exẽplo dixerunt: *Pullos subducendum, & consuefaciendum*, Varro. sic Lucretius,

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Sed admonuerunt hæc Gellius: item in Spicilegiis suis noster Palmerius, & alij.

Vegetius leuiter emendatus. Gerundiorum vsus apud veteres.

Bidentes, ligones, palos, raſtra, alueos.] Hîc ipſa ſeges mendorum eſt. nam quid pali inter ferramenta quibus foſſæ ducuntur? Libri plerique, etiam olim editi, ſinceram lectionem ſuggerebant. ea eſt, vt ſcribamus, *palas*: quod amplector. Pala inſtrumentum eſt ruſticum terræ eruendæ factum: Plautus Pœnulo, ſc. *Ain tu:*

Vegetius iterum correctus.

Pala inſtrumentum ruſticum.

Palas vendundas ſibi ait, & mergas datas,
Vt hortum fodiat, atque vt frumentum metat.

Raſtra.] Mirum eſt in tanta librorum copia, præſertim cùm pluribus locis hoc nomẽ apud Vegetium reperiatur, nullum eſſe, qui aliam ſcripturam præ ſe ferat. neque minùs miror in hunc vſque diem veram lectionem non eruta, hoc eſt, *rutra*, pro *raſtra*. in vnis H. membranis eam reperi: & ibi neſcio quis nugo, adhibitis punctis, & S litterâ ſuprà adſcriptâ, locum ſuo more corrigere, id eſt deprauare conatus erat. Verumtamen eam vocem mihi, ſeu potiùs Flauio noſtro, ſic eripi non ſum paſſus. Primùm *raſtros* Latinos ſcriptores, non *raſtra* ſcripſiſſe, pueris cognitum eſt. Inde ipſi raſtri, cui quæſo rei in caſtris? an'ne vt iis *glebas quis frangat inertes*? vel iuxta Ennij verſum, aliquis *raſtros dentifabros capſit cauſa poliendi agri*? Dictum rutrum, quòd illo terra vel arena eruitur, à ruendo: vt ab arando, aratrum. Plinius: *Experimentum marmorati eſt in ſubigendo, donec rutro non cohæreat.* Cato quoque De re ruſtica, dum vineatoris inſtrumenta recenſet, vult eum habere *palas ſex, rutra quatuor, raſtros quadridentes duos.* Pompeius Feſtus: *Rutrum tenentis iuuenis eſt effigies in Capitolio ephebi, more Græcorum, harenam ruentis, exercitationis gratiâ. quod ſignum Pompeius Bithynicus ex Bithyniâ, ſupellectilis Regiæ, Romam deportauit.*

Iterum emendatus Vegetius.

Rutrum reſtitutum Vegetio.

Rutrum vnde dictum.

GO-

GODESCALCI STEWECHII

COMMENTARIVS AD LIBRVM TERTIVM FLAVI VEGETI RENATI, DE RE MILITARI.

In Prologum.

LACEDÆMONIIS præcipua fuit cura bellorum.] Auctor Plutarchus in Lycugo, Spartanam iuuentutem, ab anno ſeptimo ætatis, in greges fuiſſe diſtributam: ſingulis verò quaſi contuberniis vnum præfectum, qui cæteris prudentia & virtute præſtaret. hunc intuebantur, huic imperanti obediebant, hunc plectẽtem libenter perferebant. Itaque diſciplina erat, quædam obediendi exercitatio. Seniores, ludentes pueros ſæpè obſeruabant; contentiones, non rarò dimicationes ſuggerebant, quò animaduerterent cuiuſque ingenium atque pugnandi audaciam. Literas eos tantùm pro neceſſitate docebant: reliqua omnis diſciplina ad rectè obtemperandum, labores tolerandos, ad victoriam in quouis certamine obtinẽdam pertinebat. Quare procedente etiã ætate ad exercitia grauiora, maiorem tolerantiam aſſuefaciebant: vt apud eundem Plutarchum videre eſt, dicto loco. Certè muſices, & artis militaris ſcientiam, veterum Poëtarũ, Terpandri, Pindari, aliorumque calculo Lacedæmoniis tributam, ex eodẽ Plutarcho diſcimus. Prætereà Platone auctore, M. Tullius adſerit

Lacedæmoniorũ pueri ab anno ſeptimo ad diſciplinã præparabantur militarem.

Literas tantum ad neceſſitatem docebantur: Creſcente ætate ad maiora & grauiora exercitia deducti.

Muſices & ſcientiæ militaris peritiſſimi Lacedæmonij.

ſerit omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum fuiſſe cupiditate vincẽdi; lib. 1. Offic. Idem quoq. teſtis eſt, eundem populum corpora non iuuenum; ſed etiam fœminarum & virginum, labore diligenter firmaſſe, 2. Tuſc. De prædictis adoleſcentium cõmiſſionibus, eiuſdẽ Cicer. teſtimoniũ adſcribamus, ex 5. Tuſ. *Adoleſcentiũ*, inquit *greges Lacedæmone vidimus. ipſi incredibili cõtentione certãtes pugnis, calibus, vnguibus, morſu denique; vt exanimarẽtur priùs, quàm ſe victos faterẽtur.*

Etiam virgines & fœmina eorũ labore firmabantur.

Xanthippus Lacedæmonius dux Carthaginienſibus datus.

Xantippi declaratur exemplo.] Appianus lib. De bellis Punicis principio de Afris loquens, *Illi*, inquit, *à Lacedæmoniis ducem petierunt, rati per bonorum Imperatorum inopiam afflictas res ſuas: à quibus impetrârunt Xanthippum.* Attamen auctor De viris illuſtribus in M. Atilio Regulo, Xanthippum hunc Lacedæmonium quidem, ſed mercenarium militem facit. cui in eo nondum aſſentior. reclamant enim, Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. num. 14. Polybius lib. 1. Florus lib. 2. cap. 2. Epitome Liuij lib. 18. niſi militem mercenarium interpretemur, non gregarium militem; ſed ducem exercitus mercede ſollicitatum, operamque ſtipendij gratiâ præſtantem: quod de hoc Xanthippo prodidit Frontinus lib. 2. Strategemat. cap. 2. Oroſius lib. 4. c. 9. Xanthippum hunc regem Lacedæmoniorũ cum auxiliis accitũ ſcribit.

Auctor de viris illuſtribus forſean mendoſus.

Non virtute, ſed arte ſolus ferret auxilium.] Arsilla, qua Xanthippus res Carthaginienſium propè collapſas reſtituit, fuit in acie inſtruenda, collocatis in prima acie leuis armaturæ militibus, in ſubſidio autem robore exercitus poſito, dato auxiliaribus præcepto, vt emiſſis telis hoſti cederent, & cùm ſe intra ordines ſuorum recepiſſent, confeſtim in latera diſcurrerẽt, & à cornibus rurſus erumperent. videndus Frontinus lib. 2. Strategem. cap. 3. num. 10.

Xanthippus res Carthaginienſiũ reſtituit iam pene collapſas:

Vnâ aciei inſtructione id effecit.

Qui deſiderat pacem, præparet bellum.] Plato in eo opere, quod De legibus edidit, Cretenſium legumlatorem ita leges condidiſſe affirmat, tanquam homines ſemper parati eſſent ad bellum, atque in procinctu dimicandi conſiſterent; omnibus namque vtbibus bellum geri; quod non aliquo præcone, aut fœciali, ſed ab ipſa rerum natura indiceretur. Atqui à belluis bellum dici, quia belluarũ ſit pernicioſa diſſenſio, Feſto concedimus. cui accedit & Ciceronis ſententia, dum ait: *Temerè in acie verſari, & manu cum hoſte conſligere, immane quoddam, & belluarum ſimile eſt*: libro primo Officio-

Cretẽſium legiſlatores de bello ſatis ſolliciti.

Bellum à quo dictum.

Bellum temerè non eſt ſuſcipiendum.

Officiorum. Sed audiamus quod ibidem Cicero subdit: *Cùm tempus est, necessitasq́; postulat, decertandum manu est, & mors seruituti turpitudiniq́; anteponenda.* Ergo quod temerè fieri prohibetur, id necessitate postulante videmus concedi. sed commodè principes se suaq́ue tueri non valebunt, hostibus incumbentibus, nisi antè omni armorum genere, exercitioq́ue armaturæ suos imbuerint. Neque ea Vegetij mens ant Platonis est, quòd ad bella temerè suscipienda incitare nos velint; sed pro rerum vicissitudine in pace altissima de bello cogitare, iubent. Neque enim belluarum instar ad id quod adest, quodq́ue præsens est, hominem accommodare se conuenit: homo enim rationis particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumq́. prægressus & quasi antecessiones non ignorat; similitudines comparare debet, rebusq́ue præsentibus adiungere atque annectere futuras: sicq́ue totius vitæ cursum præ oculis ponere; ad eamq́ue degendam res necessarias præparare: auctore Cicerone eodẽ libro Officiorum. Cuius etiam consilium de bello suscipiendo omnium animis insitum velim: *Bellum*, inquit, *ita suscipiatur, vt nihil aliud, nisi pax quæsita videatur*: ibidem.

Idem permissum, necessitate ita postulante.

In pace de bello cogitandum.

Ciceronis de bello suscipiendo consilium.

AD CAPVT I.

AQVA denique ipsa.] Iustinus libro 2. Historiarum: *Xerxes septuaginta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis; vt non immeritò proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Græciámque omnem vix capere eius exercitum potuisse.* Iuuenalis Satyra x.

Xerxis exercitus flumina epotauit

——— *credimus altos*
Defecisse amnes, epotaq́; flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.

Alij auctores sunt, qui Xerxi quingentas myriades, id est quinquagies centena hominum millia fuisse scribant: alij aliter sentiunt. sed de ingenti huius exercitu, adeundi Herodotus lib. 7. Diodorus Siculus lib. 3. & lib. 11. Plinius lib. 33. cap. 10. & lib. 4. cap. 11. Isocrates in Panethera, & in Panegyr. Plutar. περὶ παραλλήλων: & alij. Ctesias vetus scriptor tradit, in Nini regis exercitu, pedites militasse ad decies septies centena millia, equitum millia ducenta: currus ibidem fuisse falcatos paulò minùs decẽ milibus, & sexcentis.

Exercitus quantus Xerxi fuerit.

Nini copiæ quantæ fuerint.

In ex-

Darij quantus exercitus.

In expeditione Darij aduersus Scythas octingenta millia militum commemorat Diodorus Siculus lib. 3. Vbi idem auctor est, Romanos paulo ante tempora Hannibalis censu in Italia, tum ciuium, tum sociorum qui bello apti essent, habito, decies centena ferè hominum millia descripsisse. Sed non tam magnos exercitus Romanos educere consuesse, vt alios Barbaros, ex auctore hoc nostro, & historiis passim intelligimus. & (vt verbis Sallustij vtar) memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias populus Romanus parua manu fuderit, quas vrbes natura munitas pugnando ceperit; nî ea res longiùs nos ab incepto traheret.

Romani nõ magnos ducebant exercitus.

Quàm eruditos armis exercitus habere voluerunt.] Qui eruditos exercitus habet, facile intelligere est, qua re eruditos habeat. itaque congratulor soli exemplari M. in quo τὸ *armis*, nullum est: Vegetius lib. 1. cap. 13. *Nihil enim neque firmius, neque felicius, neque laudabilius est Rep. in qua abundant milites eruditi.*

Vegetius gloſſemata liberamus.

Prætores, velut minores duces.] Propriè hîc nomen illud Prætoris sumtum. neque accipiendum vt Varro lib. 4. De lingua Latina interpretatur, quòd à præeundo exercitui dicatur; sed de peculiari magistratu. Liuius lib. 42. *Præter consulares exercitus Prætores quoque iussi scribere milites erant.* Idem quoq. testis est Prætores exercitus duxisse lib. xxxi. extremo & alij historiographi locis infinitis. consulendus & Festus in *Prætor*. Hos & peculiares secum legatos habuisse militares, docui lib. 2. cap. 9. Addo nunc etiam, ipsos Imperatorios legatos, & præfectos prætorio exercitus quoque duxisse. probat in M. Antonino Capitolinus.

Prætores etiam exercitus duxerunt:

Legati exercitus quoq. duxerunt: Etiam præfecti prætorio.

Consularis potestas cum viginti millibus.] Mittebantur ferè ex vrbe cum exercitu proconsules, legati, aut prætores: rariùs vterque consul egrediebatur. docet Cæsar lib. 1. De bello ciuili: *Consules, quod ante id tempus acciderat nunquam, ex vrbe proficiscuntur, lictoresq; habent ex vrbe & Capitolio: primatim, contra omnia vetustatis exempla, tota Italia dilectus habetur.* Solent enim ipsi cos. cùm bellum gerendum esset, inter se sortiri. constat ex Dionis Pompeio. vbi videmus Hortensio belli cum Cretensibus gerendi sortem obuenisse; ipsum verò foro delectatum, Metello collegæ suo vltrò exercitum cessisse. Subinde eo loco res Romana erat, vt alter cõsulum

Consules vterq. vare ad bellum vrbe egressi.

Inter se sortiebantur vter egrederetur.

vrbi

vrbi præsidio relinquendus esset, in quo Senatus summa authoritas erat. Nam bello Catilinario ex Senatusconsulto Ciceronem vrbi præsidio esse, Antonium verò Catilinam cum exercitu persequi iussum, Sallustius auctor est. adstipulatur & Liuius, lib. 3. Fabio, *vt Antium legiones duceret datum, Cornelius vt Romæ præsidio esset, ne qua pars hostium, (qui Æquis mos erat) ad populandum veniret.* Et hoc locum quidem obtinuit, si vno tantùm in finibus imperij opus erat exercitu. cæterùm si pluribus hostibus obuiam eundum erat, prouincias inter se partiri consules solent. itidem Liuius lib. 3. *Alter*, inquit, *consul postquam mœnibus Romanis iam pulso hoste periculum esse desierat, & ipse ab Roma profectus. Ita bifariam cos. ingressi hostium fines, ingenti certamine hinc Volscos, hinc Æquos populantur.* Itidem Marcello & Leuino cons. prouincias sortientibus, Sicilia & classis Marcello, Italia cum bello aduersus Hannibalem Leuino euenit. & cùm caussa Siculorum legatorum, qui istic aderant, & lachrymabantur (quòd à Marcello alienatos haberent animos) cōsules pronincias mutaturi essent, respondit Senatus iniquum esse extra sortem collegæ optionem dari prouinciæ; teste Liuio lib. 35. Prolatis autem imperij Romani terminis, vt plures fuêre hostes, proinde & pluribus exercitibus opus fuit. Bello Punico secūdo duodeuiginti legionibus bellum geri placuit, binas tamē cons. sibi tantùm sumpsêre singuli, reliquæ in prouinciis sub prætoribus, proprætoribus, proconsulibus & præsidibus militârunt. cuius rei testē do Liuium lib. 33, Vegetium lib. 2. cap. 4; iterum Liuium lib. dicto extremo. Anno ab Vrbe condita quingentesimo quadragesimoprimo, viginti trium legionum summa fuit: consulibus tamē binæ tantùm decretæ; tradit Liuius initio libro 34. Triginta quandoque legiones Romanis militasse, probant diuersa earundem signa, vulgata ab Huberto Goltzio in Iulio Cæsare. Imò quadraginta quatuor legiones sub imperio Octauiani A. fuerunt subiugato Lepido: testis Paulus Diaconus libro 7. Historiarum.

Interdum auctoritate senatus alter vrbi præsidio relinquebatur.

Si pluribus hostibus resistendum erat, prouincias inter se sortiebantur.

Auctio imperio plures fere hostes fuerunt; ideoq; pluribus opus fuit exercitibus.

Ipsi cōsules duas tantùm legiones singuli duxerūt. Romani legiones habent XXIII.

Legiones XXIV.

Cum eiusmodi præcepto, prouideant.] Quod edendum hic curaui, *Prouideant ne quid Resp. detrimenti capiat cos. alter, vel alter, ambóve*; fateor abire à quibusdam libris: tamen ad amussim conuenit cum exemplari collegii trium coronarum, mss. N. & altero Susiano. In membranis H erat, proconsules

Emendatus Vegetius.

proconsules alter, ambóve. illud puto non prætereundum, in omnibus libris quos videre potui, hæc verba *Consules alter*, &c. ipsi formulæ non inseri, vt in nupera editione, sed postponi. Quod verò Vegetius vult eo præcepto dimissos cum exercitu semper consules; id vltima tantùm necessitate obseruatum aliis auctoribus docemur. Cæsar lib. 1. De bello ciuili: *Dent operam Consules, Prætores, Tribuni plebis, quique proconsules sunt ad vrbem, ne quid resp. detrimenti capiat.* ibidem paulo pòst: *Quotiescunque decretum sit, dærent magistratus operam, ne quid resp. detrimenti caperet. Qua voce, & quo Senatusconsulto, populus Romanus ad arma sit vocatus, factum in pernicioßis legibus, in vi tribunitia, in secessione populi.* Testantur idem Cicero Philippicâ quintâ, & pro Milone; & ibidem Asconius Pædianus: Sallustius in Catilin. & alij passim. Etiam alteri Consulum hoc præceptum datum, Liuio scriptore manifestum fiet. is lib. 2. ab V. C. *Tantúmque*, inquit, *terrorem incußère patribus, vt (quæ forma senatusconsulti vltimæ semper necessitatis habita est) Posthumio alteri consulum negotium daretur, Videret ne quid detrimenti Respub. caperet.*

Formula Senatusconsulti in necessitate reip.

Formula Senatusconsulti illius. Vris quoque consuli resp. comissa.

Non tam grandes exercitus habere, quàm armis instructos.] Membranæ Susij malebant, *quàm infinitos instructos*: liber H. *quàm instructos.* amplexus sum, quod in M. N. & S. reperi, *Non tam grandes exercitus habere, quàm plures. Illa tamen, &c.* Cùm enim diuersis regionibus populo Romano pugnandum fuerit, consequens est, pluribus exercitibus opus fuisse, eosdemque nulli vsui fuisse, nisi instructos, siue paucis, siue pluribus vti vellent.

Mutata in Vegetio lectio.

Ne vnquam amplior multitudo sociorum.] Præcepit Flauius, id imprimis cauendum omnibus qui exercitus ducturi sunt, ne plures extraneos quàm suos in numeros militares recipiant. Eiusdem cum illo sententiæ video Liuium, dum inquit: *Id primùm cauendum puto Romanis Imperatoribus, vt ne plus alieni quàm sui roboris in castris habeant.* atque adeò Tacitum; cuius sententia talis: *Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quàm fama potentiæ non suâ vi nixa.*

Cauendum ne plures in exercitu sint auxilia rei, quàm legionarij:

Aliud nihilominùs Romæ obseruatum, scio, bello Volscorum, rebus Romanis domestica seditione in angustum coactis. docebo ex Liuij lib. 3. *Hernici & Latini iußi milites dare ex fœdere: duæque partes sociorum in exercitu, tertia ciuium fuit.* Aliud itidem vsurpatum bello Carthaginiensi. nam Sempronio

Aliud Romæ necessitas facere coëgit bello Volscorum:

Item bello Carthaginiensi.

pronio consuli duæ legiones datæ: ea quaterna millia peditum erant, equites trecenti; sociorum sexdecim millia peditum, equites mille octingenti. Cornelio verò ipsius collegæ duæ Rom. legiones datæ, cum suo iusto equitatu & quatuordecim millia sociorum peditum, cum equitibus mille ducentis; vt probat Liuius lib. 30. Non absimile apud eundem exemplum lib. 32. de L. Posthumio consule designato. Verùm tamen non satis exacta huic rei cura adhibita, magnum posteà malum dedit Romanis. cùm enim in Hispania Cn. Scipio maiora Celtiberorum auxilia duceret, quàm legiones Romanas; auxiliis ab hoste pecuniâ corruptis, prœlioq. excedentibus, res Romana in ea prouincia labascere cœpit: hostesque mox oppressêre —— *geminos duo fulmina belli Sciapidas.* Consulendus Liuius lib. 34. qui eodem loco subdit: *Id posteà cauendum semper Romanis ducibus esse, exemplaq; hæc verè pro documentis habenda, ne ita externis crederent auxiliis, vt non plus sui roboris, suarumq; virium in castris haberent.* Immò præter periculum, quod ab extraneis in acie timendum est, aliæ quàm plurimæ causæ recitari possunt, quare domestico potiùs, quàm extraneo milite vtendum sit. domesticus enim, seu legionarius, cùm in oppugnandis aduersariorum militibus, tum suis defendendis fortiorem se præbet, quàm extraneus. hic enim arma non alia, quàm stipendij causa sumit. legionarius non tam præceps in seditione, non tam facilè deserit, quòd bonorum amissionem metuat; vxori, liberis, parentibus domi relictis timeat: idem stipendio minore militat; in frumentatione, vrbium expugnatione, inuasione, ac deprædatione, propter amorem patriæ modestiorem se præbet: mitto, quòd, exercitu dimisso, lubētiùs ad suos legionarius, quàm auxiliarius remeet: pecunia, quæ in legionariū erogetur, in prouinciis maneat. sed & opera, (quod caput est) quæ auxiliario imbuendo, exercitando impenditur, pessimè collocatur. Nam præterquàm quòd nostros negligimus, opprimimus; extraneos extollimus ac strenuiores reddimus; tum perlustratis itineribus nostris, natura locorū, vrbium situ perspectis, ac quasi propositis nostrorum diuitiis, plurimos nobis hostes paramus, atq. ad inuasionē nostrarū possessionū, quasi inuitare videmur extraneos. De periculo, quod metuendum à maioribus auxiliariorū copiis, vide exempla in Republica doctissimi

Maiora in castris auxilia Romani habuerūt, sed suo magno malo.

Ex exemplo Romani docti.

Domestico potius, quàm mercenario milite vtendum: Idq; varias ob causas.

doctissimi viri Ioannis Bodini, libro 5. capite quinto.

Amplior multitudo sociorum auxiliarium esset in castris.] In veteri editione Colonienſi eſt, *ſociorum auxiliariúmve.* in M. *ſocialium auxiliorũ.* in S. & membranis N. *ſocialium auxiliariúmve.* placuit mihi hæc particula diſiunctiua eapropter, quòd alia quoque Romanis auxilia, quàm à ſociis fuiſſe innuat. Alia inquam. nam à Barbaris etiam non à Latinis tantùm hæc auxilia. Ne mihi crede, ſed ipſi Cornelio Tacito: *Decreta triumphi inſignia Poppæo Sabino contuſis Thracum gentibus, qui montium editis inculti, atque eò ferociùs agitabant. Cauſſa motus ſuper hominum ingenium; quòd pati dilectus, & validiſſimum quemque militiæ noſtræ dare aſpernabantur: ne regibus quidem parêre, niſi ex libidine ſoliti: aut ſi mitterent auxilia, ſuos ductores præficere:* lib. 4. Annal. Queruntur eâdem de re apud Tacitum Britanni, in Vita Agricolæ: *Abſtrahi liberos, iniungi dilectus, tanquam mori tantùm pro patria neſcientibus. Quantum enim tranſiſſe militum, ſi Britanni numerentur.* Calumniatur in eadem Vita & Galgacus Romanum exercitum ex diuerſiſſimis gentibus contrahi. Atqui Imperatorem Probum cùm tyrones numeris Romanorum ac limitaneis inſereret, dixiſſe ferunt, *ſentiendum, non videndum, cùm auxiliis Barbaris iuuamur.* Hoc ampliùs; etiam voluntarios milites Barbaros in caſtris Romanis fuiſſe obſeruaui: Ammianus lib. xx. Hiſtoriarum: *Verendum eſſe affirmans, ne voluntarij Barbari militares, ſæpè ſub huiuſmodi legibus adſueti tranſire ad noſtra, hoc cognito, deinceps arcerentur.* idem libro eodem, *Auxilia ſuper his Scytharum poſcebat, mercede, vel gratiâ.*

Vegetius correctus.

Romanis etiam à Barbaris ſuppeditata auxilia

De Barbarorum auxiliis Imperatoris Probi ſententia.

Barbari etiam voluntarij in caſtris Rom.

Quàm ciuium Romanorum.] Particula, *quàm*, nulla eſt in ſolo exemplari M. vbi legebatur, *Illa tamen ratio eſt ſeruata, ne vnquam amplior multitudo ſociorum auxiliariúmve eſſet in caſtris, ciuium Romanorum.* Et ſic per Genitiuum dicetur, *amplior ciuium Romanorum.* Phraſim hanc non inſolentem probabo; etſi paucis peſpectam: in l. neque furti, C. ex quibus cauſis infamia irrogetur, legitur vulgò: *Qui cùm plus debito, nomine debitorum exegiſſet.* inuenerat vir doctiſſimus Ruſſardus in membranis, *qui cum debiti nomine, plus tributorum exegiſſet:* hinc ille faciendum cenſuit, *qui cum plus debito, nomine tributorum exegiſſet.* ſed fruſtrà id cenſuit. emendo ex membranis meis, *qui cùm plus debiti, nomine tributorum exegiſſet.* quo modo ſæpè legum conditores locutos obſeruaui. ſic Scæuola l. tutores,

Tentatus Vegetij locus.

Diſſenſio à Lud. Ruſſardo. Emendata l. neque furti, C. ex quibus cauſis infa. irrogetur.

tutores. 61. ff. De condictione indebiti, *quod amplius sui debiti solutum est.* sic Terentius, l. sed si. 62. ff. de conditionibus & demonstr. *Quidam non solùm capienti amplius legI concessæ portionis.* Quo loco, qui phrasim non sunt adsecuti, conati sunt emendare, *amplius lege concessâ portione.* id contra Pandectas Florentinas. Itidem Papinianus l. in ratione, 11. §. quod vulgo, ff. ad legem Falcidiam, *longæ plus habeat quartæ, paternæ hæreditatis.* Vide, si lubet, & Nonium Marcellum, de genitiuo casu pro ablatiuo.

AD CAPVT 11.

IVXTA morbosas paludes.] Probabat doctissimus Ioannes Metellus Iurisconsultus amicus meus, *borbosas*, pro, *morbosas*, legẽdum. quod & editio Parisiensis hîc expressum habet. & quòd à voce Celtica *bourbeux*, tracta sit hæc phrasis, quæ ipsis sonat lutosum: similiter & lutum, illi nuncupant *bourbe.* Ad rem vt veniamus; iuxta paludes castra metanda non esse, Vegetius præcipit. Quanta verò in exploranda locorum sanitate sagacitas veterum fuerit, quæ ratio, antequàm castra ponerentur aut vrbes, vno Vitruuij loco facilè demonstrabo. is libro primo De architectura, cap. 4. *Maiores*, inquit, *è pecoribus immolatis, quæ pascebantur in iis locis, quibus aut oppida aut castra statiua constituebantur, inspiciebant iecinora: & si erant liuida & vitiosa prima, alia immolabant, dubitantes vtrum morbo, an pabuli vitio læsa essent. Cùm pluribus experti erant & probauerant, integram & solidam naturam iecinorum ex aqua & pabulo; ibi constituebant munitiones: si autem vitiosa inueniebant, iudicio transferebant. Item in humanis corporibus pestilentem futuram nascentem in iis locis aquæ cibiq; copiam; & ita transmigrabant, & mutabant regiones, quærentes omnibus rebus salubritatem.* hactenus ille. Videndus eâdem de re Galenus lib. 1. De sanitate tuenda, & Aristoteles lib. 3. De partibus animaliũ. Veterum autem institutũ illud à Demetrio originẽ habere dicitur.

Mutata in Vegetio scriptura.

Castra iuxta paludes non ponenda.

Loci salubritatem quomodo Romani explorarint antequàm vrbes aut castra ponerent.

Paludes.] Auctor est loco iam dicto idem Vitruuius, vicinitatem palustrem hominibus euitandam: *Cùm enim aurꝛ* (inquit) *matutinæ in sole oriente ad oppidum perueniunt, & iis ortæ nebulæ adiungentur, spiritusq; bestiarum palustrium venenatos cum nebula mixtos, in habitatorum corpora flatus spargent; efficient locum pestilentem.* Neque hominibus tantùm: nam & vites, & sata à paludibus abesse Constantinus voluit; & ob nebulas, & ob

Cur paludes vitandæ in munitionibus.

Etiam vites, & sata abesse debẽt à paludibus.

Castrorum locus quomodo à serpentibus purgatus.

frigidas auras, lib. 5. De Agricultura cap. 5. Quòd si eo loci, vbi castra metanda erant, serpentium aliorúmve reptilium infestatio metueretur, remedium præstò erat: de quo apud Maronem:

Discе & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoq; agitare graues nidore chelydros.

Eâdem de re Lucanus:

Vltima castrorum meditatus circuit ignis,
Hic ebulum stridet, peregrinaq; galbana sudant,
Et larix non lata comis, eõq; costus,
Et panacea potens, & Thessala centaurea.
Pencedanum sudat flammis, Ericinaq; taxus,
Et larices, fumoq; grauem serpentibus vrunt
Abrotanum, & longè nascentis cornua cerui.

In æstate luce cœpto itinere.] Duo mss. probant legendum, *In æstu ante lucem.* quæ lectio ideò proba videtur, quòd per æstum, æstatem facilè intelligamus: cæterùm æstate non semper tantus calor sit, vt exercitui iter facienti incommodare possit. Deinde opposuisse videtur *æstum*, & quod paulo pòst sequitur, *sæuam hyemem.*

Correctus Vegetius.

Aut minor illis vestium suppetat copia.] Milites vult vestium non esse indigentes; ea causa, quòd sanitati, neque expeditioni idonei sint, qui algere compelluntur. Atqui aliud malum vide, si calceis, vestibus, annona miles careat; regi non potest: & (quod dicitur) necessitas legem non habet. Verba Imperatoris Alexandri Seueri, quòd impensè placerent, adhibẽda putaui, ex Lampridio: *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habẽs aliquid in zonula: idcircò, quòd mẽdicitas militaris ad omnẽ desperationẽ armatũ vocet.* Possim ex ætatis nostræ historia exempla proferre insignium calamitatũ, quas militũ hæc mendicitas dedit. sed ea historiographis nostris relinquo, quòd animus ab iis abhorreat.

Militem bene vestire oportet.

Necessitas legem non habet.

Curandum, vt miles semper habeat aliquid in zonula.

Mendicitas militaris quæ damna det.

Nec perniciosis, vel paludosis aquis vtatur exercitus.] Libri mss. tres præferebant *palustribus.* Ad rem quod attinet, certum est, in expeditione bellica, necessitate multa offerre, quæ duces, quamuis sagacissimi ac prudentissimi, deuitare non queant. Quòd si in loco insalubriori exercitus considere cogatur, vbi aqua turbida sit aut palustris, consultum erit in dolia eam infundere, & sub diuum exponere, donec resederit; pòst in alia vasa leuiter diffundere, relicta

Necessitas multa offert quæ duces prauidere nõ possunt.

Aqua turbida, aut palustris quomodo purganda.

relicta fece subsidente. Itidem salubrem aquam faciet laurus in ipsa madefacta; vt auctor est Constantinus Cæsar lib. 2. De agriculturâ cap. 6. *Lauri vis.*

Iam verò vt hoc casu ægri cõtubernales reficiantur.] Legendum conieceram, *Occasu*, pro, *hoc casu*. Quam coniecturam postillà libri S. N. H. confirmârunt: nam & alterum non tam conueniens. tum etiam hoc notabam, *Occasum*, illi opponi, quòd paulo antè dixerat, *luce, vel ante lucem*. Idque Vegetium mutuatum suspicor ab aliquo vetere scriptore; vnde idem multa alia. Sed antiqui tempora per horas non distinguebant, vt quæ Romæ trecentis annis ignoratæ fuerint, vt annotauit Censorinus in libello De die natali, & Plinius lib. 7. cap. 60. Et hoc illud est, cur in XII. tabulis & alibi, nominantur tantùm ortus & occasus. Consulendus Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 3. Vulgatam tamen lectionem si retinere quis volet, non tendam contrà; quòd itidem Vegetium videam locutum lib. 1. cap. 22. *Vegetij locus in dubiũ vocatus.* *Tempora antiqui per horas nõ distinguebant.* *Horæ annis trecẽtis Romæ ignotæ.*

Principiorũ.] Ita in contextũ ea vox, me auctore, recepta est; sed iubẽtibus libris S. H. Antè vulgatũ erat *principum*. *Principia, pro principibus.*

Et ipsius comitis.] Meminit & alibi comitum Vegetius hoc libro cap. 9. cap. 10. & cap. 17. Exstat de comitibus rei militaris rubrica in Codice Iustinianæo libro 1. *Ne comitibus rei militaris, vel trib.* Item alia ibidem est lib. 12, *De comitibus rei militaris*. Meminit quoque eorum l. nemo, C. de adsessoribus, l. 1. C. de officio vicarij. Leo imperator cap. 3. De bellico apparatu, comitem definit vnius cohortis siue bandi præfectum. Accedit Mauritij libellus De re militari, in quo, *Comes est, qui legioni aut numero præfectus est; idemq; tribunus militum*. Obseruo, idem munus, quod comiti hîc tribuit Vegetius, id eundem lib. 2. cap. 10. castrorum præfecto tribuisse. Idemque comitiuam primi ordinis dignitatem legionis præfecto tribuit, suprà lib. 2. cap. 9. Porrò comites, vicarios & tribunos vacantes, apud auctorem nostrum interpretandos, monuit Iacobus Cuiacius; hoc amplius addens, *Vacantes ζωγροὶ sunt, honorarij ἄζωστοι*: ad l. 2. C. vt dignitatum ordo seruetur. *Quis comes in exercitu.* *Comites, Tribuni vacantes.*

Quibus necessitas & belli incumbit, & morbi.] Curam ægrotorum certis in exercitu hominibus datam paulò antè intelleximus. Reperti nihilominùs principes, qui & ipsi de militũ valetudine curanda perquam solliciti fuêre,

Imperatores aliquot Roman. de militibus suis aegrotantibus maximopere fuerũt solliciti.

vt qui ægrotantes carpentis vehendos curârint, necessariis omnibus iuuârint; imò & ipsi per tentoria visitârint. quod de Imperatore Alexandro Seuero memoriæ prodit Lampridius, & de Hadriano Cæsare Spartianus.

Phrasis antiqua

Imbribus, vel niuibus, sub tecto.] *Imbribus, vel niuibus,* interpretor dum *imber est, niues sunt,* id est dum pluit, ningit. Phrasis illa antiquitatem sapit, non mediam Vegetij ætatem. Cato De re rustica: *Caueto, cùm ventus fiet, aut imber, effodias,* cap. 28. idem: *cùm pluuiæ erunt:* capite 112. Pari phrasi eundem dicere obseruaui: *Cùm puluis erit: Cùm sol erit.* Itidem Varro De re rustica: *Pluuiis diebus cubilia substernenda fronde aut pabulo,* lib. 2. cap. 9.

Equitibus exercendis hieme porticus peditibus basilica exstructa.

Sub tecto.] Equitibus porticus, peditibus basilicas tectas fuisse, auctor noster docuit lib. 2. cap. 23. vbi, dum tempestas esset, imbres, niues grandinesque sæuirent, exerceri commodè possent.

Aqua vitiatur ex sordibus castrorum.

Et odoris ipsius fœditate vitiatis haustibus.] Ammianus: *aliis placet, auras, (vt solent aquæ) vitiatas fœtore cadauerum, vel similibus, salubritatis violare maximam partem:* lib. Historiarum 19. vbi etiam de causis pestilentiæ disputat, ex Philosophorum medicorumque sententiis.

Consul Rom. castra mutare coactus propter aquas stagnantes.

Aquæ etiam infectæ, quibus hostibus necessario erat vtendum.

Pernicio sissimus nascitur morbus.] Dum in obsidio Carthaginiensi castra Censorini consulis aquis stagnantibus essent apposita, & à mari magnis ædificiis discluſa, factum, vt variis morbis laborârint ipsius milites, & consul alium castris locũ capere coactus sit, Appiano teste. Quin rationem veteres inuenêre, qua aquam corrumperent, qua necessariò hosti animaduertebant vtendum. testis mihi Hirtius De bello Alexandrino.

Castrorum frequens mutatio salubris: Idem remedium contra otium castrense.

Nisi frequenti mutatione castrorum.] Frequens hîc castrorum mutatio sanitatis ergò, alibi idem facitatum ad exercendos milites, castris etiam ac si adesset hostis, fossa valloque munitis. quod de Metello notatum reliquit Valerius Max. lib. 2. cap. 7.

AD CAPVT III.

Pabulari, frumentari, copiari, verba castrensia.

PABVLATIO, & annona.] *Pabulari, lignari, frumentari, aquari, copiari,* verba castrensia sunt: nec facilè apud Oratores reperias, teste Gellio lib. 17. cap. 2. & Nonio Marcello, in *Copiari.* Cæsar & *materiari* dixit lib. 7. De bello Gallico.

lico. Ab iisdem verbis deriuata nomina, *pabulatio, frumentatio, lignatio.*

Vnum est & maximum consilium.] In libro M. *vnum constat maximum telum.* membranæ H. *vnum ext. & maximum telum.* inde feci *vnum est & maximum telum*, adstipulantibus & Susij membranis. Item in Historiis Sallustij Mar. tribunus plebis: *Cetera ex licentia, aut odio, aut anarilia in tempus arsêre; permansit vna res modò, quæ vtrimque quæsita est, & erepta in posterum, vis tribunitia, telum à maioribus libertati paratum.*

Emendatus Vegetius.

Tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia.] Huc pertinet illud, quod apud Cassiod. in Variis legitur, libro 1. cap. 17. *Quale est, rogo in laboribus propriis esse, cùm durissimas mansiones hostis cogitur sustinere. ille imbribus pateat, vos tecta defendant; illum inedia consumat, vos copia prouisa reficiat.*

Curandum iis, qui locum defensuri sunt, vt ipsis omnium rerum copia suppetat, hostes frangat inopia.

De copiis expensisque solers debet esse tractatus.] Et quidem antè, quàm bellum inchoëtur, hoc cogitãdum, imò expediendum est. frustrà enim disciplinam militarem suis proponat; verbera, crucem frustrà minitetur, cui non suppetat, vnde stipendia militibus aut annonam soluat. nam, vt censuit rex Ostrogothorum Theodericus, *Disciplinam non potest seruare ieiunus exercitus, dum quod deest, semper præsumat armatus. necessitas moderamen non diligit: nec potest imperari multis, quod nequeunt custodire paucissimi:* apud Cassiodor. lib. 4. Variarum cap. 13. & consulendus idem lib. 5. Variarum, cap. 13. & dixi capite superiori periculosam, pernicioſam esse militum mendicitatem.

Expensa præparãda antequàm de bello cogitetur

Miles ieiunus, disciplinam seruare non potest.

Vt pabula, frumentum, cæteraque annonariæ species.] Solent à prouincialibus non modò frumentum, pabula, paleæ; sed & aliæ annonariæ species, iure tributorum exigi: tum etiam ab iisdem ad castra & limites prouinciarum mansionesque conferri. testis constitutio Valentiniani & Valentis, l. 4. C. de erogatione militaris annonæ: & l. 2. & l. 11. Cod. Theodosiano, de annona. Itidem munera præstabantur, angariæ, perangariæ, plaustra, &c. à quibus ministeriorum collationibus tempore expeditionis, neminem liberari, Principali constitutione cautum est, l. 2. C. de quibus muneribus vel præstationibus, libro x. Ceterùm quod ad persolutionem tributorum pertinet, errant, scio, qui vices non viderunt, quibus inferebantur. Nam vnusquisque annonarias species pro modo capitationis seu sortium

Prouinciales iure tributorum quasuis annonarias species inferebant. Easdem ad limites, & mansiones conferebant.

Itidem munera præstabant, angariæ, perangariæs, plaustra, &c.

Tributum quot vicibus inferebatur.

tium præbiturus (per quaternos menſes anni curriculo diſtributo) tribus vicibus ſummam collationis implebat: vel pro arbitrio ſuo vno tempore, omnia ſua debita pendebat, l. vnuſquiſque, Cod. Theod. de annona. ex ea conſtitutione lux adhibenda Caſſiodoro lib. 11. Variarum, cap. 2. *Poſſeſſores præcipimus, admonere vt tributa indictionis tertiæ decimæ, deuota mente perſoluant, quatenus trinæ inlationis moderamine cuſtodito, debitam Reip. inferant functionem.* itidem Caſſiod. lib. 12. Variarum cap. 16. Sed illatæ iam annonariæ ſpecies quæcumque, publicis in locis, id eſt, horreis ſeruabantur, cuſtodiebantur, & condita peculiari nomine appellabant. inde rubrica C. de conditis in publicis horreis; & mentio eorum l. 2. C. Theod. de his quæ ex publica collatione. Ammianus lib. 14. *locum petiuere Paleas nomine, vbi conduntur nunc vſque commeatus, diſtribui militibus omne latus Iſauriæ defendentibus, adſueti.* Quin & Caſſiodorus lib. 9. Variar. *Sine in aliis*, inquit, *locis frumento condita potuerint inuenire.* Vbi condita videtur accipere pro ipſo loco, vbi condebatur annona: & proinde videtur interpretanda hæc vox d. l. 2. Cod. Theodoſ., vbi legimus: *Quod refertur in conditis vel in arca continetur.* Iterum Impp. conſtitutio: *In veteranis caſtris conſtituti milites duas alimoniarum partes ibidem de conditis ſumant*, l. 4. C. de erogat. militaris annonæ. Capitolinus in Gordianis: *Nulla erat ciuitas limitanea, quæ totius anni, in aceto, frumento & lardo, atque hordeo & paleis, condita non haberet.* ex quo Capitolini loco multæ annonariæ ſpecies cognoſcuntur. De buccellato, pane, vino, aceto, lardo, carne veruecina, à militibus expeditionis tempore percipi ſolitis, adeunda l. 1. C. de erogatione militaris annonæ. Hac de re ita ſcribit Leo De re militari: *Tertio die, vt percipiant panem, vno vinum, altero poſcam, vno lardum, bidno carnem veruecinam.* Si qui porrò prouinciales per edicta admoniti tributa non cõferebant, iuſſu rectoris prouinciæ ab exactoribus ſeu executoribus cogebantur, l. 35. Cod. Theod. de annona: idque vel ad præſtationem, vel ad numerationem pecuniæ, tributorum loco, vt auro compararentur omnia; Vegetius hoc cap. & exemplum in l. 2. C. De militari veſte. adhibenda etiam conſtitutio Anaſtaſij, ex l. 1, C. vt nemini liceat in coëmptione ſpecierum. Illud profectò non ſine magna prudentia Impp. conſtituerunt, videlicet, ne quis agricolis vim faceret ad præbendos mulos

Caßiodoro lux adhibita.

Tribus illationibus tributũ perſoluendum.

Illatæ ſpecies in horreis publicis cuſtodiebantur.

Conditum pro loco, vbi frumẽtum condebatur.

Annonariæ aliquot ſpecies militum:

Eæ ſpecies diuerſis diebus percipiebantur.

Tributa non conferentes admoniti, cogebantur.

Ceterũ perſolu ta ſua capitatione non poterat cogi prouincialis

mulos, boues, equos, seruos operásve suas, posteaquàm capitationem suam, & quod debebant, præstitissent, l. 1. & 2. C. ne rusticani ad obsequium. Duæ enim artes maximè vtiles ad constitutionem & conseruationem Reip., Agricultura, quæ colat & nutriat milites; militia, quæ defendat & tueatur agricolas. Eò facit, quod Imppp. Valent. Theod. & Arcadius constituerunt, vt ne quis possessorum ad instruendas mansiones & conferendas species, longiùs delegaretur; sed omnes, itineris & necessitatis habita ratione, delegarentur; l. nemo C. de annonis & tributis.

ad præbenda iumenta, seruos, &c.

Duæ res maximè vtiles ad cõseruationẽ reip.

Prouinciales longiùs non debebant euocari ad conferendas species.

Quæ à prouincialibus consuetudo deposcit, maturiùs exigantur.] Significari in tempore solet per singulas prouincias, vt ad indictionem persoluendam quisque se præpararet. qua ratione operã dabant possessores, ne damnum incurrerent ex mora. & sic occasio damni inferendi ipsis executoribus & opinatoribus eripiebatur. exstat ea de re constitutio Impp. Theodosij & Valentiniani, in l. vlt. C. de indictionibus: *Particulari delegationum notitia ante indictionis exordium, singulis transmissa prouinciis, collationis modum à possessoribus multo antè prospectum deuotionis solitæ, non subitis calumniis tua sublimitas faciat imputari. Vt & prouincialibus subeundi dispendij necessitas auferatur, & officiis inferendi damni licentia denegetur.*

Prouinciales præmoneri solet, vt indictionem præparent.

Id duabus de causis factũ est.

Maturiùs exigantur.] Illum enim constat, tempore necessitatis, fortissimum virum probari, qui se per multa non distrahit. nam, vt apud Cassiodorum est lib. 1. cap. 17. *Quis enim prouidentiam habuisse putet, qui tunc cœperit fabricis operam dare, aut pennum condere, cùm oporteat bella tractare?*

Prudentes, qui pennum conãunt ante, quam bello lacessuntur.

Ac munitissimis locis.] In ciuitates atque castella munitissima conferri vult annonas, ac species tributarias; vbi horrea, condita, frumento adseruando, custodiendo. Sed in iis verosimile est, loca quoque subterranea illi rei fuisse. Certè Vitruuius lib. 6. De Architectura, cap. 8. *Cryptas* vocat, fossas testudinatas, subterraneas aut concaua loca, seu scrobes, vbi triticum conditur. idque verbi apud Cassiodorum me obseruare memini lib. 4. Variarum cap. 51. Varro lib. 1. De re rustica: *Quidam habent granaria*, inquit, *sub terris; vti speluncas, quas vocant Syros: alij vtuntur ad id puteis.*

Annonarias species locis munitissimis deponenda.

Quid Cryptæ.

Quid Syri.

Quòd si tributa deficiunt.] Varro libro 4. De lingua Latina: *Tributum dictum à tribubus, quòd ea pecunia, quæ populo*

Tributũ ex quo appellatum.

Tribuni ærarij.

imperata erat, tributim à singulis, pro portione census, exigebatur. ab hoc ea quæ adsignata erat, adtributum dictum. ab eo quoque, quibus attributa erat pecunia, vt militi redderent, tribuni ærarij dicti. Cicero in Verrem : *Pecunia attributa numerata est, profectus est Quæstor in prouinciam.* Ibidem Asconius Pædianus, *Pecunia*, inquit, *adtributa est, quæ in stipendium militum, de ærario à Tribunis ærariis adnumerari Quæstori solet.* Sed hoc tributi genus, de quo Varro, primùm inuentum, censu à Seruio Tullio Rege introducto: anteà in capita, hoc est æquali pauperum atque locupletium onere, conferebatur. Videndus Liuius libro primo, & alij. Sed hoc duplex quandoque ex S.C. imperatum fuit: qualiter anno quarto belli Punici secundi, T. Sempronio consule, Liuio teste lib. 32. Tertium tributi genus tumultuarium, temerarium Festus vocauit; cùm priuatas quisque opes, propter subitum periculum, certatim facerent publicas. exemplum qui desiderat, videat L. Florum lib. 2. cap. 6. & Dionem in Augusto. Quin & pecunias pupillares, viduarumque, ob inopiam in ærarium depositas, ex Liuio discimus, lib. 33. Eâdem de re præclarè differit & L. Valerius Tribunus plebis, apud Liuium lib. 43. in legis Oppiæ dissuasione. Depositas dixi pecunias: nam quicquid tumultu tali conferebatur, id à scribis in tabulas ærarij referri solitum. Locum Flori adhibebo lubens: *Egebant ærario: opes suas libens Senatus in medium protulit; nec præter quod in bullis, cingulis, atque annulis erat, quicquam sibi auri reliquêre. Eques sequutus exemplum; imitatæq; equitem tribus; denique vix sufficere tabulæ, vix scribarum manus, Lænino, Marcelloq; consulibus, cùm priuatæ opes in publicũ deferrentur.* Sed cur in tabulas hæc relata? ideò inquam, vt locupletato denuò ærario, suæ cuique pecuniæ restituerentur. id quod post bellum Punicum tribus æquis portionibus factum accepimus. Quin & Pontifices, Augures, reliquique sacerdotes stipendium dare coacti (quamuis antè non dedissent) L. Furio & M. Claudio Marcello coss., vt auctor Liuius. Verumtamẽ hæc ratio tributi, dum Romani nondum rerum potiti erant, neque subditos ita multos haberent, in quos maiorem partem oneris istius deponerent: sed subiugatis paulatim nationibus, prouinciis non pecuniam modò, sed milites, equos, frumentũ, pabula, naues, arma, vestes, & alia mille imperare cœperunt. Cicero in Verrem : *Cæteris ant impositum certum vectigal, quod stipendiarium dicitur,*

Quid pecunia adtributa.

Tributi inferendi ratio Romæ mutata.

Tributũ duplex Romæ imperatũ.

Tumultuarium tributum.

Pecuniæ pupillares in ærarium depositæ.

Tributũ tumultuarium in tabulas ærarij referebatur.

Qua causa id factum.

Sacerdotes quando tributum Romæ primum dederint.

Tributi alia ratio inferendi.

Prouinciis imperatum tributum, milites, equi, naues, &c.

dicitur, vt Hispanis, & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, & pœna belli; aut censoria locatio constituta est, vt Asiæ. Imò quæ in locis quibusque præstantissima nascuntur, ea prouinciales miseri Romanis tandem cedere, & in militum vsum, & principum luxuriam coacti. Sic Lucania sues, Brutij boues, alij alia pecora, alij ad pondus sua pependerunt. Cassiodorus lib. 11. Variarum cap. 39. Sic Frisiis boum coria primùm; pòst vrorum, in vsum militum imperata: testis Tacitus. Aliis vina & quidē varia, aliis pisces imperati, Cassiod. lib. 12. Variarum cap. 39. Quæ omnia diuersis titulis & nominibus appellabantur, imperabantur. Tertullianus lib. de Fuga: *Tanta cotidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum.* Tributorum collationem, cum Festo, duplicē facimus, aliam in capite, aliam ex censu. Tributa capitis, rectè stipendia appellabimus cum Tertulliano. is in Apologetico cap. 13. *Agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora.* Ad censum ergo referenda erunt reliqua, annonæ, vectigalia, collationes, intributiones seu contributiones, & multa alia. de quibus alibi à me apud auctorem hunc, & aliàs etiam dicetur. Quod ad species annonarias, eas ipsi possessores, id est prouinciales, qui prædia habebant, vel prædiorum conductores conferebant; l. 2. C. de exactoribus tributorum. Tributorum autem susceptioni certi & idonei homines constituti (Susceptores vocabant) qui ex iis, quæ dabantur, certum emolumentum consequebantur: ex frumento nempe quinquagesimas; ex hordeo quadragesimas; vini, & lardi, vicesimas; l. modios, C. de susceptoribus. Erant autem in singulis prouinciis duo constituti susceptores; l. duos, C. eodem titulo. Ne verò eorum fraude damni quid sentirent tributarij, ratione ponderis aut mensuræ; sapienter cauisse video Imperatores Valent., Theodosium, & Arcadium: constitutis videlicet in singulis ciuitatibus & mansionibus, modiis æneis, aut lapideis, cum sextariis atque ponderibus; l. modio, C. eodem. Si qui verò prouinciales soluere differebant, rectoris prouinciæ iussu, ab exactoribus cogebantur, vt iam antè docui. si quiverò nec iis auscultarent, & nimis magni tricones essent, iam fundi, mancipia, aliæque res eorum sub hasta distrahebantur, l. vlt. C. Si propter publicas pensitationes venditio fuerit celebrata; & l. 9. ff.

Hispanis quale vectigal impositum.

Diuersa, diuersæ prouinciæ tributa coactæ.

Multa, eaque diuersis titulis prouinciis imperabant Rom. Tributorum prima diuisio duplex.

Tributa vel possessores, vel conductores prædiorum conferebāt. Susceptores tributorum. Emolumēta susceptorū quanta. Susceptores duo in singulis prouinciis.

Modij & sextarij in ciuitatibus publicè asseruati contra susceptorū fraudem. Prouinciales tributa non soluentes quo modo coacti: Fundi sub hasta distracti:

Etiam suppliciis ad persoluendū cogebantur.

de rescind. venditione. Hoc amplius; si, qui tributa soluere tenebantur, bona non haberent, suppliciis ad soluendum compellebantur. qua de re videndus Papinianus ille Flandricus, Iacobus Ræuardus, lib. 5. Variorum, cap. 6.

Ab Alciato dissensio.

Prærogato auro comparanda sunt omnia.] Prærogare, Alciatus lib. 1. Parergôn cap. 4. interpretatur, gratis, & quasi roganti, non autem ex debito distribuere: vel ante tempus soluere. idque verbi cudit, recipit in l. si tibi 27. C. de locato, conducto: sed contra omnes libros impressos, scriptos. in quibus *prorogasti* legitur, non *prærogasti*. Quin

Emendatus Vegetius.

apud Vegetium nostrum libri M. C. S. & N. *prorogato auro* disertim perscriptum habent. quod loquendi genus non è triuio est. Vlpianus: *Vnde quæri poterit, si cùm hoc ab initio esset actum, emptor festinauit, & pretium numerauit, an postea ei satisfacto, seruus constitutione uti posßit? & puto posse. proinde & si ei nummos prorogauit emptor, cùm ei parauerit, poterit ad libertatem pernenire;* l. 16. qui, ff. de manumissionibus. Iterum, Proinde, *sine ex aduentitio lucro, sine etiam amici beneficio, vel liberalitate, vel prorogante eo, vel repromittente, vel se delegante redemptus sit: credendum est suis nummis eum redemptum;* l. is qui suis, ff. dicto tit. Iterum: *Sumptus quidem prorogare litiganti honestum est, paciscì autem, vt non quantitas eo nomine expensa, cum usuris licitis restituatur; sed pars dimidia eius, quod ex ea lite datum erit, non licet;* l. sumptus, ff. de pactis. Vbi prorogare nummos, de suo soluere, proferre, erogare seu repræsentare interpretanti Antonio Augustino lib. 4. Emendationum cap. 12. lubens admodùm adsentior.

Verbi, prorogare, usus apud Latinos.

Obsidium, qua causa instituatur.

Quos fame sperant vincendos.] Cæsar lib. 2. De bello ciuili: *Causa obsidionis hæc ferè esse consuenit, vt frumento hostes prohibeantur.*

Qui admonitores in constitutionibus Principum.

Admonitis per edicta possessoribus.] In exemplari M. erat, *possessionibus*. Ab admonitione hac dicti, nisi fallor, *admonitores, portitores præcepti*, l. 2. C. de executoribus vel exactoribus.

Inspectores possessionum.

Coactis per electos perscrutatores.] Vera ea videri lectio possit, si libris pluribus, quàm membranis H. confirmaretur. Obseruare memini in lectione Codicis Theodos. quod ad rem faceret: grauiter nempe tulisse Illyrios, quòd in exactione tributorum, post professionem, venissent possessionum inspectores. quæ res Imperatori Theod. improbata, Id, inquit, *ab vnaquaque prouincia censuimus experiendum, quod*

quod ab iisdem nuper esse promissum tua sublimitas indicauit; vt verò nullus de cetero ad possessiones eorum (quod maximè reformidant) inspector accedat: l. 33. Cod. Theod. de annona. Aliorum quoque inspectorum mentionem scio fieri in Principalibus Cõstitutionibus; sed illis nullus hîc est locus. De professione ista, in qua agebatur, vt quis Magistratui profiteretur rem suam esse, numerum eius modumque ederet, vel æstimationem; videndus Vlpianus titulo primo, Instit. & l. 7. C. De donat. Cicero epistola 22. lib. 16. ad Familiares: & Sueto. Caligula, cap. 38. Liber M. apud Flauium nostrum, *persecutores* legebat. ex quo fieri possit *prosecutores*: & lectio confirmari, ex Cod. Theod., rubrica de auri publici prosecutoribus. Rursum alij S. N, & tertius Susij, & B., quo Fran. Modius vsus est, *executores*, vocant: quibus in constitutionibus Imperatorum varia nomina. Nam *executores*, *exactores*, *compulsores*, *apparitores*, &c. dicuntur. C. de executoribus, & exactoribus lib. 12. & rubrica, C. de exactionibus tributorum, lib. 10. Hi, si quid à prouincialibus plus debiti conuincerentur accepisse, prima vice pœna dupli; si cõsuetudo accedebat, capital erat; l. vnica, C. de superactionibus.

Professio apud magistratũ quæ fierer.

Prosecutores auri publici.

Executores tributorum variis nominibus nuncupati.

Exactorum pœna, si amplius à prouincialibus extorsissent.

Et armatorum firmata præsidiis.] Non displicet, quod membranæ H. & Susij legant, *armaturæ firmata præsidiis*. Nam agrariis iuniores (quos & alibi armaturas à Vegetio vocari videmus) exerceri solêre, patet ex iis, quæ diximus de agrariis suprà libro primo. vbi etiam illud manifestum fit, agrarias circa castella & burgos maximè fuisse. Firmare præsidiis & Liuius dixit: *firmátque eum Aphricis maximè præsidiis*. Quòd porrò liber M. paulò pòst *firmissimas ciuitates* vocet, quæ in aliis omnibus exemplaribus *tutissimæ* dicuntur; id suspicari possumus librariorum iniuria, & vicinitate horum verborum effectum.

Tentatus Vegetij locus, & emendatus.

Firmare locum præsidiis.

Reparatio etiam murorum.] Sapienter id, mi Vegeti, admones; tempestiuè, & ante metum hostium muros reparandos, & omne genus tormentorum. in quo, quia adsentiri tibi video regem Gothicum Theodericum, illius hac de re sententiam adiiciam: *Publicæ vtilitatis ratione commoniti (quæ nos cura semper libenter oneranit) castrum iuxta vos positum præcipimus communiri. quia res præliorum benè disponitur, quotiens in pace tractatur. Munitio quippe tunc efficitur prænalida, si diutinâ fuerit excogitatione roborata. Omnia subita probantur incanta: & malè con-*

Muri & machinamenta ante metum hostium reparanda.

Res præliorum optimè disponitur, quando in pace tractatur. Omnia subita probantur incauta.

structio

ſtructio loci tunc quæritur, quando iam pericula formidantur. apud Caſſiod. lib. 1. Variarum cap. 17. Meminit iterum ea de re, lib. 3. Variarum cap. 48: *Munitio* (inquit) *tractanda eſt ſemper in ocio: quia tunc malè quæritur, quando neceſſaria iudicatur*. Nihilominùs & illud nunc in quæſtionem venire debet, an omnibus olim ciuitatibus licuerit, muros quandocumque nouos ducere, aut veteres reficere. Id vt negem, facit me ius de eâdem re ſcriptum: quo docemur; ſine principis aut præſidis conſenſu, in municipiis illud fuiſſe inlicitum, l. ſacra loca, ff. de diuiſione rerum. exemplo confirmat Caſſiod. lib. 4. Variarum, cap. 30.

Municipibus nõ licuit ſuos muros reficere abſque conſenſu Principis, aut præſidis.

Sed fidelis horreorum cuſtodia.] Antè vulgatũ erat, *ſeruatorum cuſtodia*. quod Iacobus Cuiacius adulterinum eſſe oſtendit; emendauitque *horreorum*, in Notis ſuis ad l. præfectianos, C. de apparitoribus præfec. prætorio, lib. 12. Libri apud me partim *aureorum*, partim *ortorum* legunt. in M. & Suſij altero reperi, *ſed fidelis ſors eorum*. ſcripſerant librarij in membranis, ſine adſpiratione, ſine geminatione litterarum, *ſed fidelis oreorum cuſtodia*. vtrumque ignoraſſe vides illos, qui diuulſa, à verbo *fidelis* vltima littera, nobis fabrefecerunt, *ſors eorum*. De aſpirationis nota, pro librariorum arbitrio, cùm non deberet, addita; dempta verò, eùm exprimi deberet; alibi dicam. De conſonantibus non geminatis præter membranas varias, in quibus id obſeruatum vidi; auctorem habeo Feſtum in *Aboloës*, & in *Porigam*. Sed vt redeamus ad horrea, de quibus ſermo hic habendus; Sciendum eſt publica illa fuiſſe, frumento, ac ſpeciebus annonariis deponendis deſtinata. pâret ex rubrica C. de conditis in publicis horreis, & lib. 2. Annalium Taciti, & Caſſiodori, lib. 10. Variarum cap. 27. & l. fruméta, C. de ſuſceptoribus: & mille aliis locis. Ea autem non Romana tantùm, ſed & vrbs Conſtantinopolitana habuit; l. nulli; Cod. Theodo. de frumento vrbis Conſtantinop. Etiam in prouinciarũ pleriſque ciuitatibus atq. manſionibus fuêre, l. cùm ad quamlibet C. de conditis in publicis horreis. Quin & prætoria iudicum in ciuitatibus, quandoque horreorum vice fuiſſe, proditum eſt; l. nulli iudicum, C. de officio rectoris prouinciæ. Nunc, vt horrea illa in prouinciis manſionibusque ſarta tecta manerent; præſidis officium erat, ea inſpicere: ad cuius damnum referebatur, ſi quæ ſpecies ipſius negligen-

Recte à Cuiacio emaculatus Vegetius.

Aſpirationis nota ſæpe à librariis inepte addita, dempta. Conſonantes à veteribus non geminatæ.

Horrea publica deponendis ſpeciebus.

Horrea iſtiuſmodi & Romana ciuitas, & Conſtantinopolitana habuit. Etiam prouinciarum ciuitates & manſiones, ſimiliter habuere:

Ea horrea quis curârit:

tiâ

tiâ infectæ, periissent, l. si in aliquam, ff. de officio proconsulis: & dicta l. cùm ad quamlibet. Quòd verò ad custodiam; doceo certos fuisse illis horreis præfectos, quos custodes vocabant. testis mihi constitutio Imperatorum Valentiniani & Valen. in l. vnica, Cod. Theodos. ne præfectianus exactoris, horreorũ custodis officio fungatur: & l. prima, C. de cõditis in publicis horreis. Patroni nomen iisdem inditum, & annuum illud munus fuisse, docemur rubrica de patronis horreorum Portuensium, libro 12. Cod. Theodosiani, titulo 23. Alia quoque horrea in vrbe publica, in quibus pretiosissima quæque homines deponebant, testem do Paulum Iurisconsultum in l. 3, ff. de officio præfecti vigilum, & l. 6, ff. de edendo. Addo Lampridium; etsi supernumerarius ille videri possit: *Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona hi, qui priuatas custodias non haberent*: in Alexandro Seuero.

Etiam custodes illis horreis præpositi;

Patronos quidã nuncupárunt.

Alij vsui & alia horrea publica in vrbe fuerunt.

Erogatio moderata.] Quibus militarium seu quarumlibet aliarum præstationum erogatio committebatur, in primis iurare iubebantur, pro iustitiæ ratione, iniunctam sibi sollicitudinem peracturos. quod constituit Imperator Anastasius l. *16*. C. de erogatione militaris annonæ. Præterea erogator, quod præstabatur, manu sua, sine vllo dolo & fraude, singulis militibus enumerabat; dicta l. 16. Discendum præterea & illud est, si miles, quod sibi debebatur, elapso anno non peteret per negligentiam; id posteà illi non concedebatur petere, & fisci commodis vindicabatur: l. fortissimi, C. dicto titulo. Moriente autem milite, omnes pecuniæ, quæ mortuo in eum vsque diem debentur, heredi persoluendæ, secundum diualem constitutionem, l. iubemus, C. eodem. Ceterùm in petenda annona, milites indicia (*proba* vocabant) obtulisse, ab Ammiano didici. Eadem ab heredibus ipsis exacta quoque fuisse, omninò verosimile est. eius verba adscribo ex libro 21. extremo: *Annonæ militaris offerebantur indicia, vt ipsi nominant proba, & animalia publica monstrabantur*. Sed quæras vnde, & à quo illa indicia? ab iis, nisi opinio me fallit, qui rationes militum tractabant: quos Vegetius librarios vocat lib. 2. cap. 7. Actuarios appellant Imperatores in dicta l. *16*. quã hoc loco consulendã iudico.

Erogatores militaris annonæ, quale iusiurandum præstiterint:

Quemodo annonam distribuerint.

Miles debitum sibi, petere tenebatur intra annum.

Milite moriente, debitum heredi persoluendum.

Iudicia, & proba oblata, in petitione annonæ: Vnde data illa proba.

Per capita magis militum.] Solent duces prouidi, necessitate ingruente, calones, pueros, & reliquum genus fruges

In necessitate annonæ, calones, pueri, amandandi è castris.

ges consumere natum, à castris amandare; ne ab his militum commeatus diminueretur; vt alibi exemplis confirmo. Hîc alterum remedium illi rei; vt nimirum his, quibus pro dignitate & gradu duplæ debebantur annonæ, species omnes pariter cum ceteris gregariis, id est per capita tãtùm præberentur. Quæ res ne seditioni occasionem daret, moris erat principibus, quod minùs debito in necessitate præstitum erat, posteà de Repub. persolui.

Alterum in angustiis annonæ remedium.

Hyeme lignorum.] Prouidendum in ciuitatibus, vt lignorum copia suppetere possit obsidionis tempore. Vitruuij testimonium mirum ni adhiberem: *In conclusionibus*, inquit, *reliqui omnes faciliores sunt apparatus quàm lignorum. Sal enim facilè antè importatur, frumenta publicè priuatimq; expeditiùs conferuntur; &, si desint, oleribus, carne seu leguminibus defenditur. Aqua, fossuris puteorum, & de cælo repentinis tempestatibus ex tegulis excipiuntur. De lignatione, quæ maximè necessaria est ad cibum excoquendum, difficilis & molesta est apparatio, quòd & tardè comparatur, & plus consumitur*: lib. 5. De architect., cap. 9.

Obsidis lignorum copia maximè necessaria.

Conuentionum pacisque simulatio credulis.] *Conuentio*, verbale, deriuatum à verbo *conueniendi*; quod propriè de iis dicitur, qui ex diuersis locis congregantur. testis erit Vlp. in l. Iurisgentium, §. vlt. ff. de pactis: *Si conuenerint in vnum, & communi consensu declarauerint*. ibidem l. prima, *Conuenire dicuntur qui ex diuersis locis in vnum colliguntur & veniunt*. *Conuentionẽ* quater eâ significatione posuerat Varro libro 4. De lingua Latina. sed isthîc Vertranius Maurus nimis temerè substituebat, *concionem*. Et, vt hoc addamus, non rarum est, vt verbalia pro nominibus quartæ inflexionis, & contrà vsurpentur. & ita hoc loco conuentio, pro conuentu. qua de re alibi. Eam lectionem, modò per libros optimos liceret, libenter hîc retinerem; interpretarerque conuentionem illam de prouincialibus (quorum paulo antè auctor noster meminit,) quicertis anni temporibus, præsertim dum in hybernis milites erant, à Proconsule aut Præside prouinciæ, ad publica negotia, & iudicia ordinaria vocari in vnam aliquam ciuitatem solebant. qua de re alibi nobis sermo fuit. Videndi Theophilus lib. primo Instit. titulo quibus ex causis manumittere nõ licet: & doctissimus Ræuardus, in Protribunalibus, cap. 9. 12. & 14. Cicero ad Atticum lib. 9. Cæsar lib. 5. & lib. 8. De bello Gallico, Ammianus

Conuentio, vocabulum Latinum est.

Vsurpandi lapsus.

Conuentiones prouincialium hibernales, ad iudicia ordinaria.

mianus initio lib. 18. Festus in *conuentus*, Codex Theod. de legatis, & Plinius lib. 3. cap. 22. Quæ sententia si minùs placet, dicemus τὸ *conuentionum*, interpretamentum esse verbi *commerciorum*: quod pro genuino est in libris M. S. N. H. B. & altero Susiano. Nam & hæc annis singulis solita celebrari. Id ne ego finxisse videar, auctorem habeto Ammianum Marcellinum: is libro 18. *Nam & casu*, inquit, *illis ipsis diebus in suburbanis peregrina commercia, circumacto anno, solita celebrare, multitudo conuenarum augebat agrestium.*

Commercia annua.

AD CAPVT IIII.

MOVET tumultum ex diuersis locis collectis exercitus.] Coactum ex diuersis nationibus exercitum, ad tumultus & dissensiones ferri, neque satis commodè regi posse, nemini dubiũ est. Aliud nihilominus de Alexandri copiis memoriæ prodidit antiquitas. hic enim cùm videret in dies magis magisque glisscere Macedonum militum seditiones; & duces iisdem Persicos præposuit, & numeros extenuatos de Persis suppleuit: eaque nouatione quamuis mixtum, attamen obsequentem sibi fecit exercitum. auctor Diodorus Siculus libro 17. Ceterùm si dissidere talis exercitus cœperit, spes nulla est conciliationis: teste Polybio.

Exercitus ex diuersis nationibus difficulter regitur.

Exercitum mixtum obsequentem habuit Alexander.

Exercitus mixti seditio, non facile sedatur.

Et cùm pugnare nolit, irasci se simulat.] Verè, & ad mentem Vegetij accommodatè Lucanus cecinit lib. 5.

Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio.——

Seditio animos imbelles detegit.

Acutum & sallsum sanè in id genus milites Phocionis apophthegma narratur. Huius aliquot milites inter tubas & armorum strepitum exsangues & consternati steterant. hi pace facta audẽtes, ac feroces facti, Phocionis ignauiam, formidinem incusabant. ibi ille: *O fortunatos vos milites, quibus imperatorem fors dederit gnarum vestræ virtutis atq. ingenij; alioquin iampridem miserè perieratis.* Plutarchus in Phocione.

Dum adhuc separati sunt, & in sedibus suis.] In lib. M. erat. *sedibus sunt.* Neq hoc solo loco, vocabulo *sedibus*, absque vlla adiectione nominis, Vegetium vsum animaduertes: infrà hoc eodem cap: *Fluuius vicinus est sedibus.* iterum ibidem: *eruditi in sedibus milites.* itidem cap. seq. *quæ omnia in sedibus, in itineribus, in omni exercitatione.* Hinc liquet, §. illis autem,

Emendatus § illis autem, Instit. de mil. testamento.

tem, Institut. de militari testamento, malè legi, *citra expeditionum necessitatem in aliis locis, vel suis ædibus degunt*; & rectè ex membranis restitui, *Vel in sedibus degunt*. Eandem vocem etiam in possessionem reduxissem l. vlt. C. de mil. testa. nisi & isthîc præueniſſent alij. Statiua, itidem vt sedes, nomen habent, quòd ibi starent, sederent milites: in l. 2. C. de præfecto prætorio Aphricæ: *Dux militum Tripolitanæ prouinciæ in Leptimagnensi ciuitate sedes interim habeat*. iterum ibidem: *Dux verò Numidiæ prouinciæ in Constantinensi ciuitate, sedes interim habeat*. iterum: *Dux autem Mauritaniæ prouinciæ in Cæsareensi ciuitate interim sedeat*. ibidem, §. quantos: *Duces, ac milites, secundum nostram dispositionem, in locis seu ciuitatibus, quibus iussimus, sedeant*. Ammianus: *militares numeri destinatas remearunt sedes*; lib. 17. itidem lib. 14. Eadem ratione & subsidium dictum, à Triariis subsidentibus. *Dictum & præsidium, quòd præsidebant aliquo in loco extra castra, quò tutior regio esset. Obsidium quoque ab obsidendo dictum, quò minùs hostis egredi posset inde*: Varro lib. 4. De lingua Latina. cum quo eiusdem sententiæ Festus; qui, *præsidium, definit, quod pro utilitate & salute alicuius, auxilij gratia præponitur. Subsidium, quod postpositum est, ad subueniendum laborantibus.*

Sedes militares vnde dicantur, & statiua.

Subsidium vnde dictum: Item præsidium.

Ad armaturæ gestum, ad vectes iactandos.] Officio non fungerer, nisi monerem in exemplaribus M. S. N. H. verbum *iactandos* nullum esse. quod fortè repetitum hîc per incuriam; cùm præcedente linea dictum sit, *ad lapides iactandos*. Exercitij genus, quod vectibus fiebat, ignorare me fateor; & proinde non video, quâ sententiâ, *iactandi* verbum hîc receptum seu retinendum sit. Meminit meditationis, quæ vecte fiebat, ipse Vegetius libro primo, cap. 9. sed nulla isthîc iactandi mentio. Nunc, si ad clauam ligneam trahimus, & pro ea vectem hîc (vt alibi sudem) fuisse dicamus, omninò superierit vox, *iactandos*. & Palariorum exercitionem repetiisse Flauius videbitur. quod innuere videntur verba sequentia, *pro similitudine gladiorum, punctim cæsimq; feriendo*. Ceterùm hanc explicationem non videtur admissurus Varro, qui lib. 4. De lingua Latina, vectem, non pro *clava*, aut sude, id est gladio ligneo; sed pro palo in quem *batuebant*, constituit. Is dictum è Cornicularia adfert, *Milites ad vectim, quem circumeunt ludentes*. Quem locum ex fide veterum Codicum ibidem ita confirmauit Iosephus Scaliger; Vertranio Mauro, & aliis reclamantibus. sed illum sequor.

Expensus Vegetij locus.

Quæ exercitatio ad vectim.

In

In scutis inuicem obuiantibus niti.] Monui, τὸ *in*, nihil esse, & abest certè à tribus codicibus, quibus vsus sum. Liuius lib. 8. extremo: *In suo quisque gradu obnixi, vrgentes scutis, sine respiratione.* Quadrigarius apud A. Gellium in descriptione duelli, quo egregiè Manlius suo honore, & Reipublicæ bono defunctus est: *Manlius*, inquit, *iterum scuto scutum percutit, atque de loco certo hominem iterum deiicit*: lib. 9. Noctium Atticarum, cap. 13. Ammianus lib. 16. *Dextræ dextris iungebantur, & vmbo trudebat vmbonem.* Statius:

Iam clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo.

Correctus Vegetius.

Ex diuersis conuenerint locis.] Restitui, *conuenerint numeris*; auctoritate codicum M. S. N. H. & de hac voce plura dixi suprà lib. secundo.

Iterum Vegetius correctus.

Prœlium magis necesse est habeant optare.] Libri plerique referunt, *prœlium magis necesse habeant optare.* libenter adsentior vni M. in quo expressum erat, *prœlium magis habeant optare, quàm ocium.* Reliqua illa, *necesse est*, ab iis sunt, qui emblemata addere voluerunt operi satis per se commendato. Eadem phrasis, quâ Cicero lib. 2. ad Atticum dixit, *Nihil habeo ad te scribere*: & in Partitionibus, *quid habes dicere?*

Magnum glossema ex Vegetio sublatum.

Prudentiore consilio segregatos à castris.] Extitit olim Pauli Iurisconsulti liber singularis De pœnis militum, cuius fragmenta, pauca tamen, etiamnum reperias in libris Pandectarum. De multis pœnisque militum, apud diuersos scriptores, Historicos præsertim, multa sparsim: ea quantũ in me erit, coaceruare hîc statui. etsi multa inibi posteriori æuo, à principibus excogitata; quæ crudelitatis, quàm seueritatis, aut militaris disciplinæ exempla censenda sunt. Vt multa militum præmia (de quibus diximus suprà lib. 2. cap. 7.) itidem & variæ in eosdem animaduersiones: Aliæ leniores, aliæ acerbiores. quædam enim tantùm ignominiosæ erant; alias, præter ignominiam, etiam detrimentum comitabatur. Leniores erant, & ignominiosæ tantùm; qualis hæc, STIPENDIO PRIVARI. quam pœnam qui patiebantur, dicebantur Ærediruti. de quibus dixi lib. 2. cap. 19. AD HASTAE DATIONEM CONDEMNARI. Festus: *Censio hastaria dicebatur, cùm militi multæ nomine, ob delictum militare, indicebatur, quòd hastas daret.* TENDENDI LOCVM MVTARE. Liuius lib. 25. *Illis arma tantùm, atque ordo militandi, locusq; in quo tenderent, in castris est*

Paulli Iurisconsulti fragmenta, De pœnis militum.

Animaduersiones in milites aliæ leniores, aliæ acerbiores.

Leniores, & ignominiosæ:

I.

II.

III.

IIII. *mutatus*. IN ITINERE CVM IMPEDIMENTIS ITER FACERE. Ammianus: *Ademptis signis, hastisq; diffractis, omnes eos, qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas,*
V. *& captinos agere iter imposuit*: lib. 25. EXTRA OPPIDVM HIBERNARE. Liuius lib. 35. *Additum etiã vtrorumq. ignominiæ est, ne in oppidis hibernarent, néue hiberna propius vllam vrbem*
VI. *decem millibus passuum ædificarent*. EXTRA CASTRA HIBERNARE. Valerius Maximus: *Decreuerunt, ne quis eorum intra castra tenderet, néue locum extrà adsignatum, vallarent fossa cingeret, néue tentorium ex pellibus haberet*: lib. 2. cap. 7. Exempla alia
VII. si lubet, pete à Frontino, lib. 4. Strateg. cap. primo. CIBVM STANTEM CAPERE. Liuius lib. 34. *Nomina eorum, qui detrectatæ pugnæ memores, secessionẽ paulò antè fecerunt, referri ad me iubebo: citatosq; singulos iureiurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter, quàm stantes, cibum, potúmque, quò ad stipendia facient,*
VIII. *capturos esse*. FOSSAM FODERE. Auctor est Plutarchus in Lucullo: antiquũ militaris ignominiæ genus fuisse, vt tunicis interioribus solutis, fossam fodere, inspectante
IX. reliquo exercitu, cogerentur. STIPENDIA PROROGARI. Liuius lib. 33. *Mitterentur*, inquit, *in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias, cui militum generi non priùs, quàm pulsus Italia hostis esset, finitum stipendiorum tempus erat*. idem lib. 35. *Decretum supplementum de exercitu Cn. Fulvij, qui priore anno in Apulia fœdè cæsus fugatusq; erat. Huic generi militum senatus eundem,*
X. *quem Cannensibus, finem statuerat militiæ*. DISCINCTOS DESTITVI. Liuius lib. 27. *Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destitui*. Suetonius in Augusto: *Centuriones statione deserta, itidem & manipulares capitali animaduersione puniuit. pro cetero delictorum genere, variis ignominiis affecit, vt stare per totum diem inberet ante prætorium; interdum tunicatos discinctosq;; nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes*. Similiter Calpurnius Piso, apud Valer. Maximum, punit C. Titium præfectum equitum, quòd ab hostibus circumuentus, arma tradidisset: *Insit eum*, inquit, *toga laciniis abscisis amictum, decinctáque tunica indutum, nudis pedibus à manè, in noctem vsque, ad principia, per omne tempus militiæ adesse*:
XI. lib. 2. cap. 7. HORDEO PASCI. de hoc puniendi ge-
XII. nere dixi lib. 1. cap. 13. SANGVINEM MITTI, Gellius lib. 10. *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduersio, inbere ignominiæ causa militi venam solui, & sanguinem emitti*. Meminit

eiusdem

eiusdem animaduersionis Frõtinus lib.4. Strateg. cap.1.& adeundus Marcus Antonius Muretus, vir doctissimus,& de literis humanioribus optimè meritus, in suis Variis. Fuit quoq. inter pœnas leniores, MVLTA PECVNIARIA. XIII. testis Modestinus in l. desertorem, ff. de re militari, hunc in modum scribens: *Pœnæ militum huiusmodi sunt, castigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio: nam in metallum, aut in opus metalli non dabuntur, nec torquentur.* MILITIÆ MVTATIO. qualis est, equiti XIIII. equum adimi, & in peditum numeros referri. Valerius Maximus, *Turmas*, ait, *equitum quibus præfuerat, ademptis equis in funditorum alas transscripsit, quòd arma hostibus tradidissent*, lib.2. cap.7. ibidem; *Decreuerunt, vt ex iis, qui equo meruerant, peditũ numero militarent.* iterum Ammianus: *Reliquos ex ea cohorte, ad pedestrem compegit militiam, quæ onerosior est.* A CASTRIS SE- XV. GREGARI. & hoc illud est, de quo Vegetius noster hoc loco præceptum dedit. nimirũ qui delictum militare commisisse probabuntur, eos prudentiore consilio à castris segregandos, ad castella, ad vrbes muniendas seruandasque, amandandos. Habeo quod huc referam fragmentum Ciceronis ex Diomede Grammatico: *Custodia castrorum non honoris, sed oneris existimatur.* IGNOMINIA MITTI. dixi de XVI. missione ignominiosa alibi, loco magis cõuenienti. Nunc autem superest illud, vt de pœnis grauioribus sermonem instituamus, quales sunt, VIRGIS CÆDI. Valer. Maximus lib.2.cap.7. C. Cotta P. *Aurelium Pecuniolam sanguine sibi iunctum virgis cæsum, gregalis militiæ munere inter pedites fungi coëgit. quòd eius culpa agger incensus, & penè castra fuerant capta.* vide quoque Frontinum lib.4. Strateg. cap.1. VITE VER- II. BERARI. Macer in l. milites, ff. de re militari: *Eum qui centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notauerũt; si vitem tenuit, militiam mutat; si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Iuuenalis Saty.6.

Pœnæ militum graniores: I.

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.

Cornelius Tacitus lib.primo Annalium: *Centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant; quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat.* Consulendus eadem de re Plinius lib.14. Naturalis historiæ cap.primo extremo. LINGVAE ABSCISSIO. III.

id genus pœnæ irrogatum apud Ægyptios militibus, qui hostibus consilia suorum prodidissent. imò & legem hac de re apud eos sancitam fuisse, auctorem habeo Diodorum
IIII. Siculum lib. 2. Antiquitatum cap. 3. MANVVM AMPVTATIO. Frontinus: *M. Cato memoriæ prodidit, in furto comprehensis inter commilitones, dextras esse præcisas, aut si lentius animadvertere voluissent in principes, sanguinem missum.* lib. 4. Strateg. cap. primo: meminit & Valer. Maximus lib. 2. cap. 7. iterum Ammianus: *Sagittariorum verò primoribus manus incidit.* lib. 29. Liuius lib. 35. *Cum transfugis nouis mulctati virgis, manibusq; præcisis, Capuam rediguntur.* sed eo in loco, (vt hoc quasi per Satyram moneam) legerim, *mulcati*. Onomasticon vetus: *Mulcare, pugnis, vel calcibus cædere.* iterum: *commulcat, id est, collidit, conculcat.* iterum: *Mulcatores, peremptores.*

Liuius correctus.

Mulcare quid significet.

V. CRVRVM EXECTIO. Ammianus lib. 23. *Signa propria quisque sequatur, sciens, quòd si remanserit vsquam, exectis cruribus relinquetur.*

VI. IN SERVITVTEM ADACTIO. Imperator Alexander Seuerus, cùm aniculam quandam à milite iniuria affectam audisset, exauctoratum eum militiâ, seruum ei dedit: vt suo
VII. illam labore pasceret. auctor Lampridius. IN EXSILIVM MITTI. iterum Ammiani testimonium præstò est: *Romanus quinetiam, & Vincentius scutariorum schola primæ, secundæq; tribuni, agitasse conuicti quædam suis viribus altiora, acti sunt in exsilium.* lib. 22. itidem lib. 15. principio.
VIII. VÆNIRE. Liuius lib. 55. *C. Mattienus accusatus est apud tribunos plebis, quòd exercitum in Hispania deseruisset, damnatusq; sub furca, diu virgis cæsus est, & sestertio numo veniit.* iterum lib. 40. *Qui miles ad exercitum*
IX. *non redisset, eum ipsum, bonáque eius vendere Consul iussit.* FVSTE VERBERARI. hac de re dixi lib. primo, cap. 26. & meminit Iurisconsultus Modestinus in l. 3. ff. de re militari. Imperatoris Valentis impietatem pleræque historiæ loquuntur, eumq. legem dedisse, vt monachi militarent: nolentes autem, per tribunos & milites fustibus interfici iussisse, auctor Paulus Diaconus lib. 12. Histor. & Eusebius in
X. Chronico, & alij. SECVRI PERCVTI. Liuius lib. 2. *Centuriones duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi*
XI. *percussit.* ITEM DECIMATIO. Sunt qui hoc genus pœnæ ab Appio Claudio editum primùm putent. vide Liuium lib. 2. De modo huius pœnæ videdus Polybius lib. 6. Fiebat autem decimatio adhibitâ sorte: Tacitus 3. Annal.

Decimatio à quo primùm inuenta.

Decimatio sorte fiebat.

Decimum

Decimum quemq. ignominiosæ cohortis sorte ductos fuste necat. Liuius lib.2. *Cætera multitudo decimus quisque ad supplicium lecti.* Idem lib.38.de seditioso exercitu apud Sucronem: *Præconis, inquit, audita vox citantis nomina damnatorum in consilio. nudi in medium protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicij expromebatur. deligati ad palum, virgisq; cæsi, & securi percussi.* Suetonius in Caligulâ: *Inhiberi nullo potuit modo, quin decimare velle perseueraret: vocatos itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis dispositis, equitatu armato circumsedit.* videndus quoque Appianus lib. De bel. Hispan. Causam verò decimationis institutæ si quis scire desideret, suppeditabitur ex Ciceronis Cluentiana, cuius verba paulo pòst eodem hoc cap. à me laudabuntur. Quin & Liuius lib.38. *Vicit, inquit, sententia lenior, vt vnde orta culpa esset, ibi pœna consisteret, ad multitudinem castigationem satis esse.* Idemque scriptum reliquit Plutarchus in Scipione. Cæsar negligentiam Senatorum, qui in Senatum rariùs venirent, sorte quoque castigauit. cùm enim nimis multi essent, iussit inter eos sortes duci, & quintum quemque puniri; teste Dione in Augusto. Seditiones militares etiam centesimatione Imperator Macrinus punìit: teste Iulio Capitolino. isque se clementem dicebat, quòd centesimaret, qui vigesimatione, & decimatione digni essent. IN CRVCEM TOLLI. Liuius lib. 30. *Nominis Latini qui erant, securi percussi; Romani in crucem sublati sunt.* itidem apud Valerium Max. lib.2.cap.7. AD BESTIAS DAMNARI. Modestinus Iurisconsultus: *Is qui ad hostem confugit, & rediit, torquebitur, ad bestiasq;, vel in furcam damnabitur. quamuis milites nihil eorum patiantur.* l. de sertorem, ff. de re militari. Posterior Africanus exterarum gentium transfugas, in edendis spectaculis, feris obiecit: Valer. Maximus eodẽ cap.7. & Liuius lib.51. Denique & CAPITIS POENA, multas ob causas militibus irrogata est. primùm transfugere volentibus, vallum transscendentibus, aut per murum castra ingredientibus, seditionem atrocem concitantibus; imò & rem qualem qualem à duce prohibitam, facientibus, l. desertorem, ff. de re militari. Capite item plectuntur, qui præpositò mànum inferunt: qui aduersus ducem vel præsidem contumaces sunt: qui in acie fugam priores faciunt: exploratores, qui secreta hostibus nuntiant. item caligati, qui metu hostium languorem simulant; item qui commilitonem gladio vulnerant:

Decimatio cur instituta.

Etiam Senatoves varijs in Senatum venientes sorte puniti.

Centesimatio. Vigesimatio.

XII.

XIII.

XIIII.

nerant: nam si lapide tãtùm, militia reiiciuntur: qui præpositos suos, cùm possunt, nõ protegunt. nam hi in pari causa factoribus sunt; l. omne delictũ, ff. de re militari. Itidem qui excubias deserũt, l. qui excubias, ff. eodẽ. Adhibita etiam
xv. post capitalem animaduersionẽ, SEPVLTVRÆ PRIVATIO. Valer. Maximus: *virgis cæsos securi percuti iussit: eorumq; corpora sepulturæ mandari, mortemq; lugeri vetuit.* lib. 2. cap. 7. Fuit etiam
xvi. ex pœnis acerbioribus, LEGIONARIORVM GLADIIS CON-
xvii. CIDI. videnda, quæ ea de re dixi, lib. 1. cap. 23. Item, VIVOS COMBVRI. Ammianus, *desertoribus paucis exustis, aliisq;, ad sagittariorum exemplum, quibus manus ademptæ sunt, contruncatis.* lib. 29. Itidem Valentiniani A. iussu, Hortarius Alemannorũ tribunus, quòd hostibus quædam perscripsisse diceretur, veritate tormentis expressa, pœnali flammâ conflagrauit: teste eodem Ammiano, libro quo suprà, & lib. 21. Quinimò & Imperatoris Constantini A. constitutione introductum, vt si qui Barbaris prædandi facultatem dedissent, aut prædam cum iis diuisissent, viui comburerentur, l. si quis, C. de
xviii. re militari. Hoc amplius; primus Auidius Cassius Imperator inuenit, vt stipite centum & ampliùs pedum erecto, damnatos ab imo ad summum alligaret. inde inferioribus ignem admoueret, atq. ita alios incendio, alios fumo, alios denique timore enecaret. cuius rei testimonium apud scri-
xix. ptorem Vulcatium. SVB CRATE NECARI. Liuius lib. 4. ab vrbe condita: *ad vociferationem eorum, quos sub crate necari iusserat, concursu facto.* Id genus puniendi scitè expresserunt versiculi Plautini Pœnulo Sc. *Ain tu.*

AG. *Quid ait, aut orat? expedi.*
MI. *Sub cratim vti iubeas sese supponi, atque eò*
Lapides imponi multos, vt sese neces.

Cornelius Tacitus De moribus Germanorũ: *Distinctio pœnarum ex delicto. proditores, ac profugas arboribus suspendunt; ignauos, & imbelles, & corpore infames, cœno, ac palude, iniecta insuper crate,*
xx. *mergunt.* LAPIDIBVS OBRVI. Posthumium inficiantem quas promiserat prædas, ab exercitu, in castris seditione facta, lapidatum accepimus. Florus lib. 1. cap. 22. Liuius lib. 4. Q. Curtius de animaduersione in milites, qui in mortem Alexandri conspirârant: *Omnes ergo à Nicomacho*
xxi. *nominati, more patrio, dato signo, saxis obruti sunt.* SAGITTIS EMINVS CONFIGI. id genus pœnæ apud Paulum Diaconum

Diaconum obseruaui lib.17. Hist. extremo: & simile fuit illi,quo hodie vtuntur, dum noxium palo alligant, & in eum,tanquam in scopum,reliqui omnes milites sclopetarij seu bombardarij globos emittunt. CARPENTO TRAHI. XXII. Imperator Opilius Macrinus tribunũ, qui excubias deseri passus erat,carpento rotali superadnexum, per totum iter viuum atque exanimem trahi præcepit: Iulio Capitolino teste. Crudele & horrendum genus pœnæ quo in milite adultero puniendo D. Aurelianus vsus, qui deflexis duarum arborum capitibus iisdẽ pedes militis alligauit. inde arboribus demissis subitò,scissus ille vtrimque pependit. id Flauius Vopiscus scribit in Aureliano. Aliud, nec minus horrendum,Imperatoris Macrini in adulterio militum puniendo inuentũ. hic simul vt certior factus est,duos milites suos ancillæ hospitis pudorem violasse,statim geminos boues aperiri iussit,atq. his milites singulos inseri,capitibus boũ exectis,quò faciliùs vna colloqui possent. ita hominis sæuitia nouo quodã supplicio, in puniendis adulteris delectabatur: quod retulit in vita Macrini Iulius Capitolinus. XXIII. XXIIII.

Sed Tragicis hisce recensendis, tandem aliquando supersedeamus. Illud nihilominus in genere notandũ est, militaria delicta, vt & in ceteris,augeri dignitate,gradu,speciq́ue militiæ: l. militũ, ff. de re militari. minui autẽ ratione tyrocinij, l. desertorem, & l. qui commeatus, ff. dicto titulo. Item si per vinum aut lasciuiam milites lapsi sint, l. omne, ff. eodem titulo. Sed propter nimiam inebriandi frequentiam, ea exceptio Caroli V. Imperatoris edicto sublata est. *Militaria delicta quibus rebus aucta: Quibus rebus minuta.* *Ebrij milites delinquentes, hodiè non excusantur.*

Rectius est,more maiorum, in auctores criminum vindicare.] Non ineleganter aut insolenter auctores criminum appellat. similiter Iurisconsulti nostri auctores seditionis nominant, quasi capita, vt qui seditionem primi cient,inducunt,& persuadent: in l. eiusdem, §. Item auctor ff. de sicariis; & l. si quis, §. auctores, ff. de pœnis. Sic legis auctorem Cic. & alij vocant eum, cuius oratio tantũ ponderis haberet apud populum, vt legẽ suadendo persuaderet. Solere autem eos,qui legẽ ferre statuerent, homines istiusmodi sibi diligere, constat ex ea oratione, quam post reditum habuit Cicero,& inibi nominatim de Lentulo. *Auctores criminum.* *Auctores legum.*

More maiorum.] Vsirata ea formula, *more maiorum*, optimis & Romanis scriptoribus, Ciceroni, Suetonio, Liuio, *Formula, more maiorum. Malo more.*

& ipsis Iurisconsultis l. is qui, ff. de publicis iudiciis; & alibi. Similis formula, *malo more*, id est, *improbè*, l. 19. ff. de negot. gest. & l. 8. ff. quod metus caussa. Item, *sine more*, Virgil.

Sine more.

——— *raptæ sine more Sabinæ.*

Vt ad omnes metus, ad paucos pœna peruenîret.] Locum hunc ex Ciceronis Cluentiana descriptum esse, dubium non est. vbi ille: *Statuerunt*, inquit, *maiores nostri, vt si à multis esset flagitium rei militaris admissum; sortitione in quosdam animadverteretur: vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.*

Ciceronis locus à Vegetio descriptus.

AD CAPVT V.

Correctus Vegetius. Quantus, pro quot.

SIGNORVM militarium, quot sint genera.] Libris optimis M.S.H. non possum quin adsentiar: in quibus est, *quanta sint genera*. vox, *quanta*, pro *quot* ponitur, & numerum adæquè significat. id qui nescîuerunt, auctores fuêre loci mutandi. Itidem §. si verò, l. 2. C. de præfecto prætorio Africæ: *Et quanti limitanei, & in quibus locis & militiis collocati.* sed ille locus medicinâ eget: restituo sanitati, *Et quanti limitanei, in quibus locis vel limitibus constituti sunt.* Limitanei autem illi milites, qui in clausuris, burgis, custodiendis limitibus præsidebant. Limitantes vocatos memini ab Ammiano Marcellino non semel. iterum in supradictâ l. *Milites pro custodia locorum, quantos ibi magnitudo tua prouiderit*. iterum ibidem: *Quantos autem milites, sive pedites, sive equites.* itidem & Vegetius ipse lib. eodem cap. 9. *vt integris suis quantos possint hostes interimant.* Dicuntur autem *tantus, quantus*, pro, *tot, quot*, more Græcorum. quibus ὅσος τοσοῦτος promiscuè significat *tot*, & *tantus*. Phrasim eandem lib. 2. Obseruationum cap. 5. obseruauit etiam Antonius Augustinus ex l. si ita legatum, ff. De legatis pri. Neque est quòd loquendi hoc genus vltrà improbet Laurentius Valla Grammaticus: suo enim ille gladio iam iugulatus est; vt qui lib. 3. Elegantiarum suarum pronuntiauit, ex solis Pandectarum libris dignitatem atque amplitudinem linguæ Latinæ posse recuperari.

Emendata l. 2. C. de præfecto prato. Africæ.

Limitanei milites. Limitantes.

Tantus, quantus, pro, tot, quot, Græca phrasi dicuntur.

Laurentij Vallæ opinio reiecta.

Ex Pandectis inuis, Latinam linguam recuperari posse.

Multa sunt ediscenda atque obseruanda pugnantibus.] Verbum *ediscendi*, suppositum hîc pronuntio; melius quidem, *edicendi*, quod ex membranis huc doctissimus Franciscus Modius retraxit; legendo, *edicenda atque obseruanda*; vt illud de duce ipso, istud de militibus accipiatur. Attamen

Expensus Vegetij locus.

non

non minùs elegans, si fortè & verius, quod in vetustissimo exemplari M. reperi, *dicenda atque observanda*, quomodo & in membranis H. olim perscriptum fuit: licet tamen ibidem verbo, *dicenda*, vocalis secunda, multo pòst tempore, & ab alia manu adsuta sit. Iterum eodem hoc capite, *Quocumque enim hæc ferri insserit ductor.* & hîc solus prædictus liber M. *Ferri dixerit ductor.* Scio Imperatores multa edicere solitos apud signa, imò & programma in pariete sæpe fixisse, teste Vulcatio in vitâ Auidij Cassij: sed hoc nihil ad hunc locum: videamus, quid ad lectionem illam nostram Varro facere possit: *Dico*, inquit, *originem habet Græcam, quod Græci δείκνυμι. hinc Ennius, dico qui hunc dicare cupit. hinc indicare, quòd tunc ius dicatur.* ibidem paulo pòst, *hinc in manipulis castrensibus dicta à ducibus, hinc dictata in ludo, hinc dictator*: lib. 5. De lingua Latina. quo loco Iosephus Scaliger in Coniectaneis suis, *Dictum*, inquit, *à ducibus, παρὰ σύνθημα, tessera.* Furius vetus poëta:

Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse.

Vegetius emendatus.

Edicebantur multa in exercitu.

Etiam programma in pariete figebatur.

Dicere verbum, non vulgarem notionem habet.

Dicta ducum.

Certè alterum membrum propositæ Vegetianæ sententiæ ad ipsum ducem referendum, monet quod subditur, *Cum pro necessitate rerum plura ex tempore iubenda atque facienda sint.*

Is qui in exercitu habet maximam potestatem.] Signa hæc, seu tesseræ à quo darentur, per quem acciperentur ac distribuerentur in contubernia, iam antè à me traditum est.

Tessera à quo daretur, à quo distribueretur.

Ista vocabula quotidie debere variari.] Si vocabulum sumas ea notione, vt λέξιν & verbum vnum tantùm significet, (vt ferè ab omnibus hodie sumitur:) iam manifestum erit, meliùs legi cum veteri exemplari M. *vocalia*, pro, *vocabula*. Nam pro signis talibus, nomina sæpe fuerunt, & verba singula: vt Septimij Seueri, *Laboremus*; Pertinacis, *Militemus*. non rarò plura verba coniuncta: sic in castris Cæsaris, *Venus genetrix*. in Cn. Pompeij, *Hercules inuictus*: in Antonij, *Lar deus*. Interdum & sententiæ, & versus toti. talis Cyri tessera, *Iuppiter belli socius & dux*. Græcanico versu Claudius Cæsar tesseram definiuisse fertur, in hæc verba, *Virum vlcisci decet quando quispiam prior iniuriatur, sine molestus est.* videndus Alexander Neapolitanus libro 4. Genialium dierum capite 2.

Tentatus aliter Vegetij locus.

Tessera sæpe vno verbo data: Non raro pluribus:

Interdum sententia pro tessera fuit: Interdù versus.

Et exploratores inter nostros versentur impunè.] Festus lib. 5. De verborum signific. *Speculator ab exploratore*

Speculatores qui sint.

hoc dixtat, quòd speculator hostilia silentio perspicit : explorator parata clamore cognoscit. Arrius Menander lib. 2. De re militari, Exploratores, qui secreta nunciauerunt hostibus, proditores sunt, & capitis pœnas luunt ; l. omne, ff. De re militari. illud certè ius, vsu & moribus, sine scripto venerat, vt ab aduersariis venientes exploratores capitis pœnam subirent. Appianus libro bellorum Punicorum de Hannibale loquens: Ille, inquit, castra sua monit, ter missis in Romana exploratoribus. hos comprehensos Scipio, præter Castrensem morem, non interfecit : sed inssos circumire, vt armamentaria, machinásque, & decurrentem exercitum inspicerent, dimisit incolumes, vt Hannibalem edocerent de singulis.

Exploratores, & eorum pœna.

Exploratores Hannibalis quapropter à Scipione dimissi.

Tuba quæ directa est appellatur.] Tubam directam fuisse suprà etiam docui. Ceterùm Lucani hoc, poëticè de buccina dictum videtur,

—— Batauiq; truces, quos ære recuruo,
Stridentes acuêre tubæ.

Tuba directa erat.

Buccina, quæ in semet æreo circulo flectitur.] Ita edendum curaui. nam quod in vulgatis erat, *in semetipsam*, id aliquammulti libri VV. non agnoscebant. Dicti à tuba tubicines, à cornu cornicines, à buccina buccinatores, quos Suetonius & alij ; etiam lapides veteres, Æneatores sæpe vocârunt, teste Festo lib. 1. Varro buccinatorem à vocis similitudine & cantu dictum vult, lib. 5. De lingua Latina. Æneatores vocatos arbitror, ab ipsius instrumenti, quo canerent, materia, id est à buccina ænea. Sæpe autem hæc nomina confusa : nam ipse Vegetius Buccinatori cornu tribuit, quo classicum canat, lib. 2. cap. 22. Neque eadem semper his instrumentis materia. Varro: *Cornua, quòd ea, quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu* ; libro 4. De lingua Latina. Rursum tubam & classicum Æneatoribus tribuit Suetonius: *Interq; eos*, inquit, *& æneatores, rapta ab vno tuba prosiluit ad flumen: & ingenti spiritu classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam*: in Iulio, cap. 32. Item Ammianus: *Quum superesset exiguum noctis, æneatorum clangore ductores vrbem, vt mox castram, terribili coronâ cinxerunt*: lib. 19. Iterum Ammianus: *Æneatorum accentu signo dato progrediendi ad pugnam, ad arma concursum est.* Tubicinem in veteri Onomastico vidi appellari etiam *Salpictam*. nescio vnde id nomen ; nisi à Græco σαλπιστὴς, quod est in Glossario. Tubarios, cornuarios, à Tarruteno Paterno vocatos animaduerti, qui tubas, & cornua fa-

Tubicines. Buccinatores.

Æneatores.

Sæpe confusa prædicta nomina.

Cornua vnde dicta.

Salpicta, pro tubicine.

Tubarij, & Cornuarij, qui.

nua facerent, l. vlt. ff. De iure immunitatis. Sed qui Valistrarij ibidē dicuntur, velim balistarios vocatos, quòd balistas conficerent. nam ea notione in d. l. sagittarij, quòd sagittas; arcuarij, quòd arcus conficerent.

Emēdata l. vlt. ff. de iure immunitatis.

Ex vris agrestibus.] In Germania hæ feræ gignuntur. de quibus Cæsar lib. 6. De bello Gallico: *Amplitudo cornuum, inquit, & figura, & species multùm à nostrorum boum cornibus differt, hæc studiosè conquisita, ab labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis, pro poculis vtuntur.* Addendum, quod de iisdem Iulius Solinus notat, dum Germaniæ & Septemtrionalis plagæ feras describit, cap. 32. *Sunt & Vri, quos imperitum vulgus vocat bubalos, cùm bubali ad ceruinam penè faciem in Africa procreentur. Istis porrò, quos Vros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, vt dempta, ob insignem capacitatem, inter regias mensas potuum gerula fiant.* Cornua istiusmodi apud Batauos nostros etiamnum hodie reperiuntur: & insignia me videre memini in ædibus viri nobilissimi, cognati mei, D. Gualteri, Domini Outheusdani, Elshoutij, &c. Videndus porrò de vris Albertus Magnus libro vigesimotertio De animalibus, Plinius, Tacitus, & alij. Virgilius siluestres vros vocabat. in cuius versu interpretando Macrobius notauit peregrina verba Poëtam non respuisse, quòd Vri vox Gallica sit, qua feri boues significentur. Memini & apud Martialem postliminij ius datum his feris; emendante Batauorum nobilissimo, ac Poëtarum lepidissimo Iano Douza.

Vri vbi gignantur: Cornua eorum.

Vri, à bubalis differunt.

Vri vox Gallica

Muta signa sunt aquilæ, dracones.] Vide quæ ad hunc locum faciunt, à me dicta, lib. 2. cap. 5.

Vexilla.] Istiusmodi vexilla in singulis cēturiis suo ævo fuisse Vegetius testatum reliquit lib. 2. cap. 13. erat autem in singulis vexillis, litteris adscriptum ex qua cohorte esset, vel quota centuria: quod intuentes vel legentes milites aberrare à contubernalibus, etiam in tumultu non poterant. Sed non tam magna ista vexilla, vt hodie nostratium sunt: in quibus interdum insignia centurionis, aut eorum quibus exercitus militat; interdum symbola conspicimus: sed discreta tamen varietate maximè colorum, omninò ad ingenium militum, quos, etsi literas nescientes, figura vexillorum non patitur à suis aberrare.

Vexilla in singulis centuriis, vel manipulis. In iis scriptum quota esset centuria, & ex qua cohorte. Matura hodie nostratium vexilla.

Flammulæ rufæ.] Primùm librorum varietatem ponam,

Vegetij locus emendatus.

nam, inde quæ de hoc loco mea opinio est, liberè dicam. in S. N. legitur, *flammulæ tusæ*: in M. *famulæ rusæ*: in H. *famulæ tubæ*. Sed quis locus hîc *tubis*, inter signa muta? aut quid tandem illud, *tusæ*? quæ vox, aut vbi nata? Lectionibus Susianis, item Modij notis neque hîc, neque lib. 2. cap. 1. vbi similis locus est, quicquam iuuor; quod doleo. nam emendationi qua locus hic indiget, velim patefactam viam à libris. quam etsi nullam adhuc vidi; audeo tamen suspicari,

Idem fortè emendatus.

flameola, scripsisse Vegetium. de quibus nos suprà initio libri secundi. Alterum illud seu *tubæ*, seu *tusæ*, inde natum, quòd in veteribus libris fuerit glossæ seu interpretamenti loco *russa*, vel *rusæ*, scriptum ad verbum *flameola*. suspicatus sum aliquando, *flameola trifida*, legi posse, quomodo *flamma trifida* Ouidio: & *cuspis*, seu *hasta trifida* pro tridente aliis.

Pinnæ muyorum vnde dictæ.

Pinnæ in galeis militum:

Pinnæ.] Varro libro 4. De lingua Latina, *A quo munere munus, eius summa pinnæ, ab his quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites.* Alexãdrum Magnum cassidis iuba, & candidissimis pennis, in exercitu insignem fuisse, Plutarchus scribit. Res clara erit, si Polybium audiuerimus: is lib. 6. Historiarum: *Præter hæc omnia*, inquit, *adornantur corolla plumea, penniscq; tribus puniceis aut nigris erectis, longitudinis fermè cubitalis: quæ cùm in summo vertice cæteris armis addiderint, vir quidem apparet duplo maior, quàm sit: eius verò aspectus pulcher, hostibusq; terribilis.*

Eæ cur adhibitæ.

Sunt & alia muta signa, quæ dux belli in equis, aut indumentis.] Diuersa diuersos milites veste vsos, & inde sæpe proditos, certissimum est. Ceterùm vt facere iam consueui, etiam hîc editis testimoniis rem illustrabo. Plutarchus in Artaxerxe: *Qui vbi vix rubra sagula conspicati sunt, quòd regiæ partis omnes albis vterentur, agnouerunt statim hostes esse.* Eum militiæ morem, vt alios non paucos, attigit in Psychomachiâ Prudentius; cui hinc lux facienda:

Milites alij, aliis vestibus distincti.

Illustratus Prudentius.

——— *Discordia latos*
Intrârat cuneos, sociam mentita figuram.

Huiusmodi signa in indumentis equites nostri pertinaciter retinent etiamnunc: qui si leuis armaturæ sint, per turmas singulas diuersitate totarum tunicarũ ferè distinguuntur. cataphractarij ea ferè parte tunicæ, quæ à cingulo ad femora descendit, quam armati iam, signi causa superinduunt. Peditibus pro mutis signis insignia ex byssо, seu vittæ,

Insignia nostrorum militum ex veteribus vestimentorum.

vittæ, siue flameola ex collo ferè pendent. quæ omnibus eiusdem coloris imperantur, tunc præsertim, quando subsessa ordinanda, aut superuentus faciendus est, quò ab hostibus celeriùs dinoscantur.

Mota, qua vtitur veste.] Pro *mota*, libri aliquot S. N. & B. *mutata*, substituunt. Varia apud nationes varias prælij ineundi signa. Ex veste ducis tabernaculo propensa, vt notat Alexander Neapol. lib. 4. Genial. cap. 2. Tamburlianus Scytharum imperator triplici tentorio adsidentibus hostibus vsus, prima die colore albo, quo illis conditionem deditionis offerebat: altera die (si eò vsque exspectabant) rubro, quasi ad cædem, & sanguinem: tertia die atro, quo atra omnia, & extremam occidionem prænunciabat. notat Petrus Crinitus lib. 1. De honesta disciplina, capite primo. Apud Romanos peculiare illi rei vexillum, purpureum: quod in tabernaculo ducis custoditum fuisse, prodieque propositum, quàm dimicaretur, item tunicæ forma fuisse, iam antè ostendit amicus noster Iustus Lipsius ad Annales Taciti. Addo de mea obseruatione, non Romanis tantùm id in vsu fuisse: Persas enim ante prælium flammeum vexillum expectasse, testis mihi Ammianus lib. 19. & lib. 20. Etiam in nauali pugnâ illud vexillum Romanos extulisse: quod Hirtij testimonio confirmabo: *Quod vbi conspexit* (Vatinium classis præfectum intelligit) *celeriter vela subduci, demittiq; antennas iubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naues subsequebantur, idem vt facerent, significabat.* De bello Alexandrino. Quod autem ad vestem mutatam attinet, de qua hîc agitur, luculentum ex Cæsare testimonium, lib. 7. De bello Gallico: *Accelerat Cæsar vt prælio interesset: eius aduentu ex colore vestitus cognito, quo insigni in prælijs vti consueuerat.* Mihi tamen non satis conuenire huic loco τὸ *mutata*, visum est: præsertim quòd præter codices Susianos, M. & H. etiam olim edita exemplaria retineant, *mota qua vtitur veste.* Ammianus lib. 18: *Cùm recubantes nostros securiùs inuenissem; porrecto extensiùs brachio, & summitatibus sagi contortis elatiùs, adesse hostes signo solito demonstrabam.* Philopœmen, vt apud Plutarchum legimus, Illyriis extremum agmen claudentibus edixit, subsisterent, donec ab altero cornu rubicundam à Rege tunicam in sublime sariss â tolli conspicerent.

Varia signa prælij ineundi pro peni solita.

Tamburlianus tribus diuersis signis per triduũ mentem suã ante prælium indicabat.

Vexillum apud Rom. purpureũ, indicium pugnæ.

Etiam Persa vexillum flammeũ ante prælii exspectabant.

Etiam nauali prælio, id vexillũ Romani vsurpárunt.

Peculiaris ducũ vestis tempore prælij.

Confirmata Vegetij vulgata scriptura.

Quo-

Quotiens proficiscente turba excitatus puluis.] Liuius lib. 30. *Densior deinde incessu tot hominum equorumq; oriens puluis, signum propinquantium hostium fuit.* Exempla hac de re apud Cæsarem lib. 2. & lib. 4. belli Gallici, & alibi passim. Verg. 9. Æneid.

Puluis exoriens signum aduentantis hostis.

Hìc subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab aduersa conclamat mole Caicus:
Quis globus ô ciues caligine volnitur atra?
Hostis adest. ——

Non vulgare, aut cognitum multis signum, quod de auium volatu memoriæ prodidit Frontinus, lib. 1. Strategem. capite 2. *Thiamenus*, inquit, *Horestis filius, iter ingressus, vt vidit ex suspecto iugo, magnam vim auium simul euolasse, nec omninò residere, arbitratus est latère illic agmen hostium, itaque circumducto exercitu elusit insidiatores.*

Volatus auium, signum hostis aduentantis vel latuantis.

Per noctem flammis, per diem fumo significant sociis.] Ita eum locum edendum curaui, secutus auctoritatem sex septem librorum veterum. Cæsar lib. 2. Belli Gallici: *Celeriter, vt antè Cæsar imperauerat, ignibus significatione facta, ex proximis castellis eò concursum est, pugnatúmque.* Non minùs conspicua signa, atque idonea, quorum meminit Appianus: *Interdiu rubro panno hastæ prælongæ infixo; noctu verò igne signum datum*: libro De bello Hispan. Alexandro Magno etiam in propriis castris istiusmodi signis opus fuisse (quòd tumultuantes tubam non audirent sui milites,) prodidit Q. Curtius: *Haud satis exaudiebatur: ergo perticam quæ vndique conspici posset, supra prætorium statuit. ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum: obseruabatur ignis noctu, fumus interdiu*: lib. 5.

Signum nocturnum flamma, diurnum fumus.

Etiam panno rubro de die signũ datum, & noctu ignc.

Signa eiusmodi etiam vsui in magna militum multitudine, vt iis voluntas ducis ostendatur.

Dicerem de strategematibus, quibus vsi antiqui in emittendis recipiendisque nuntiis, & inter ea de adminiculo columbarum, quarum opera nostrates hoc bello ciuili frequenter quoque adiuti sunt; sed quia Frontinus in manibus est, eum hac de re consulendum suadeo lib. 3. cap. 13. Obseruabam apud Sallustium 3. Historiarum, & Cæsarem, scorpionibus epistolas in castra, aut ciuitates quandoque missas. imò quod ad ignem; quandoque in castris prohibitum scio ne strueretur, quòd visi procul ignes superuenienti occasionem aduersariis præberent: apud Cæsarem 6. Belli Gallici. Hoc amplius, & castrorum latitudinem ex

De emittendo & remittendo nuncio:

Etiam per columbas.

Etiam scorpionibus epistolæ missæ.

Ignis in castris quandoque vetitus fieri.

fumo

fumo atque ignibus sæpe collectam scio, & exinde de copiis aduersarij iudicatum: Cæsar lib. 2. Belli Gallici: *Quæ castra, inquit, vt fumo, atque ignibus significabatur, amplius millibus* IIX. *in latitudinem patebant.* *Ex igne, castrorum amplitudo interdiù collecta.*

Per diem fumo significant sociis.] Liuius lib. 4. *Prius penè cepit castra, quàm oppugnari hostes satis scirent: inde fumo, vt conuenerat, datum signum: vbi conspectum ab Dictatore est, exclamat, capta hostium castra.*

AD CAPVT VI.

Et superueniente impetu vel fraude.] Ita quidem legi sententiâ saluâ posset: sed tergiuersantur libri; inprimis S. in quo erat: *& superuentu impeto, vel fraudis subesse.* in M. & N. *& superuentus impetus fraudis subesse.* Iouem lapidem iurare ausim, scripsisse Vegetium, *& superuentus impetu, vel fraude subsessæ.* Quam coniecturam meam, ipsum auctorem nostrum, scio, si viueret, non improbaturum. neque mihi dubium est, agnituras ipsum has voces: *superuentus, subsessa,* vt ex se natas, vel absque Senasconsulto Plautiano. Superuentus, vis aperta est, impetu & aperto Marte infertur: Subsessa occultè, fraudulenter collocatur. Vegetius: *Subsessas occultiùs collocant, vel aperto Marte impetum faciunt:* hoc eodem cap. Eundem consulendum suadeo lib. 3. cap. 3. & cap. 22. Ammianus: *Subsedisse manum insidiatricem latenter:* lib. 24. Ab eo verbo Subsessæ, & Subsessores: & μεταφορικῶς, Subsessores alieni matrimonij, apud Valerium Maximum; qui alienæ coniugis pudicitiæ insidiantur. Ammianus, *Vt eisdem tempore præstituto superuenirent.* idem: *Syluanus graßantibus primùm superuenit.* lib. 15. Iustinus: *Securis, & latis superueniendum.* libro secundo. *Bene vestitus Vegetius.* *Superuentus quid sit.* *Quid Subsessa.* *Subsessores alieni matrimonij.*

Vel facilè, ac sine damno repellat illatum.] In M. est *deponat illatum.* reliqua edenda curaui, quemadmodum libri quinque, sex, præiuerant.

Non tantùm adnotata, sed etiam picta habuisse firmentur.] Parùm ad Imperatores iuuandos illa itineraria, in quibus sola locorum nomina proposita & adnotata erant, nisi pictura accessisset: in qua præter partem illam historicam, etiam Geometrica seu Geographica opus erat. Felix, præ quàm superius fuit, felix inquam, hoc nostrum seculum: quo nati viri optimè de rep. Geographiæ nomine *Itineraria veterum.* *Perfectiores hodie tabulæ Geographicæ.*

nomine promeriti: inter quos primo loco ponendi Abrahamus Ortelius, Gerardus Mercator, Ludouicus Guicciardinus;& alij innumeri. hic vno opere totam Belgicam nostram: illi totum terrarum orbem dederunt inspiciendum; iis vulgatis operibus, quæ non modò præfectorum militarium, sed omnium quoque eorum manibus teri debent, qui mari vel terra iter facere, qui historias quascunque legere volunt & intelligere.

Tentatus Vegetij locus.

Præterea sub periculo eligendarum viarum.] Liber S. *super.* iterum S. N. H. *eligentium:* M. *eligendo* hinc fortasse facere quis possit, *Præterea super periculo eligendo, viarum duces idoneos scientesq; præcipere.* libri omnes, quotquot videre potui, *percipere,* tuentur. alterum nihilominùs mihi verius visum; an itidem aliis, nescio. Præcipiuntur, qui antè quæruntur, arripiuntur, quàm viam nobis suspectam ingrediamur. sic præcipere experimẽta, apud Vegetium lib. 3. cap. 10. Quòd

Ductores viarũ custodia mancipandi.

ductores istiusmodi custodiæ mancipari velit Vegetius, id meritò facit; nam ita ex euentu de fide eorundem constabit. Sic Mardus Parthus itineris dux futurus, vinciri se in castris Romanis voluit: nec antè dissolui, quàm in Armeniam Romanos perduxisset;& bonam ille operam Antonio nauauit, teste Plutarcho in Antonio.

Addita pœnæ ostentatione.] In libris C. S. *pœnæ contestatione.*

Macula aliquot Vegetio abstersa.

Tutissimum namque in expeditionibus [creditur] facienda [ab hostibus] nesciri] Pro, *creditur,* codices alij, *crediderunt.* vnde suspicari possis glossema esse, quod exemplar M. apertissimè ostendit: in quo nec vola, nec pes illius verbi. absunt ab eodem, & S. N. C. P. T. ista, *ab hostibus;* eaq́ue inducenda videas, vel sine libris. ea enim mens huius scriptoris, vt velit ducem non hostes modò, verùm etiam

Duces consilia sua celare debẽt, etiam suos milites.

suos consilia celare. Parebit ex ipsiusmet regulis: inter quas talis est: *Quid fieri debeat, tractato cum multis; quid verò facturus sis, cum pauciſsimis; vel potiùs ipse tecum.* Parebit magis ex Metelli pij responso. Hic in Hispania interrogatus, quid posterâ die facturus esset, respondit, Tunicam meam, si id

Metelli apophthegma hac de re.

eloqui posset, comburerem. Apophthegma est apud Plutarchum, & apud Auctorem De viris illustribus, cap. 61. & Frontinum lib. 1. Strategemat. cap. 1.

Ob hoc veteres minotauri signum in legionibus habuerunt.

habuerunt.] In exemplari M. reperiebam, *Sed ob hoc.* vbi *sed*, valet *nam*. De minotauro locus ex Festo adhibendus: *Minotauri*, inquit, *effigies inter signa militaria est: quòd non minùs occulta esse debent consilia ducum, quàm fuit domicilium eius labyrinthus.* quæ verba non ab ipso Festo, sed à Paulo Diacono sunt, qui magno cum detrimento rei literariæ eum auctorem nobis mutilauit: & absq. illo esset, possem quod nunc non possum; id est indicare à quo vetere scriptore Vegetius totum hunc locum de Minotauro mutuatus sit.

Iterum correctus Vegetius.

Minotauri effigies inter signa.

Paulus Diaconus Festum mutilauit, magno rei literariæ damno.

Profectionem suspicionibus vel oculis deprehendunt.] Iuuit me, imò ipsum potiùs Vegetium, exemplar collegij trium coronarum; cui & hîc, & alibi non leuiter debemus: accessit etiam manuscriptus N. in quibus legebatur *suspectionibus*. verbum Latinum & non semel ea notione vsurpatum.

Suspectio, pro suspitio, vox è meuio Latio: Eadem reddita Vegetio.

Terentius Andria:

——*qui isthæc tibi incidit suspectio?*

Iterum Heautont.

——*quia enim in eum suspectio est:* Actu 4. Scen. 4.

Etiam Cornelio Tacito ea vox restituta lib. 4. Historiarum à Iusto Lipsio. reddita item Æmilio Probo seu Nepoti per Dionysium Lambinum. At fuit nuper, qui poëticam, imò comicam tantùm contendebat. sed errat ille; neque semper elephantina olfacit proboscide. Cornelius Celsus auctor Latinæ linguæ idoneus & locuples, si quis alius: *Si morbi ratio patietur, tum demum, nulla cruditatis suspectione remanente, id fiat:* lib. 2. cap. 9. Itidem Sallustius Iugurthâ: *Ipse eum suspiciens*, id est, suspectum habens; interprete Nonio Marcello in, *Suspicere*. Pari formâ Cornel. Tacitus: *Suspectabat maximè Cornelium Sullam.* Quin & Ammianus Marcellinus, etsi in puritate Latini sermonis aliàs ferè infelicior: *Per regiones*, inquit, *ignotas de obscuris erat suspectio, circa adsurgentes, & ludificandi varietas timebatur.*

Cornelius Celsus

Ammianus Marcellinus.

Qui loca, per quæ iter faciendum est.] Antè, quàm exercitus moueat à fronte, & à tergo, dextra læuaque perlustratores emittendi; ne in insidias incidamus, aut nobis nec opinantibus superueniant inimici. quod præceptum si paulò diligentiùs custodisset Sp. Posthumius consul, nunquam fuissent coacti tam ignominiosam notam subire Romani, qualé ex Furcis Caudinis retulerunt. petatur historia

Loca insidiosa cum exercitu nõ ingrediendæ, nisi ante perlustrata:

Sp. Posthumii in ea parte peccatũ.

Cæsar ibi cautissimus fuit.

ex Liuio, Floro, & Strategematis Frontini. Iulius Cæsar per loca insidiosa exercitus nunquam duxit, nisi perspeculatus locorum situs: teste Suetonio.

Tutiùs autem operantur exploratores noctibus.] Virgil. 8. Æneidos:

Noctu explorare tutissimum.

Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.

Idem de Niso & Euryalo:

Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum,
Lumina rara micant, somno vinoq; soluti
Procubuêre; silent latè loca.

Ibidem paulo pòst:

Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.

Cuius speculator fuerit ab aduersariis comprehensus.] Auctoritatem vnius exemplaris M. libenter sequor, qui inducenda monet ista, *ab aduersariis*. & mirum foret, si à suis ille apprehenderetur.

Iterum glossemate liberatius Vegetius.

Impedimenta, sagittarij, calones.] Pro sagittariis liber S. & alter Susij legunt, *signarij*. illi an fuerint, qui signa conficerent, & quos significes alij vocant, non ausim adfirmare. exemplar N. tribus locis hoc capite, *sagmarios* appellat, & duobus locis sequentibus eodem modo scriptum in S. sed membranæ Hittorpij expressum habent, *sagmarij*. & perinde in iisdem paulo pòst, *& sagmariis clamore paufactis*. quod genuinum esse, ostendi ad caput decimum libri secundi.

Sagmarij, iterum Vegetio restituti.

Legiones etiam sine impedimentis ductæ.

Ductas etiam legiones sine impedimentis, ex Cæsare discemus: *Cùm paucitatem*, inquit, *militum ex castrorum exiguitate cognoscerent: quæ hoc etiam erant angustiora, quòd sine impedimentis legiones transportauerat*, lib. 4. belli Gallici.

Impedimentis qui locus esse debet in agmine.

In medio collocentur.] Impedimenta in medio constitui præcipit, id est, exercitus parte præcedente, parte subsequente, medium agmen tenere. Sin autem à lateribus periculum metuitur, etiam isthic armatorum præsidiis armanda erunt: vt Vegetius subdit. & exemplum est apud Ammianum initio lib. 24. Quinque modos ducendorum impedimentorum, qui volet, discat ab Æliano capite antepenultimo De instruendis aciebus.

Agmen à tergo quomodo carpatur.

Frequentiùs à tergo superuentus infertur.] Si superuenientes à tergo in fugam agere hostes non possunt, saltim hoc agunt, vt agmen aduersariorum accedendo, recedendo carpant. Cæsar: *Relinquebatur Cæsari nihil, nisi vt agmen aduersa-*

aduersariorum equitatu malè haberet, & carperet: lib. 1. Belli ciuilis. Liuius: *Carpendo nouissimos, premendoq; iniquis ad transitum locis agmen detinuit.*

Quòd si vndique.] Totus ille locus longè aliter in vno Susiano codice legebatur, hoc nodo: *Quod si vndique fundantur, vndique debent præparata esse obsidia.*

Antè commonendi sunt milites.] Quidam libri malebant *commouendi*. quod si probemus, spectasse videbitur auctor eum morem, quo hodieque vtuntur, dum in castris tyrones, in oppidis ciues, cùm noctu, tum interdiu, edito clamore, aut tubæ vel tympani sono, callido ad arma ducis consilio euocantur. Auctor est Suetonius, Cæsarem non vbique ac semper, sed cùm hostis in proximo esset, militem coërcuisse, tum maximè exactorem grauissimum disciplinæ fuisse, vt neque itineris, neque prœlij tempus denuntiaret: sed paratum & intentum momentis omnibus, quò vellet, subitò educeret. De Traiano illud memoriæ prodidit Dio Nicæus: Nonnunquam falsos tumores pro veris, & maximè de iis rebus, quæ exploratores retulissent, sparsisse; vt milites celeriter imperata facere adsuescerent, promptique ad omnia & intrepidi essent.

Modus adsuefaciendi tyrones & oppidanos ad concursum armorum.

Cæsar exactor grauissimus, cùm in proximo hostes erant.

Rumores falsi sparsi, vt parati esse ad pugnam adsuescant.

In necessitate subita quæ terrent.] Rectè & ordine facere videbar, cùm ita edendum curarem, auctoribus libris veteribus: nam & solens esse huic scriptori, animaduertebam, rei narratæ conclusiones istiusmodi seu epiphonemata subiicere: quod videbunt, scio, qui cum attentione eundem legerint. Antè edebatur: *ne necessitate subita terreantur; prouisa enim non solent esse formidini*. non tam numerosum hoc; ne dicam, fluctuans nimis.

Ratio mutati loci Vegetiani.

Calones, quos galearios vocant.] Exemplar collegij trium coronarum habet *calearios*; reliqui libri ferè *galiarios* præ se ferebant: de quibus nos alibi.

Ducentis sagisarciariis puerisq. præficeret.] Tò *sagisarciariis* in sola editione Parisiensi repperi. id vocabuli vtrùmne apud eos an Romanos, quorum editio longo tempore anteceserat, natum sit, iudicare non possum; quum eam editionem non viderim. In M. C. H. & Susianis erat, *sagittariis*. quo vocabulo significati interdum qui sagittas edolant; vt apud Paternum iurisconsultum armarij, tubarij, sagittarij, aliique plures, in l. vlt. ff. de iure immunitatis. Similiter

Sagittarij, qui sagittas dolant.

militer vt quadrigarij, bracharij, carpentarij dicti in l. 1. C. De excusatione munerum. Veruntamen reclamat huic explicationi exemplar S. & N. in quibus iterum, *saginariis*, perscriptum est. qui libri eius apud me auctoritatis; vt & hîc *sagmariis* legendum aliis suadeam, mihi hoc modo legendum persuasissimum sit.

Sagmarij denuò redditi Vegetio.

Puerisque præficerent.] In vno veteri, *præfacerent*. De quo loquendi modo dixi libro primo.

Præfacere, pro præficere.

Hisque vexilla dabant.] Data calonibus vexilla, vt scirent quo loco impedimenta essent colligenda. etiam illis opus erat, vt dispersi calones puerique scirent, quò confugere, quòque recipere se deberent: vt in subito superuentu orbes instruerēt, aut cuneo facto ad suos peruaderent incolumes. Cæsar: *Calones in proximum tumulum procurrunt, hinc celeriter deiecti; se in signa manipulosq; coniicinnt:* lib. 6. belli Gallici. Iterum paulo pòst: *Veteres milites per medios hostes perrumpunt, incolumesq; ad vnum in castra perueniunt omnes. hos subsecuti calones, equitesq; eodem impetu, militum virtute seruantur.*

Calonibus & pueris data vexilla.

Et qua de causa.

Lædantur in prœlio ambulante exercitu.] Miror tam ineptam interpunctionē adhuc relictam in hoc scriptore, neque animaduersam ab aliis. verba illa, *Ambulante exercitu*, initium subsequenti periodo præbere, res ipsa clamat: cùm exercitum prœliantem & ambulantem inter se opponat Vegetius. Porrò exercitu ambulante pugnandū sæpè: non quia tu velis; sed quia ita aduersariis placet. itaque prœlio locus eligi tunc non potest: sed istic acies committendæ, vbi hostes iubent. Vide exemplum apud Liuium lib. 8. extremo de A. Cornelio Dictatore cū Samnitibus pugnante.

Iterum restituta Vegetiana scriptura.

Pugnandum sæpè, non quia tu velis, sed quia hostes iubent.

Sed pugnatores ab impedimentis laxamento aliquo diuiduntur.] Verius est, *propugnatores*. vt in libris optimis, & ipsius Vegetij testimonio ex capite 8. eiusdem libri: *Nam propugnatores*, inquit, *angustia constipant.* Itidem *arma propugnatoria* apud Suetonium vocantur, in optimis membranis.

Propugnatores in possessionem reducti.

Hostes inter prolata peruadunt.] Legendum *interpolata*; monentibus libris M. S. N. H. & altero Susij. Interpolata dixit, quod Sallustius lib. 3. Historiarum, *Ire nec aptis armis, & agmine laxiore.* Virgilius lib. 9. Æneidos:

Emendatus Vegetius.

Quærunt pars aditum, & scalis ascendere muros,
Quà rara est acies interlucetq; corona
Non tam spissa viris. ———

Exerci-

Exercitatissimi campi doctores.] Rursum hoc loco in exemplari M. & vnis membranis *campi ductores* vocantur. de quibus suprà dixi, quid sentirem. *Campiductores.*

Non tam redire quàm effugere cupiunt.] In causa est, quia se abesse à periculo vident, qui multùm præcesserunt. Cæsar: *Cùm ab extremo agmine hi, ad quos ventum erat, consisterent, fortiterq; impetum militum nostrorum sustinerent; priores, quòd abesse à periculo viderentur, neque necessitate, neque imperio continerentur, exaudito clamore, perturbatis ordinibus, omnes in fuga sibi subsidium posuerunt*: lib. 2. belli Gallici. *Proficiscente exercitu, si supereniat hostis, difficulter consistunt, qui absunt à periculo.*

Si circumueniatur, vtiliter.] Parum abfuit, quin edendum curarim *viriliter*, quod mea quidem opinione magis quadraret: suspicor enim ex compendiosa scribendi ratione id mutasse. *Tentata Vegetij scriptura.*

Cum securibus ac dolabris.] Fateor ignorare me, quid sibi velit *dolatoriis*, quod in codicibus quibusdam scriptum erat; instrumenta suspicor non fabrefacta in fabricis legionum, sed in officina typographorum, dissoluta littera *b*, *in to*.

AD CAPVT VII.

GRAVIS molestia neglegentibus frequenter emergit.] In codice M. & altero Susij *grandis molestia euenit*. Certè grandem molestiam dici, quæ per se sat grauis esse intelligitur, meo quidem iudicio videtur conuenientius. Offendit, puto, mulos, qui libris describendis deputati erant, vox *grandis*, vt insolentior suo æuo: at mihi illorum iudicia, non iudicia Auctor Donatus in Adelphos Terentij, & rursum in eiusdem Phormionem: *Veteres ad ætatem, non ad corpus retulisse vocabulum grandis*. eaque phrasi intelligenda hæc, *Grandis puer, grandis ephebus, grandis virgo*; scilicet in parte ætatis, & propriè loquendo. Attamen Plautum ego scio *grandem hominem* dixisse, *& grande gaudium, laborem grandem, pecuniam grandem*. Ab hoc nomine *grandæuitas* formatur, & *granditas*, & *grandire* verbum. de quibus consulendus Nonius Marcellus. *Emendatus Vegetius, restituto illi vocabulo. Grandis. De voce Grādis, Donati opinio. Grandæuitas, granditas, & grādire verbum.*

Ignauiores solet mergere bellatores.] Id ne suis eueniret, animo & viribus infirmiores Cæsar cum vna legione castris præsidio reliquit: lib. 1. de Bello ciuili.

Rapti subuersique fuerint.] Non potui facere, quin Cæsaris auctoritate locum hunc illustrarem, atque confir-

Cõfirmata vulgaris Vegetij lectio.

marem contra eas membranas, in quibus legeram *submersiq; fuerint.* is libro primo Belli ciuilis ita scribit: *Reliquas legiones expeditas educit, magnoq; numero iumentorum in flumine suprà & infrà constituto, transducit exercitum: panci ex his militibus vi fluminis abrepti, ab equitatu excipiuntur ac subleuantur: interiit tamen nemo. transducto incolumi exercitu, copias instruxit.* Annibal per superiora Padi vada exercitum traducens, elephantos in ordinem oppositi ad impetum fluminis sustinendum, Liuio teste. Si vadari flumen non possit, trãsitus etiam iniectis arboribus paratur: L. Florus lib. 3. cap. 3. & Diodorus lib. 17.

In transeundo flumine, quo pacto efficiatur, ne milites vi aquæ abripiantur.

Ductis multifariam spargitur fossis.] Ea ratione Euphratem Babylonis fluuium primò Semiramis; inde etiam Alexander diuisit, transiuitque: Iustinus, Herodotus, & Frontinus lib. 3. Strategem. cap. 7.

Flumen si nimis vehemens sit, quomodo spargendum.

Hastilibus fixis.] Exemplaribus M. & C. in quibus legebatur *hastis*, non adsentior. placet quod codices S. & N. suggerunt, *stilis fixis*. Glossæ veteres, στύλος, *columna*. Inde & ἐπιστύλιον, pro capitello quod supra columnam locatur. inde & Peristylia Vitruuio, loca columnis septa, lib. 6. De Architect. cap. 10. Inde idem Prostylos, Amphiprostylos dixit lib. 3. cap. 1. Ammianus, *Fixis resixisq; aliquotiens propè ingentibus stylis, fluctibus erectis confundebantur, anulsaq; vi gurgitis interrumpebantur.* lib. 28.

Iterum correctus Vegetius. Stylus pro columna.

Ac superpositis tabulatis peruij fiunt.] In altero Sianorum codicum, *tabulamentis*. videant eruditi, ánne & hoc Vegetiani æui vocabulum: apud quem alibi *munimenta* dicuntur, quæ *munimina* alij vocârunt. Similiter & alia nomina multa obseruaui, quæ auctore, ac volente vsu,

Tabulamentum

Quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi,

aut vnâ syllabâ interdum duabus in fine excreuerunt; adsumptâ terminatione *tum*. Id genus vocabulis delectatus mihi videtur A. Gellius inprimis: in lectione illius annotabam, *dehonestamentum, interpretamentum, hortamentum, tentamentum, temperamentum.* Talia in veteri Glossario: *Rogamentum, interrogamentum*; & multa alia. Iterum pro machina, *machinamentum*, apud Capitolinum in M. Antonino: & Veget. lib. 4. cap. 17. Eiusdem quoque classis, *regimentum*: quod apud Arcadium iurisconsultum obseruaui, ff. De officio præfecti prætorio: & apud Ammianum initio libri duodetrigesimi. *Tentamentum* Vegetio restitui, lib. 2. cap. 18.

Multa nomina posteriori ætate terminationem mutarunt. Interpretamentum.

Regimentum.

Tentamentum.

Colligatis

Colligatis inanibus cuppis, additisque trabibus.] Libri alij, *in amnibus*; alij, *imnanibus cuppis*: sed ineptè. Herodianus lib. 8. *Sed magna lignorum ac nauigiorum penuria, quibus inter se iunctis pontem fabricaretur: nunciârunt quidam è fabris, esse permultas in agris illis deserti is inanes cuppas, forma rotunda, quibus incolæ quondam ad vinum importandum vtebantur. eæ cùm essent ad nauium similitudinem concauæ, denictæ mox inter seſe, scapharum more innatare videbantur. Etenim ire pessum vinculis inter se constrictæ, ac vimibus insuper iniectis, & puluere multo saburatæ, nō poterant. quod vbi factū est, facilè milites in vlteriorē ripam transgressi.* Lucanus lib. 4. *Pons cuppis colligatis quomodo fiat.*

——— *Noua furta per æquor*
Exquisita fugæ: neque enim de more carinas
Extendunt, puppesq; leuant; sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ sustentant vndique cuppæ:
Quarum porrectis series constricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

Fasces de cannis aridis, vel vlua facere cōsueuerunt.] Eâ fine nimirum, vt iis equites arma tantùm superimponerent, ipsi natando transirent. Sæpe remedia traiiciendis fluminibus necessitas suggessit; varia etiam ipse rerum vsus edocuit: Ammianus: *Et pars cratibus temerè textis, iumenta retinentes hinc inde natantia, alij superidentes vtribus; quidam diuersa in necessitatis abrupto versantes, vndarum occurſantium fluctus obliquis meatibus penetrabant:* lib. 25. Diodori Siculi locum, propter antiquitatem & industriam hominis, dignum putaui, qui adhiberetur. is lib. 19. ita scribit: Παρασκευάσαντο δὲ σωμὰς καλάμων μεγίστας, ἐμβάλλουσιν εἰς τὸν λιμνίον, ἐπὶ δὲ τούτων ἐπικαθίζουσι τοὺς τὰ τόξα καὶ τὰς σαγίτας ἔχοντας. οὗτοι δὲ δύο μὲν ἔχοντες σανίδας διαπεπλεγμένας πλαγίως κατὰ τὸ μέσον τοῦ σώματος, τούτοις ἐπερείδονται καὶ τὰς χεῖρας ἐπὶ τὰ κῶπα ἔχοντες, εἰς δὲ φορῶν τόξα, τοῖς ποσὶ πλέουσι καὶ μάλα ἀκριβῶς: id est, *Calamorum fasces admodum ingentes inter se coniungunt, immittuntq; in paludem; in quibus insidentes non plures tribus hominibus, quorum duo habent adalligatos remos latos; iisq; remigant: alius verò ferens arcus, adnauigantium ex aduerso, vel vim inferre volentium impetum propulsat.* Commodus hic locus videtur dicendi de vtribus, quos aliquando singulos singuli habuerunt; aliquando plures coniuncti seruierunt pluribus. L. Florus: *Sed fiduciam, inquit, oppidanis resistendi nuncius fecit. Docens aduentare Lucullum; qui (horribile dictu) per medias hostium naues vtre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul,* *Fasibus confectis quomodo milites arma per fluuios secum traxerint.*

Fluminum traiicienarum rationes alias necessitas; alias diuersorum populorum vsus inuenit.

Fasibus, & remiges insedisse, & sagittarios defendendi causa adsedisse.

Vtribus vt pluribus vsi Romani in transeundis fluminibus.

Luculli audax & memorabile strategema.

Cæsaris natandi peritia.

procul, quasi marina pistrix enaserat: li. 3. De gestis Romanorum, cap. 5. De Caio Cæsare etiam Suetonius opulentum testimonium suppeditat: *Si flumina*, inquit, *morarentur, nando traiiciens, vel innixus inflatis vtribus, persæpè nuncios de se præuênit.* De

Lusitani ad exercitum non ibãt sine vtribus.

Lusitaniæ populis illud Cæsar commemorat, procliue iis esse tranare flumen, quòd consuetudo eorum omnium est, vt sine vtribus ad exercitum non eant; lib. 1. Belli ciuilis.

Vtribus vestimenta quæque iniecta & ites crates super impositæ, ad transmittendum flumen.

Sed vtribus bubulis Hispanos, Arabes, alios contabulatas crates superimposuisse; & ita vectitatos, etiam vestimentis in eos coniectis, scribit Valturius libro vndecimo: apud quem hæ figuræ propositæ:

Vtres.



Liuius

Liuius: *Vt iam Hispanos omnes inflati transuexerint vtres*, lib. 30. Idem lib. prædicto: *Hispani*, inquit, *sine vllâ mole in vtres vestimentis coniectis, ipsi cetris suppositis incubantes, flumen transnatauêre.* Etiam scutis in modum alueorum suppositis milites flumen tranasse, discimus ex Ammiani lib. 16. Historiarum. Sub Imperatoribus Romanis alius & expeditior factus traiiciendo flumini vsus, adminiculo Vtrium: quem indicauit mihi auctor incertus de Rebus bellicis, adiunctus Notitiæ imperij: præter officium non videbar facturus, si illius verba huc accerserem: *Ne interdum*, inquit, *necessario itineri exercitus fluuiorum (quod plerumque euenit) occursus impediat, remedium ad hanc rem, & compendio facile, & vsu præcipuum reppererit ingeniosa necessitas. quod tali ratione componitur: Vitulinis pellibus Arabicâ arte mollitis: est enim apud eos præcipua confectionis cura, propter aquam de puteis follibus hauriendam: his igitur (vt dictum est) diligenter sutis, vtres in magnitudinem trium semis pedum, ita vt cùm iidem vtres spiritu inflati tumuerint, non extollant vterum, sed æqualitate quadam plenitudo ipsa vtrium spatia plana perficiat. ex quorum lateribus, loris subter annexis, inuicem colligantur. desuper autem vna parte circulis extantibus, ex altera immittuntur uncini. Et ita in formam pontis adsociata partibus explicatur integritas. Sed hoc idem opus obliquo flumio, propter impetū meatus, facilius vsque ad alteram explicabitur ripam: quod fixis in vtraque ripa ferreis palis, & funibus validis in medio quidem sub ipsis vtribus, propter incedentium sustinendum pondus, in marginibus autem firmitatis gratia desuper extensis, transeundi per fluuium nouo quodam, & peregrino itineris apparatu, intra breue temporis spatium, præbebit liberam facultatem. Admonendi præterea sumus, quòd super vtrium compaginationem cilicia sunt incedentium substernenda vestigiis, ne lubrica pellium confectio insistendi deneget firmitatem. In vtraque tamen ripa erunt manubalistæ dispositæ, ne hostilis manus pontem operantibus impedimento consistat.* Figuram illius pontis (Ascogefrus illi vocatus est) ex eodem auctore non potui quin subiicerem.

Scutis milites innixi transmeârunt flumen.

Ex vtribus pons tandem confectus.

Vtres pontis descriptio.

Ascogefri figura.



Loricas & arma ne prodentur.] Monui veram lectionem esse, *ne videntur*. quod mihi persuaserunt membranæ N. Idem voluêre reliqui codices, in quibus *videntur*, *videantur*, *vidantur*, *mundentur*.

Correctus Vegetius.

Ipsi, equique natando transeunt.] Certant varietate scripturæ libri: idque eum in modum, vt vix videas cui potissimùm fides adhibenda. in aliis est, *ipsi & equi*; in aliis, *ipsis equitibus quos natando transeunt*. quòd autem exemplar postremò impressum subsequenter legebat, *colligatisq; secum fasces pertrahunt sarciuis*; id facit omnibus libris veteribus inuitis. in quibus est, *colligatos*, seu *colligatósque*: & paulo pòst pro *sarcinis*, alij *ad socios*; alij, *socios*; alij, *socij*, legunt. Sed in exemplari

Magna librorũ dissensio.

exemplari M,& duobus Susij, diserte scriptum *sociis*: quod leuiter immutandum suspicamur, legendumque *ipsi equisq; natando transeunt, colligatósque secum fasces pertrahunt loris*. Nam adfinia admodùm in membranis,*socis*,vt veteres scribebãt, & *loris*. In quo si videbimur errare, parati sumus redire in viam; vbi rationibus ad hoc faciendum erimus inducti. Sed,ne videatur alicui factu impossibile, quod equiti hic imponitur munus, Tacitum audiamus qui in Vitâ soceri sui de Britannis loquens, *Quibus nota vada* (inquit) *& patrius nandi vsus:quo simul scuto & arma,& equos regunt.*

Vegetij locus tentatus, & vt arbitror, bene constitutus.

Vt monoxylos, hoc est paullo latiores scaphulas.] Glossarium vetus μονόξυλον,*lintris*. Plinij locum examinent, quibus exemplaria vetera sunt: Regio (inquit) *ex qua piper monoxylis lintribus Baracen conuehitur,vocatur Cottonora*:lib.6. Naturalis historiæ,cap.23. Istiusmodi nauiculas cõficere vsus Britanniæ Cæsarẽ docuit,iisque in Hispaniâ vsus;lib.primo Belli ciuilis. Virg.2. Georg. —— *cauat arbore lintres*. Easdem nauiculas Liuius designat, redditurus ex Polybio μονόξυλα: *Nonáque*, inquit, *alias primùm Galli inchoantes canabant ex singulis arboribus. deinde & ipsi milites, simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alueos informes, nihil dummodò innare aquæ, & capere onera possent, cruantes, raptim faciebant*: lib.30. Ammianus lib.14. *Cauatis arborum truncis amnem permeare latenter*. Iterum lib.24. *Alueis arborum canatarum vecti*.

Monoxylus quid sit.

Plinij locus suspectus mihi de glossemate.

Monoxylis Cæsar vsus in Britannia primum.

Carpentis secum portet exercitus.] Exemplar M. *carpentatis*; alterum Susij,*carpentatas*. Ammianus: *Subiectis ignibus exuri iunctas iusserat naues, præter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus,disposuit vehi carpentis*: lib.14. Historiarum.

Monoxylos Romani carpentis vbiq. circumuehere solent.

Tabulatis pariter & clauis.] Tabulatorum vsus is erit, vt connexis monoxylis superimponantur, ad construendum desubitò pontem,ad eum modum, quem ipse auctor noster præscribit,qualem in numis veterum vidimus,qualemque ex columna Romana Diui Traiani hîc inspiciendum damus.

Etiam tabulata ad construendum pontem.

Pons

Pons.



Alius Pons.



Simili ponte Imperator Alexander, contra Germanos exercitum ducturus, cum omnibus suis copiis Rhenum transgressus est: Herodiano teste lib 6. Deque simili ponte à Pœnis facto, Liuius scribit lib. trigesimo. Neque prætereundum inuentum antiquorum est, à quibus naues in castris circumuectæ, quę dissolui & rursum compingi, cùm vsus esset, nullo ferè negotio poterant. Diodorus Siculus mihi testis erit, qui lib. 20. de Semiramide hæc scripta reliquit: *Curauit cõstruenda nauigia fluuiatilia* (ille ποτάμια πλοῖα appellabat) *quæ facilè soluerentur, vt expeditè magis transportari possent dissoluta; iterumq; vbi opus esset, compingerentur.* Eandem reginam tales

Antiqui naues in exercitu habuerunt, quæ compingi & rursum dissolui poterant:

Iis sæpe vsa Semiramis.

tales scaphulas ad bellum Indicum comparasse, ac camelis vexisse, idem scriptor memoriæ prodidit lib. 3. Quarum figuram suspicamur fuisse hanc, quam subiicimus:

Naues dissolubiles.



Naues è vimine pellibus contecta primùm excogitata à Cæsare.

Cæsar contra Sextum Pompeium bello nauali depugnaturus, dicitur primùm naues ex pellibus fecisse, hoc est, contextas ex viminibus crudis, boum coriis texisse. quæ ad eum modum extendebat, quo in scutis fieri solitum, vt auctor Dio in Augusto. Nihilominùs ex arundinibus multò ante tempore scaphulas Semiramidem fecisse, notabam apud Diodorũ Siculum dicto libro tertio. Superestetiamnum, vt de Cæsare Lucanum audiamus:

Scaphulas ex arundinibus Semiramis fecit.

Primùm

Primùm cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsos induta invencos,
Vectoris patiens, tumidum superemicat amnem.

Paucis cognitæ naues fluuiales, quas cõfectas memorat Tacitus 2. Annalium, vt vtrimq. gubernacula haberent; quò repente conuerso remigio appellerent. Similes biremes Byzantinos habuisse, conlocatis etiam ad proram & ad puppim gubernatoribus, discimus ex Dionis Seuero.

Naues fluuiales, quæ vtrimque gubernaculum habebant.

Sed instantes aduersarij ad transitus fluminum, insidias, vel.] Ita locum constitui, qui anteà legebatur, *Sed instant aduersarij*. & paullo pòst *insidiasq;*. quam lectionem vulgatam nullo vidi exemplari apud me probari, & nescio, vbi ea cusa sit. arbitror eorum ingenio excogitatam, qui nescirent *Sed* positum pro *nam*; & contrà. quæ phrasis, quia insolentior visa est, pluribus locis corrumpendi Vegetij & aliorum scriptorum causam dedit: vt alibi ostendo.

Ratio restitutæ scripturæ Vegetianæ.

Ad transitus fluminum superuentus vel insidias facere consueuerunt.] Cæsar lib. 2. belli Gallici: *Acriter*, inquit, *in eo loco pugnatũ est: hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audaciſsimè transire conantes, multitudine telorum repulerunt. primos, qui transierant, equitatu circumuentos interfecerunt.*

Hostibus in flumine impeditis, superuentus cõmode infertur.

Quòd si pons non tantùm ad transitum.] Si eâ mente pons cõstructus, vt solummodò transducendo exercitui seruiat, diligenter cauendũ, ne hostibus idem vsui sit. ideoque à postremo agmine dissolui, etiam incendi, si instent hostes, debet. Frontinus lib. 4. cap. 7. versiculo *Pelopidas*. Si verò redire volentibus necessarius videbitur, præsidiis militaribus, fossis, aggere muniendus atque custodiendus est. Hoc modo Cæsar ad vtramque partem pontis quo Rhenum transierat, firmum præsidium reliquit; lib. 4. belli Gallici. Non minor adhibenda cautio, cùm pons sit in proximo, per quem commeatus ad nostros comportandus est, quod ab eodem Cæsare sapienter seruatum, cùm ad flumen Axonam, quod in extremis Rhemorum finibus est, castra posuisset: lib. 2. belli Gallici. Imò & castellum ponti quidam imposuêre, quò meliùs eum præsidiarij tuerentur: apud Liuium lib. 30. Subinde & qui in fugã acti sunt, ponte soluto seruari possunt. nisi si eiusdem cum Dario rege sententiæ duces fuerint, qui rebus suis tali loco collocatis, dixisse

Post transmissum exercitum nostrum, diligenter cauendum ne pons aduersarijs vsui sit: Si verò redire volentibus videbitur, præsidijs muniendus est:

Idem faciendum in ponte, per quem commeatus inuamur.

Id sapienter à Cæsare factitatum.

Etiam castella iis pontibus imposita.

dixisse fertur, *Malle insequentibus iter dare, quàm auferre fugientibus*: teste Curtio lib. 4. Fuit quoque cùm (animi quadam confidentiâ, vel gratiâ excitandi milites) transgresso exercitu, auellendum statim pontem duces curârint. sic Iulianus eum, quo in Persas traiecerat, auelli iussit: vt auctor est Ammianus lib. 23. Itidem & naues post traiectionẽ in Aphricam incendisse ad vnã omnes, dicitur Agathocles. quò fugiendi potestate ablata, per necessitatem ardentiùs sui milites pugnarent. Eâdem de causâ Alexander naues quandoque remisit; interdum, vt flumen à tergo exercitus esset, curauit: teste Diodoro Siculo, lib. 17.

Transmisso exercitu pons sæpè incensus, vt spes omnis fugiendi adimeretur ignauis:

Eâdem causa & naues incensæ: Interdum etiam remissa.

AD CAPVT VIII.

Glossema sublatum è Vegetio.

NON enim belli tempore ad statiua, vel ad mansionem.] Exemplar M. & alter Susij non admittunt illa, *belli tempore*. De cetero, in tribus manuscriptis, & duobus veteribus typis expressis codicibus habebatur, *ad statiuam, vel mansionem*. In vno Susiano erat, *ad statiuam nostram vel mansionem ciuitas munita semper occurrit*.

Ad munera facienda dispersis.] Libri partim *ad munia*; alij ad *munimina*. neutrum ad meum palatum facit: etsi munimina apud Cassiodorũ pro munitionibus viderim vsurpari, lib. 3. Variarum cap. 48. & 49. Fuit qui in membranis scripserat, *ad munera capienda*: verùm ille bonus vir nunquam in castris Martis stipendium fecit: neque scio, an vnquam ille à Musis munera acceperit.

Noctu opportuna superueniendi occasio.

Postremò noctis obscuritas, necessitas somni.] Occasionem hæc præbent superuentui oportunissimam. Versus Caij Marij Victoris, quem præceptorem Hieronymi fuisse, docuit ad Prudentium suum noster Giselinus, digni qui adscribantur ex illius libro tertio:

> ——— *Curátque vt prima quietis*
> *Nocte superueniat, cùm iam languentia corda*
> *Irrigat, & fessos dulcis sopor alligat artus.*

Campus subitò inundatus valde incommodat.

Ne subitis tempestatibus campus.] Inundatus subitâ tempestate campus magnum attulit incommodum Cæsari ad Ilerdam lib. 1. Belli ciuilis. Similiter ex vehementiori fluminis Arni excretione adflictus Hannibalis exercitus, teste Plutarcho.

Ne ex superioribus locis missa ab hostibus in eum tela

tela perueniant.] Eiicit hinc τὸ *tela* exemplar M. cui soli videant doctiores, an tãtum sit habendum fidei. Illud mihi pro comperto est, sæpè duces occupandi causâ altiorem locum, manum aliquam militum præmisisse; & magnum inde, etiam publicum quandoque, certamẽ sensim exortum. *Loci altioris occupandi causâ sæpe publicum prælium commissum.*

Locus altior & castris metandis, & prœlio ineundo commodior est. Liuius: *Præter virtutem locus quoque adiunit, vt pila omnia hastæq; non tanquam ex æquo missa, vana (quod plerumque fit) caderent, sed omnia librata ponderibus figerentur*: lib. 7. ab V.C. Videndus Frontinus lib. 2. Strateg. cap. 2. de Cn. Pompeio & C. Cæsare: & ipse Cæsar libri tertij De bello Gallico principio. De eo, qui loco inferiore, dum pugnandum est, reperitur, ita Vegetius: *Qui aduerso nititur clino, duplex subit, & cum hoste, & cum loco certamen*; libro tertio capite 13. Attamen apud Gellium Antonius Iulianus Rhetor differit, tela, lapides & qualecumque missile ex alto faciliùs quidem mitti; at certiùs & optimè, sursum: libro 9. Noctium Atticarum cap. primo. *Locus altior cõmodior castris & pugnæ.* *Qui clino aduerso in prælio nititur, duplex subit onus.* *Telæ ex alto faciliùs; sed certiùs sursum mittuntur.*

Podismum mensuræ colligi oportet.] Tribus codicibus manuscriptis probabatur, *potißimùm mensuram col. opor.* quod fore non puto, vt vnquam probent mihi. Podismus ignoratus loco deprauando fuit, de quo dixi suprà. Vide ne scribendum sit, *podismum, mensuram colligi oportet.* quo modo Vegetius loquitur hoc libro cap. 15. *Podismus.*

Tribus autem modis diffiniunt castra muniri posse.] Hanc lectionem confirmant membranæ N. Sed in H, & vno Susij, *Tribus autem modis efficiunt fossas.* In M. & altero Susij, *Tres autem modos definiunt fossæ.* Eadem quæ hîc, etiã lib. 1. apud Veget. cap. 24. leges.

Supra quem valli, hoc est sudes.] Virgil. 2. Georg.

Quadrifidasq; sudes, & acuto robore vallos.

In eum locum hæc annotatio Seruij Grammatici: *Bis*, inquit, *idem dixit: nam & valli & sudes idem sunt.* Alterum quoq. horum Vegetius noster pluribus locis solum vsurpauit, nominatim capite superiori extremo. *Valli, sudes sunt.*

Fit altus semispedem.] Audeo restituere, *altus semissem*; adstipulantibus mihi M. C. P. eamque lectionem H. indicat genuinam esse, dum legit, *altus pedem semissem.* Videnda quæ dixi lib. primo de asse & vncia. *Correctus Vegetij locus.*

Tunc opere tumultuario fossa producitur.] Multum

mehercules præstat corrigendis libris diligentia eorum, qui scriptores veteres excutiunt, & cum impressis componunt; si quidē adhibito iudicio. non paruam quoque partem, multitudo & bonitas codicum, quos quis nanciscitur, hac in re sibi vendicat: quod ex collatione huius solius loci reuerâ sic se habere comperi. Nam vt alij, itidem & ego eum sine vllâ suspicione mendi præterîssem, absque vno libro M. fuissem; in quo non repereram *fossa producitur*; sed *terra percutiatur*. Itidem dissentiebant solæ membranæ H. in quibus erat *fossa percircuitur*. Ego iis libris tanquam vtrâque manu ductus, conieci legendum, *fossa percutitur*. Plinius eâdem phrasi vsus lib. decimo, epistolâ cui initium Intuenti: *Ego* (inquit) *per eadem loca inuenio fossam à rege percussam, sed incertum, vtrum ad colligendum humorem circumiacentium agrorum.* Quin & ipsum Vegetium sibi testem citemus: is capite superiori extremo; *Percussis*, inquit, *latioribus fossis, aggereq; constructo, defensores milites debet accipere.* Frontinus lib. primo Strateg. cap. quinto, numero 8. *Fossam*, inquit, *transuersam inter montes præsit, vallúmque materia extructum incendit.* Etiam eo loco scripserim, *percussit*, non *præsit*.

Emendatus Vegetius de coniectura.

Percutere fossã, id est, facere, vel dicere fossam.

Frontini locus sanatus.

Vt sine metu securus requiescat exercitus.] Docuit hoc ipsa rerum magistra experientia, neque fossæ latitudinem, vel altitudinem aggeris id exercitui præstasse, vt posset securus quiescere, nisi in stationibus & excubiis essent ij milites, quos castrorum reiq́ue militaris disciplina requirit. Nónne L. Martius, quem vnum fata, Scipione vtroque cum exercitu in Hispania deleto, rei Romanæ conseruandæ reliquum fecerant, bina eâdem nocte castra hostium expugnauit? Illo enim ductore, velut in sua castra Romani, nullo vnquam obsistente penetrârunt, quòd nulla pro portis statio, nullæ in vallo custodiæ essent. petita historia ex Liuio lib. 34. extremo. Thrasybulum quoque in tabernaculo suo, ab hostibus interemptum, historiæ loquuntur, quòd negligentiùs vigiliæ in castris actæ essent: Diodorus Siculus lib. decimoquarto, Æmylius Probus in ipsius vita.

Fossa & aggere non est securus exercitus, nisi accedãt vigilia.

Bina eadē nocte castra expugnata.

Thrasybulusque caussa in tabernaculo suo interfectus.

Diuidentibus campi doctoribus ac principiis.] Rursum velim *ductoribus* legi: *principiis* edendum curaui, pro *principibus*, ex libris S. & H.

Campiductores.

Principia.

Accipiunt pedaturas.] Certa pedum mensura Pedatura vo-

ra vocatur, militibus distributa per podismum. Sic apud Cassiodorum libro quinto Variarum cap. nono: *Omnes regionis Tridentinæ habitatores ad extruendam ciuitatem acceptis à Theoderico rege mercibus competentibus, pedaturas murorum subire in commune cogebantur.* *Pedatura quid sit.*

Cincti gladio fossam aperiunt.] Vide quæ notaui ad caput quartumdecimum libri secundi. *Milites gladio cincti fodiebant.*

Pedibus decem & septem.] In libro Collegij trium coronarum scriptum erat, *pedibus* XVIIII. In membranis Susij, *pedibus septem vel nouem*; quod puto recipiendum in contextum. Vereor quoque ne apud Cæsarem libro septimo belli Gallici, pro *fossa xx. pedum*, scriptum olim fuerit *xix.* Et simile mendum, meâ opinione, insedit libro secundo belli Gallici, his verbis: *Castra in altitudinem pedum* XII. *vallo fossaq; duodeviginti pedum munire iubet.* *Cæsar de mendo suspectus.*

Imparem enim numerum obseruari moris est.] Censorinus De die natali, cap. De annis Romanis: *Sed vt dies*, inquit, *vnus abundaret, aut per imprudentiam accidit, aut (quod magis credo) eâ superstitione, quâ impar numerus plenus, & magis faustus habebatur.* Ibidem paullo pòst: *atque ita omnes menses pleni, & impari dierum numero esse cœperunt; excepto Februario, qui solus cauus, & ob hoc ceteris infaustior est habitus.* Etiam apud Poëtam est: *Impar pedum numerus in fossis castrorum obseruatus:* *Impar numerus plenus, & magis faustus.* *Februarius mensis cauus, & ceteris infaustior.*

——— *Numero Deus impare gaudet.* vt dixi libro primo capite vigesimo quarto.

Opus hoc centuriones decempedis metiuntur.] Decempeda lignum est, quo latifundia metiuntur & in partes diuidunt; oblongum pedibus decem. Δικάπους Platoni, ἄκαινα Apollonio dicta, quòd sustulerit occasionem τῷ κάπτειν ἀλλήλους: id est, *se mutuò necandi*. in Ægypto enim confusis exundatione Nili agrorum limitibus, adhibita hac virga, suos quisque agros dimensos accipiebat absque cædibus & pugnis; vt notat Hadrianus Iunius in suo Nomenclatore. Cicero in Philippica decima quarta: *Peritus metator & callidus, decempedâ suâ saxa diuiserat.* Inde decempedator ab eodem Cicerone dictus in Philippica decima tertia: *Qui fuerat æquissimus agri priuati & publici decempedator.* De hoc mensuræ genere, & aliis pleriſque veterum, adeundæ clarissimi iurisconsulti Gulielmi Budæi adnotationes ad l. vlti. ff. si mensor falsum modum dixerit. *Decempeda quid sit.* *ἄκαινα, cur vocata.* *Decempedator.*

Tribuni militaris officia.

Id etiam tribuni circumeunt.] Inter officia tribunorum hæc ferè Marcellus recensuit, milites in castris dicto audientes habere, imperio intẽdere, ad exercitationes educere, in stationes mittere, claues portarum suscipere, stationes, vigilias munitionesque interdum de die, sæpiùs noctu circumire, milites singulis momentis instructos paratosque habere; cùm frumentũ militibus admetitur, interesse; commeatus, alimenta, arma, viri, equi, aut pecunia, ne desint, cum Imperatore multo antè præuidere; castris locum capere, valetudinarios inspicere, sauciorum curam agere. Alex. lib. 6. Genialium cap. 18. & l. officium ff. de re militari. Extat apud Flauium Vopiscum epistola Aureliani Principis: cuius verba subiiciam, quia digna quæ ab omnibus militum præfectis legantur, expendantur: *Si vis*, inquit, *tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, onem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annonâ suâ contentus sit. De præda hostis, non de lachrymis prouincialium habeat, arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia, vestis uoua vestem veterem excludat, stipendium in baltheo, non in pompa habeat, torquem brachialem, & annulum apponat, equum saginarium suum defricet, captum animal ne vendat, nullum centuriatum comiter curet, alter alteri quasi seruus obsequatur, à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent, in hospitiis caste se agant; qui litem fecerit, vapulet.* Equum verò *saginarium*, non *saginarium* hoc loco legendum iam antè ostendi. addo nunc mendosum mihi videri illud, *torquem brachialem & annulum*: pro quo libenter scripserim, *torquem, brachiale, & annulum*. brachiale videtur positum pro manica ferrea. Ea enim phrasi & Paulum Iurisconsultũ vidi dicere *tibiale, humerale*, in l. qui commeatus, ff. de re militari.

Quàm artè Aurelianus Cæsar suos milites habuerit.

Flauius Vopiscus emendatus:

Iterum emendatus.

Nec antè discedunt, qui strenui sunt.] Clausula illa, *qui strenui sunt*, nulla est in exemplari M. Itidem Imperatores ipsimet circumire opera non sine consilio solebant. quod inprimis C. Cæsarem facere solitum, historiæ produnt; & inter eas Hirtius seu Oppius De bello Africano.

Opera etiam ipsi imperatores circumibant.

Pars peditum, quæ non operatur priuilegio dignitatis.] Auctor est Vegetius lib. primo cap. 25. Incumbentibus aduersariis omnes equites, & mediam partem peditum ad propulsandum hostium impetum in acie ordinari, reliquos post ipsos ductis fossis castra munire. Item hoc loco omnes

Dum opera fierent, alij in procinctu stabant.

co omnes equites,& partem peditum, qui priuilegio dignitatis non operantur, ante fossam in procinctu armatã vult consistere. Scio Polybium lib.6.& velites & triarios omnes ab excubiis liberare in castrametatione Romanorum: cæterùm an à fodiendo immunes iidem fuerunt? Non puto. Nam apud Liuium notabam, non mediam partem peditum,sed solos triarios fossis ducendis quandoq. incubuisse: *Ab Romanis*, inquit, *nec opus intermissum: triarij erant, qui muniebant; & ab hastatis principibusq;, qui pro munitoribus intenti armatiq; steterant, prælium initum*: lib.7. Cæterùm hoc fodiendi siue ius siue morem, verosimile est pro hostium vicinitate ac multitudine interdum mutatum. Pertinere autem ad priuilegium illud dignitatis existimo, quod auctor noster lib.2. cap.7. de principalibus, id est, priuilegio munitis, ac de munificibus tradidit. Huc etiam pertinuisse puto, qui vacationem à centurionibus redemerãt: de quibus antè dixi. Principes denique & campi-ductores à fodiendi onere liberat ipse Vegetius paulò superiùs hoc eodem cap., dum ab his pedaturas docet in centurias distributas. Quanquam & hoc silentio prætereundum non putaui; videlicet in libro M. etiam ad distributionem pedaturarum principes isthîc non vocari: legit enim ibi sic, *dinidentibus campi ductoribus accipiunt pedaturas*: eiectis duobus verbis, *& principibus*: quæ alij codices inserunt. Marium Rom. ducem, præterquàm quòd de frugalitate & tolerantiâ cum gregariis militibus certaret, etiam in fossis aggeribusque ducendis operam communem præstitisse, scriptum reliquit in ipsius vitâ Plutarchus. Imperatorem Antoninum, etsi domi percrudelem, belli in fodiendo, aggeribus pontibusque construendis primum se semper præbuisse, ab Herodiano discimus lib.4.

Velites & triarij omnes immunes ab excubiis.

Triarij soli fodiunt.

Fodiendi morem mutatum pro re nata.

Marius communem cũ gregariis laborem subiit:

Item & Imp. Antoninus.

Deinde duci prætorium, eiusque comitibus præparatur.] Festus: *Initio prætores erant, qui nunc consules, & ij bella administrabant. quorum tabernaculum quoque dicebatur prætorium.* Varro: *Locus si nullus relictus erat; sub diuo qui esset, dicebatur testudo, à testudinis similitudine, vt & in prætorio, in castris*: lib.4. de lingua Latina. Fuêre etiam prætoria, id est magnificæ & amplæ domus per prouincias iudicibus præsidibusque Rom. constitutæ. de quibus principales constitutiones non vno loco, l.31. C. de Episcopis & clericis; & l. penult. C. de officio rectoris prouinciæ. & alibi prætorium item in vsu Iurisconsultis

Prætorium vnde dictum.

Prætoria alia oppidatim in prouinciis constituta præsidibus.

Prætorium certa pars villæ.

sultis pro parte villæ lautissimè exædificata. de qua Vlp. in l. vrbana prædia: & ibi Andreas Alciatus, ff. de verb. significatione. & meminit l. 2. ff. de seruit. rusticorum prædiorum: & Palladius lib. primo De re rustica cap. 8. Castra prætoria quæ fuerint, indicabit Ammianus Marcellinus:

Prætoria castra.

Iter sibi aperiendo Alemanni, adusque primanorum legionem perueniunt, locatam in medio, quæ confirmatio castra prætoria dictitatur: libro sexto decimo Historiarum. Dicendum porrò hîc foret quo loco prætorium, vbi tribunorum tabernacula, principia & legionum signa in castris steterint: sed tabulâ, quam Polybij de Castrametatione libello subiiciendam curauimus, omnia hæc ob oculos ponere maluimus beneuolo & studioso eiusmodi antiquitatum lectori.

De singulis centuriis quaterni equites & quaterni pedites excubitum noctibus faciunt.] Quicquid ad ordinandas excubias, ad circumitores, de commissione vigiliarum per buccinatores, ad totam denique hanc rem pertinet, peti commodè potest ex prædicto Polybij fragmento: cui si verbum adderem, verè hoc foret, Noctuas Athenas.

Dicta causa, quare mutata in Vegetio lectio vulgaris.

Quaterni equites, & quaterni pedites excubitum noctibus faciunt.] Ita locum hunc edendum censui præeunte Modesto & libris octo. Vulgata lectio aliter se habebat, *pedites, qui excubitum noctibus faciunt, eliguntur*: aliter inquam, & contra disciplinam militarem. Neque enim electione, sed decursu & ordine matriculæ omnibus vigilias incubuisse, probabit pro me Vegetius lib. 2. cap. decimo nono. Videndus & Polybius lib. 6.

Vigilias milites agebant ordine suæ matriculæ; non electione.

Specula quid sit.

Impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere.] Specula locus editus & eminentior, siue turris, siue mons, siue aliud quid, vnde longè videre aliquid ac speculari solent. Cic. in Verrem: *Non enim (sicut antea consuetudo erat) prædonum aduentum significabat ignis è specula sublatus, aut tumulo.* Virg. 4. Æneidos:

Regina è speculis vt primùm albescere lucem
Vidit, & æquatis classem procedere velis.

Liuius lib. 31. *Multas & locis altis positas turres habet Hispania, quibus & speculis & propugnaculis aduersus latrones vtuntur.* Idem lib. præcedenti: *Ex speculis conspicerent aduentantem hostium classem.* Iterum: *extemplò datum è speculis signum; & in oppido ad arma conclamatum*

clamatum est. Speculæ illæ in locis mediterraneis maximè vsui; in maritimis phari constituebantur. quorum vsus fuit nocturno nauium cursui ignes ostendere ad prænuntianda vada, teste Plinio. nomenque acceperunt à Pharo Alexandriæ portu, teste eodem Plinio & Solino. At Ægesippus ab ipsa re, tanquam *Pharos*, quod lucidum significat, litterâ vnâ immutatâ, formare maluit lib. 4. Papinius:

Speculæ, in locis mediterraneis vsui:
Phari, in maritimis:
Phari vnde dicti.

Lumina noctiuagæ tollit pharus æmula Lunæ.

A prædictis speculis, speculatoribus nomen, iis qui speculantur. Liuius l. 31: *Et respondisset, inquit, ni speculator (hemerodromos vocant Græci, ingens die vno cursu emetientes spacium) contemplatus regium agmen è specula quadam, progressus nocte media Athenas peruenisset.* Censet Turnebus Græca voce vsum Liuium, quòd Romani istiusmodi speculatores non haberent. eum vide in Aduersariis.

Speculatores vnde dicti.

In quatuor partes per clepsydram sunt diuisæ vigiliæ.] Et horas & horarium Romæ non minùs trecentos annos ignoratum, alibi probo. quare aut noctem, aut diem in horas duodecim diuidere iis temporibus nō potuerunt. Primum solarium in foro; quod M. Valerius ex Sicilia aduectum, ad rostra in columnâ posuit: quod cùm à climate Siciliæ descriptum, ad horas Roman. non conueniret; Philippus censor aliud iuxtà cōstituit. Deinde aliquanto post P. Cornelius Nasica censor ex aquâ fecit horarium. quod & ipsum ex consuetudine noscendi à sole horas, Solarium cœptum vocari: Censorinus De die natali, cap. de diebus. apud quem *à sole Solarium*, legendum; non, vt vulgò, *à sole horarium cœptum vocari*, ipsa Etymologia, & optimæ membranę Colonienses conuincunt. Varro: *MeDidies ab eo quòd medius dies. Diantiqui, non R. in hoc loco dicebant. vt Præneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in Basilica Æmylia & Fuluia inumbrauit:* lib. 5. De lingua Latina. Plinius lib. 7. cap. 60. *Tunc*, inquit, *Scipio Nasica collega Lanati, primus aqua diuisit horas, æquè noctium ac dierum.* Horologia eiusmodi, aquis sub modulo fluentibus, Burgundionū legatis miraculo fuerunt, quòd ibi Solis meatus sine Sole cognoscebatur, & aquis guttantibus horarum spatia terminabātur: auctor Cassiodorus lib. 1. Var. cap. 44. & seq. Impropriè autem illa horologia vocauit: clepsydras rectè auctor noster appellat voce Græca, quasi à furando vel subducēdo aquam. Clepsydris istiusmodi, etiam

Hora, & horaria quamdiu Romæ ignorata.
Solarium quis primus in foro collocaris.
Horarium primum Romæ ex aquâ.
Censorinus emēdatus
MeDidies, pro meridies, antiqui dicebant.
Horologia seu horaria ex aquâ, miraculi loco fuerunt.
Clepsydra vnde dicta.

Cæsaris tempore, in Britannia Romani milites vsi. quod loco ipsius Cæsaris (etsi subobscuro hactenus) confirmabo, ex lib. 5. belli Gallici: *Nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris breuiores esse noctes, quàm in continenti, videbamus.* Qui locus ita rectè constitutus est: vulgò legas, *percunctantibus reperiebamus, nisi quòd.* omninò ineptè, ne quid dicam grauius. Nam ab eorum genio ista scriptura, qui non viderunt particulam *nisi*, poni pro *sed*, genere loquendi vsitato & Romano. Etiam oratoribus causas agentibus, tempus dicēdi præscribebatur, datis clepsydris; quod epistolæ Plinij testantur. Consimiles sunt clepsydræ, quas posterior ætas inuenit, compositis duobus vitris, parua lamina ærea interposita, in qua minutissimum foramen, quà puluisculus sensim delabitur, & tempus horæ legitimum indicat.

Cæsar illustratus: Idem emendatus.

Nisi, pro *sed*.

Oratoribus Romæ tempus dicendi clepsydris præscriptum.

Sunt diuisæ vigiliæ.] In quatuor partes diuisas fuisse ostendit; id est singulos, horis non ampliùs tribus vigilasse. hac de re Censorinus cap. prædicto: *Alij diem quadripartitum, sed & noctem similiter diuidebant. Idq; similitudo testatur militaris: vbi dicitur vigilia prima, item secunda, & tertia, & quarta.* Meminit & Alexand. lib. 4. Genialium cap. 20. & lib. 1. cap. 12.

Vigiliæ in quatuor partes distributæ.

Non ampliùs quàm tribus horis.] Coëgit tamen necessitas ad maiorem tolerantiam in sustinendo munere vigiliarum. testis Cæsar: *Portas murósque adseruari iubet. ipse iis operibus quæ facere instituerat, milites disponit: non certis spatiis intermißis, vt erat superiorum dierum consuetudo; sed perpetuis vigiliis stationibúsque, vt contingant inter se, atque omnem munitionem expleant:* De bello ciuili.

Interdum & totam noctem, & simul omnes vigilárunt.

A tubicine omnes vigiliæ committuntur.] Liuius lib. 7. *Vigiliis deinde dispositis, ceteris omnibus tesseram dari iubet. vbi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent.* L. Sylla inducis impetratis animaduertens hostem negligentiâ resolutum, ex castris cum toto exercitu profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium diuideret, & quarta vigilia commissa eum sequeretur. quo strategemate ex angustiis incolumes suos, cum impedimentis omnibus tormentisque, in tuta perduxit. narrat Frontinus lib. primo Strateg.

Vigilia singulæ, tubæ vel bucinæ sonitu incipiebant:

Ea re Strategemata commissa.

Idoneos tamen tribuni, & probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant.] Vigilias circumeundi munus

Equites vigilias circumibant.

ad

ad equites olim pertinuit. ipsis enim fidem circumeundi commissam, probare possumus ex Polybij castrametatione. Alij centurionibus hoc onus videntur imposuisse: inter eos Tacitus lib. 2. Historiarum: *Deflagrante paulatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.* Iterum in Annalibus: *Initia vigiliarum per centurionem nuntiari*; lib. 15. Imperator Titus in obsidione Hierosolymorum primam noctis vigiliam ipse per castra & castellorum spatia circumiens explorabat; secundam secundo à se principi Alexandro permisit; tertiam agminum ducibus. At noster à tribunis lectos circumitores indicat. Suspicari possumus, veteri illâ disciplinâ castrensi labascente, Vegetij ætate, aut paulo antè, huic rei dilectos homines idoneos ac probatos, in subleuamen superiorum equitum centurionúmve: & inde factum militiæ aliquem gradum peculiarem.

Alij centurionibus id imposuerunt.

Titus Cæsar ipse vigilias circumiit.

Circumitores à tribunis militū lecti.

Et circitores vocantur.] In membranis quibusdam *certatores* appellabantur. eo viso statim suspicari cœpit acutissimus Ianus Palmerius noster, *circatores* vocandos in quo optimè ipsum coniecisse confirmant membranæ A. in quibus disertim perscriptum *circatores*. circare, pro circuire, *περιοδεύειν* verbum Latinum, diu Latio prohibitum: & exsularet etiamnunc, nisi postliminij ius eruditissimi & perspicacissimi hominis Ioseph Scaligeri decreto accepisset; cuius castigationes vide in librum primum Tibulli, & Festum in *Circanea*. Alij tamen Circitores ferè nominârunt. In equestri militia Circitorum gradum alibi recensuit Hieronymus; & idem nomen in Constitutionibus Principum Codicis Iustin. persæpe: vide l. 2. C. De præfecto prætorio Africæ; & l. 3. C. De agentibus in rebus. Vlpianus etiam eos circitores vulgo appellatos dicit, quibus lintearij vel vestiarij vestem dant circumferendam ad distrahendum, l. cuicumque, ff. de institoria actione. Similes circitores, quorum Tertullianus meminit in Apologetico capite 22. *Circuit cauponas religio mendicans, exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri: non licet deos nosse gratis; venales sunt.*

Vegetius emendatus.

Circatores.

Circare.

Circitores urbani.

Equites extra vallum nocturnas excubias facere debere.] Pro *excubias*, libri aliquot scripti *vigilias* legunt. ad rei ipsius elucidationem Cæsaris locus peropportunè mihi in mentem venit. is libro septimo belli Gallici ita scribit:

Excubabant Romani extra castra in castellis:

Castra opportunis locis erant posita: ibiq; castella viginti tria facta: in quibus castellis interdiu stationes disponebantur, ne qua subita irruptio fieret. hæc eadem noctu excubitoribus ac firmis præsidiis tenebantur. Et hoc illud esse arbitror quod noster paulo pòst appellat *agrarias facere.* Hirtius: *Postero die castellum, (quod rex in proximo vico non longè à suis castris munierat, brachiisq; cum opere castrorum coniunxerat, vici obtinendi caussa.) Cæsar aggressus omnibus copiis, expugnat:* De bello Alexandrino. Quin & Catoni in libro De re militari, *Procubitores dicuntur ferè velites, qui noctu custodiæ caussa ante castra excubant, cùm castra hostium in propinquo sunt:* teste Festo in *Procubitores.*

Et hoc erat agrarias facere.

Procubitores, quales.

Alij manè, alij pòst meridiem.] Exemplar M. & alterum Susij inserebant: *alij manè, alij meridie, alij pòst meridiem.* Sed vix ausim credere Vegetianum istud esse: videant tamen & iudicent alij. Censorinus De die natali: *Nam in XII. tabulis nusquam nominatas horas inuenies, vt in aliis postea legimus: sed ante meridiem;* eò *videlicet quòd partes diei bifariam tum diuisi meridies discernebat.* Sed ibi, *legibus*, pro *legimus*, scribendum, ostendunt membranæ Colonienses. Plinius: *Duodecim tabulis ortus tantùm & occasus nominatur. pòst aliquot annos adiectus est & meridies; accenso consulum id pronuntiante:* lib. 7. Naturalis historiæ capite sexagesimo.

Vegetij locus dubius.

Antiquissimi meridiem ignorárunt die bifariam tantùm diuiso.

Censorinus leuiter correctus.

Ortu & occasu dies tantum distinctus.

Angarias faciunt.] Sunt libri qui tuentur hîc *angarias*; quidam *angarios* scribebant. Gratia habenda iis, qui libro Collegij trium coronarum cudendo præfuerunt; eò quòd inuiolatum hoc loco & integrum reliquere Vegetium, exprimentes *agrarias.* de quo nomine alibi tractauimus, itémque paulo pòst hoc eodem capite acturi.

Agraria restituta apud Vegetiũ

Præsidia disponantur.] Membranæ Susij & M. scriptum habent, *præsidia disponantur.* S, & membranæ H, *dispartiantur* malunt; & ego cum illis. Ammianus libro decimoquarto. *Excitauit hic ardor milites per municipia plurima, quæ iisdem conterminant, dispositos, & castella.* Dispartiri regna, coronas, bona ciuium militibus, apud Æmylium Probum legere est. Cato in oratione De consulatu: *Interea ad socios nostros sedulò dispartieram, alio frumentum, alio legatos, alio litteras, alio præsidium, vsquequaque.* Sisenna tertio Historiarum: *Manuales lapides dispartit propterea, quòd is ager omnis eiusmodi telis indigebat.* Idem quarto Historiarum: *Exercitum dispartiunt, ad consligendum componunt.*

Dispartiendi verbum Vegetio redditum.

Tumul-

Tumultuaria castella firmantur.] Castella tumultuaria vocat proinde, vt opera tumultuaria, hoc eodem libro cap. 7. & Ammianus lib. 24. quòd per tumultum, non secundum disciplinam militarem, neq. legitimè illa fierent. & inde suprà, fossa legitima tumultuariæ oppositæ. Sic *tumultuaria certamina* dixit Liuius lib. 30. & *tumultuarium prælium* lib. 31. *Succisiuum* & *tumultuarium studium* Gellius lib. 13. cap. 23. Idem proletarios asperis reipub. temporibus, cùm iuuentutis inopia esset, in militiam tumultuariam lectos, armaque iis sumptu publico præstita; capite censos verò milites nisi in tumultu maximo scriptos, memoriæ prodidit lib. 16. cap. 10. Id pertinere huc arbitrabar, quia de tumulturio milite dicere statueram. Dicti autem *tumultuarij milites*, qui repentino aduentu hostium, cùm in discrimine extremo esset res, per trepidationem & metum militiæ raptim adscribebantur. Et hos, puto, definire voluit Festus: apud quem pro *tumultus* legerim libenter *tumultuarij*. Liuius libro primo: *Tamen quia consulendi res non dabat spatium, ière obuiam Sabini tumultuario milite.* Hirtius: *Legionem adducit, quæ ex tumultuariis militibus in ponto confecta erat*: De bello Alexandrino. Ad eundem modum apud vnum Liuium *tumultuaria manus, subitariæ legiones, subitarij milites, dúxque tumultuarius* legitur.

Tumultuaria castella.

Tumultuaria certamina. Proletarij, quando milites scripti.

Capite censi, quando militârunt.

Tumultuarij milites qui.

Festi locus mihi suspectus.

Subitariæ legiones, & subitarij milites.

Dux tumultuarius.

Intra quæ in angatiis aliquanti pedites equitesque degentes.] Emendarem secundum codicem S. & membranas Hittorpij, *agrariis*; nisi præoccupasset Turnebus. Exstat libellus De rebus bellicis incerti adhuc auctoris: exinde caput sequens mutuari placuit; quia præter confirmationem prædictæ emendationis, indicat quis castellorum modus fuerit, & qui eorundem structores in limitibus prouinciarum: *Est*, inquit, *præterea inter commoda reip. vtilis limitum cura, ambientium vbique latus imperij, quorum tutelæ adsidua meliùs castella prospicient: ita vt millenis interiecta passibus, stabili muro, & firmissimis turribus erigantur. quas quidem munitiones possessorum distributa sollicitudo sine publico sumptu constituat; vigiliis in his & agrariis exercendis: vt prouinciarum quies, circumdata quodam præsidij cingulo, inlæsa requiescat.*

Agraria iterum reuocata in possessionem.

Castella in limitibus.

Quantum spatium castella distarint inter se.

Castella limitanei sua tenebantur sumptu extruere.

A fronte & à tergo nouit aduersarios commorari.] Qui limites aliorum perrumpunt, qui cum exercitu in expeditionem proficiscuntur, si prudentes sunt; id semper

Prouido duci id semper cauendũ, ne à tergo hostẽ relinquat.

semper cauent, ne à tergo hostem relinquant. Eoque pertinet Varronis illud lib. 3. De vita populi Romani: *Cæsar reuersionem fecit, ne post occipitium, in Hispania exercitus qui erant, relinquerent, quo se coniiceret Pompeius; & ancipiti bello vrgeretur.*

AD CAPVT IX.

Omnis pro omnes veteres scribebant.

POSTQVAM partis eius, quæ superata fuerit, spes omnis intercidit.] Exemplar collegij trium coronarum, *spes omnes intercidunt.* membranæ H. *spes omnis intercidunt:* quod idem valet. nam Priscianus lib. 7. De accusatiuo tertiæ declinationis, eo casu *omnis* non *omnes* scribendum probat, quod alij per *a*, scribi maluerunt. Hoc ignoratum caussam præbuit bonis correctoribus ad corrumpendum Vegetium. eosdem etiam offendit, *spes*, plurali numero positum. Horatius:

Spes, numero plurali.

Cum pulchris tunicis sumit noua consilia & spes.

Item fraudes, lactes: Sales & paces.

Offenderent, scio, eosdem homines *fraudes*, *lactes*, & alia his similia, Iurisconsultis & Plauto non incognita. *Sales* itidem dici alibi probo. Vide, si lubet, Nonium in *paces*.

Electum glossema e Vegetio.

Non aperto marte prœlium.] Eiciunt aliquot libri τὸ *marte*, legentes *non aperto prœlio*: sed mihi secus videtur; hoc nimirum interpretamentum esse prioris.

Vt integris suis quantos possint hostes interimant.] Hoc nimirum illud est, quod Sallustium probare solitum, Seruius & Isidorus scripserunt: *Duces laudasse, qui incruento exercitu victoriam deportarent.*

Laus maxima ducum, victoriã reportasse exercitu incruento.

Quæ necessaria admodùm sunt ab antiquis reperta, perscribam.] Eorum verborum hanc sententiam esse existimo, quòd Vegetius velit recensere præcepta in hac parte necessaria, quæ antiqui scriptores repererãt, tradiderant. Veteris libri M. lectionem duco adscribendam, *in qua parte, quæ necessaria sunt, quemadmodum ab antiquis reperta, perscribam.* quam si recipiamus, non ad bellicos scriptores, sed ductores ipsos referenda erit: qui eâ viâ, quam Vegetius paulo pòst demonstrat, de aduersariorum copiis, armis, fortitudine consultant atque cognoscunt. Cæterùm, vt monere hoc meum fuit; ita adfirmare, nescio an satis tutum.

Expensa Vegetij scriptura.

Adhibitis ex vniuerso exercitu scientibus belli, & sapientibus viris.] Eos certè consulere debet, qui publico Marte conflicturus est. si enim in cæteris rebus antè quàm incipias

incipias consulto opus est; quanto magis rationem, non aleam isthîc sequemur, vbi momento tot mortalium vitæ, opes, liberi, patria, parentes, prouinciæ, regna, tota denique imperia in discrimen adducuntur? Cæsar bellicæ artis peritus, & strenuus imperator, si quem Roma vidit, non minùs præclarum censuit, consilio quàm gladio superare. Fuit quoque cùm magis reipub. prodesset ducere bellum, quàm prœlia committere; hostem fame, quàm ferro subigere. quod ex Romana historiâ notissimum est, vel vnius Q. Fabij Maximi exemplo. nam absque cunctatione illius viri, nunquam respub. eo stetisset statu, quo stetit. Neque solùm de publico certamine ineundo scientes belli & sapientissimi viri in consilium adhibendi sunt; verùm etiam cùm tractanda erunt, quæ non tam grauia, attamen maturam deliberationem requirere videbuntur. Imperatorem Alexandrum Seuerum de iure deliberantem, adhibuisse plurimos prudentes accepimus, vt in consilio non pauciores essent, quàm senatus cõsulto faciendo. Idem si de re militari negotium aliquod incideret, milites veteres, & senes bene meritos, locorum, bellorum & castrorum peritos; litteratos etiam, & maximè eos qui Historiam nôrant, conuocare solebat: requirens à singulis, quid Romani, vel cæterarum gentium principes, in re, qualis tunc in disceptationem venerat, sequuti essent, statuissent, fecissent. quod in illius vitâ prodidit Lampridius.

Ratio non alea sequenda in subeundo publico conflictu.

Consilio parta, non minus clara victoria, quàm quæ gladio paratur.

Vnus Q. Fabius cunctando rem Romanam restituit.

Etiam aliis in rebus, scientes belli consulendi sunt.

Quales in re difficili Alexander Seuerus tempore belli in cõsilium adhibuerit.

Quis contatis, quis sagittariis antecedat.] Vt ita ederem, auctores mihi fuerunt optimæ notæ libri: antè vulgatum erat, *qui contatis, qui sagittariis antecedant.*

Hic non minùs quàm milites, vsui litterati, & periti historiarũ.

Vegetij scriptura mutata.

Nam si equitatu gaudemus, campos debemus optare.] Eumenes cùm equitatu ampliùs valeret, occupatione locorum hoc effecit, vt equitatu dimicare hostem cogeret: testem habeo Æmylium Probum. Factum etiam quandoque, vt qui equitatu vtrimque satis instructi euenissent, in prœlio tamen vti nequirent; quòd loca aspera essent, impedita, nimis angusta. qua de re exemplum in Pausaniæ Phoc. in prœlio circa Thermopylas commisso. Veruntamen frenos sæpe equites detrahere coacti, quo fidem facerent peditibus non deserturos. Itidem in pedes eosdem sæpè desiluisse, historiæ testes sunt, & pugnam pedestrem pariter cum cæteris capessiuisse.

Eumenes equitatu valens, aduersarium equitibus pugnare cõgit.

Equitatus subinde neutris vsui esse potuit.

Equites frenos detrahere coacti.

Idem etiam pedestrẽ pugnam pariter cum ceteris, subiere coacti.

Et vincit

Et vincit sæpiùs quàm ferrum.] Duo libri scripti H. & Susij, vnâ voce Vegetium donant: sed beneficium hoc vereor ne malè isti collocent, & conferant in inuitum: *Nam fames (vt dicitur) intrinsecùs pugnat, & vincit sæpiùs, quàm ferrum extrinsecùs.* Magis ad meum quidem palatum C. M. S. *& vincit sæpiùs sine ferro.* Vide tamen Vegetium lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 7. Idem lib. 3. cap. vltimo: *Qui frumentum, necessariumq; commeatum non præparat, vincitur sine ferro.*

Examinandus Vegetij locus; ast mea opinione sic reponendum videatur.

Maximè autem tractandum est.] Exemplar M. & Susij: *vel maximè autem tractandum est*, phrasi eleganti & vsitatissimâ. De qua Hadrianus Cardinalis, & alij videndi sunt. Imò ipse Vegetius, *Cauendum vel maximè, ne ab ala cornuq; sinistro circumueniantur tui*: lib. 3. cap. 19.

Vegetius auctus vna vocula, & eleganti genere loquendi.

Scientes artem bellicam, an ex vsu temerè pugnantes.] Viderint librarij, an probandum sit quod membranæ H. suggesserunt: *Scientes artem bellicam, an non; ex vsu, an temerè pugnantes; fortes gentes, an ignauæ sint.* Tum áunne diuersa sint, *ex vsu aliquid facere, & facere temerè.*

Nostra auxilia cuius fidei, quarumque sint virium.] Non iniuria & fidem, & vires explorari præcipit in auxiliaribus. quemadmodum enim duo exoptanda maximè in Imperatore, virtutem vt habeat ducem, fortunam comitem; proinde à fide & viribus milites semper cõmendati.

Duo præcipuè requisita in imperatore: Item in milite duo.

Desperantibus autem crescit audacia adhortatione ducis.] Hîc illud dicendum est, Imperatorem aut ducem, qui exercitum alloquuturus erat militibus classico ad concionem coactis, tribunal, suggestum, aut locum eminentiorem conscendere solitum. vbi aquilæ & reliqua signa circumstabant: quod ex Liuio, Tacito, Ammiano, omnibus historiographis, & aliis antiquis monumentis nemini ignotum esse potest. Plinius in Panegyr: *Tribunal viridi cespite extructum, nec fascium tantùm, sed pilorum signorumq; honore circumdatum.* Ibi scripserim, *sed pilarum.* Non sine magna delectatione nummum Imperatoris Galbæ inspexi, quo me donauit studiosissimus antiquitatis, amicus meus Ludouicus Haller ab Hallerstein: quem si exprimendum curarem, putabam Lectori non posse esse nisi gratissimum. In altera autem parte huius nummi conspicitur Galbæ effigies cum inscriptione tali: IMP. SER. SVLP. GALBA. CÆS. AVG. TR. POT. in altera adlocutio cum inscri-

Allocutio exercitus quomodo in castris Rom. instituta.

Plinij Panegyr. leuiter emendatus.

inscriptione, quam sculpendam curauimus. Addo & alterum nummum quem ante annos aliquot Ioannes Sambucus Pannonius vir clarissimus in publicum protulit. in huius parte altera hæc inscriptio, HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. in altera quicquid exprimendum curauimus.

Nummus Galbæ. *Nummus Hadriani.*





Tribunal istud sæpè ex cespitibus erectum in castris memini: nominatim apud Tacitum primo Annal. *Tribunal cespititium* vocauit Flauius Vopiscus in Probo. De eodem Prudentius Psychomachiâ: *Tribunal cespititium.*

Exstruitur mediâ castrorum sede tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam, subiecta vnde omnia latè
Liber inoffenso circunspicit aëre visus.

Cæterùm imperatore exinde concionante, modò ad seditiones componendas, interim ad laudandam militum fortitudinem, & dona distribuenda, modò ad incitandos ad prœlium animos, varia signa vsitata fuerũt, quibus milites adsentiri, gaudere, dissentiri, indignari sese ostẽderent. Qua in re, quod à me obseruatum est, lubens studiosis antiquitatum impartiam. Adsensus signa erant, manus extollere, clamare, scuta genibus illidere. Lucan. lib. 1. De bello ciuili: *In allocutione exercitus quæ fuerint gesta militum.* *Adsentientium militum signum erat manus extollere.*

——— His cuncta simul adsensere cohortes
Elataq; altè, quæcunque ad bella vocarent,

Promisêre

Promisêre manus. it tantus ad æthera clamor.

Valerius Flaccus:

——— oritur clamor, dextræq; sequentum

Verba ducis.

Clamorem tollere.

Liuius libro tertio: *Si iam satis animi est, decerniq; placet, agite dum clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hîc indicem voluntatis virtutisq; vestræ. Postquam ingenti alacritate clamor est sublatus. Quod bene vertat, gesturum se illis morem.* Meminit & Cæsar lib. 7. belli Gallici. De indiciis istis Ammianum quoque audiamus. is libro 15. Historiarum: *Nemo, inquit, post hæc finita reticuit: sed militares omnes horrendo fragore scuta genibus illidentes, quod est prosperitatis indicium plenum (nam contrà cùm hastis clypei feriuntur, iræ documentum est & doloris) immane quo quantoq; gaudio, præter paucos, Augusti probauêre indicium.* Idem libro sequenti: *Nec finiri perpessi quæ dicebantur, stridore dentium infrendentes, ardoremq; pugnandi hastis illidendo scuta monstrantes, in hostem se duci iam conspicuum exorabant.* Summopere admiratus fui, vt vidi scriptorem hunc à se ipso dissentire, eò quòd libro 20. dicat, milites feriendo clypeos hastis adsensum declarasse. Sed originem ritus tam antiqui, vide beneuole Lector an inuenerim. Auctor est Diodorus Siculus libro secundo, clypeos hastis percutere, iræ signum Ægyptiis vsurpatum fuisse, quis dubitet & hoc, & alia pleraque in disciplina militari ab iis populis ad Romanos manasse? Sed alios etiam ritus in gratiam tyronum subiicere placet. & primò defectionis indicium audiamus. Ammianus lib. 26. *Eum sequuti complures, iam pila quatientes & gladios, ad imperatorem transeunt cum vexillis, scuta peruersa gestantes: quod defectionis signum est apertissimum.* Et alterum: Herodianus libro octauo: *Postquam signis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio, vt eos adloquerentur, continuò obtruncant.* Iterum Ammianus lib. 26. *Hac sermonis placiditate omnes molliti, qui acriter venerant pugnaturi, signorum apicibus aquilisq; summissis desciuêre libentes ad eum.* Itidem signa supina non erecta præferebantur, quæ adempta aliis fuerant: quod ab Spartiano didici in vita Seueri. Etiam hodie vidi, qui simile obseruarent; hoc est signa aduersariis erepta, per vrbes plateatim traherent. Præterea inuersa arma etiam in funere militum. quod & nostro etiam sæculo seruari videmus. Virgilius libro vndecimo, & ibi Seruius:

Scuta genibus illidere signum prosperitatis. Clypei hastis percussi, iræ indicium:

Etiam illum ritum ab Ægyptiis manasse, ostenditur.

Indicium defectionis militum quale fuerit.

Signa submissa, & inuersa arma.

Signa etiam supina praferri solita, qua hostibus erepta erant.

Arma etiam inuersa in funere militum.

Tum

—— Tum mœsta phalanx, Teucriq; sequuntur
Thyrrheniq; duces, & versis Arcades armis.

An per annos aliquos in pace durârint.] Durare verbum variæ significationis fuit apud antiquos, & Latinissimi illius sæculi scriptores. sed nostro hoc æuo istiusmodi sermo desitus, aut saltem pro desito: ea causa, quia paucis cognitus. *Corpus, membra, ad laborē durare*, dixit Vegetius lib. 1. Similiter Iurisconsultus, *Durare corpus in tormenta*, l. 18. ff. de quæstionibus. Item senex Plautinus Lysitelem filium admonens, ab adulatoribus, à sycophantis sibi caueret: *-ego*, inquit, *ad hoc genus hominum duraui*. Vt autem durare in pace Flauius noster; item Iurisconsultus seruum durare in priore conditione, l. 1. ff. De pœnis. Alibi quoque Plautus: *nequeo durare in ædibus*. Cato: *Vinum si voles experiri duraturum sit, nec ne*. De re rustica cap. 108.

Durare in pace.

Durare corpus, membra ad laborem.

Durare in ædibus.

Durabit vinum

Ex diuersis aduenerint locis.] Indicium feci, exemplar M. legere, *euenerint locis*. quod genus loquendi alibi etiam per me auctori nostro redditum.

Euenire, verbum vetus restitutum Vegetio.

Quasi depugnaturos conflictu publico exercebit. Ipse sæpius tentabit.] Peruersa hactenus & inepta illa verborum compositio in libris editis, & mss Audeo distinguere, *quasi depug. con. pub. exercebit ipse. Sæpiùs tentabit*. quod rectè & ordine à me factum esse, vel ipsa inuidia non iuerit inficias. Si videatur, poteris etiam *depugnaturus*, pro *depugnaturos*, legere: quod mihi ad mentem auctoris declarandam videtur futurum accõmodatius. Ducem optimũ curare iubet, vt singuli militũ numeri per tribunos primùm omni armorum genere exerceantur: pòst ipsum & ducem in vnum collectos (tanquam publico Marte depugnaturus sit) eosdem exercere. Id fortè exercitium est, quod septimo die omnium militum fuisse, sub Imperatore Cassio, retulit in ipsius vitâ Vulcatius.

Interpunctio. Vetus mutata.

Milites à tribunis exercitati, pœti sub oculis ipsius imperatoris exerceri debẽt.

In ordinanda acie ad plenum fuerint eruditi.] Pari phrasi in Notitia imperij, *ad plenum armatus procedit*. Item in Institutis: *in plenum causæ mederi*. *In plenum omnia reducere* §. media autem, & §. seq. de legitima agnatorum successione.

Ad plenum.

In plenum,

Et antè minoribus prœliis imbuendi.] In exemplaribus C. M. H. *sed ante*. Et hîc *sed*, valebit *nam*. de quo nos alibi. Milites exercitatos non statim ad publicam pugnam educendos monet, sed captata occasione, quæ ipsa occasio

Exercitati milites, ante publicũ certamen, minoribus prœliis imbuendi.

In minoribus hisce prœliis quare maxima cautela adhibenda.

in hisce etiam minoribus prœliis (vt mea opinio est) magna cautela quærenda erit; ne cùm præparare ad grauiora tyrones cogitas, ipsâ experientiâ doceas, hactenus bellum (quod dicitur) dulce fuisse inexpertis. Cautus admodùm in ea re Cato consul fuit; quod à Liuio docemur: *Inde*, inquit, *per occasiones, nunc hac parte, nunc illa, modico præsidio castris relicto, prædatum milites in hostium agros educebat. nocte fermè proficiscebantur, vt & quàm longissimè à castris procederent, & inopinantes opprimerent, & exercebat ea res nouos milites*: lib. 43. Nihil vsquequaquè adeò in re militari vitandum, vt temeritas. Vnum enim præceptum hoc in animis omnium esse debet, *Nihil in bello oportere contemni*. cùm sine causa dictum non sit, *Mater timidi fieri non solet*, teste Æmylio Probo. nam, vt 2. Rhetor. Arist. ὁ φόβος βελτιστικὸς ποιεῖ: id est, *timor ad consultandum promptos facit*. vtque apud Thucydidem est, ἀμαθία μὲν θρασυτῆτα, λογισμὸς δ' ὄκνον φέρει: *incogitantia audaciam, consideratio verò timorem seu cunctationem affert*.

Temeritas in re militari ante omnia vitanda. Nihil in bello contemnendum.

Timor promptos facit ad consultandum.

Si verò aduersarium intelligit potiorem, certamen publicum vitet.] Publicæ pugnæ opponitur ferè velitatio; quâ suos exercere primùm solent, qui se inferiores credunt. Appianus De bello Hisp. auctor est, Scipionem id fecisse, cùm iustum prœlium non auderet committere. Idem lib. eodem: *Maximus in iustam pugnam progredi intutum ratus, exercendis militibus operam dabat, permittebatq; milites velitationibus vti, vt eâdem opera & hostium, & suorum militum virtutis periculum faceret*. Pericles Athenienſium dux, cùm hostibus suis impar esset, videretque suorum animos pugnandi cupiditate vsq. eò erectos, vt etiam ignominiosis verbis cum eo expostularent; non alia ratione leniuit, quàm quòd diceret, *Cæsas arbores celeriter renasci, interemptos homines difficillimè reparari*. Plutarchus auctor in Pericle.

Velitatio publicæ pugnæ opponitur.

Velitationibus periculum facere oportet de suis militibus.

Arbores cæsas facile renasci, non homines.

Nam pauciores numero, & inferiores viribus.] Datamen etsi copiis inferiorem, superiorem tamen omnibus prœliis discessisse, accepimus. Id eò, quia acies nunquam commisit. nisi locorum angustia aduersarium clausisset. Hic & in se, & in loci natura tantum spei posuit, vt hostes aggrederetur & vinceret, qui vicesima parte militũ ipsum superarent: teste Æmylio Probo. Superuentus quoque & subsessæ, vt auctor noster subdit, tutiores sunt his, qui numero ab aliis superantur. Sertorius certè exigua manu militum

Datames paucioribus militibus, qua re victoriam semper adsecutus sit.

Vicit vicesima parte militum superiores.

militum præ quàm Marcelli cæterorumque Romanorum exercitus erant, castra mouere sæpè prohibuit, castra metatos sæpè vexauit, variisq. artibus insultauit; non iustâ pugnâ, sed tumultuariis tantùm certaminibus. quæ res quàm feliciter illi cesserit, alibi doceo ex Plutarcho, Floro & aliis.

Sertorius quoque exiguo militum numero Romanos sæpè superauit.

AD CAPVT X.

PER quam libertas retinetur, & dignitas propagatur, prouinciæ conseruantur, & imperium.] Ita eum locum edi voluerunt membranæ H. & S. antè vulgabatur, *& dignitas prouinciæ propagatur, & conseruatur imperium.*

Non tantùm pro vniuerso exercitu.] Boni Imperatoris est non modò de vniuerso exercitu, verùm & de singulis contubernalibus è prœlio reducendis, esse sollicitum. Cui Vegetiano consilio etiam Iphicratis Apophthegma seu similitudo accedere visa. in qua hoc amplius admonetur; duci de suo capite conseruando non minùs esse cogitandum. Ipse autem pedites manibus humani corporis adsimulans, pedibus equites, aciem ipsam pectori ac thoraci, capiti verò Imperatorem; censet hunc de sua salute magnopere debere esse sollicitum: quòd eam negligens, non sibi, sed omnibus etiam, quibus per illum salus constare poterat, incòmodet. narrat Plutarchus in Pelopidâ: vbi & ipse Pelopidas, & Marcellus, viri ceteroqui laudatissimi, & à rebus gestis celeberrimi, malè audiunt, quòd nimia temeritate sese vterque perdiderint.

Dux etiam de singulis militibus è prœlio reducendis debet esse sollicitus. Ducem de suo capite maximè debere esse sollicitum.

Pelopidas & Marcellus, vt negligentiores in eo reprehensi.

Dux ergo cui tantæ potestatis insignia tribuuntur.] In exemplari M. *dux ergo cui tantæ artis potestates, & insignia tribuuntur.* doleo in tanta librorum multitudine nullum præterea esse, qui eam lectionem iuuet. Si enim *&* pro *id est* accipiamus (quam phrasim apud Plautum, Virgilium, Iurisconsultos & Tertullianum me obseruare memini;) non ineleganter vel inusitatè ita vocabulum *potestates* vsus erit noster Vegetius. Ammianus de Imperatore concionante: Ipse, inquit, *aggere glebali adsistens, coronaq; celsarum circundatus potestatum, talia ore sereno disserit:* libro vigesimo tertio. Non rarò etiam ij ipsi, qui in potestate & dignitate constituti erant, vocati Potestates. Ammianus: *Adhibitis in consilium potestatibus, quid facto opus esset deliberabat.* Eam phrasim non viderunt, qui adeò turpiter maculârûnt pulcherrimam Imperatorum

Tentatus locus Vegetij.

Et, pro, id est.

Potestates dicti, & qui in dignitate constituti erant.

Emaculata l. 3. C. De officio præfecti vrbi.

torum constitutionem 3. C. De officio præfecti vrbi. Eam ex membranis sic emaculo ac persano: *Præfectus vrbis cunctis, quæ intra vrbem sunt, antecellat potestatibus, tantum ex omnium parte derivans.* vulgò legas, *Præfectura vrbis cunctis quæ intra vrbem sunt antecellat [dignitatibus & potestatibus] tantum ex omni parte derivatis, quantum sine [omni] iniuria ac detrimento honoris alieni vsurpat.*

Dux, & Tribunus nomina militum scire debent.

Sciat etiam (si potest fieri) nominatim quis comes, quis tribunus.] Alexander libro primo Genialium cap. 18. inter officia tribunorum etiam illud ponit, ex Marcello nescio quo, *nomina militum tenere:* Imperatorem scilicet, & tribunum milites suos ignorare, pudendam inscitiam esse. Othonem certè non aliud ad imperium euexit, quàm quòd quemque militum in agmine, in stationibus, in itinere nomine compellabat. ex hoc gratiam & studia hominum adsecutus. Hadrianus quoque eâ fuisse diligentiâ legitur, vt non ducum tantùm, sed & singulorum militum viram, mores, stationem diligenter inquireret: teste in eius vita Dione. Imperator Alexander Seuerus milites suos sic vbique sciuit, vt in cubiculo haberet Breues, & numerum, & tempora militantium; semperque cùm solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret, vt esset ad omnia instructissimus. Denique cùm inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promouendis etiam sibi adnotabat, & perlegebat cuncta pittacia, & sic faciebat diebus pariter adnotatis, & quis, & qualis esset, & à quo promotus. testis in eius vita Lampridius. Rarum exemplum hoc in Imperatorio culmine; & dignum quod sibi imitandum proponant, quotquot regendos exercitus, ac regna tuenda suscipiunt.

Quid Othonem ad imperij culmen euexerit.

Hadrianus de singulis militibus, de moribus & stationibus diligenter inquisiuit: Alexandro Seuero in hac parte nemo vnquàm diligentior.

Dignum exemplum quod duces exercitus sequantur.

Auctoritatemque maximam seueritate sumat.] Non incommoda illorum verborum sententia: veteres tamen libri M. S. H. & Susij malebant, *auctoritatem seueritatemque maximam sumat.*

Omnes culpas militares legibus vindicet; nulli errantium credatur ignoscere.] In M. & Susij altero legebatur, *vindicet, nulli errori credatur ignoscere.* Quanta olim in re militari legum obseruantia, quàm stricta disciplina fuerit, constare aliquatenus potest ex iis quæ dixi suprà de multis & pœnis militaribus. Et quidem parentibus Romanis

Disciplina militaris strictè olim seruata.

disciplina

disciplina castrorum antiquior fuit, quàm salus liberorum: teste Iurisconsulto in l. postliminium, §. filius, ff. de captiuis. idemque alibi exemplis probo, ac testimoniis Valerij, Frontini, Diodori, & Gellij, quem nunc Agellium vocant. Cassiodorus non aliundè robustiùs, quàm disciplinâ exercitum armari censuit, lib. 12. Var. cap. 5. Imperatori Alexandro admiranda & singularis quædam constantia, qua contra milites suos vsus est, Seueri nomen peperit: vt auctor Lampridius. Cauendũ nihilominus, ne nimium sint acerbi in puniendo duces. Lucullus enim, etsi artis militaris peritissimus, infidis tamen ad omnia militibus vsus, & ab iisdem ad extremum desertus est, quòd multa imperaret, parum esset affabilis, inprimis acer in rerum gestarum rationibus reposcendis, inexorabilis in suppliciis. Cuius rei argumentum, quod eosdẽ illos milites pòst acceptos Pompeius ne minimum quidem seditiosos habuit. tantum homo homini, dux duci præstitit: vt auctor nobis est Dio in vitâ Pompeij. D. Traianus in hac parte ita temperans, in imperando ratione vsqueadeò vsus est, vt milites insolentes se præbuerint numquam: teste eodem Dione. Rursum cautelæ caput est, ne nimis leues simus: namque remissum & clementiorem ducem disciplina militaris non patitur. certum est enim vires armis constare; quæ vbi à recto tenore desciuerunt, oppressura sunt, nisi opprimantur: vt rectè censor ille censuit. Quare aduertendum erit Tullianum istud; hoc est, vt salutaris rigor vincat inanem speciem clementiæ. quod Imperatorem Theodosium spectare solitum, memoriæ prodidit Ammianus.

Parentibus Rom. disciplina da strẽsis antiquior fuit, quàm vita liberorum.

Disciplina optime exercitus munitur.

Imp. Alexander qua causa Seuerus dictus.

Vitanda nimia acerbitas in militibus puniẽdis.

In eam partem Lucullus graniter peccauit.

Quantum dux duci præstet.

Traianus in puniendis militibus temperantissimus.

Remissum & clementiorẽ ducem res militaris non patitur.

Rigor salutaris vincere debet inanem speciem clementiæ.

Cùm dispersi ad prædandũ securi oberrant hostes.] Veteres quidam libri præferebant *securiores*. Sed hæc non tam anxiè excutienda duximus; rem maximè spectamus: quare hoc monemus, non modò cùm ad prædandum hostes palantur, occasionem superueniendi præberi, cæterisq. temporibus & modis ab auctore nostro hîc propositis. Id enim prudentissimos belli duces cauisse, scio tam diligenter, quàm quod maximè; ne scilicet aduersariorũ auxilia, ne copiæ ex diuersis locis venientes cogerentur: separatis enim adhuc incumbere solent, aut subsessas collocare, eaq. ratione nullo ferè negotio delere, quos sustẽturi numquam erant, si potuissent coïre. Tum & hoc ferè accedit, vt vno exercitu

Quando commoda sit superueniendi occasio.

Superuentus maximè ordinandi, dum separatæ sunt hostium copiæ, ne coire possint.

Scipionis callidum consilium.

exercitu cæso, alij animos despondeant, veriti ne statim victor & in eos arma vertat. Callidum in eâ re Scipionis consilium. expugnatis namque ab eo Asdrubalis castris, alter exercitus Syphacis, qui in propinquo erat, quasi victus, eâdem operâ profligatus est. Non alienũ huic loco strategema, seu potiùs perfidiæ exemplum, quo Lucullus Lusitanos oppressit, & extra vnũ Viriatum omnes penè deleuit. Eos ipse in tria diuersa loca distributos cõsistere iussit, tanquam rediturus, ostensuruscq; locum condendæ vrbis. mox quàm ad primos rediit, arma tanquam amici essent ponere persuasit, inde immissis militibus trucidari curauit. idemq; secundis, & tertiis ita celeriter factum, vt cladem priorum non intelligerent: Appianus auctor in historiâ bellorum Hispaniensium. Addo præterea magnam aut superueniendi, aut victoriæ obtinendæ occasionem olim fuisse; cùm certis diebus gentibus aliquot ominosum fuerit pugnare. Proinde Iudæis Sabbato defendere se nolẽtibus, Pompeius Hierosolymam expugnauit, auctore Dione in Pompeio. Macedones reges toto mense Iunio exercitũ non eduxisse, ex Plutarchi Alexandro didici. Etiam Romanos istiusmodi religio tenuit, vt videre est apud Festum: *Præliares*, inquit, *dies appellantur, quibus fas est hostem bello lacessere. erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere.* Dies illi istos religiosos appellabant. Meminit eorum Cato in commentariis De iure ciuili: *Itaque*, inquit, *per eos dies non cum hoste manus conserebant, non exercitus scribebantur, non comitia habebantur; neque aliud quicquam in republica, nisi quod vltima necessitas admonebat administrabatur.* de quibus diebus consulendum Agellij capite 11. lib. 4. & cap. 17. lib. 5. Germanis auspicatissimum rebus gerendis initiũ Lunâ inchoãte aut impleta; vt scribit Tacitus.

Qua perfidia Lucullus Lusitanos deleuerit.

Separati exercitus facilius superantur.

Alia occasiones superuentus.

Iudæi Sabbato defendere se nolebant. Macedones toto mense Iunio non pugnabant: Romani etiam certis diebus non pugnabant.

Dies religiosi Romanis.

Germanis auspicatissimum rebus gerendis initium, Luna noua aut impleta.

Pedites cum tyronibus, siue inferioribus mittat.] Tyrocinium militum vnius anni erat. id Seruius ex Ciceronis fragmento probat. Ad militiam euntibus dari solebant custodes, quibus primo anno regerentur. incipiebat autem tyrocinium anno ætatis XVII. Isidoro teste, Seruio 5. Æn. Videndus Cicero pro Cœlio; & Turnebus lib. 26. cap. 22. Quanquam inferiores etiam & minores in exercitu fuerint, vt ab auctore nostro hîc docemur, & lib. 1. cap. 4.

Ad militiam euntes primum annum sub custodibus agebãt. Tyrocinium anno XVII, cæpit.

Ad paludum & viarum difficultates.] In vnis membranis Susij, *& maris difficultates.*

Cibum

Cibum capientes aut dormientes.] Istri cùm A. Manlij castra cepissent, opimæque prædæ incubarent; epulantes ac ludibundos plerosque, ac vbi essent præ oculis nescientes, C. Claudius Pulcher inuasit, coëgitque cum sanguine & spiritu malè partam simul cuomere victoriam. Florus lib. 2. cap. 10. De superuentibus noctu institutis exempla qui desiderabit plura; is inspiciet Sexti Iulij Frontini strategemata, quæ in manu sunt, lib. 2. cap. 10. & alibi. Virg.

Inuadunt vrbem somno vinoq; sepultam.

C. Claudius Pulcher Istris egregiè superuenit.

Aut vacantes certè, securos, inermes.] Suspicatus sum legendum, *vagantes*. & meritò, quanquam libris omnibus dissentientibus, nam C. & G. olim promiscuè ferè scribebantur: teste Quintil. lib. 1. cap. 9. Ausonius:

Vegetius emendatus.

C. & G. olim promiscuè scribebantur.

———*Gamma vice functa priùs C.*

Festus: *quæ nunc appellatur C. ab antiquis G. vocabatur*. Sic infrà cap. 19. *vacantibus globis* non rectè membranæ legebant, cùm sit retinendum *vagantibus*. Perexigua harum litterarum differentia in libris optimis scriptis: quod testatur vetustissimus, & optimæ notæ manuscriptus Censorinus S. Petri Colonienſis. testabuntur quotquot eodem vsi: inter quos ingeniosissimus, mihique amicissimus Gabriel Rolandius Antuerp. Quòd autem *vagantes* hîc rectè legatur, probauit mihi ipse Vegetius, qui libro eodem capite vndeuigesimo, *In ingis*, inquit, *montium laborantibus, in campis exsparsis, atque securis, in mansione dormientibus oportunum prœlium semper infertur.*

Confirmata superior emendatio.

Discalciatos, distractis equis, nihil suspicantes.] Vt primùm Vegetij hunc locum legi, arbitratus sum sub verbo *distractis* aliud quid castrense latêre, quòd scirem Sosipatro Charisio, Grammatico non è triuio, Strigam castrense vocabulum esse, interuallum turmarum significans, in quo equi stringuntur: Itidem Higino de castrorum metatione. Inde etiam equos strigare Turnebus dixit, dum in strigam collocantur. Paulus apud Festum: *Striges appellabantur ordines rerum inter se coniunctè collocatarum, à stringendo dictæ*. Sed non sanus ille locus; neque sana mens, puto, Paulo Diacono, dum ita de Festo meritus est. legerim, *Strigæ appellabantur ordines rerum inter se continuatè collocatarum, à strigando dictæ*. Striges enim aues, vt ex Charisio & aliis discimus. Illud *continuatè* etiam fragmenta Festi agnoscere videntur. Varro libro 2. De re rustica capite nono: *Boues diuersos clunibus continuatos adsistere*

Locus Vegetij semper mihi suspectus fuit.

Striga castrense vocabulum.

Festus emendatus.

Continuate. id est, coniunctim aute quid aliud caue.

Prædictus Vegetij locus olim a me tentatus:

adsistere dixit, & vsi ita eo verbo Cicero & alij. Hæc à me eò dicuntur, quòd putârim aliquando *distrigatos* equos hîc dici posse, dum prædandi causa alij oberrarent, pars in castris non ita continuatè strigarent: Sed nunc in viam redeo, scriboque *distratis equis*: nisi malis *destratis*: tunc enim commoda superueniendi occasio. & id causæ fuit, cur equos non stratos semper ascenderint Numidæ. de quo Appianus meminit lib. De bello Punico. *Sternere* autem *equos & insternere* nemini incognita: oppositum est *desternere*. Liuius: *Armatos deinde, & instratis equis signum exspectare*. Inde Strata & Stragula dicuntur, quæcumque equis insternuntur. Liuius: *Strata detrahi iubet*. iterum alibi. Seneca: *Stultus est, qui equum empturus, nõ ipsum, sed stratum inspicit*. Straturas appellare notabam Paulum Diaconum libro 4. Historiarum extremo. Ab eâdem origine & *stratores*, de quibus antè dicturum me receperam. horum munus equum insternere, tenere, ac domino conscendenti opem ferre. Ammianus: *Cùm eum oblatus non susciperet equus, dextrã stratoris iussit abscidi*. meminit horum Vlpianus ff. De officio proconsulis; & l. 1. C. De officio præfecti præt. Africæ. Spartianus: *Cùm illum in equum strator suus leuaret, pugione latus confodit*. Fons & origo superioris mendæ a consuetudine & ineptia librariorum; qui, vt aliâs, similiter & C. litteram, interim demere, interim addere, pro arbitrio solent. sic apud Modestum, *Contati milites*, mutârunt in *contecti*. Apuleius 2. Floridorum: *Interim dies ire, neque Philemon ad conditum venire*: scribo, *condictum*. Sic contrà *conditum* pro *condictum in horreis*, apud Ammianum scribendum est: Sic apud Apuleium *victricus*, pro *vitricus*. & apud eundem sexto Asini aurei: *his editis, inuolat in eam*; scripseris me lubente, *edictis*: quasi apertè, propalam narratis, propositis. tantum enim istic valet *edicere*: de quo ego aliàs.

Nunc emendatus.

Numidæ equis non stratis vsi.

Strata equorum

Straturas alij vocârunt. Stratores, & munus eorum.

Origo superioris mendæ.

Apuleius emendatus.

Itẽ Ammianus.

Apuleius iterum emendatus.

Cùm primùm adspexerint, perhorrescunt.] Membranæ H. scribebant *horrescunt*; Susij autem, *expauescunt*.

Et vltimos, vel certè insperatos superueniat.] In Susij aliquot libris, *& vltimis aut certè insperatis superueniat*.

Frumentantibus superueniendum. Scipionis cautio contra superuentus dum frumentaretur.

Eos etiam, qui longè à suis pabuli aut prædæ gratiâ commorantur.] Paratos esse vult Vegetius exercituum ductores, vt eos homines statim occupent, cum dilecta manu militum. Incommodum superuentus, dum frumentaretur, Scipio memorabili strategemate euitare solet:

Campum,

Campum, quem demessurus erat, circundabat equitibus, & peditibus scutatis. ipse cum turmis aliis obequitans, excedentes circulũ seuerè castigabat: qua sola re Phaniam præfectum Afrorum equitum compescuit: qui iuuenis impiger equos habebat paruos, celeres, herba, si alia deessent, contentos: cũ iis in arbustis, aut vallibus latitans, quotiens vidisset hostem dissolutiùs agere, aduolabat, damnoq. dato rursus in tutum tanquam aquila se recipiebat. narrat Appianus De bello Punico. Maximus quoque, cùm ad commeatum excundum erat, suos semper leui armaturâ equitatuque (vt patrem Paulum in Macedoniâ viderat) sepiebat; teste eodem Appiano De bello Hispan.

Phaniæ præfecti Afrorum strategema.

Aut prædæ gratia commorantur.] A membranis H. discedere non ausim; quanquam in iis solis legatur, *aut potus gratia.* quòd videam de præda paulo antè auctoré nostrum egisse. Potus gratia exire milites nemo nescit, sed commorandum ea causa interim fuisse, testimonio Catonis ex secundo Originum liquet. vbi insignis militum in hac parte necessitas deregitur: *Qui aquatum,* inquit, *& lignatum inbentur ire, securim atque lorum ferunt, gelum crassum excidunt, eum loro colligatum adferunt.* De Rheni ac Danubij glacie idem commemorat Herodianus lib. 6.

Restituta Vegetio sua scriptura.

Potus gratia milites exire sæpe creati.

Inter hostes discordiarum serere causas.] Quanti sit momenti, vt contra quos belligeramus, inter se ipsi dissentiant, exemplo vno aut altero clarum fiet. Buculi Ægyptiæ populus post superatos Romanos Alexandriam occupaturi erant; nisi Cassius è Syriâ dux aduersum eos missus, id effecisset, vt ipsi distraherentur in partes. Qua ratione effectum est, vt quos antè Romani adgredi non audebant, eos Cassius inter se tumultuantes oppresserit. petenda historia à Dione in M. Antonino. Codrus quoque antiquissimus rex Athenienſium, veste pastorali induta, castris se hostium immisit, ibiq. concitata rixa interfici se passus est, quò ciuitati obsessæ opẽ ferret. quod narratur à Velleio Paterculo.

Discordiarum causæ inter hostes serendæ.

Ea ratione Cassius Buculos deleuit, quibus antea resistere Rom. non potuerant.

Eodem strategemate Codrus rex Athenienſes obsidio ciuitatem liberauit.

Nam ciuile odium ad inimicorum perniciem præceps est.] Interea tẽporis, dũ Romæ domestica illa seditio de lege agrariâ gliscceret, oportunè arma sumenda videbat cum Veientibus Hetruria tota. Liuius: *In spem ventum erat discordiâ intestinâ dissolui rem Romanam posse, principesq; in omniũ Hetruriæ populorum conciliis fremebãt; æternas opes esse Romanas, nisi inter*

Ciuibus dissidentibus ciuitas, aut regnum facile inuaditur.

Discordia vna labes reperta opulentis ciuitatibus, & magnis imperiis.

semetipsos seditionibus sæuiant: id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia essent: lib. secundo ab V.C. Item Varro primo De vitâ populi Romani: *Distractione ciuium elanguescit bonum proprium ciuitatis, atque ægrotare incipit & consenescere.* Neque solis ea labes ciuitatibus, sed regnis & imperiis quoque reperta. Mirum, quantum ad seditiones semper inclinati fuerint Græcorum animi: qui dum eminentissimum quemque è medio tollere conati, totam perdidêre Græciam: teste Herodiano lib. 3.

Græci eminentissimũ quemque tollentes, totam perdiderunt Græciam.

Tentatus fortè, & restitutus Vegetius.

Respondebitur, si fuisset ista cautela.] In vno Susiano codice repperi, *respondebis si fuisset ibi cautela.* Inde lubens fecerim, *si fuisset inibi cautela.* Id an meritò, illorum esto iudicium, qui sciunt *inibi*, pro *ibi* Plauto, Apuleio, & Ciceroni quoque vsitatum. Aduerbia autem *ibi, vbi, hic, illic,* vice pronominum relatiuorum poni ab optimis scriptoribus, testantur, quæ ea de re dixi in Particulis meis.

Carri in orbem constituti pro munitione sunt. Sarnata.

Omnes barbari carris suis in orbem connexis.] Meminit strategematis Sisenna quarto Historiarum: *Impedimenta, inquit, collocant omnia, constrvnt carros, & sarnata crebra disponunt:* apud Nonium in *Carra.* De eâdem re Ammianus: *Vnde haud longo spacio separatum vulgus inæstimabile Barbarorum ad orbis rotundi figuram multitudine digesta planstrorum, tanquam intramuranis cohibita spaciis, otio fruebatur & vbertate prædarum:* lib. 31. Iterum paulo infrà: *Octauo tandem die hostium carpenta cernuntur, ad speciem rotunditatis detornata digestáque.*

Veremur, ne discere nequeamus, quæ.] Solum exemplar M. *veremur ne dicere debeamus quid à nobis alij didicerint.*

Quia vigentibus pacis officiis procul aberat bellorum necessitas.] Exemplar C. S. M. H. *necessitas belli:* amplius tamen in M. *procul aberrat necessitas belli.*

Restituta Vegetio sua lectio. Duci exemplis.

Doceamur exemplis.] In Codice M. expressum erat, *docemur exemplis.* Genuinam lectionem (vt mea fert opinio) suggerunt membranæ H. in quibus disertim exstat, *ducemur exemplis.* Nam vt duci victoriæ præmiis, gloriâ; sic & præmia ac gloriam ipsi sequi dicimur. Itidem Cicero, & alij boni scriptores dixerunt, *exemplum alterius sequi.* ecquid causæ sit, cur minùs eâdem tralatione *exemplis ducamur?* cùm ipse Vegetius, Scipionis, Metelli Mariique exempla sequenda hîc proponat.

Sequi exempla.

Scipio Africanus sub aliis imperatoribus Hispanien-

ses

ſes exercitus frequēter victos accepit.] Auctor eſt Strabo Romanos bellum cum Numantinis geſſiſſe per annos viginti. L. Florus, Eutropius, & alij annos tātùm quatuordecim numerant. Si à conſulatu Q. Fuluij Nobilioris & T. Annij Luſci, originem huius belli repetamus (qui fuit anno vrbis conditæ DC.) reperiemus vſque ad conſulatum ſecundum P. Scipionis, & C. Fuluij Flacci, annos vndeuiginti. quibus ſi tempus, quo Numantia à Scipione obſeſſa fuit, id eſt mēſes quindecim (iuxta Paterculū lib. 2.) adiiciamus; apparebit Strabonem rectè cōputaſſe. Nobilior cum exercitu triginta millium in Segedanos miſſus fuit. illi ſtatim ad Araſchos (quidam Arcuacces vocant) cum vxoribus, & liberis confugerunt, & Caro duce electo, tertio die ſex ciuium Romanorum millia ceciderunt. ipſo autem victoriæ die belli fortunam conuerſam videntes, & Segedani & Araſchi, Numantiam ſe receperunt. quam triduo poſt ipſe Nobilior expugnare conatus eſt. quæ Hiſtoria ex Appiano repetenda libro De bello Hiſpan. Sed vt primus Nobilior, item poſt illum multi & præſtantiſſimi Romani duces fruſtrà idipſum conati. nam ſex conſules, ſex exercitus conſulares nihil inde, niſi calamitatem & contumeliam retulerunt. quod ſatis ſuperque teſtantur eorum temporum hiſtoriæ: Appianus dicto libro, Florus lib. 2. cap. 18. Eutropius lib. 4. Diaconus & alij.

Strabonis, Flori, & Eutropij pugna, de bello Numantino.

Bellum Numantinum cœptum anno ab vrbe condita DC. Numantia menſibus quindecim obſeſſa. Strabo non male computū iniuit.

Origo & fons iſtius belli.

Sex conſules nihil præter ignominiam à Numantinis retulerunt.

Hos diſciplinæ regula cuſtodita omni opere, foſſiſq. faciendis ita diligenter exercuit.] Simul vt in exercitum Hiſpanicum venit Scipio, acriùs ſibi cum Romano, quàm Numantino milite prœliandū animaduertit. qui vt diſciplinam militarem, non dico collapſam, ſed prorſus neglectam nunc reſtauraret; omnes ilicò mercatores, meretrices omnes, cuiuſque modi diuinatores, quos ſæpe milites conſulebant, eiecit: vetuitque ne in caſtra aliquid non neceſſarium importaretur; ſacrificiis quoque, quibus per exta futura inquirebant, interdixit. lixas calonesque paucos eſſe voluit: iumenta omnia clitellaria, paucis neceſſariis exceptis, venderent imperauit: milites coquos habere noluit; inſtrumenta culinaria præter veru, ahenum, & vas potorium ferre vetuit. Culcitas haberi prohibuit, primuſq. ipſe culcita fœnea vſus eſt. ignauiam, aliaq. militū vitia exercendo potiùs in caſtris, velut in ſcholis, quàm puniendo ſuſtulit. teſtantur

Scipio diſciplinam militarem reſtauranit: Quibus id rationibus effecerit.

Id exercendo potiùs, quam puniendo effecit.

testantur Appianus De bello Hispan. Valerius Max. lib. 2. cap. 7. Eutropius, Paulus Diaconus Historiarum lib. 4. Florus lib. 2. cap. 18. Liuius lib. 57. Frontinus lib. 4. Strateg. cap. 1. Plutarchus in Mario. Simili ratione in obsidione Carthaginiensi, cùm præter spem, solâ disciplinæ militaris negligentiâ res hostium auctæ essent, exercitum repurgatum constat hoc Scipionis edicto: *Quotquot non militatis, abite omnes è castris hodie, præter eos, qui potestatem manendi à me acceperint.* videndus Appianus de Bello Punico.

Ex neglecta militari disciplina res aduersariorum augentur.

Vt diceret fodientes luto inquinari debere.] In vno V. codice legebatur *deberent.* Sed scripserit ne hoc Vegetius, videant eruditi. Ad locum saltim Flori digitum intendit; quem subscribo ex lib. 2. cap. 18. *Ferre plenius vallum, qui arma nescirent: luto inquinari, qui sanguine nollent inbebantur.*

Flori locum expressit Vegetius.

Ipsos denique Numantinos capta ciuitate sic concremauit.] In eum modum illa cum paucis sequentibus edendum curaui; præeuntibus tribus, quatuor libris. Ante me ediderant, *Cum ipsis denique Numantinos sic capta ciuitate concremauit, vt nullus euaserit.* Id quâ sententiâ dictum voluerint, equidem non intelligo: nisi stolidi putârint eò deuenisse insaniæ Scipionem, vt simul cum ipsis Numantinis milites suos flammis consumpserint.

Vegetio sua lectio reposita.

Vt nullus euaserit.] Appianus persuadere nobis nititur, capta Numantia alios Scipionem vendi iussisse, alios ad triumphi pompam selegisse, ac seruasse. sed pro Vegetio stat inprimis Florus, dicto cap. 18. *Sic oppressa,* inquit, *ciuitas nullum de se gaudium hosti reliquit. vnus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur.* Idemque testatur Paulus Diaconus lib. 4. Historiarum: *Nouissimâ spe desperationis in mortẽ omnes destinati, clausam vrbem ipsi introrsum succenderũt, cunctiq; pariter ferro, veneno, atque igne consumpti sunt. Romani nihil ex his penitus habuêre victis, præter securitatem suam: neque euersâ Numantiâ vicisse se magis Numantinos, quàm euasisse dixêre. Vnum Numantinum victoris catena non tenuit, vnde triumphum viderit Roma.*

Florus ab Appiano dissentit, stat à Vegetio:

Item Paulus Diaconus.

Ipsi Numantini ciuitatem suam flamma: se ferro ac veneno consumunt.

Metellus in Aphrica.] Bellum hoc gestum anno vrbis DCXLIIII. Consulendus Valerius Maximus lib. 2. cap. 7. Frontinus lib. 4. Strateg. cap. primo, Florus libro tertio, cap. primo, Sallustius Iugurtha, Liuius, Plutarchus, alij.

Cimbri quoque.] De bello Cimbrico, & Marij diligentia industriaque, adeundus Florus lib. 3. cap. 3. Plutarchus

Cimbricum bellum.

tarchus in Mario, Diaconus lib. quinto, & alij.

Cæpionis & Manilij & Silani legiones inter Gallias deleuerant.] Nesciunt Silanum libri M.S.& H.iidemque totum quod paulo antè præcesserat, *& disciplina maiorum*, delebant,& pro *Cimbri quoque*,legebant solummodò *Cimbri*. Vt vt reliqua se habeant,de Silano scio falli. nam eum hîc series ipsa temporum requirit,historiæ veritas, & alij item codices Vegetiani. Namque primus contra Cimbros & Teutonos infeliciter M.Iunius Silanus cos.pugnauit:Itemque post illum Manilius & Q. Seruilius Cæpio. Florus mihi testis erit locuples,& idoneus : *Sed nec primum*, inquit, *impetum Barbarorum Silanus,nec secundum Manilius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt. omnes fugati,exuti castris. actum erat,nisi Marius illi sæculo contigisset.*

Cõfirmata vulgatis apud Veg. lectio.

Quot Rom. duces cum Cimbris infeliciter congressi fuerint.

Sed etiam Teutonum,& Vmbrorum publico Marte deleret.] Emendabam *& Ambronum*, adiutus libro M.& H.eamque tam scio veram esse lectionem, quàm meridie lucere. testis mihi Plutarchus in Mario. vbi, tanquam tessera prœlij fuerit,exclamant:*Ambrones,Ambrones*.testes erunt quotquot meminerunt huius belli Historiographi: inter quos Diaconus lib.5.principio,non vno loco. Vmbri Italiæ populus,quorum ciuitates apud Ptolemæum lib.3. cap.1. De Ambronibus ita Festus: *Ambrones fuerunt gens quædam Gallica, qui subitâ inundatione maris,cùm amisissent sedes suas, rapinis & prædationibus se suosq; alere cœperunt. eos, & Cimbros Teutonosque C.Marius deleuit. ex quo tractum est,vt turpis vitæ homines Ambrones dicerentur.* Inde etiam in vetere Onomastico: *Ambro,decoctor, consumptor patrimonij.*

Ambrones populi in suum locum reducti apud Vegetium.

Vmbri qui.

Qui Ambrones.

AD CAPVT XI.

Vt citatiores sumpta esca redderet.] Auctoritate quinque librorum melioris notæ M.H.& trium Susij locus hic aliter constituendus est,legendumque, *Vt audaciores sumptus escæ redderet.* Hoc qui mutarunt, præsertim post exemplum M.typis expressum,eos oportet insigniter fuisse audaces. quod condonarem facilè,si non pluribus locis eodem fuissent modo grassati. humanum quid hoc in loco ipsis euenit, id est hallucinati, & lapsi, quia non viderunt *sumptus*,pro *sumptione* poni. ea enim phrasis incognita occasionem dedit loco deprauando. Obseruaui insolens non fuisse

Restituta Vegetio bona lectio.

Sumptus,pro sumptio.

Substãtiua quartæ inflexionis, pro verbalibus.

fuisse ætate illâ mediâ, substãtiua nomina quartæ inflexionis, pro verbalibus poni. Ea phrasi sæpe vsus, si fortè & delectatus Tertullianus: qui in vno libro De carne Christi: *Nervorum tenaces connexus, venarum ramosos discursus*; item *prægnatus, & conceptus*: pro *connexione, discursione, prægnatione, conceptione* dixit. Pari phrasi Apuleius lib. vndecimo: *cautoq; circumspectu vitam, quæ multis casibus subiacet, esse viuendam*. vbi ineptè vulgatur, *veniendam*: scripserant veteres librarij *veiuendam*, de quo more suprà indicaui, & inde natum hoc mendum. Prædicta phrasi *figuras & positus ostium*, Cornelius Celsus dixit initio libri octaui. Itidem apud Capitolinum *venatus, ducatus*. Itidem, *indicatus, amissus, comperendinatus, conlectus, opinatus*; pro *amissione, indicatione, comperendinatione, conlectione, & opinatione*. Etiam Latinissimo sæculo Ciceronẽ, Lucretium, & alios vsos probare possim, ni aliò properarem.

Prægnatus, conceptus, pro prægnatione, conceptione. Emaculatus Apuleius.

Et aciem constituant antè, quàm hostes adueniant.] Vulgò legebatur, *& aciem priùs constituant, quàm hostis adueniat*. Ego libros veteres sequi malui.

Vegetius mendo liberatus.

Quod si intra ciuitatem manentibus paratus aduenerit.] Lege, meo periculo, iterum numero multitudinis; & emenda, *quod si intra ciuitatem manentibus imparatisq; aduenerint*. Nam ea scriptura tribus mss. Susij & M. confirmata est quid enim mirum est, si paratus adueniat, qui oppugnaturus venit? *τὸ imparatis*, ipsos oppidanos tangit. præter libros, ipsa res clamitat; & Vegetij verba sequentia, *aut differatur egressus, aut certè dissimuletur*.

Obsessi aliquoties lacessiti, erumpere debent cum minimè exspectantur.

Differatur egressus, aut certè dissimuletur.] Sic Furius consul, cùm primo quietus obsidionem passus esset, in incautum hostem decumana porta erupit. Liuius lib. 3. Item Cæsar libro quinto belli Gallici: *Sic nostros*, inquit, *contempsêre, vt alij vallum manu scindere, alij fossas complere inciperent. tunc Cæsar omnibus portis eruptione facta, equitatuq; emisso, celeriter hostes dat in fugam*. Simili strategemate Labienus Inducio mari militibus superuenit, apud eundem Cæsarem, eodem libro. Pari modo & Pompeiani milites excepti, apud Hirtium De bello Africano.

Redditum Vegetio, quod sinum erat.

Tunc illis stupẽtibus lectissimi prorumpant.] Placet VV. librorũ lectio M.C.S.H. & Susij, *lectissimi quiq. erumpant*.

Multũ virium labore itineris pugnaturus amittit.] In vno mss. Susij & H. *ne multum vir. lab. iti. pugnaturus amittat*.

Voſci

Volsci cursu & clamore fessi contra Romanos pugnam inierunt: sed in fugam statim acti, etiam castris exuti sunt. Liuius lib. 2. Seruius Galba cum lassis ex itinere militibus Lusitanos aggressus est, & in fugam egit: cæterùm cùm per imperitiam cum debili & fesso milite vehemētiùs persequeretur, versi Barbari ad septem millia Romanorum ceciderunt: Appianus De bello Hispaniensi.

Fessi labore itineris prælium non debent inire.

Quid faciet, qui ad aciem anhelus aduentat.] In mss. quibusdam, *in aciem marcidus aduentat*: in aliis, *incautus aduentat*. sed de lectione editâ nihil muto.

Et superiori nostra ætate.] Quis non videat diuersa esse, & disiunctione indigere, quæ superiorum, & quæ nostra ætate fiunt? lib. optimi M. S. H. & Susij, *superiori vel nostra ætate*, constanter & meritò legebant.

Iterum Vegetio restitutum, quod suum est.

Ne quid amplius dicam, exercitus perdiderunt.] In veteri M. H. & duobus Susij legebatur, *exercitus didicerunt*. verumtamen, quæ mea opinio est, scripsit Vegetius, *perdiderunt*: ac parùm abfuit, quin diceret, *exercitus prodiderunt*.

AD CAPVT XII.

Formido ex vultu, verbis, incessu motibusque cernitur.] In veteri M. *moribus cernitur*. Idem codex cum H. mihi auctor fuit, vt paulo antè ederem *diligenter explora*; cùm antè vulgaretur, *diligenter conuenit explorare*.

Inexperto enim dulcis est pugna.] Malunt *inexpertis* M. H, & tres mss. Susiani. Peruulgata admodum Pindari parœmia, *dulce bellum inexpertis*. Præcipites quidem sunt ad prœlia tyronum animi, sed quia rariùs, aut nunquam vidēre homines vulnerari, summum periculum est, ne ad prima statim vulnera expauescant; primamq; coītionem, quæ acerrima est, non sustineant. Illa recepta est, & omnium calculis probata sententia: *Consilio seniorum bella suscipienda, gerenda esse; at iuniorum manibus defendendas possessiones, patriamq; tuendam*. Huc & allegoria pertinet de re nautica; qua in suo Catone Cicero vsus: dum probat eum, qui clauum tenet, consilio, auctoritate ac sapientia plus præstare, etsi quietus sedeat; quàm iuuenes suis viribus ac velocitate: quanquam illi malos scandant, per foros cursitent atque sentinam exhauriant. Aristoteles septimo Polit: *Potentia est in iunioribus, at in senioribus sapientia*.

Dulce bellum inexpertis.

Iuuenes bello apti: at consiliis seniorū regendi.

Senes plus consilio præstant quàm adolescentes manibus.

Potentia in iunioribus; in senioribus prudentia.

Monitis

Monitis tamẽ & oratione ducis.] In veteribus codicibus pro *oratione*, legas *admonitione*, vel *hortatione*, vel *adhortatione*. sed omnia hæc idem valent; & de allocutione exercitus intelligenda, quam nos suprà diligẽter explicuimus, quatenus ad ritus ibidẽ seruatos attinet. Sed adiicienda istis quæ auctor noster hoc capite proposuit præcepta & argumenta, quibus ipsi duces in adhortatione prœlij, iacentes militum animos erigere, & erectos ad arma incitare debent.

Qui rem difficilem militibus promittit, viam ostendere debent, qua ad id perueniendũ putant.

Si futuri certaminis talem acceperint rationem, qua sperent se facilè ad victoriam peruenturos.] Quot libri, tot ferè scripturæ: Inprimis S, *qua sperent se ad vic. peruenturos*. H. *quasi se facilem ad victor. peruenturos*. M, & tres Susij, *quasi sint facilè ad victoriam peruenturi*. Ad rem ipsam quod attinet, exemplum apud Cæsarem tertio Belli ciuilis. Ibi Pompeius, dum milites adloquitur: *Scio me*, inquit, *penè incredibilem rem polliceri: sed rationem consilij mei accipite, quò firmiore animo in prœlium prodeatis.*

Sine dubio autem formidolosiores sunt.] In exemplari M. S. & duobus scriptis Susij, *infirmiores sunt*.

C. Marius bello Cimbrico cur in castris se diutius continuerit.

Frequenter exercitum tuum locis tutioribus ordines, vnde videre hostem.] C. Marius bello Cimbrico à Teutonis, Ambronibus Cimbrisque ad publicũ certamen sæpiùs vocari se passus est; non statim euocari: neque, quòd hostem sperneret, sed quòd suis malè metueret, intra vallum se continuit. Hos irruere, manusque conserere volentes acriter increpuit, ac proditores patriæ appellauit; militesque supra vallum constituens hostes intueri iussit, vt formam illorum tolerare, & vocem longè ferinam & barbaram perferre adsuescerent, apparatus incessusque perdiscerent: Plutarchus auctor in Mario. Arma quoq. & equos aduersariorum recognoscere monet ipse Vegetius, quòd ea, quæ ex vsu sunt, non timeantur. Magnus quondam ab elephantis metus in acie, & maior subinde, quàm erat periculum. Cæterùm, vt aspectum bestiarum sustinere, cùm milites, tùm equi consuescerent; fuêre, qui boum coria instar elephantorum consui, & fœno repleri curârint; eaque simulachra submisso camelo, eique insidente magistro moueri atque agitari fecerint: quod notat Diodorus Siculus de Semiramide, & de Perseo Macedonum rege lib. 3.

Quid remedij repertum contra metum elephantorum.

AD

AD CAPVT XIII.

PRIMVM auxilium captes ex loco.] Veteres libri M. C. & H. *capias*, scriptum habent. quos non sequor. Locus superior, & prœlij tempore, & castris locandis occupandus est: vt suprà docui. Adeundus etiam Frontinus lib. 2. cap. 3, numero 9.

Locus superior quam ob rem occupandus.

AD CAPVT XIIII.

TRIA debet anté prospicere, Solem, puluerẽ, ventum.] Tria præcepit cauenda Vegetius in ordinatione aciei: videlicet Sol, aut puluis, aut ventus: ne aduersa nobis sint, sed hostibus potiùs incommodent. quod ab Annibale callidissimo imperatore apud Cannas obseruatum, magno equidem Romanorum malo, testatum reliquit Liuius, & L. Florus lib. 2. cap. 6. Plutarchus in Annibale: & inter strategemata relatum à Frontino lib. 2. cap. 2. Sol, & æstus Cimbrorum oculis infesti, Romanis alibi præsidio fuerunt; Plutarcho teste in Mario. Annibalis istud strategema pòst imitatus quoque dux Cimbrorum cum Mario congressus in campo Caudio. Is enim nebulosum diem nactus, vt hosti inopinatus occurreret: tum ventosum quoque, vt puluis in oculos, & ora ferretur: tũ acie conuersa in Orientem, vt (quod ex captiuis mox cognitum est) ex splendore galearum ac repercussu quasi ardere cœlum videretur. Florus lib. 3. cap. 3. Itidem fulgura & imbres ex aduerso cadentes ora oculosq. lædunt: teste Dione in Seuero. Si noctu pugnandum est, & Lunæ rationẽ habendam Romanæ industriæ exemplo cognoscitur. qui cum Ponticis congressuri ita direxerunt aciem, vt Luna hostibus aduersa, suis à tergo esset: qua in occasum deuergente, & propiùs ad horizontem prolabente, productiores Romanorum porrectæ sunt vmbræ. hinc decepti inani imagine Pontici, in vmbrarum spectra in irritum sua tela coniecêre: vt ex Plutarchi Pompeio, Orosio, Frontino, & aliis discimus; frustrà iisdem reclamante Floro. quod apud eundem obseruare non neglexit doctissimus Mathematicus Iohannes Stadius.

In acie instruenda, cauẽda sunt, Sol, ventus, & puluis aduersa: Eo strategemate Hannibal apud Cannas vicit:

Hannibalis illud strategema, Cimbrorum dux contra Romanos imitatus.

Itidem fulgura & imbres in prælio aduersa, incommodant. Noctu etiam Lunæ rationem habere cur oporteat.

Ventus cõtrarius tua inflectit ac deprimit tela.] Quę vento aduerso tela mittuntur, excepta flatu impetum non habent, sed retrorsum coguntur: quę autem vento secundo iaciuntur,

Vento secundo missa tela, vltiùs, & maiore impetu feruntur.

iaciuntur, vltra mensuram humani iactus feruntur in hostem. liquet ex pugna inter Theodosium & Eugenium commissa, apud Paulum Diaconum lib. 13. Historiarum, & Rei ecclesiasticæ scriptores; vt apud Theodoricum lib. 5. cap. 24. Socratem, alios.

Ne pòst paullum accedente die noceat Solis mutata conuersio.] Liber trium Coronarum, *antecedente*. in altero autem Susianorum, *ascendente*.

Examinãda veterum librorum scriptura.

Acies dicitur exercitus instructus. frons, quæ aduersus hostem spectat.] Conantur loco mouere illam lectionem tres mss. Susiani, dum scribunt, *exercitus instructi frons, quæ aduersus hostem spectat*. liber S. *exspectat*. etsi aliud acies, aliud frons videatur; quasi hæc illius tantùm pars sit anterior; similesque in acie partes, tanquam membra corporis, cornua, & quæ alas vocant, &c. Iuuat eas membranas tamen Ælianus De phalange seu legione: *Cuius longitudo*, inquit, *prima decurionum ordinatio est, quæ & frons & facies & acies & ingum & os & duces & præstites & primi decuriarum vocari solita est*. Iterum Ælianus cap. De interuallis: *Vt pro acie, ac oris cuiusdam robore ipse sit ordo decurionum*. Apud eundem cap. De transuersa phalange: *Oblongum id consuetimus nominare*. Mitum, nì in veteribus, ex Græco textu translatum fuerit, *Os longum id consuetimus nominare*.

Suspectus mihi Actiani locus, forte sanatus.

Hæc in publica pugna, si sapienter disponitur, plurimum iuuat.] C. Flaminius cos. aduersum Gallos pugnaturus, cùm prodigiis, tum litteris senatus ex acie reuocatus est. Ille litteras acceptas non priùs aperuit, quàm collatis signis hostes fudisset, octo millibus cæsis, septendecim millibus captis. auctor est Plutarchus in Marcello. Vicit autem Flaminius Gallos tribunorum maximè in acie instruenda prudentia, quâ illorum primum impetum ardoremque fatigauerunt. quod notat Polybius lib. 2. Vide Vegetium hoc lib. cap. 20. Magnum etiam ad victoriam adiumentum acies bene instructa Alexandro Magno attulit: teste Quinto Curtio libro quarto.

C. Flaminius aciei maximè ordinatione dimicit.

Acies bene instructa etiam Alexandro victoriam tradidit.

In secundo ordine circũdati cataphractis, nec non.] Reposui, quod exciderat, *circundati cataphractis sagittarij, nec non optimi milites*; secutus in eo auctoritatem librorum veterum M.C.S.H, & vnius Susij.

Apud Vegetium verbum repositum, quod exciderat.

Vehementiùs enim cum saltu cursuque tela mittuntur.]

tuntur.] Hac de re memini dicere me libro secũdo cap. 23.

De sagittariis iuuenibus, de bonis iaculatoribus, quos anteà ferentarios nominabant.] *Ferentarij dicti leuis armatura, quòd quicquid opus esset auxilia ferrent excursu leui, armis grauibus non impediti*: ita Nonio Marcello definiuntur. Eosdem Festus definiuit, *vel à ferendo auxilio, vel quia fundis & lapidibus pugnabant; quæ tela feruntur, non tenentur.* *Ferentarij à ferendo auxilio:* *Vel quòd tela ferrent leuia.*

Quartus item ordo constituitur.] In M. & Susianorum altero, & ipso adeò Modesto legitur, *constituitur*. itemque suprà hoc eodem capite, *Ita ergo constituantur ordines*: omnibus ibidem exemplis cusis & scriptis approbantibus.

De his, qui acriter verutis.] Veteres libri ad vnum omnes, & ipse Modestus, *alacriter*, legunt. Solus H. manuscriptus (adstipulante quoque Modesto) auctior est; scribitque, *alacriter se agunt verutis*. quæ mihi scriptura mirum ni placuisset; cùm eodem modo agendi verbo Terentium, Virgilium, alios probatissimos Latinæ linguæ auctores vsos non ignorarem. De longitudine & figura verutûm itemque pilorum, dictum à me alibi est. *Auctus verbo Vegetius.*

Fundibulatores, funditores, fundibulatores sunt.] Pro *fundibulatoribus* codex M. vtrobique *fustibulatores* substituit; eique consentit Modestus: neq. video cur fustibalum paullo pòst describat noster Flauius, nisi velit quemadmodum *à funda funditores*, sic & *à fustibalo fustibulatoribus* nomen esse. Quare admirandus tam pertinax in deteriorem sententiam reliquorum librorum consensus, pro quibus etiam stare videtur Isidorus; qui lib. 18. cap. 10. *Fundibalum* dici ait *quasi fundentem & emittentem*. *Funditores à funda.* *Fustibulatores à fustibalis.* *Fundibali vnde dicti.*

Qui fundis ex lino vel setis factis.] Appinxerant hîc in veteribus librarij aliquot emblemata; qualia sunt, *qui fundis vtuntur ex lino vel setis*. alij, *qui fundis ex lino vel setis factis pugnant*. Ceterùm à quibus ista sint artificibus, facilè declarat quod subditur, *dirigunt saxa*. Dicta autem Isidoro funda, quòd ex ea fundantur lapides. eius descriptionem tradidi libro primo cap. 16. *Funda, vnde dicta.*

Cùm ad spathas & ad pila (vt dicitur) ventum fuerit.] De spathis, id est gladiis maioribus, & semispathis, hoc est minoribus, meminit Isidorus lib. 18. cap. 6. & Vegetius noster lib. 2. cap. 15. & Tacitus in Annalibus. Gladios Romanorum longiores factos declinante imperio, & à dextro *Romani longioribus gladiis vti instituunt:*

Ad sinistrum latus transferunt.
Athenienses armaturam quando mutârint.

femore ad sinistrum latus translatos, iam antè à me didicisti. Addam inpræsentia sub Iphicrate Athenienſium duce, eorum quoque armaturam mutatã. Cùm enim ante illum Imperatorem pedites maximis scutis, breuibusque hastis, minutis gladiis vterentur: ille è contra peltam pro parma

Peltastis nomen à peltis.

fecit, à quo postea peltastæ pedites appellati; vt ad motus concursusque essent leuiores. Hastæ modum duplicauit, gladios longiores fecit: cuius rei auctores do Æmylium Probum, & Diodorum Siculum lib. 13.

Contorto circa caput brachio dirigunt saxa.] Id quomodo & quotiens faciendum sit, declarat hic scriptor lib. 3. cap. 23: *Semper*, inquit, *adsuescendum est, vt semel tantùm funda circa caput rotetur, cùm ex eâ emittitur saxum.* Diuersum tamen apud Virgilium (credo propter vim maiorem) lib. 9. Æneidos seruatum videbis:

Funda semel emissum circa caput rotatur.

Stridentem fundam, positis Mezentius armis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena:
Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

Quos accensos, tanquam iuniores, & postea additos, nominabant.] Quattuor in libris non pessimæ notæ M. H. & duobus Susij hæc omnia desiderantur: eosdem autem milites alibi auctor noster definiuit lib. 2. cap. 19. Ceterùm cùm eundem, qui principes, qui hastati, qui triarij fuerint, pluribus quoque locis tradidisse videam, tum aliàs quoque in disciplina militari cautelas interdum secundùm, sæpè etiam tertiùm, quãdoque penè ad nauseam vsque repetiisse animaduertam; vix ausim, quæ de accensis hîc repetuntur, loco mouere. Id præsertim ea propter, quòd eodem hoc capite de sagittariis iuuenibus agens adiecerit: *quos antea ferentarios nominabant.* Hic meus mos est, eamque rationem in emendandis veterum scriptis lubens admodùm seruo, vt non plus exemplaribus vetustis tribuam, quàm scriptor ipse, in quo versor, permittere videatur.

Antiqui triarios appellabant.] Plurimi libri legebant, *quos antiqui triarios appellabant*. Monui lib. 1. cap. 20. Vegetio cum antiquis scriptoribus non conuenire: quòd illi hastatos in prima acie collocant. Similiter & Varro facere videtur lib. 4. De lingua Latina: *Hastati*, inquit, *dicti, qui primi hastis pugnabant; pilani, qui pilis; principes, qui à principio gladiis, & pòst commu-*

Hastatos antiqui scriptores in prima acie ponunt.

commutatâ re militari minus illustres sumuntur. Pilani triarij quoque dicti, quòd in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. quod hi subsidebant, ab eo subsidium dictum; de quo Plautus —— agite nunc subsidite omnes, quasi solent triarij. Horum vltimus in aciei ordinatione locus; nec ad pugnam veniebant, nisi rebus propemodùm desperatis; & inde locum adagio fecerunt: *Res ad triarios rediit.* de quo adeundus eruditiorum Batauiæ nostræ primus & antesignatus Erasmus Roterodamus in suis Chiliadibus.

Triarij qui.

Res ad Triarios rediit.

AD CAPVT XV.

SED melius est plures acies facere, quàm militem spargere.] Liber collegij trium Coronarum pro *spargere*, legebat *expandere*. M. & duo Susiani, *exspargere*: quod amplector. sic eodem hoc lib. cap. 19. *In campis sparsis, atque securis.* Emendant M. H. & Susij *exsparsis*. Iterum hoc lib. cap. vltimo: *Melius est post aciem plura seruare præsidia, quàm latiùs militem spargere.* liber M. H. & duo Susij *militem exspargere*. Sæpiùs in hoc auctore abiectas de verbis præpositiones restituo: hoc libro cap. 22. *Vnum superest edocere*, ita enim scribitur in M. H. & duobus Susij. itidem ope vnius exemplaris M. hoc lib. cap. 33. lego, *Cataphracti equites propter munimina quæ egerunt*: vulgò, *quæ gerunt*. Sic *euenire milites; euenire hostes*, primus huic auctori restitui. de quibus suo loco. Pari phrasi paullò ante suspicatus sum apud Apuleium *edictum* scribendum, pro eo, *quod palam, apertè libereq; dictum est*: nec eius coniecturæ iam pœnitet. Nam idem scriptor lib. 2. De Asino aureo: *Chaldæus quidam hospes miris totam ciuitatem responsis, turbulenta, & arcana, stipitibus emerendis edicit in vulgum*. quamquã isthîc emendandum, *totam ciuitatem responsis turbulentat, arcana, stipitibus emerendis, edicit in vulgum*. Nam alibi apud eundem scriptorem legas: *me strepitu turbulentauit*. Redeo ad edicendi verbum, de quo mihi altera in præsens emendatio occurrit, in l. prima C. de famosis libellis: *Nomen suum prositeatur; & quæ per famosum libellum persequenda putauerit, ore proprio dicat ita, vt absque vllâ trepidatione accedat*. Scribo ac restituo ex optimis membranis meis, *Nomen suum prositeatur; & ea quæ per famosum putauit persequenda, ore proprio edicat*.

Exspargêdi verbum reuocatum multis locis apud Vegetium.

Pluribus apud Vegetium locis verba composita pro simplicibus reddita.

Edicere, pro palàm eloqui.

Apuleius correctus.

Emaculata l. prima C. de famosis libellis.

Quadraginta duos pedes in latum, & mille passus in longum.] Disertim perscriptum in membranis H. *quadra-*

Emendatus Vegetius.

Hos duo, quarto casu veteres dixisse.

ginta duo. Itidem in iisdem membranis lib. 2. cap. 6. *equites loricatos centum triginta duo* : in omnibus reliquis *triginta duos*. Dixisse porrò veteres *duo* & *hos duo*, testis Terentius in Adelphis, *Tu illos duo olim pro re tollebas tua*. ibiq. id notauit Helenius Acron. & post eum id obseruauit cõfirmauitq. testimoniis Sosipater Carisius lib. 1. Grammat. Prudentius Apotheos.

Quinque in deserto panes iubet, & duo pisces
Apponi. ———

Iuxta mensuram podismi.] Malebãt M. & H. *iuxta mensuræ podismum*. qui libri (accedentibus quoque in eo duobus Susij) totum hoc membrũ sequens, *si autem internos ordinare volueris*; 21. *pedes in latum, & duo millia passuum in longum, decem millium tenebit exercitus*, non admittunt pro Vegetiano.

Vegetius iterum correctus.

Nam si nimium fuerit acies attenuata.] Nunquam hoc somniauit Vegetius, vt diceret *aciem attenuatã* esse. quomodo legiones attenuatas dixit lib. 2. cap. 3. *Acies tenuata* legendum est, auctoribus optimis exemplaribus M. S. H. & quatuor Susij. Magnum quippe tenuatæ aciei periculum est, ne prima statim impressione perrumpatur.

AD CAPVT XVI.

Ex magna librorum pugna salua tamen lectio Vegetij erutа.

HOSTIVM cornua superfundenda atque turbanda sunt.] Apud Modestum scribitur *semper fundenda* : in duobus mss. Susij, *cornua fundenda* : in duobus aliis eiusdem & M, *superfundenda*: vetus editio Colonienſis, itemque Parisiensis, *cornua perfundenda atque turbanda sunt*. quæ lectio mihi præ omnibus aliis probatur : etsi nescius non sum *superfundi* hostibus vsitatè dici. Nam *perfundere* idem valet, quod capite superiori *perrumpere*; & conueniens admodum vocabulo, seu schemati potiùs militari, quod cuneum vocant. Non absimilis locus in Ciceronis Catone Maiore: *Etiam ipsius terræ vis ac natura delectat, quæ cùm gremio mollito ac subacto sparsum semen excepit, primùm id occæcatum cohibet: ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est: deinde tepefactum vapore, & complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem.* Paul. Manutius, Carolus Langius, alij, veteres libros suos sequuti sunt; in quibus repererant, *compressu suo diffundit*. quorum factum Dionysius Lambinus, qui idipsum quoque in VV. inuenit, laudat; sed laudat tantùm, nisi quòd suspicetur, pro *elicit*, legendum *eiicit*. sed quærat qui illi hoc credat. Anni sunt quinque, sex,

Perfundere actiũ.

cùm

cùm ego in eum locũ incidens de coniecturâ statim emendârim, *compressu suo diffindit*. & miror hoc criticos illos non potuisse eruere. mihi quidem adhuc illa coniectura mea placet vsqueadeò, vt putem ipsum Ciceronem, si viueret, illam non improbaturum. quid enim absurdius est, quàm dici semen & granum compressu terræ diffundi? & cùm diffusum iam est, inde elici herbescentem viriditatem?

Ciceronis locus de coniectura feliciter emendatus.

Scire autem dux debet contra quos grumos, hoc est globos hostium.] Apud Modestum scribitur, *contra quos cuneos, hoc est globos*. sed hæc inepta scriptura; quia diuersa cuneus & globus. In Parisien. editione, *contra quos drumos*. liber S. *contra quos druncos*. Vnde facile fuerat veram lectionem eruere, *drungos*. sed illam absolutè perscriptam habet liber Hittorpianus; itidem duo alij Susiani. Hi drungi nedum sua voluntate, tantùm abest, vt priuato pacto conditionem mutârint. quare Senatusconsulto Viuiano nihil hîc opus. ipsis potiùs dandum interdictum, Vnde vi; vel potiùs actio de vi publica, cõtra tam atroces & temerarios deiectores; qui, tanquam triumuiri coloniis deducendis creati sint, verbum quodque non placitum, nõ intellectum, aliò statim migrare iusserunt. Nullus hîc locus grumo, qui Festo, Cæsari, Vitruuio, & rei rusticæ scriptoribus notus est, pro minore tumulo: Glossarium vetus, *Grumi*, τύμβοι. Groma ad castra pertinuit ponenda; sed nulli illi in acie locus. vide Nonium, Festum, & Vrbicum de limitibus agrorum. De drumis audi Glossarium vetus: δρύμος, *nemus, saltus, condensum*. Sed ad Drungos nostros veniamus: Flauius Vopiscus in Probo: *Omnes gentium drungõs, vsque ad quinquagenos homines, in triumphum duxit*. Erant certè *Drungi, drungisti & drungarij*, vocabula militaria, & apud scriptores bellicæ artis olim frequentia. cõstat ex Leone Imperatore De bellico apparatu capite 3. numero 42. 43. & capite decimo quarto numero 57. 58. & multis aliis locis. Definit autem ipse Leo ferè sic: Μέρος, *id est pars (quæ etiam Turma dicitur) ex tribus* μόιραις, *id est particulis, siue drungis conficitur*: μόιρα autem, *id est, particula, siue drungus, est ex cohortibus, siue ex iis hominibus, qui comites esse dicuntur, conflata multitudo*: cap. 3. numero 9. *Qui drungis præfecti erant, appellati tribuni, seu chiliarchi, siue drungarij*: teste eodem Leone cap. 3. numero 42. Pro drungo, *moram* dixit in Iphicrate Æmylius Probus. vbi videndus de eâdem vo-

Drungi, apud Vegetium possessiones recuperarunt.

Quid grumus.

Groma.

Quid drumi.

Drungi, drungisti & drungarij, vocabula militaria.

Drungus quid sit.

ce vir celeberrimi nominis Dionysius Lambinus. Iã menses aliquot præterierant, cùm Vegetij locum hoc modo restituissem, confirmassem. pòst vidi eodem modo ab Adriano Turnebo emendatum, lib. 24. Aduersariorum cap. 15. quem vt vidi mecum sentire, nõ mediocriter gauisus sum.

Mendosus Vegetij locus:

Quos expeditos velites [quasi volitantes] nominabant. Liber S. *quos explicatos velites nominabãt.* in duobus Susij & H. *quos explicitos velites nominabant.* & quod inseritur, *quasi volitantes*, id M. C. P. S. H. & quatuor Susij adulterinũ esse clamitant: nec scio in qua officina aut fabrica id cusum sit. Diaconus apud Festum: *Velites, dicuntur expediti milites, quasi volites, id est volantes.* Apud Ælianum verò hoc modo: *Velites leuissimè omnium armantur, quocirca vel expeditos nuncupari eosdem licuit.* id ad codicem M. accedit: in quo, cæteris vocibus abiectis, legitur, *quos expeditos veteres nominabant.* Ita, ni fallor, à Cæsare vocati id genus milites: *Cum equitatu*, inquit, *expeditisq;, qui inter equites præliari consueuerant, insidiarum causa eo profectum*: libro 7. belli Gallici. Iterum ibidem: *Galli inter equites raros sagittarios expeditosq; leuis armaturæ interiecerant.* Tacitus: *In vniuersum æstimanti, plus penes peditem roboris; eoq; mixti præliantur, apta & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute dilectos ante aciem locant.* Sed, inquies, hi velites ab ipso Vegetio vt equites describuntur hoc eodem lib. cap. 24. Id mirum non videbitur, vbi Valerium Maximum audieris; qui lib. 2. cap. 3. ita scribit: *Velitum vsus eo bello primùm inuentus est, quo Capuam Fuluius Flaccus imperator obsedit: nam cùm equitatui Campanorum crebris excursionibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Q. Nævius centurio è peditibus lectos expediti corporis, brevibus & incuruis septenis armatos hastis, paruo tegmine munitos, veloci saltu iungere se equitibus, & rursus celeri motu dilabi instituit: quò facilius equestri prælio subiecti pedites, viros pariter atque equos hostium telis incesserent.* Liuius parmas iis datas scribit breuiores, quàm erant equestres, & septena iacula quaternos longa pedes, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest: lib. 26. Iterum Liuius: *gladiis*, inquit, *à velitibus trucidabantur. hic miles tripedalem parmam habet, & in dextra hastas, quibus eminus vtitur; gladio Hispaniensi cinctus est.* Meminit quoq. velitum Frontinus lib. 4. cap. 7. Orosius lib. 4. eosdem describit quoque Isidorus lib. 9. qui ad verbum sua descripsit ex Pauli Diaconi Historiis, seu potiùs Eutropio.

Vt arbitror, iam emendatus.

Velites vt equites descripti.

Velitum vsus quando primùm repertus:

Q. Nævius centurio primus excogitauit velitum arma: Hi equites, & pedites pugnárunt.

Parma velitum tripedalis:

Gladius eorundem Hispaniensis.

Quam-

Quamuis fortissimi hostium equites venerint.] In altero Susij & in S. codice, *equites fuerint*: quod nihili est. amo veteris libri M. lectionem: qui præ se fert, *hostium equites euenerint*. cui accedit H. & ipse Modestus. Idem loquendi genus restitui hoc eodem libro capite nono. *Sed cum legiones, auxilia, vel equites ex diuersis euenerint locis.* vbi vulgò, *aduenerint locis*. Itidem locutus Iustinus: *Darius*, inquit, *vix denis armatis singulos hostes, si diuisio fieret, euenire dicebat.* & Plautus Asinar. *Cui sic tot amanti mihi obuiam eueniant moræ.*

Emendatus Vegetius.

Eueniendi verbum nunc secundùm illi restitutum.

AD CAPVT XVII.

HABEAT dux post aciem in subsidiis præparatos.] Quotquot vidi codices scriptos, impressos, abiiciebant illa, *in subsidiis*. apud Modestum exstant; & inde huc, nescio à quo, accersita.

Abiectum ex Vegetio quod adulterinum est.

Prouolent subitò, & suppleant loca.] Fuit in exercitu Rom. signum militare, quod Labarum vocabant. id signum in multo maiore honore, quàm alia, propterea fuit, quòd semper Imperatorem antecedere, & à militibus adorari consueuerat: vt docemur à Sozomeno libro primo capite quarto, & Paulo Diacono libro vndecimo, & Prudentio libro I. contra Symmachum. Quando illud in exercitu vsui esse primùm cœperit, nondum potui eruere. figuram illius in nummis aliquot veteribus vidi; ex quibus vnum ideò ob oculos ponendum curaui, vt de formâ constet. Præterea vt intelligant studiosi antiquitatum, sub Imperatoribus etiam non Christianis, in bello istud gestatum fuisse; sciant me illud in nummis Cæsaris sæpe vidisse: etiam in nummis Consulum videre licet in Fastis Goltzij, multis annis ante ætatem Cæsaris: nominatim in nummo C. Valerij Flacci: iterum in C. Flauij Fimbriæ. item in nummo M. Cornelij Cethegi, qui COS. anno ab vrbe condita DXCIII. Sed ibi ferè, sub pilis signorum, infimo loco appensum labarum, & inibi litteræ H. vel Π. Elegantissimè in eo nummo, quem me propositurum recepi, expressum videtur.

Labarũ signum militare.

Id in summo honore, & adoratũ à militibus.

Quæritur, quo tempore illud primùm in vsu.

De origine nondum constat: esse in signis anno vrbis DXCIII.

Nummus M. Antonij.

Constantinus id signum in effigiem crucis mutauit.



Signum hoc Romani imperij omnium præstantissimũ, à Constantino Imperatore mutatum in effigiem crucis, auro & lapidibus preciosis collustratam. id inprimis hanc ob causam; vti adsiduo eius adspectu & cultu, subiectos suos pedetentim à patriis ritibus * desuefaceret: eumque solum deũ existimarent, quem coleret Imperator; atq. illo duce & adiutore in bello contra hostes vterentur. Nam istud veluti propugnaculum ante copias suas semper gestandum curauit, lectissimos satellites ad illud negotium obeundum constituit, quibus numero minimùm quinquaginta, nihil aliud impositum erat negotij, quàm vt vexillum hoc vallarent, vndique præsidiis munirent, singulique ordine illud ipsum humeris gestarent. Et sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernerent, ibi salutare illud vexillum, tanquam subsidium præstantissimum ad victoriam obtinendam, statim inferrent. quod scribunt Eusebius lib. 2. De vitâ Constantini cap. 7. cum sequentibus. Nicephorus lib. 7. cap. 36. cum sequent., Sozomenus lib. 1. cap. 4., Paulus Diaconus lib. Historiarum vndecimo, & alij. Quid verò ad hoc faciendum, Imperatorem Constantinum mouerit, ab iisdem scriptoribus discere licet. Cùm enim bello ciuili cõtra Maxentium suscepto, animo anxius esset imperator, & propter magicas artes, quibus aduersarium suum valere intellexerat, valdè metueret: iter faciens vidit ipse & omnes ipsius milites, circa meridiem, ad Orientem partem cœli, signũ crucis igneo fulgore rutilare; qua re vt perterritus fuit, vidit adstare angelos dicentes: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ *Constantine*, quod est, *in hoc vince*: Sed cùm hæc animo versaret, neque intelligeret Imperator; somno oppressum ferunt, dormientique Christum

Qua caussa id fecerit.

*Iulianus paganicum labarum denuò reposuit, vt ad paganismum suos reuocaret: Sozomen. lib. 5. cap. 16.

Quinquaginta præpositi labarorum.

Labarũ ad partem exercitus declinantem statim delatum.

Quid mouerit Constantinum ad mutationem huius signi.

Christum visum cum eo ipso signo, quod in cœlo apparuerat; iussisseque vt aliud signum ad eius exemplar construeret, eoque velut præsidio in prœliis vteretur. quæ historia petenda à prædictis Historiographis, & aliis Ecclesiasticis scriptoribus. Qui signo illi militari destinati erant, clarissimatus honore fulgebant. testis constitutio Honorij & Theodosij, in l. vnica, C. De præpositis labarorum lib. 12. Vbi doctissimus Iacob. Cuiacius *laborum* legendum contendit; quòd signum hoc *laborum*, non (vt vulgò) *labarum*, vocandum sit: quanquam ab eo dissentire videantur prædicti scriptores, & Ludouicus Russardus, qui in collatione Codicis Iustiniani viginti & amplius manuscriptis vsus est. Item Onomasticon vetus; in quo *vexillum, laVarum*: Item Prudentius contra Symmachum. Si cui otium est, videat Ambrosij libri quinti Epistolam 29. ad Theodosium, Iosephi Scaligeri notas in Festum, Alciatum, & Pyrrhum Anglebermæum ad dictam rubricam; Turnebum lib. 15. Aduersar., cap. 16., &, si potest, litem dirimat. Sed caueat, quisquis erit, decernere antè, quàm senatum numerârit: nisi fortè cum Seneca æstimanda censeat iudicia, non numeranda. De Cantabris non minor etiam dissensio. Tertullianus in Apologetico: *Suppara illa vexillorum, & candelabrorum stolæ crucium sunt.* Emendandum putauit Scaliger peracutè, *candes labarorum*. quanquam in priscis exemplaribus *cantabrorum* legatur. quæ etiam vox apud Minutiũ Felicem (quem vulgò aut Irenæum aut Pacatum appellare solent, aut falsò octauũ Arnobij libris adscribere) in Dialogo aduersus gentes: *Signa*, inquit, *ipsa & cãtabra, & vexilla castrorum, quid aliud quàm inanratæ sunt cruces?* Lipsius noster lib. 5. Epistolicarum epist. 9. *labara*, pro *cantabra*, legi posse existimauit, vel vtrobiq. *contabra* vocanda à contis. Qui de hac re iudicaturus est, vnum à me testimonium priùs accipiat Imperatorũ Honorij & Theodosij: *Collegiatos*, inquiũt, *& vitutiarios, & nemesiacos, signiferos, cantabrarios, & singularũ vrbium corporatos, similiformâ præcipimus enocari*, l. 2. C. Theod. de collegiatis.

Præpositi Labarorum clarissimis.

Disceptatio de nomine huius signi: Laborũ quidam vocari volunt.

De Cãtabrorum nomine non mĩnor dissensio.

Inimicorum audaciam frangant.] Vetus editio Col. *innumerorũ aud. fran.* sed militibus innumeris, id est qui præter numeros militares sunt, & vltra legitimum numerum, nullus hic locus est.

Innumeri milites qui.

Si ducenda sit serra, item ex abundantibus ducitur.] Cato

Cato De re militari: *Sine fortè opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra, vti adoriare.* quod fragmentum ex Verrio Flacco mutuatus Festus, in *Serra.* Quanquam *turres* istæ nonnihil mihi suspectæ sunt, quas suspicor in locum *curruum* hîc collocari. nam reliqua belli schemata, cuneus, globus, forceps, serra, in acie vsurpata; vbi, meo iudicio, magis conueniunt currus falcati, quàm turres ambulatoriæ, quæ in oppugnationibus admouebantur.

Festi, seu Verrij locus tentatus.

Circa cornua autem de contatis loricatisque equitibus.] Sex libris VV. legebatur *contra cornua.* sed illi omnes id probare mihi non potuerunt; indicandum tamen, vt videam, quid iudicaturi sint alij.

Circumire debet, & à tergo semper vrguere.] Distinctio hæc & orthographia ab optimis Vegetij nostri manuscriptis libris: in quibus *vrguere, neglegere,* & alia similia reperi; quemadmodum in Pandectis Florentinis, & optimis quibusque codicibus ea scribuntur.

Vrguere, tinguere, & multa alia similiter olim scribebantur.

Quia siniſtra pars difficilior est.] Vide quæ hac de re dicturus sum libro eodem, ad caput vigesimum.

Ideò bonos equites supernumerarios.] Quinque libri mss. & tres cusi, aliam hîc lectionem adferunt: quæ est, *Hic circa se bonos equites supernumerarios, & velocissimos equites habere debet.* & hæc mihi omnino probata. Nam pronomen *hic* refert ducem illum tertium, quem in siniſtra exercitus parte auctor noster posuit bellicosum & prouidum. Itidem de secundo duce, quem in mediâ acie constituit: *Hic,* inquit, *fortissimos pedites, & bene armatos de illis superfluis secum habere debet.*

Repesita apud Vegetium genuina lectio.

De quibus siniſtrum cornu semper extendat.] Qui Sufianos codices scripsit librarius, addidit in vno *extendat, vel emendet.* Ceterùm an hoc ex emendato exemplo, an suo cerebro nobis prompserit, facilè docti viri iudicabunt.

Clamor autem, quem barritum vocant.] Ammianus lib. 26. *Signorum apicibus, aquilisq; submissis desciuêre libentes ad eum, & pro terrifico fremitu, quem Barbari dicunt barritum, nuncupatum Imperatorem, stipatúmque, consentientes in vnum, reduxerunt ad castra.* Idem lib. 16. *Excipiunt eos iam gesturientes barritum ciêre vel maximum. qui clamor ipso feruore certaminum â tenui susurro exoriens, paulatim q; adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* Idem testatum reliquit ipse Ammianus lib. 31.

Barritus clamor militaris in pugna:

Is clamor paulatim vehementior fiebat.

Romani

Romani quidem voce undique Martiâ concinentes, à minore solitâ ad maiorem protolli, quam gentilitate appellant barritum. Hac in re significanda abit nescio quò Pompeius Festus: *Barbaricum, inquit, appellatur clamor exercitus, videlicet quòd eo genere Barbari utantur.* Quem locum expendendum relinquo his, quibus plus otij est. ego à nomine huius clamoris, & modo sustollendi, ad causam & illius effectus transeo. In vtroque, officio interpretis fungetur Cæsar; inprimis libro tertio Belli ciuilis: *Neque frustrà, inquit, antiquitùs institutum est, vt signa undique concinerent, clamoremq; vniuersi tollerent; quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimarunt.* iterum libro 8. belli Gallici: *Magnus vtrimque clamor oriebatur, ita vt quisque poterat maximè insignis, quo notior testatiorq; eius esset virtus.* Solent etiam clamore & à tergo hostium, vel in diuersa parte oppidi vel castrorum sublato, varia & insignia strategemata edi. Cæsar libro septimo belli Gallici: *Multum ad terrendos nostros valuit clamor, qui post tergum pugnantibus exstitit, quòd suum periculum in aliena virtute vident consistere; omnia enim plerumque, quæ absunt, vehementiùs hominum mentes perturbant.* Exemplum elegans apud Sallustium de castro à Ligure occupato: item alia apud Frontinum multa, lib. 3. Strateg. cap. 9. Consulendus quoque Leo Imperator De bellico apparatu cap. 12. numero 70. & capite eodem, numero 106.

Suspectus mihi Festus.

Quæ caussa instituti istius clamoris.

Ex hoc clamore notior virtus militum.

Clamore à tergo sublato egregia eduntur strategemata:

Priùs non debet attolli, quàm acies vtraque se iunxerit.] In codice H. *quàm acies vtraq; innaserint.* in M. *quàm acies vtraque se iunxerint.* Sed ne paucitas militum clamore detegeretur, fuêre qui lixas, calones, & omnis generis sequelas conclamare simul iusserunt. Frontinus lib. 2. cap. 4. numero 8.

Quando clamor illic attollendus.

Etiam lixæ & calones clamare iussi, quo maior videretur exercitus.

Quia tu instructus paratusque ordinantem & trepidum aduersarium præoccupas.] In duobus mss. legebam, *si tu instructus*: quod sententia adæquè admittet, vt alterum illud vulgatum. Viciſſim pro *ordinantem*, duo mss. *inordinatum* scribebant: quæ differentia quoque non magni facienda. De re ipsa exemplum suppeditabo ex Liuio: *Romanæ legiones ab L. Æmilio cos. adductæ, cominus cum Hetruscis dimicant acie; quanquam vix dirigendi aciem spatium Veientibus fuit. adeò inter primam trepidationem, dum post signa ordines introëunt, subsidiaq; locant, inuecta subitò ab latere Romana equitum ala, non pugnæ modò incipiendæ, sed consistendi ademit locum.* lib. 2.

Consultissimum est aduersarium inuadere dum aciem ordinat.

AD CAP.

AD CAPVT XIX.

EXCEPTIS superuentibus, vel incursionibus repentinis ex occasione, quam nunquam dux exercitatus amittit.] In membranis H. & M. & veteri Teutonicâ Vegetij editione desiderantur omnia illa quæ posui. In duobus mss. Susij adnectuntur capiti proximè præcedenti; & incipit hoc caput à verbis: *Nam in itineribus.* atque eo modo *nam* poterit interpretari *sed.*

In campis sparsis, atque securis.] Iam antè monui hîc legendum *in campis exsparsis.* quod iubent veteres codices M. H. & alter Susij.

Exsparsendi verbum Vegetio redditum.

Mansiones, quid fuerint. hinc Gallica vox maisons.

In mansione dormientibus.] Mansiones dicuntur diuersoria, in quæ se recipiunt milites expeditionis tempore. De his alibi Lampridius: *Milites expeditionis tẽpore sic disposuit, vt in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem, vt solent, dierum; nisi in barbarico.* Plinius lib. 6. cap. 23. A Copto, inquit, *camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis.* De iisdem Arcadius Iurisconsultus: *Curatores ad extruenda vel reficienda ædificia publica sine palatia, sine natalia, vel mansiones destinantur.* l. munerum, ff. De muneribus & honoribus. Mansiones autem à prouincialibus instrui solitas, discimus ex l. nemo, C. De annonis. Has mansiones vocauêre posteriores *mansus,* quarta inflexione, vt suprà *prægnatus,* pro *prægnatio,* & multa alia declinata ostendimus. Origo nominis à manendo, quòd milites ibi manerent: vnde & Manêtes in historiis Helmodij milites dicti; vt alibi notat Iacobus Cuiacius. Eâdem ratione & sedes militum, quòd ibi sederent; statiua, quòd ibi starent; vt alibi monui.

Mansionibus extruendis, reficiendis certi olim curatores.

Mansiones à prouincialibus iustructa.

Mansiones à manendo.

Quos vocant grumos.] Codex H. & duo Susij disertè scriptum habent, *drungos:* S *drunços:* quod pro eodem est, C in G mutato.

Drungi Vegetio iterum restituti.

Vnum remedium est, vt alam cornuque replices & rotundes.] Duobus libris mss. & M. probabatur, *repleas & rotundes.* quod non puto probaturos acutos lectores. Ælianus: *Duplicata declinatio partem versus eandem, ora militis in hostilem à tergo conatum transfert. quæ res immutatio dicitur, & vel in hastam, vel in scutum fieri solita est: in hastam, id est, dextrorsum; in scutum, hoc est, sinistrorsum.*

Declinatio seu immutatio in hastam, dextrorsum fiebat: in scutũ, sinistrorsum.

Cuneus dicitur multitudo peditũ, quæ iuncta cum acie

acie primò angustior.] In exemplari M. (cui alter Susij, & hîc,& aliis infinitis locis consentit, vt ex hoc alterũ expressum suspicari possis.) legitur, *quæ iuncta acie primùm angustior.* Et vera illa scriptura videri possit ; nî obstaret quod paulo pòst subditur, *Globus autem dicitur multitudo, qui à sua acie separatus.* Vt cuneus, itidem nodus in acie ; teste Isidoro lib. 9. cap. 3. *Nodus*, inquit, *propriè est densa peditum multitudo ; sicut turma equitum. Dictus autem nodus pro difficultate, quòd vix posit resolui. Cuneus est collecta in vnum militum multitudo; vnde propter quòd in vnum coit, & ipsa coitio in vnum, cuneus nominatus est, quasi conncus, eò quòd in vnum omnes coguntur.*

Defensa vulgatæ editionis scriptura.

Quid nodus.

Quid cuneus.

Et aduersariorum ordines rumpit.] Sic apud Cæsarem *A frumentatione redeuntes milites, ab hostibus castris excluſi, cuneo facto, & duce C. Trebonio equite Romano, cohortati inter se, per medios hostes perrumpunt, incolumesq; ad vnum in castra perueniunt omnes:* lib. 6. belli Gallici.

Cuneo facto per medios hostes perrumpitur.

Quam rem milites nominant caput porcinum.] Iterum præstò est, qui in hoc auctore interpretando sæpe adfuit, Ammianus Marcellinus. is lib. 17. hoc modo scribit: *Cuius furoris amentiam exercitus ita ferre non potuit; eosq; Imperatori, vt dictum est, acriter imminentes, desinente in angustum fronte (quem habitum Caput porcinum simplicitas militaris appellat) impetu disiecit ardenti.*

Cuneus vocabulo castrensi appellatur Caput porcinum.

Nam ex lectissimis militibus confertis in V. litteram ordo componitur.] Membranæ H. metuo vt rem explicent, dum legunt, *militibus in vnum confertis ordo componitur.* deest τὸ *confertis* in duobus libris Susij M. & in S. Consultissimum autem videtur, in constituendo hoc loco, exemplar M, & alterum Susij sequi: in quibus legitur, *nam ex lectißimis militibus in similitudinem V. litteræ ordo componitur.* Sed ne occlames meam mihi sponsam placere ; audi ipsum Vegetium: cui maxima fiat iniuria, nisi in emendandis scriptis suis, ipse quoque suffragium ferre possit. Hic capite sequenti: *ad similitudinem A litteræ aciem componit.* Iterum, *ad similitudinem I, litteræ aciem tanquam veru porrigit*, eodem, capite sequenti.

Purgatus à mendo Vegetius.

Nascitur tumultus atq. confusio, & imparatis conturbatisque facilius hostis incumbit.] Lectiones veterum librorum, non quia elegans aliquid inde elici queat, sed quia admodum variantes sunt, adscribendas duxi: M.

Nascitur

nascitur tumultus atque imparatis: H. nascitur tum. atque confusio: & quos imparatos conturbatosq; inuenerit, facilius hostis incumbit. In tribus Susij iterum longè aliter: *nascitur tum. atque confusio, quia in imparatos conturbatosq; facilius hostis inrumpit.*

AD CAPVT XX.

Locus Vegetij ex Catone descriptus.

VNA depugnatio est fronte longa, quadrato exercitu.] Eam scripturam immutant tres Susij. itidem H. & S. in quibus legi, *fronte longa, quadro exercitu.* Sed hoc; inquies, parui momẽti est: ceterùm si non aliud, hoc saltim monstrabo, Vegetium ex Catone eum locum descripsisse. est autem apud Nonium Marcellum in *Frontem.* Cato De re militari: *Vna repugnatio est fronte longo, quadro exercitu.* Quibus verbis Grammaticus iste (vt & aliorum ibidem laudatis) probat frontem masculino genere veteres dixisse. Pari phrasi idem Cato in libris Originum de acie loquens, dicebat *æquo fronte.* Animaduertis, credo, humane lector, vt hæc, similiter alia Flauium nostrum, cùm ex iis, tum ex aliorum libris descripta in suam epitomen congessisse.

Festus idem tradit in Frontem, & in Corius.

Et cùm in eius parte, vel in medio sinus aut curuatura fit, in eo loco acies frequẽter inrumpitur.] Membranarum trium H. & Susij auctoritatem secutus, ita eum locum edendum curaui. ineptè antea legebatur, *Et hiat aliquando in medio sinus, aut curuatura fit.* Id enim ad mentem Vegetij exprimendam non sufficiens, nec satis idoneum. quem ego id voluisse arbitror, Cauendum duci, ne non modò in medio, sed ne in cornibus quidem, aut vlla exercitus parte sinus relinqueretur aut curuatura. Considerandum quoque, eam hîc depugnationem deleribi, quæ sit fronte longâ, quadro exercitu. Vegetius libro primo capite 26. *vt primo simplex, extensa sit acies, ne quos sinus, ne quas habeat curuaturas.*

Ratio mutati & restituti Vegetiani loci.

In acie ordinanda caute prouidendum, ne vbi sinum habeat aut curuaturã.

Detrudendo, atque supercurrendo ad hostium terga peruenias.] In mss. aliquot legebatur, *detrahendo.* sed id mihi non satis placuit. Illud sæpe industriâ ducum effectum est, vt quos alia ratione turbare aut loco mouere non potuerunt aduersarios, his iniecto metu, & post terga eorum ostensis copiis, signisque etiam calonum inlatis in fugam coëgerint. cuius rei apud Frontinum non pauca Strateg. lib. 2. cap. 4. quanquam milites reperti, qui etiam hac

Signis post terga illatis sæpe hostes fugati.

arte

arte non potuerint induci, vt remp. destituerent. Cæsar septimo belli Gallici: *Cùm septimæ legionis tribunis esset nunciatum, quæ in sinistro cornu gererentur, post tergum hostium signa legionum ostenderunt, signaq; intulerunt. ne eo quidem tempore quisquam loco cessit; sed circumuenti omnes interfecti sunt.* *Reperti tamen qui etiam eo casu mori, quam fugere maluerint.*

Quòd si semel aduersarios exinde pellere cœperis.] M. *aduersarios inde pellere*: vnde facilè feceris, *aduersarios inde expellere cœperis*. quanquã in editâ lectione ego nihil mutem.

Ad similitudinem autem A litteræ, aut libellæ fabrilis.] Tò *autem* in codice M. nullum est. membranæ H. nonnihil hîc interpolatæ. in vno autem Susiano disertim scribebatur, *ad similitudinem autem anantræ, aut libellæ fabrilis*. quod in medio positum relinquo in aliud tempus. De libella Plinius: *Structuras*, inquit, *ædificiorum ad normam & libellam fieri, & ad perpendiculum respondere oportet*. *Libella fabrilis.*

Nam quasi mancus impetus est eorum.] Vegetius hoc libro cap. 18. *quia sinistra pars difficilior est, & velut manca in acie consistit*. In sinistro cornu pugnantes quasi mancos esse, & ad vulnera infligenda minùs idoneos, physicam rationem habet. Parti enim dextræ habilior semper adscribitur motus, læuæ firmitas maior: vnde altera gesticulationibus promptior est, altera oneri ferendo accommodatior: Solinus Polyhistor, capite quinto. Magna profectò M. Sergij gloria, celebre & immortale nomen, qui dextra in prœlio amissa, ferream sibi manum fecit, & cùm neutra penè idonea ad prœliandum valeret; vna die quater pugnauit, & vicit sinistra, duobus equis eo insidente confossis: testibus Solino capite 6., Plinio libro 7. capite 28. Idem quoque scriptor lib. 7. capite 17. vires quibusdam dextra parte maiores esse indicat; quibusdam æquas vtraque, aliquibus læua manu præcipuas: nec id vnquam in feminis. Hippocrates Aphorismis, *Ambidextra*, inquit, *femina non fit*. *Sinistra acies pars, quasi manca consistit.* *Dextræ parti motus habilior.* *Læua manus oneri ferendo accommodatior.* *M. Sergius ferrea manu pugnauit.* *Ambidextra femina non fit.*

Si aduersarius infirmius dextrum cornu habuerit.] In membranis H, & (quod magis mirere) in cuso codice collegij trium Coronarum inueni: *Si aduersarius infirmiorem dextrum cornu habuerit, & tu longè fortiorem sinistrum*. In M. *Si aduersarius dextrũ cornu infirmiorem*. Scribere debebant librarij, *dextrum cornum infirmiorem habuerit*. Sed offendebantur illi boni viri insolentia vocis: tum potuit *m* litera omissa esse in membranis, propter affinitatem syllabæ proximæ sequentis *Emendatus Vegetius.*

Gelus, pro gelu.

quentis in voce *infirmiorem*. *Gelus* pro *gelu* antiquos dixisse, liquet multis locis apud Lucretium,& notârunt Grammatici, vt suprà monui. Itidem *cornus*, *tonitrus*, pro *cornu*, *tonitru*: & contrà *artu* pro *artus*, antiqui declinârunt. testis Priscianus libro sexto. Lucretius lib. 2.

Sic Cornus, tonitrus.

Contrà artu, pro artus.

Prætereà lumen per cornum transit.

Curtius lib. 4. *Hæc dexteri cornus facies erat; in læuo Craterus equites habebat.*

Cùm ordinaueris aciem ante quadringentos, vel quingentos passus.] Membranæ H. malebant *quadraginta, vel quinquaginta passus.*

Sperare, pro timere.

Non sperante eo.] Tropus est, acyrologiam scholæ vocant. quo exemplo *promittere*, *minari*; *sperare*, valet, *timere*.

Quia mediam aciem suam, qui sic dimicat, nudare compellitur.] In aliquibus *denudare compellitur*. Sic alibi ex VV *denitare*, pro *vitare* restitui. Sic apud Arnobium *mala dicuntur voluntate alterius enasci*. *Minerua ex capite Iouis enata*. Item, *aras exædificare diis* apud eundem Arnobium.

Denitare, Enasci, Exædificare.

Quòd leuem armaturam, & sagittarios ante mediam aciem ponit.] Pro *mediam*, codices quotquot videre mihi contigit, substituunt *primam*. Simile mendum capite vltimo huius libri : *Qui leuem armaturam optimam regit, vtramque alam hostis inuadat, ferentariis ante mediam aciem constitutis : qui est quintus modus*. Nam & isthic τὸ *mediam* veteres libri mei ad vnum omnes abiiciunt,nec aliud quid in locum reponunt. Aciem verò Isidorus dictam ait, quòd ferro armata sit, & acumine gladiorum. hæc alas habet, & cornua, frontem, globos, nodos, cuneos, serras, forfices. quæ omnia & formas,& nomina ab ipsis rebus,de quibus translata sunt, imitantur. De nodo & cuneo paulo antè diximus. *Alas* Cincius apud Agellium definit, *equitum ordines, quòd circum legiones dextra sinistráque, tanquam alæ in anim corporibus, locabantur*. Meminit quoque Vegetius lib. 2. capite 1. *Cornua dicta extremitas exercitus, quòd intorta sit*. vt scribit Isidorus libro nono capite tertio.

Consideranda Vegetij locus.

Acies vnde dicta.

Schemata acici vnde nomen sumpserint.

Quid ala exercitus.

Quid cornua.

Longissimè à dextra parte aduersariorum remoue.] Quatuor codices Susiani & M. S. & H. scribunt, *longissimè ab acie aduersariorum remoue*. quod generalius est. indicat enim præterquam à dextra aduersariorum, etiam à media eorundẽ acie copias nostras in sexta depugnatione remouendas.

Reducta in possessionẽ Vegetij locus.

das. Et quod subnectitur: *Nam si partem sinistram*, pro eo VV partim, *Nam cùm sinistram*; alij, *quia cùm sinistram.*

Quo genere in itineribus sæpe confligitur.] Hæc verba pro inscriptione seu titulo sunt noui capitis in M. H. & omnibus Susij.

Hoc est, si montem, aut mare, aut flumen, aut lacum.] Verba duo, *hoc est*, in contextum recepi iubentibus libris. Ad rem ipsam quod attinet, suadeo adeundũ Frontinum lib. 2. Strateg. cap. 2.

Ratio, quare Vegetium duobus verbis auxerim.

Sed in illa ala, quæ munitionem non habet, omnes equites & ferentarios ponas.] Abiiciebant hinc aliquot exemplaria, VV τὸ *ala*, & sic videbitur respexisse Vegetius ad id quod præmiserat, *aut paludes, aut abrupta in una parte habeas.* Præcipit auctor noster ad eam alam, seu exercitus partem, quæ mari, flumine, lacu, monte, aut oppido munita non est, equitatum omnem & ferentarios adhiberi; quò expeditior sit prœliandi facultas. Cæsar tertio Belli ciuilis: *Dextrum cornu eius ripas quidam impeditis ripis muniebat quam ad causam cunctum equitatum, sagittarios funditoresque omnes in sinistro cornu obiecerat.*

Illi acies parti, quæ flumine ciuitate munita non est, equitatum & ferentarios omnes adhiberi oportet.

AD CAPVT XXI.

Ex desperatione crescit audacia.] De emittendis hostibus & non nimis arctè concludendis, ne ex desperatione pugnandi audaciam ferociamque sumant, insignia strategemata collegit Frontinus lib. 2. cap. 6. Quintus Curtius: *Ancipiti*, inquit, *malo oppressi memorabile tamen prœlium edunt; vt opinor, ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei causa est.* libro quarto.

Desperatio militum virtutem sæpe excitauit.

Multi more pecudum trucidantur.] Etsi destituant hîc VV libri, audeo tamen adserere scripsisse Vegetium *inulti.* quod verbum & suprà apud hunc scriptorem in possessionem misi. In quo rectè & ordine me facere indicat, quod paulo antè præmittit, *libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum.* is mè hercules virorum fortium conatus semper fuit, vt cùm moriendum sibi viderent, inulti ne caderent, pecudumque more se paterentur trucidari. Videnda oratio T. Sempronij Gracchi, quam ille inductus in insidias, ad milites suos in eum finem habuit, apud Liuium lib. 34.

Coniectura in Vegetium.

Fortes dum moriendum sibi vident, operã dant ne occumbant inulti.

Nec insequentium vllum periculum.] Contrarium experientia docuit. sæpe enim ipsi victores, quòd nimis feruidi essent in persequendis hostibus, quam nacti erant, hostibus reddidêre victoriam. cuius rei exempla antè à me proposita fuerunt, inter cetera præcepta Imperatoria. Peritissimus artis bellicæ rex Epirotarum Pyrrhus memoriæ prodidit, non esse pertinaciter instandum hosti fugienti; non solùm ne fortiùs ex necessitate resistat, sed vt posteà quoque faciliùs acie cedat, ratus non vsque ad perniciem fugientibus instaturos victores: Frontinus lib. 2. ca. 6. Item Vegetius cap. 22. hoc libro. Nihil enim periculosius existimatur, quàm si inconsultè insequentes, ab his, qui in subsessa fuerint, vel qui ante se parauerint, obseruentur. Videndus quoque Vegetius hoc lib. cap. 25.

Hosti fugienti non nimis pertinaciter instandum.

Inconsultè insequi periculosissimum est.

Arma conuerterint in fugam.] Verba illa, *in fugam*, in octo libris meis non videas. Sallustius Catil: *in fuga*, inquit, *salutem sperare, cùm arma queis corpus tegitur, ab hostibus auerteris, ea verò dementia est. Semper in prœlijs iis maximum est periculum, qui maximè timent, audacia pro muro habetur.*

Maximè timidis in prœlio, maximum semper imminet periculum.

Primum vt tui nesciant ideò te recedere.] Rectè, quisquis est, monuit: *Exercitus incommoda tanquam vulnera corporis tegenda esse.* in quam sententiam insignia strategemata apud Frontinum libro secundo, cap. 7. Interest quoque non parùm, vt etiam tui milites in ipsa prœlij confusione, certiores fiant de ducis consilio. vno exemplo Hannibalis id facilè declarabitur, sumpto ex Appiano De bellis Punicis: *Hannibal viso in quodam colle Hispanorũ Gallorumq; globo, equum illò adegit, vt & hos adduceret.* (factum autem id prœlij restaurandi gratiâ:) *reliqui causam abitus non intelligentes, & rati eum fugere, vltrò contentionem remiserunt, turbatisq; ordinibus fugerunt, non quà Hannibal, sed quà cuique visum est.*

Incommoda exercitus, vt vulnera tegenda.

Etiam in confusione prœlij interest, vt militibus de ducis voluntate constet.

Propterea plerique ante pedites equites posuerunt.] Non absimile Cæsaris strategema; qui relictis in opere duabus cohortibus, quæ speciem munitionis præberent, diuerso itinere, quàm potuit occultissimè reliquas cohortes numero XXXIII. aliò abduxit, libro tertio Belli ciuilis.

Sæpè dum in procinctu alij sunt, alij alio abducuntur.

Vt discurrentes aduersarios videre non sinerent, quando pedites abscedebant.] Tres apud me libri M. S. & H. qui malunt, *quemadmodum pedites abscedebant.*

Item articulatim incipientes à primis.] Malo ex co-

dicibus

dicibus M. S. H. *particulatim*: quod mihi pro genuino est. Ammianus libro 23. *Cutes viuis hominibus detrahunt particulatim, vel solidas.* item lib. 31. *Vbi particulatim, perq; facta magis multitudo minui deberet.* Frustrà extraneos adhibemus, cùm domi sint, quibus hoc confirmare possumus: Vegetius hoc libro cap. 11. *Ne dum per angusta portarum particulatim procedit exercitus, à collectis & præparatis debilitetur inimicis.*

Genuina Vegetii scriptura reposita.

Particulatim.

Et si hostes insequi voluissent, à leui armatura, quæ antè occupauerat locum, additis equitibus, fundebantur.] Tam facilè, mi homo, non funduntur hostes, quàm tu putasti, quisquis id verbi auctori nostro suppositisti. Alio hîc verbo opus, quod ex M. exemplari, cui & alter Susianus accedit, repono, *additis equitibus defendebantur.* Debebit, ni fallor, mihi Vegetius ob verbum tam significans tam proprium sibi redditum. Non enim hîc funduntur statim hostes insequentes; sed *defenduntur*, hoc est *prohibentur, arcentur*, ne ad collem ascendant. eâ phrasi Q. Claudius Quadrigarius dixit, *A pinnis hostes defendebant facillimè.* Item Cicero: *Si quis non defendit iniuriam, neque propulsat à suis, cùm potest, iniustè facit*: 3. Officiorum. Iterùm Vegetius libro quarto capite 10. *aqua defendatur ab hostibus.* Defendere & offendere inter sese aduersa sunt; quorum alterum significat ἐμποδὼν ἔχειν: alterum ἐμποδὼν ποιεῖν: Agellio teste lib. 9. Noctium Atticarum, cap. 1.

Ademptæ iterùm magnæ maculæ Vegetio.

Defendere, pro arcere, Latinissime dicitur: Vsus ita Cicero, Cæsar, alij. Pari phrasi cataphracti equites, Defensores supra nuncupati.

Nihil enim periculosius existimant, quàm si inconsultè insequentes, &c.] Ita eum locum primus edendum curaui, exempla VV quinque secutus. Vulgaris lectio ita habebat: *Nihil enim periculosius existimatur, quàm si inconsultè insequentibus, ab his, qui in subsessa fuerint, vel antè se parauerint, obuietur.* Obseruare possunt, & qui ante se parárunt, & qui in subsessa sunt; sed vtrique non tam rectè possunt dici, obuiare.

Meritò scriptura Vegetij vulgaris reiecta.

Ac nihil tale suspicantibus superuentus adsolent fieri.] Hoc illud est, quod Spartanorum rex suos milites monuit, non exspectandum donec circumuenirentur ab hoste, sed dum nox occasionem daret, securis & lætis superueniendum. quod ex Historiis Trogi Iustinus proposuit libro secundo.

Superueniendum lætis & securis.

Tamen ad defensionem suam potest accusare fortunam.] Rectè quidem hoc, si publica pugna victus est. nam,

Fortuna in re militari plurimum potest.

teste Cæsare lib. 6. belli Gallici, *Multum cùm in omnibus rebus, tum in re militari potest fortuna.* Id Ephesius quoque Heraclitus adfirmauit; addens, ab inertibus & ignauis, euentus variante fortuna, superatos aliquoties viros fuisse præstantes: quod & Ammianus Marcellinus notauit lib. 21. Isocrates Archidamo, & Plutarchus in Apophthegmatibus. Flauius noster, rem militarem sola virtute, vel certè felicitate putauit contineri, lib. 3. prologo. Idemque libro 3. capite vltimo, *In prœliis*, inquit, *amplius solet fortuna potestatis habere, quàm virtus.* Eâdem de re Cicero in eâ, quam pro M. Marcello habuit: *Bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint imperatorum. Et certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multùm adiuuant: maximam verò partem, quasi suo iure fortuna sibi vendicat, & quidquid est prosperè gestum, id pene omne ducit esse suum.*

Ignaui quandoque præstantissimos superarunt.

Laus bellica partim ducibus detrahitur, & cum militibus communicatur:

Maximam eius partem fortuna sibi vendicat.

Qui verò superuentus, subsessas, insidias passus est, culpam suam non potest excusare.] Censui *τὸ insidias* glossema esse alterius verbi *subsessas*, olim non ita cogniti. vt enim superuentus vi infertur; ita subsessæ, fraudulenter, insidiosè collocabantur.

Abstersa iterum macula Vegetio.

Vbi ad agmen hostiũ peruenerunt equites.] Agmen propriè dicitur, cùm exercitus iter facit, ab agendo, id est eundo, vocatum: vt auctor est Isidorus lib. 9. cap. 3.

Agmen quid sit.

Tentant leuiter, atque discedunt.] Apud Appianum De bello Hispanienſi, Viriatus insidias in saltu quodã posuerat; qui vbi adesse Vectilium sensit, simulauit fugam: vbi verò ille insidiarum locum præteriisset, in eum conuersus, impetum fecit: ibi illi, qui in insidiis erant, prodeuntes, vndique Romanos circumuenire, cædere, aut viuos capere, aut ex præruptis locis deiicere.

Modus collocandæ subsessæ.

Præcisis arboribus vias claudunt, quas compedes vocant.] Palmaria Francisci Modij emendatio: *quas concædes vocant.* in M. S. H. & duobus Susij libris *concides* vocantur; quanquam *cõcædes* in aliis scriptoribus appellantur: & ita hunc Vegetij locum olim à Claudio Puteano homine ingeniosissimo restitutum, testatur Dionysius Lambinus in suis Notis ad Æmylium Probum. Mirare quisquis hæc legis tam graues bonis scriptoribus plagas superiori sæculo inlatas, etsi reclamantibus membranis & libris adeò impressis

Recte Vegetius à Modio correctus.

Concades.

impressis: qui apud me duo sunt, & *compedes* hîc nesciunt; quas tamen in iis Vegetij editionibus videas, quibus Hermolai Barbari, Guilhelmi Budæi, & nescio quorum non præfixa nomina. Sed aliorum scriptorum tempus est testimonia audire. Tacitus primo Annalium: *Castra in limite locat; frontem ac tergum vallo; latera concædibus munitus.* Ammianus libro 16. *Difficiles vias, & suapte natura clinosas, concædibus clausêre solerter, arboribus immensi roboris cæsis.* iterum libro eodem: *Sed concæde arborum densa vndique semitis clausis.* Idem strategema Cæsarem video attingere, tertio belli Gallici extremo: *Cæsar*, inquit, *silvas cædere instituit, & ne quis inermibus imprudentibusq; militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conversam ad hostes collocabat, & pro vallo ad vtrumque latus extrnebat.* Idem libro secundo de Neruiis loquens: *Teneris arboribus incisis atque inflexis, crebrisq; in latitudinem ramis enatis, & rubis sentibusq; interiectis, effecerant, vt instar muri hæ sæpes munimenta præberent; quò non modò non intrari, sed ne perspici quidem posset.* Itidem Appianus De bellis Illyricis, Iapodes præcisis nemoribus Cæsarem ad se venientem prohibuisse, narrat.

Iapodes arboribus præcisis Cæsarem ad se venientem defenderunt.

Qui verò sequitur aduersis semitis, longè antè destinat expeditos.] Scribo ac distinguo: *Qui verò sequitur, aversis semitis longè antè destinat expeditos.* Varij apud scriptorem hunc vsus, verbum *destinare*. Hîc *destinare milites*; iterum lib. 4. cap. 18. *destinare phalaricas*; alibi *ad loca destinata venire* dixit; & *destinare missilia*, plus centies. Sic mors alicui destinata, apud Apuleium lib. 6. & loco aliquem destinare. apud eundem destinare, etiam designare significat, quem petas: interdum etiam prendere & attingere quod petiisti: vt notat in suis Aduersariis Turnebus.

Destinandi verbum varij vsus apud hunc scriptorem.

AD CAPVT XXII.

CAMELOS aliquantæ nationes, apud veteres in aciem produxerunt.] Produxit Mithridates contra Lucullum, Antiochus contra Scipionem, vt auctor est Plutarchus in Lucullo. *Crœsus prævalido equitatui camelorum gregem opposuit, quorum nouitate consternati equi insidentes præcipitauerunt:* testis Frontinus libro secundo capite quarto. De iisdem Herodianus libro quarto: *His actis Artabanus aderat, equitatum ingentem & sagittariorum multitudinem adducens; præterea cataphractos*

Camelos qui produxerint in aciem.

Camelis cataphractarij insidebant: Castrabantur fœminæ in vsum belli. Camelorũ vsus olim & in cursu publico.

cataphractos camelis insidentes, qui prælongis contis prœliarentur. Camelos autem pro equitatu in prœlia productos, & fœminas in vsum belli castrari solitas, tum de odio aduersus equos naturali, adnotauit Plinius libro septimo capite decimo octauo; Solinus cap. 52. Quin & in angariis & cursu publico camelis antiquos cucurrisse, Plutarchus Eumene, & Plinius libro 6. cap. 23. testantur. Diodorus Siculus ad cursum adsuefactos camelos, plus centum octoginta septem passuum milia confeciſſe scribit lib. 19.

Quæsitum de nomine populi cuiusdam Aphricani.

Vt Vrsiliani in Aphrica, Macetes hodieque producunt.] Mirum quàm hîc inter se dissentiant veteres libri. S. *Et Triciliani intra Aphricam vel ceteri mane ices hodieq; producunt.* H, *Vt Trecilliani in Africam vel ceteris Mazetes ho. pro.* imò quot apud me codices, tot diuersæ lectiones. Diu quæsiui qui illi Aphricani populi essent, quos *Tricillianos, Trecillianos, Circillianos* librarij vocârunt. In codice M. *Vrtilani* dicebantur: in altero Susij *Vrtiliani*. *Vsillam* ciuitatẽ in Zeugitana siue Numidia noua, agnoscit Ptolemæus lib. 4. cap. 3. eamq. *Vsulam* video vocari in Itinerario prouinciarum. Aliud in Numidia oppidum *Vthisia*, apud Melam libro primo capite sexto. Videant eruditiores an ab altero horum oppidorum nomen prædictis populis imponendum sit; tum an verba illa *vel ceteri* in contextum hîc recipienda: quod iubent sex optimæ notæ libri; quanquam aliud sub iis latêre addubito.

Macedones etiã Macetadicti.

Macetes hodieque producunt.] Libri *Mahetes*, vel *Mogetes* vocant. in optimis mss. *Mazetes* reperi. Ipsa Macedonia etiam Macetia dicta; & populus nunc Macetæ, nunc Macedones. qua de re videndæ Chilo: Bongarsij Notæ in Iustinum.

Camelus sitim tolerat in quatriduum.

Aqua obturbata gaudet.

Sed hoc genus animalium arenis & tolerandæ siti aptum.] In M. *Sed hoc genus animalium tolerandæ siti est aptum.* quod probarem si pluribus probatum esset libris. Plinius autẽ & Solinus auctores sunt camelos sitim etiam in quatriduum tolerare: verùm, cùm occasio bibendi data est, impleri & in præteritum & in futurum, obturbata priùs conculcatione aqua; aliter potu non gaudere. Videndi eâdem de re Didymi Georgica, & Constantinus De agricultura cap. 22. lib. 16.

Confusas etiam in puluere vento vias absque errore dirigere

dirigere memoratur.] Si liceret à tot exemplaribus diuersum sentire, scriberem lubens *confusas etiam puluere vias.* quasi τὸ *in* geminatione factum sit ex *m* littera præcedenti: & *vento* interpretatoris alicuius glossema sit; nisi magis arrideat coniectura Gab. Rolandij, quæ talis est, *Confusas etiam in puluerulento vias.* *Suffectus mihi hic Vegetij locus: Emendatus de coniectura.*

Ceterùm præter nouitatem inefficax bello est.] Inferunt editi olim codices C. S. & tres mss. *præter nouitatem si ab insolitis videatur, inefficax bello est.* pro quo in M. *si absolis videatur.* in H. *si hoc vti videatur.* quæ magis faciunt vt Fr. Modio adsentiar, qui hæc pro glossemate habenda censuit. Vide Gesnerum libro primo De quadrupedibus. *Modio adsentior.*

Cataphracti equites propter munimina, quæ gerunt.] Hi milites à Lampridio, & aliis eius æui scriptoribus *Cataphractarij* appellati itidem *velites*; ab his *velitares*; *scutati*, *scutarij*; *hastati*, *hastarij* nominati. De cataphractorum in exercitu munere, Nazarius Panegyricus ita scribit: *Cataphractos equites, in quibus maximum fleterat pugnæ robur. his disciplina pugnandi est, cùm aciem arctauerint, seruent impressionis tenorem; & immunes vulnerum, quidquid oppositum est, sine hæsitatione perrumpunt.* De armaturâ horum militum, & equorum, quibus insidebant, digna putaui memoriâ quæ ex diuersis scriptoribus obseruaui. Primò apud Seruium, qui vndecimo Æn. ita scribit: *Cataphracti sunt equites, qui & ipsi muniti ferro sunt, & equos similiter munitos habent.* quo in loco etiam Sallustij verba hæc ex incerto libro subiicit: *Equis paria operimenta erant, quæ lintea, ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Disertè id explicant versus Virgilij: *Cataphracti, & cataphractarij.* *Cataphractorum munus in acie.* *Cataphracti omni specie ferrei: Itidem eorundem equi.*

Spumantemq; agitabat equum, quem pellis aënis
In plumam squammis auro conserta tegebat.

Vtrorumque armatura loricæ lineæ plumatæ, seu squamatæ laminis.

Itidem Iustinus lib. 41. *Munimentum ipsis equisq; loricæ plumatæ sunt, quæ vtrumque toto corpore tegebant.* Ammianus lib. 24. *Hostem vndiq. laminis ferreis in modum tenuis plumæ contectum.* itidem Curtius lib. 4. & aliis infinitis locis. Hos equites etiam *Clibanarios* appellârunt Persico more: quod addo, ne diuersos fuisse in exercitu tyro existimet. Lampridius in Alexandro, de Persis loquens: *Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.* Addam, ne quid scrupuli hæreat, Ammiani Marcellini testimonium, ex quo non vulgaria de armatura horum militum disci quoque potuerunt. *Clibanarij, idē qui Cataphractarij.*

Armatura Clibanariorum, quasi inspicienda, proponitur.

runt. is libro decimo sexto: *Incedebant*, inquit, *hinc inde ordo geminus armatorum, clypeatus atque crista tus, coruſco lumine radians, nitidis loricis indutus: ſparſiq; cataphracti equites (quos Clibanarios dicitant Perſæ) thoracum muniti regminibus, & limbis ferreis cincti, vt Praxitelis manu polita crederes ſimulacra, non viros, quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti, vt quocunque artus neceſſitas commoniſſet, veſtitus congrueret, iunctura cohærenter aptata.* Ab eodem porrò ſcriptore munimen capitis cataphracti diſcendum eſt, quod ipſum apud alios ſcriptores ita ad viuum expreſſum, non puto à quoquam repertum iri. Sed ipſum Ammianum audiamus potiùs. is libro 25. initio: *Humanorum q; vultuum ſimulacra ita capitibus diligenter aptata, vt imbracteatis corporibus ſolidis, ibi tantùm incidentia tela poſſint hærere, qua per cauernas minutas, & orbibus oculorum adfixas, parcius viſitur; vel ſupremitates narium anguſti ſpiritus emittuntur.* Neſcio qua auctoritate nixus ſit Alexander Neapolitanus, qui lib. 6. Genial. cap. 22. Clibanarios, & Clupellarios eoſdem facit, diuerſos autem à Cataphractis. in hoc illum errare liquet ex iis, quæ iam antè diximus; & metuo, ne ſimiliter & in altero ſuum nobis commentum, vel ſomniũ potiùs, narret. Clupellariorum Tacitus meminit; ſed equites eos fuiſſe, ex illo ſcriptore doceri nõ poteſt.

Clibanariorum ætas qualis.

Ab Alexandro Neapolitano diſſentio.

Clupellarij.

Propter munimina quæ gerunt.] In libro veteri M. impreſſo legitur: *propter munimina quæ egerunt.* de quo aliàs à me dictum eſt. Munimina & munimenta pro munitionibus, locis munitis, vt caſtris, caſtellis, quandoque ſumpta apud Liuium, & alios. vtrumque etiam pro armis vſurpatum. Curtius lib. 4. *Munimento corporis ſumpto proceſſit ad milites.* Ouidius: *Vrbibus obſeſſis clauſæ munimina portæ*

Proſunt. ——————

Munimina. Munimenta.

Capi facile eſt.] Addunt alij libri, & inter illos membranæ, *capi facile eſt ab hoſte*: ſed, meo iudicio, id nimis quàm ineptum ſit.

Quoniam frequenter obnixi contra diſperſos pedites, quàm contra equites.] Diu me locus hic exercuit; & diſcordia librorum penè facit me, vt cum Modio vſurpem illud antiquum N.L. Edendum curauit Modius: *Quoniam frequenter obnixi*, puto ex membranis H. in quibus erat, *qui frequenter obnixij*. ſed *obnoxij* legendum ibidem indicatum eſt. Equidem in omnibus ceteris, quos vidi ſcriptos & impreſſos,

Deſperatus Vegetij locus.

pressos, *obnoxij* scribebatur. Id primum est. De cetero, codices veteres audiamus: In C. P, *Et laqueis frequenter obnoxij*. eoque accedere videtur S. *aliáque iis frequenter obnoxij*. Vidi tamen tres membranas, in quibus verbi *laqueis* ne vestigium quidem vllum appareret. Neque id agnoscit M. dum legit: *Et sunt frequenter obnoxij tam contra dispersos pedites, quàm contra equites.* Sed isthîc *tam* particulam inculcatam esse, certissimum est. Habeo nunc quod fugiam; nondum habeo quod sequar. Nescio enim an Latini sermonis ratio patiatur, vt dicamus, obnoxios esse cataphractos contra pedites. Id enim si mihi detur, habebo quomodo locum totum interpreter. Sequar enim codicem M. & *frequenter* mihi erit pro *magis frequenter*. qua phrasi Ammiani illud dictum est: *Et properantes cito, quàm considerato cursu*: lib. 16. Idem: *Multis acceptis vulneribus quàm illatis*: lib. 20. Tale & Vegetij illud: *Ita vt duplum pondus cratis haberet, quàm scutum publicum habere consuenit*: libro primo cap. 11. Iterum Ammianus: *Suspicatus parum, quàm oportuerat missum*: libro 28. iterum Ammianus lib. 19. *Aurum quippe gratanter prouinciales corporibus dabunt*, hoc est, magis gratanter, lubentiùs prouinciales aurum conferent, qui tyrocinia in vsum Romanorũ cogãtur, quàm ipsi nomina militiæ dare volent. De istiusmodi loquendi genere dixi libro primo De Particulis linguæ Latinæ. Quod autem ad laqueos attinet, scio fuisse in ludo gladiatorio exercitium laqueatorum, qui laqueo fugientes insequebantur, & si poterant illaqueare, prosternebant. quod docet Isidorus lib. 18. vbi & simile certandi genus de retiariis proposuit. Tyrij Macedones vrbem cum turribus oppugnatum venientes, retibus illaqueasse, & ita in terram deiecisse dicuntur. narrat Diodorus lib. 17. Et memini ab Olao Magno in Historia populorum Septemtrionalium, Finnos, seu Finlandos, inter Septentrionales numerari, qui laqueis & retibus in prœlium egrediuntur, quibus captum, vel irretitum siue hominis, siue equi caput, aut aliud membrum, trahendo in casum repentinũ torqueant. Sed istiusmodi laqueatores in exercitu Rom. fuisse, non ausim sine auctore primus adfirmare. Tum alios laqueos videtur indicare quod sequitur, *dispersos*. Id fieri potuit, si venientibus cataphractis, aciem aduersarij diducerent, dein quos ludificandos receperant, reductis agminibus includerent. quo

Idem tentatus.

Postinus, pro comparatiuo tam in nominibus, quam in aduerbiis.

Laqueatores in ludis.

Laqueatores in exercitu.

Alij videntur apud Vegetium laquei.

strate-

ſtrategemate veteres vſos contra hos equites, audies ex Nazarij Panegyrico cap. ſeq. Iam te mitterem, amice Lector; ni haberem quod putarem magni intereſſe te ſcire: ſcilicet Cataphractis equitibus plus periculi à peditibus, quàm ab equitibus fuiſſe. Ammianus libro decimo ſexto: *Norunt licet prudentem ex equo bellatorem cum Clibanario noſtro congreſſum, frœna retinentem & ſcutum, haſta vna manu vibrata, tegminibus ferreis abſcondito bellatori nocere non poſſe: peditem verò inter ipſos diſcriminum vertices, cùm nihil caueri ſolet, prœter id quod occurrit, humiliter, occultè reptantem, latere forato iumenti incautum rectorem præcipitem agere, leui negotio trucidandum.*

Cataphractis plus imminebat periculi à peditibus.

AD CAPVT XXIV.

Quadrigæ vnde dictæ.

QVADRIGAS falcatas in bello.] Currus hos falcatos quatuor equorum fuiſſe, ex ipſo nomine apertum eſt. Bigas quis primus inuenerit, quis quadrigas, docui libro ſecundo. ceterùm quis primus in aciem, hos currus falcatos produxerit, nondũ ſatis mihi cõſtat. A Parthis frequenter vſurpatos hiſtoriæ loquuntur. Impetũ & figuram eorundem vnus Q. Curtius facilè indicabit: *Ipſe ante ſe falcatos currus habebat, quos ſigno dato vniuerſos in hoſtem effudit. ruebant laxatis habenis aurigæ, quò plures nondum ſatis prouiſo impetu proterèrent. Alios ergo haſtæ multùm vltra temonem eminentes, alios ab vtroque latere demiſſæ falces laceraũere;* libro quarto. Iterum libro eodem: *Ducentæ falcatæ quadrigæ, vnicum illarum gentium auxilium, ſecutæ ſunt, ex ſummo temone haſtæ præfixæ ferro eminebant. Vtrimque à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura ſpicula eminebant in aduerſum. aliæ deinde falces ſummis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demiſſæ, quicquid obuiam concitatis equis fuiſſet, amputaturæ.* Figuram fieri præcepimus, qualem vides ſubiectam. In quâ tamen exprimendâ pictor voluntati meæ non planè ſatisfecit; quòd maiorem hominum numerum adhibuerit, quàm quem quatuor equi permittant: qui ſex aut octo tantùm armatos requirere videbantur.

Quadrigis falcatis Perſæ ferè vſi:

Earum quadrigarũ deſcriptio.

Quadrigæ falcatæ Persicæ.



Operæ

Operæ pretium facturi videbimur, si ex quo figuram horum curruum didicimus, ab eodem quoque resistendi rationem hauriamus. Q. Curtius dicto lib. 4. *Currus, inquit, qui circa prima signa turbauerant aciẽ, in phalangẽ erant innecti. Macedones confirmatis animis in medium agmen accipiunt. vallo similis acies erat, innxerant hastas, & ab vtroque latere temerè incurrentium ilia suffodiebant; circuire deinde currus, & propugnatores præcipitare cœperunt.* Aliam quoque rationem prohibendarum quadrigarum L. Sylla inuenit; qui palos in terram defixit, inter quos milites quadrigis venientibus tuti essent: quod tradit Frontinus libro secundo cap. tertio. Aliud contra eosdem remedium Alexander Magnus excogitauit; præcepit enim suis, vt si falcatos currus cum fremitu Barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum incurrentium exciperent: haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret: sin autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore terrerent, pauidosque equos telis vtrimque suffoderent: Curtius testis libro quarto. Visum est & alios currus falcatos proponere, quos tribus figuris infrà subiectis explicat auctor incertus libelli De rebus bellicis, Notitiæ imperij adiectus.

Ratio excipiendi quadrigas falcatas.

Alia ratio.

Alia ratio.

Currus

Currus Drepanus.



Huiusmodi, (inquit ille auctor) pugnacis vehiculi genus, quod armis præter morem videtur instructum, reperit Parthicæ pugnæ necessitas. Sed hoc singulis bene munitis innecti equis duo viri, vestitu, & armis, ferro diligenter muniti, citato cursu in pugnam rapiunt. cuius posterior supra currum pars cultris in ordinem extantibus communitur. videlicet ne facilis à tergo cuiquam præbeatur adscensus. Falces verò acutissimæ axibus eiusdem currus aptantur, in lateribus suis ansulas habentes, quibus

quibus innexi funes, pro arbitrio duorum equitum laxati quidem explicant, repressi autem erigunt falces. qualia verò huiusmodi machinæ funera hostibus immittant, vel quas turbatis ordinibus strages efficiant, dicent ii è iis qui vsu bella cognoscunt.

Curro-Drepanus singularis.



Curro-

Curro-Drepanus clypeatus.



Expositio curro-Drepani clypeati.

Machinæ (inquit) *huius admiratio habet nouitatis aliquid. Est enim à superioribus curribus quadam parte dissimilis. hinc enim posterior vehiculi pars verberibus spontaneis ad imitandos equos, & clypeis acuto ferro circumdatis, velut in propugnaculo positis communitur.* Non impertinens erit adscribere quod de essedariis memoriæ prodidit Cæsar; qui eo genere pugnæ Britannos plerumque in prœliis vti consuesse, testatur quarto De bello Gallico: vbi etiam ad indicandum id genus pugnæ hæc ferè subdit: Ge-

Quid distet tertius hic currus à præcedentibus.

Essedariorum qualis fuerit pugna:

nus hoc est ex essedis pugnæ: Primò per omnes partes perequitant, & tela coniiciunt. atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant. & cùm se inter equitum turmas insinuauêre, & ex essedis desiliunt, & pedites prœliantur.

Aurigis eorum vbi locus, dum pugnatur.

Aurigæ interim paullum è prœlio excedunt, atque ita se collocant, vt si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos regressum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prœliis præstant, ac tantum vsu quotidiano, & exercitatione efficiunt, vt in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint.

Antiochus, & Mithridates curribus falcatis vsi.

Rex Antiochus & Mithridates habuerunt.] *Methridates* in M. appellatur. Scio esse qui *Mithradatem* vocandum putent. sed eorum opinionem nuper diluit suis in Iustinum historiographum Notis, eruditissimus Chilo Bongarsius; quem licet inuisum, amare cœpi.

Vnoque afflicto, aut vulnerato equo decipitur.] Codex H. *vnóque adflictu, aut vulnere à tergo decipitur.*

Tribuli sparsi contra quadrigas falcatas: Sparsi & contra camelorum incursionem.

Tribulos abiecerunt.] Hos Romani non solùm contra quadrigas falcatas, sed etiam contra camelos sparserunt. testabitur Herodianus libro quarto extremo: *Romani quotiens pedem conferebant, facilè scilicet aduersarios superabant, postea verò quàm ab equitatu & camelorum multitudine premebantur, fuga simulata tribulos, aliaq; machinamenta ferrea acuminata proiiciebant. quæ sub arenis latentia, neque cuiquam conspecta, perniciem equitibus & camelorum insessoribus adferebant. quippe illis calcatis equi, potissimùm verò cameli (quoniam hnic generi mollissimæ sunt vngulæ) succidùe claudicabant, excussis tergo insessoribus.* Memini in simili stratagemate apud Curtium libro quarto, & Valerium Maximum, hos tribulos Murices vocatos. Alius quoque in castris tribulorum vsus esse potest: si quando saxosus locus sit, vel qui fodi non possit, vel tempus fodiendi desit, eundem in castris ponendis vsum tribuli aptè collocati adferunt, quem & ipsa fossa præberet. testis Leo Imperator, capite vndecimo, numero vigesimo septimo. Fuêre quoque qui ferreos murices sparserunt, quò eruptionem oppidanorum impedirent. auctore Valer. Maximo libro tertio.

Camelis mollissimæ vngulæ.

Murices iidem qui tribuli. Tribulorũ vsus in castris ponendis.

Eorundem vsus in prohibenda eruptione.

Quod quomodo abieceris, tribus radiis stat.] In M. *quod abiectis tribus radiis instat*. quam lectionẽ etiam H. membranæ partim iuuant.

Elephantes in prœliis.] Scribo cum VV. *elephanti*. Quibusdam

busdam in libris *elephantes* dicebantur: sed ego illos non audio. Elephantus enim secunda inflexione, non elephas, vel elephans declinandum probauit Sosipater Charisius. Sed nos ista scholis relinquamus,& redeamus ad aciem. Auctor est Appianus, Hannibalem elephantos LXXX. ante aciem per interualla,terroris causa, constituisse: Scipionem verò equitatum Numidarum,quòd hi adsueti essent ferre odorem & adspectum bestiarum, in vtroque cornu locauisse. De elephantis in certamine publico adhibitis,plenæ Rom. historiæ:& videndus Plinius lib. 13. cap. 6. Illud certè silentio prætereundum non est,sæpè communi partis vtriusque periculo productos in campũ elephantos. testis mihi Hirtius De bello Africano, Plutarchus in Pyrrho, Q. Curtius lib. 8. eò quòd hæ bestiæ in suos frequenter se conuerterent. testis Appianus De bellis Punicis. Luculentissimũ quoque eiusdẽ testimoniũ laudandũ puto, ex lib. De bello Hispaniensi: *Vnus*, inquit, *Elephantorũ graui percussus saxo de muro caput, furere etq. effrenatè ferri cœpit: inq; amicos horrendo clamore furens se coniecit, quemuis obuium trudens ac proterens. similiter & reliqui elephanti illius clamoribus exterriti fecerunt: quod quidem sæpenumerò solent, cùm insaniunt, quemuis vt inimicum accipientes. ob quam eorum perfidiam à quibusdam communes hostes appellati.* Tractæ autem hæ belluæ ad bella à Persarũ regibus, eò quòd ictibus nõ cederent, aduersarios mole sua terrerẽt, cutemq. haberent, quæ nulla vi trãsmitti, nullo ferri acumine penetrari posset: quod apud Cassiodorum traditur libro decimo Variarũ cap. 30.

Elephantus secundum.

Elephanti communi vtriusquè partis periculo in aciem educti.

In suos frequenter se conuertunt.

Ob id communes hostes appellati: Elephãti à quibus in prælium tracti: Et ob quam causam.

Homines equósque conturbant.] Elephanti non specie solùm, sed & odore, stridore cristisque tam equos, quàm milites terrebant. Ammianus: *Oppositis elephantis, qui tardius gradientes, magnitudine corporum, cristarumq; horrore panorem iumentis incutiebant*; lib. 25. Operæ precium est audire, quod huic rei remedium Cæsar inuenerit. Is namque Elephantos in Italiam transportari iussit, quò & miles Romanus speciemque & virtutem bestiæ cognosceret, & cui parti corporis eius telum facilè adigi posset: ornatusque ac loricatus Elephantus cùm esset, quæ pars eius corporis nuda relinqueretur, vt eò tela coniicerentur. Prętereà vt iumenta, bestiarum odorem, stridorem, speciem, consuetudine captarum non reformidarent. Quibus ex rebus largiter erat consecutus: nam & milites bestias manibus pertractabant, earumque tardi-

Elephanti etiam cristati in pugna.

Cæsar elephantos in Italiam transportari quare curarit:

Quid ex eo commodi secerit.

tarditatem cognoscebant, equitesque in eos pila præpilata coniiciebant, atque in consuetudinem equos patientia bestiarum adduxerat. auctor est Hirtius De bello Aphricano. Ceterùm multo antè tempore M. Curius Dentatus fugato ex Italia Pyrrho quatuor dicitur in vrbem elephantos adduxisse. Illud certum est, Italiam elephantos primùm vidisse eius regis bello, & boues Lucas, in Lucanis visos, appellasse. anno vrbis CCCCLXXII. Vidit eosdem Roma in triumpho septem annis ad superiorem numerum additis. iterum plurimos anno LII. victoria L. Metelli Pontificis, in Sicilia de Pœnis captos. auctorem habeo Plinium lib. 8. cap. 2. & cap. 6. Illud maximè hîc quærendum videbatur, quo tempore scilicet has bestias ipsi Romani in bellum primùm eduxerint. Id bello Philippico, P. Sulpitio Galbâ C. Aurelio Cottâ coss. (id est anno vrbis DLIII.) factum, ex Liuio didici; is lib. 40. *Ante prima* (inquit) *signa locatis elephantis, quo auxilio tum primùm Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, vsi sunt.* His bestiis sæpe ante aciem, vt primum impetum sustinerent, interdum post exercitus terga ordo datus est: pugnaque incepta iisdem illicò via per ordines patefacta, vt desubitò visu suo, & hostes & equos pariter perterrefacerent; Appiano teste De bello Hispanensi. Interdum ipsis equitum turmis immiscebantur; Hirtius De bello Aphricano. Etiam in munere gladiatorio in Circũ productas Romæ has bestias; per funes quoque incessisse, aliaque ludicra exercuisse, docet Plinius dicto lib. 8. cap. 2. cap. 3. cap. 6. cap. 7. & Dio in Pompeio.

Elephanti in Italia multis annis ante atatem Cæsaris.

Elephanti Roma in triumpho.

Elephãtis quando primùm Romani in bello vsi sunt.

Elephantorum locus in acie.

Equis missi.

Elephanti quoq. in ludis Circensibus.

Primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit.] Testis est auctor De viris illustribus, Pyrrhũ Epirotarũ regem, Læuinum cõsulem apud Heracleam elephantorũ nouitate turbasse. nouũ quippe cõsuli erat, has bestias videre in aciem produci. Testes eâdem de re laudare possum Plinium lib. 8. cap. 6, Iustinum lib. 18. Varronem lib. 6. De lingua Latina, Florum lib. 1. cap. 18, Solinũ cap. 28. Frontinũ lib. 2. Strateg. cap. 4, Cœlium Rhod. lib. 13. cap. 8. Elephantes autem quinquaginta in vsum biennij à Ptolemæo Macedonum rege, hoc bello mutuò eundem accepisse, eodem, quo suprà, loco Iustinus scribit. Fuit etiam hic Pyrrhus cautissimus, & in inuentione Strategematum valdè industrius, primusque, quemadmodum ea disciplina per calculos in tabula

Elephantos primus contra Rom. in acie posuit Pyrrhus.

Pyrrhus militaris disciplinæ peritissimus.

tabula traderetur, ostendit. quod de eo refert Donatus in Eunuch. Terent. act. 4. scena 7. Imò rei militaris scientiam in hoc viro tantam fuisse proditum est, vt cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, potentissimis regibus bella gerens, inuictus semper fuerit. Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque & Carthaginensium bellis nunquam inferior, plerumq. etiã victor exstiterit: quæ encomia seu trophæa illi posuit Iustinus, libro vigesimo quinto extremo.

Idem præstantissimus imperator.

Rex Antiochus in Oriente.] Elephantorũ hunc operâ vti consuesse, testis Liuius lib. 46. Et Plinius lib. 8. cap. quinto; vbi Antipatri auctoritatem secutus, tradit duos Antiocho in bellicis vsibus fuisse, etiam celebres cognominibus, alterum Aiacis, alterum Patrocli. Elephantos antequam Macedones in Asiam transierunt, præter Indos & Aphros, populosque his vicinos, nemo prorsus viderat. quod ex Homero probare visus Pausanias lib. 1. Attic. Vbi inter Europæ reges Alexandrum, fracta iam Pori & Indorum potentia, elephantos primùm habuisse refert, & post mortem Alexandri tum alios reges, tum Antigonum plurimos. Pyrrhum quoque in pugna aduersus Demetrium commissa has belluas cepisse.

Elephanti duo Antiochi.

Celebres iidem cognominibus, Aiacis alter, alter Patrocli.

Elephantorum primus vsus apud Indos & Aphros.

Pyrrhus quando ceperit elephantos.

Aduersus quos diuersa excogitata sunt genera armorum.] Inserunt C. M. S. H. & quatuor Susij, *aduersus quos diuersa resistendi excogitata sunt genera armorum*; pro *armorum*, quod tamen in S. nullum est, M. & tres Susij *armatorum* legunt.

Nam & centurio in Lucania.] Membranæ & codex M. reiectis duabus prioribus vocibus, *Turio* scribunt. in duobus Susij *Curio* vocatur. quæ mihi adhuc ignota & Turionis & Curionis virtus: etsi simile scio apud Hirtiũ narrari, lib. de bello Africano; sed de milite veterano quintæ legionis: *Cùm*, inquit, *in sinistro cornu elephantus vulnere ictus, & dolore concitatus, in lixam inermem impetum fecisset, eumq; sub pede subditum, deinde genu innixus pondere suo, proboscide erecta, vibrantiq; stridore maximè premeret atque enecaret; miles hic non potuit pati, quin se armatum bestiæ offerret: quem postquam elephantus ad se telo infesto venire animaduertit, relicto cadauere, militem proboscide circumdat, atque in sublime extollit armatum; qui in eiusmodi periculo, cùm constanter agendum sibi videret, gladio proboscidem, quo erat circumdatus, cædere, quantum viribus poterat, non destitit. quo dolore adductus Ele-*

Militis veterani cum elephanto pugna.

phantus, milite abiecto, maximo cum stridore, cursuq; conuersus, ad reliquas bestias se recepit.

Clibanarius vnde nomen.

Bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus insidentes clibanarij.] Nomen habent in vereri Onomastico P. Danielis, *Clibanarij, quasi tunica ferrei.* Glossæ κλίβανος, *clibanus.* Hoc genus militum optimè describit Nazarius in Panegyrico Constantini: *Operimento ferri equi atque homines pariter obserti, clibanariis in exercitu nomen est, supernè omnibus tectis equorum pectoribus, demissa lorica & crurum tenus pendens, sine impedimento gressus à noxa vulneris vindicabat.*

Sariſſa haſta.

Sariſſas, hoc est longissimos contos in elephantos dirigebant.] Sariſſam haſtam prælongam ferro præfixo, eamque à Cleomene primùm Lacedæmoniis traditam, & vtrâque manu torqueri solitam, scribit Alexander lib. 6. cap. 22. At Q. Curtius lib. 9. *Macedo, ait, iusta arma sumpserat, æreum clypeum, haſtam, quam Sariſſam vocant, lævâ tenens.* Quæ Curtij verba dum Valturius lib. decimo De re mil. cap. 3. malè laudat, in eum errorem incidit, vt diceret Sariſſam, æreum clypeum esse, cùm tamen cap. proximo & pluribus, Liuij, Seruij, & ipsius Curtij aliis locis ostendat Sariſſam, vt reuerà fuit, haſtam esse prælongam.

Valturij lapsus.

Ne [manu sua] elephas bellatorem cõtra se venientem posset apprehendere.] Quæ inclusa vides, damnantur in N. S. H; & desiderantur quoque apud Modestum.

Manus Elephãti: proboſcis, & promuſcis.

Manum Elephanti Vegetius appellauit: & ita Cicero secundo De natura deorum: Proboscidẽ Plinius & Promuscidem vocat. Etiam Aristoteli dicta προβοσκίς: & Cassiodoro in Variis Nasuta manus. De cetero, adeò vehementes in prœlio has bestias fuisse accepimus, vt manu sua vel proboscide arma virosque corripuerint & super se regentibus tradiderint. quod scribit Curtius lib. 8.

Nasuta manus.

Elephantorum virtus in acie.

Velites, contra Elephãtos emiſſi.

Velites antiqui aduersum elephãtos ordinauerunt.] Appianus De bellis Punicis, cùm de equitatu Italico, id est Auxiliaribus Scipionis loquitur: *Singuli*, inquit, *horum adiunctum habebant velitem armatum multis telis, quibus arceret belluas.* Ibid. paulo pòst: *Scipio equites Italicos ex postrema acie inductos, & leuiùs armatos iussit ex equis territis desilire, & in Elephantos huc illuc ruentes, tela coniicere; primusq; ipse descendit, & Elephantum procurrentem sanciauit: hoc exemplo confirmatis aliis, & vndique iam eos vulnerantibus, retrocedebant.*

Alij, relictis equis, cum beſtijs congreſſi.

Hi equis

Hi equis prætercurrentibus ad latiores lanceas, vel maiora ſpicula belluas occidebant.] Modeſtus & S. legunt, *præcurrentibus*: M. & alter Suſij, *prætereuntibus*. ſed magis rem exprimit quod vulgatum eſt. Quod ad latiores illas lanceas, de his ſuprà, cùm de velitaribus haſtis agerem, me dicere memini, cap. 16. Sed dum in hoc certamen velites miſſi ſunt, latiori ferro haſtas geſtaſſe videntur, vt in magnis corporibus maiora forent vulnera. Illud inſuper Liuius lib. 37, Eutropius lib. 3, & poſt eos Iſidorus lib. 9. prodidit Elephantos retroactos, cùm regi à ſuis non poſſent, fabrili ſcalpro inter aures adacto necatos fuiſſe. idque Aſdrubalem primum inſtituiſſe Liuius ſcribit. Quinimò & veruti s coniectis Romani pedites Elephantos Hannibalis & auertêre, & inſecuti auerſos ſub caudis qua maximè molli cute vulnera accipiunt, fodiebant: teſte Liuio lib. 30. Ignibus etiam ex caſtris Romanorum exactos ab eodem Liuio traditur lib. 35. Item ſecures multi extulerunt, quibus pedes Elephantorum amputarent. Curtius lib. 8. Imò & gladios habebant leuiter curuatos, falcibus ſimiles, copidas vocabant, quibus belluarum manus appetebant; teſte eodem Curtio libro prædicto. Sudibus quoque in prima acie armati conſtitui ſolent ad terrendos prohibendoſque Elephantos: quod ſuprà ex Appiano oſtendi. Memini & foſſas tectas fuiſſe, & in eas illectas has beſtias.

Haſtæ latiori ferro velitibus datæ, aduerſus Elephantos.

Elephanti ſi regi non poſſent, quo pacto à ſuis interfecti.

Id Aſdrubal primus inſtituit.

Elephantos ſub cauda maxime petebant.

Diuerſa aduerſus beſtias reſiſtendi genera antiquitus excogitata.

Sed creſcente audacia poſteà collecti plures milites.] Eâdem de re Liuius teſtis luculentiſſimus: *Ne interpoſiti quidem Elephanti*, inquit, *Romanum militem deterrebant, adſuetum iam ab Aphricis bellis, & vitare impetum bellnæ, & ex tranſuerſo aut pilis inceſſere, aut, ſi propiùs ſubire poſſet, gladio neruos incidere*, lib. 47.

Tandem ipſi milites cum Elephantis congredi adjuuerunt.

Illos, per quos regebantur Elephanti.] Monui exemplaribus optimis placere, *Indos per quos reg. ele.* id fortè inde profectum, quòd natas maximè apud Indos & Aphros beſtias, ab iis magiſtris putârint commodiùs regi poſſe. Vtut ſit, maximos in Indiâ Elephantos, & Aphricanis animorum robore præſtantiores fuiſſe, didici ex Liuij lib. 46. & Plinij lib. 8. cap. 10.

Tentatus Vegetij locus.

In India elephanti præſtantiſſimi.

Elephanti cum ipſis turribus.] Aderant his belluis rectores in acie, qui pro numero beſtiarum, quibus præerant, varia nomina ſortiti, de quibus conſulendus Ælianus. Sed

Elephantorum rectores.

Elephanti turres cum militibus vehebant.

& turres dorsis eorum superimponebantur, in quibus cum variis telis milites. Hirtius De bello Africano: *Scipio desecta patientia Cæsaris, exercitusq; eius vniuersis copiis productis, Elephantisq; turritis triginta ante aciem instructis, quàm latissimè potuit.* ibidem: *Statim ex itinere ante oppidum Thapsum constitit, elephantosq; LXIIII. ornatos armatosq; cum turribus ornamentisq; capit, captosq; ante oppidum instructos constituit.* Magis ad rem illustrandam Polybius, apud quem lib. 5. *Classicum canentes, primùm cum elephantis se mutuò inuadunt. pauci ex iis, quos Ptolemæus habebat, in aduersos feruntur. ex quibus optimam certè faciebant milites pugnam, iacientes hastas, & se inuicem crebris vulneribus afficientes.* Nunc ad ornatum illum explicandum, de quo paullo antè Hirtius, non alius mihi adhibendus videtur præter Plutarchum. Is enim in Eumene notauit elephantis in prælium vadentibus pro ornatu iniectas vestes purpureas. Prætereà vt Elephantis tractos Pompeium, & alios triumphantes, suprà ostendi; itidem hoc loco dicendum erat captiuas has bestias cum turribus in triumphum ductas fuisse. Meminit eius Florus libro primo cap. decimo octauo: *Sed nihil libentiùs populus Romanus adspexit, quàm illas, quas timuerat cum suis turribus belluas. quæ, non sine sensu captiuitatis, submissis ceruicibus, victores equos sequebantur.*

Ex iisdem turribus decertatum.

Elephanti veste purpurea in prælio ornati.

Eodem ipsæ bestiæ ornatu in triumpho.

Elephanti

Elephanti turriti figura.



Mutatione vocula, sanatus Vegetius.

Præterea venientibus belluis, quà erupissent aciem, spacium milites dabant.] Exigua vnius vocabuli mutatione sanasse videor hoc loco Vegetium. Spatium non video cur dandum sit, cùm aliqua parte aciem belluæ iam irruperint. Scribo ex M. S. H. & Modesto, *quasi irrupissent aciem.* Ea lectio si non satis re ipsa tibi probetur, accipe simile strategema, quod contra cataphractos equites institutum est: Nazarius in Panegyrico Constant. Imp. Opem, inquit, *ex ingenio repperisti, tutissimum est eludere quod est difficillimum sustinere, diducta acie in reuocabilem impetum hostes effundi, dein quod ludificandos receperas, reductis agminibus includi.*

Ratio excipiendi seu ludificandi cataphractes.

Carrobalistas aliquanto maiores superpositas curribus.] Carrobalistæ ceteris maiores sunt, & inde nomen sortitas appâret, quòd carro circumueherentur. Harum figuram puto reperisse me in Notitiâ imperij; quam ibidem videre potes.

Sciatur, quæ sint tam immanibus belluis opponenda.] In M. *quæ sit causa immanibus bel. op.* Fortean legendum, *quæ sit cautela immanibus bel. op.* Sed hoc, vt multa alia, in medio relinquo.

AD CAPVT XXV.

Colligere campum. Victoriam duces sibi vindicant rebus diuersis: Etiam bello nauali.

Et (quod ipsi dicunt) colligat campum.] Obtinent hæc Vegetij præcepta non tantùm in acie campestri: namq. Philippus Macedonum rex in prœlio nauali, quod ad Chium fuit, victoriam sibi vendicabat duabus potissimùm rebus; primùm, quòd Attalum in terram fugere coëgisset, regiaque nauis in potestatem suam peruenisset; deinde, quòd stationem in loco, qui Argenon vocatur, habuisset, inter hostium naufragia. quin & postridie vt victorem maximè se gessit, collectis naufragij reliquiis. petenda Historia ex Polybij libro decimo sexto.

Reposita apud Vegetium genuina scriptura.

Quòd si aliquo casu omnis in acie fundatur exercitus, pernicioſæ cladis tamen multis fortuna reparationis non defuit.] Plures hic exercitus in acie ponebat M, legebatque, *omnes in acie fundantur exercitus*: quod non puto illi credendum. paulo pòst scribo & interstinguo, *pernicioſæ clades: tamen reparationis fortuna multis non defuit*: etsi H. malit, *reparationibus non defuit.* Rectè auctor noster præmisit, *In simili conditione fortior creditur, quem aduersa non frangunt.* De Vercingetorige, post expugnatum Auaricum, id refert Cæsar libro se-

Fortissimus ille, quem aduersa non frangunt.

bro septimo belli Gallici, ipsum neque animo defecisse, tanto accepto incommodo, neque se in occultum abdidisse, neque conspectum multitudinis fugisse: ideoque vt reliquorum Imperatorum res aduersæ auctoritatem minuerint; sic huius, ex contrario, dignitatem incommodo accepto in dies auctam. Idem & de ipso Cæsare prædicat in secunda Oratione De rep. ordinanda Sallustius: *In te præter ceteras, vnam artem egregiè mirabilem comperi: semper tibi maiorem in aduersis, quàm in secundis rebus animum fuisse.*

Post pugnam infelicem, duces se in occultum abdere non debent.

Vercingetorigis res aduersæ fortuna auctæ.

Et medicina quærenda est.] Nihil hîc variant libri excepto M. & H. hic enim scriptum habet, *hæc medicina quærenda est.* Ille nescio vnde adsuit hîc verba aliquanta, quibus tamen nondum vidi quid faciendum sit, *Et medicina quærenda est tunc optima in illo vero.* Considerandum hoc viris doctis: nam codicem illum, qui eam lectionem suggerit, etsi impressum, dubium non est ex membranis ipsis expressum esse. quod non modò emendationibus multis, sed orthographiæ quoque obseruatione iamdudum mihi persuasit.

Locus Vegetij hiulcus.

Frequenter iam fusa acies dispersos ac passim sequentes reparatis viribus interemit.] Osculana pugna in prouerbium abiit, quo significatur victos vincere: quia in ea pugna Valerius Leuinus Imperator Romanus à Pyrrho erat victus; & breui eundem regem denuò deuicit. videndus Festus in *Osculana*. Memorabile strategema Q. Fuluij Nobilioris, ducis Romani, Historiæ proponunt. qui à Caro Segedanorum duce superatus est, ciuium Roman. sex millibus cæsis. verùm cùm hostis victoria elatus, nimis cõfidenter ac temerè persequeretur, equitatus Romanorũ, qui ad custodiã impedimentorũ erat, in eum irruit, ipsúmque Carũ fortiter pugnantẽ occîdit, & circa ipsum nõ minùs quàm sex millia militũ: nec prœliũ aliter, quàm noctis tenebris diremptũ est. quæ gesta sunt eo die, quo Romani Vulcanalia celebrant. Appianus auctor De bello Hispan. Discant etiã hinc, quicumq. exercitus ducturi sunt, victoriã modestè vti, & illud semper præ oculis habeant, quod de Lacedæmoniis historiæ maiorũ referunt. Ipsos paulo antè potentes Græciæ dominos, & murorum vrbis Athenienſis euersores, clade Leuctricâ acceptâ, desertos fuisse ab omnibus, ad eosdẽ Atheniẽses cõfugere coactos, & nihilominùs beniuolè ab iisdẽ acceptos. quod narrat Diodorus Siculus.

Osculana pugna

Victi interdum recuperant victoriam.

Vulcanaliorum die à Segedanis recuperata victoria.

Victoria modestè vtendum.

AD CAP.

AD CAPVT XXVI.

Alia Vegetio data lectio.

IN omnibus prœliis expeditionis conditio talis est.] Reperi in S.& H. *In omnibus prœliis, expeditionibus.* quod puto displicere nemini posse. Censuit rex Gothorum Theodericus animum illius in audaciam pronum esse non posse, qui diuersâ sit curâ solicitus. *Hinc*, inquit, *meritò expeditionem nominauêre maiores, quia mens deuota prœliis non debet aliis cogitationibus occupari*: Cassiodorus lib. 1. Variarum, cap. 17.

Expeditio quare id nomen adepta

In bello, qui plus in angariis vigilauerit.] Disertè est in impresso codice collegij trium Coronarum,& in ms. Hittorpiano *agrariis*. quo modo legendũ, alibi iam probaui.

Agraria iterum restituta Vegetio.

Nulla consilia meliora sunt, quàm illa.] Veram lectionem, si quid iudicio valeo, seruauit ms. Susij: in quo, *nulla consilia meliora sunt, nisi ea, quæ ignorauerit aduersarius antequam facias.* Mutârunt vsitatum & elegans loquendi genus fungi illi, qui nihil non sibi in hoc auctore licitum existimârunt. Ciceroni, Terentio, Plauto, Varroni, ipsis Latij & fori Romani proceribus, vsitata phrasis; *Nullus, nisi*; *omnis, nisi*: pro quo vulgò nos, *nullus, quàm*; *omnis præter*, vel *præterquàm*. vt in Particulis meis, quas pueris tantùm, vt crepundia, dare volui, exemplis multis declaraui.

Latinum loquendi genus Vegetio redditum.

Nullus, nisi: omnis, nisi.

Liber de Particulis, Stevvechij.

Quàm latiùs militem spargere.] Accedo libris veteribus M. H. & duobus Susianis; quibus placet, *exspargere.*

Exspargere.

Paucos viros fortes natura procreat.] Non agnoscit M. τὸ *fortes*: legit autem sic, *Paucos namque viros natura procreat, bona institutione plures reddit industria.*

Homines natura imbecillos, institutio fortes facit.

Qui frumentum necessariumque commeatum non præparat.] In M. & H. & tribus Susij legitur, *qui frumenta necessariaq; non præparat.*

In vtroque cornu pariter prœlium debet incipere.] In veteribus aliquot, *bellum debet incipere.* atque ita id verbum vtitur hic scriptor locis plus centum. quanquam non ignorem differentiam, quam inter Bellum & Prœlium Festus & alij Grammatici constituunt.

Bellũ pro prœlio.

Ferentariis ante mediam aciem constitutis.] Monui iam antè, τὸ *mediam* in omnibus libris scriptis & aliquot impressis abesse.

GODESC.

GODESCALCI STEWECHII

COMMENTARIVS AD LIBRVM QVARTVM FLAVI VEGETI RENATI, DE RE MILITARI.

In Prologum.

COMMVNIONE brutorum animalium, vel ferarum, vrbium constitutio prima discreuit.] Ciceronis locus hic laudandus venit ex lib. De Inuentione, ad quem dubio procul noster Flauius digitum intendit: inquit ille: *Fuit quoddam tempus, cùm in agris homines passim bestiarum modo vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. quo tempore quidam magnus videlicet vir & sapiens, cognouit quæ materia esset, & quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere, & meliorem præcipiendo reddere. qui dispersos homines in agris, & in tectis siluestribus abditos, ratione quadam vnum in locum compulit & congregauit, & eos in vnam quamque rem inducens vtilem atque honestam, primò propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes, ex feris & immanibus mites reddidit.* Idem quoque refert idem Cicero in eâ quam pro P. Sextio habuit; ibiq́ue tandem subiicit: *Tum res communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus; tum conuenticula hominum, quæ postea ciuitates nominatæ sunt; tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicimus,*

Ciceronis locum Vegetius voluit exprimere.

Homines ferino more olim viuentes.

dicimus, inuento & diuino iure & humano, mœnibus sepserunt. Horatius in Arte :

Siluestres homines sacer, interpresq; deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.

Inde eos auocauit Orpheus.

Iterum:

——— fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis;
Concubitu prohibere vago; dare iura maritis;
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Vrbibus nomina à conditoribus indita.

Aut ab aliis conditas in nomen suum sub quadam amplificatione transferre.] Vrbes à conditoribus nomina accepisse, testis Colonia Agrippina, testis caput orbis Roma, quam Romulus de suo nomine Romam, non Romulam appellauit, vt ampliore vocabuli significatu prosperiora patriæ suæ ominaretur; auctor in rutis cæsis Festi Paulus Diaconus. Itidem nomen vrbibus inditum, ab iis per quos amplificatæ sunt, Vegetius hoc capite; vel instauratæ, testis D. Hieronymus in principio sui Chronici, de Helenopoli. quanquã ea res latiùs paulo serpserit Principum Romanorum superbiâ: qui cùm titulis in operibus contenti non essent; ciuitates multas nominibus suis appellarunt: testis Spartianus in Hadriano: *Multas*, inquit, *ciuitates Adrianopolis appellauit, vt ipsam Carthaginem, Athenarũ partem. aquarum ductus etiam infinitos hoc nomine nuncupauit.* Imperator Commodus Antoninus eâ fuit dementiâ, vt vrbẽ Romam Coloniam Commodianam vocari voluerit, teste Lampridio. Alij rursum titulorum amatores summi reperti, qui aliorum impensis facta aut exornata opera publica, vt conditores, non vt veterum restauratores, nomine suo inscripserunt. quo vitio Traianum impensè laborasse perhibent: & inde eum herbam parietinam iocando cognominatam, adserit Ammianus lib. 27. & Sextus Aurelius Victor in Constantino. Videnda de his titulis l. 4. C. de priuilegiis domus Augustæ, lib. 11. Etiam menses olim à prædictis principibus nomina accepisse non est incognitum. Quintilis in Iulium, in honorem D. Iulij; Sextilis in Augustum mutauit, vt notat Censorinus De die natali cap. 9. Imitatique horum exempla etiam posteriores, & nimis quàm ridiculè. Cõmodus certè pro mense Augusto, Cõmodum; pro Septembri, Herculem; pro Octobri, Inuictum; pro Nouembri

Roma vnde dicta.

Cur non Romula vocata.

Nomina vrbibus data ab iis, qui amplificarunt.

Etiam nomina ciuitatibus imposita ab Imperatoribus Rom. Item aquæductibus.

Alij Imperatores titulos magis in operibus amârunt.

Traianus, cur herba parietina vocatus.

Mensibus nomina ab Augustis imposita:

Ridiculus hac in re Cõmodus.

uembri, Exuperatorium; pro Decembri, Amazonium, in sui honorē vocari passus est. quod in litteras retulit Ælius Lampridius. Obseruatus etiam mos, & quidem peruetus, vt ex deuictis regnis prouinciisq. nomina duces sumerent. P. Cornelius Scipio primus à deuicta prouincia nomen retulit, & ab Aphrica Aphricanus dictus; Liuius lib. 30. Proinde & L. Scipio Asiaticus, L. Æmilius Paulus Macedonicus; & Metellorum alter Macedonicus; alter Numidicus appellari meruerunt. Sed & eum honorē multo maiorem quoque sibi fecēre prædicti Romani Principes, qui non solùm Germanici, Parthici, Dacici, &c. appellari gaudebant; sed ipsas quoque prouincias subiugatas nomen suum ferre voluerunt. Et hoc est, cur in Notitiâ imperij, in Britanniâ quinque Prouincias constituerunt: *Britanniam primam, Britanniam secundam, Flauiam, Maximam, & quintò Valentinam*; quam Valentem dictam refert Ammianus lib. 28. emendo vtrobiq. *Valentinianam*. Audi quæso quàm leui de caussa id huic prouinciæ nomen. Valentinus quidam in exilium missus, in Britannia seditionem excitauerat. eò missus strenuissimus Valentiniani Imperatoris ductor Theodosius, hominem oppressit, seditionem sedauit; statimque ex arbitrio Principis, nomen ea pars Britanniæ mutauit: teste eodem Ammiano. Etiam oppida condita ad memoriam insignis alicuius partæ victoriæ. Sic Traianus Imperator Nicopolin condidit, & indicem reliquit victoriæ contra Dacos; Ammiano teste lib. 31. Item ab expugnatis oppidis cognomen Imperatores mutuati sunt. Sic à captis Coriolis, Coriolanus; testis Dionysius Halicarnasseus lib. 6. Valerius Maximus lib. 4. cap. 3. Eò respexit Cicero in epistola ad M. Cœlium: *Oppugnaui*, inquit, *quinque & viginti diebus, aggeribus, vineis, turribus oppidum Pindeniſſum munitiſſimum, tantis operibus, vt mihi ad ſummam gloriam nihil deſit, niſi nomen oppidi.* Hoc amplius, P. Seruilius ab Isauro arce Ciliciæ, quòd conscius sibi esset magni laboris, Isaurici cognomen adamauit: Florus lib. 3. cap. 6. De nominum impositione & causis, qui volet, adeat Plinium lib. 18. cap. 3. Macrobium libro primo cap. 6; Plutarchum in Coriolano, & iterum in Mario.

Vicißim cognomina ducibus parta ex prouinciis deuictis: Is honor primum Cor. Scipioni contigit.

Eum morem auxerunt Romani Cæsares: Hi prouinciis subiugatis a se nomen indiderunt.

Correctus Ammianus, & Notitia Imperij.

Etiam oppida nouæ condita ad memoriam insignis victoriæ.

Cognomen ducibus concessum ab oppidis expugnatis.

Cicero illustratur.

Ducibus etiam ab arce sola deuicta cognomen placuit.

Vt non tam humana manu conditæ, quàm diuino nutu videantur paratæ.] Quot capita, tot sententiæ, habet prouerbium: & hoc loco quot fuerunt librarij, totidem

totidem nobis obtrusæ diuersæ scripturæ. M. *videantur hamatæ*: S & B, *renatæ*: H *ornatæ*. alter Sus. *ortæ*: tres alij eiusdem Susij, *enatæ*. quod pro sincero amplexus sum. Liuius lib. 9. *sed ita natus locus est*.

Examinata Vegetij scriptura.

Castimonia, indulgentiæ exemplo, studiorum amore præcellis.] Tres, quatuor veteres codices optant legi, *castimoniæ exemplis, indulgentia*. De cetero, vnus M, pro *studiorum amore*, (quod in omnibus libris, tanquã in fundi possessione reperitur) verbis disiunctis, & parùm immutato posteriore, legit, *studiorum armorum*. De quâ lecturâ vix audeo decernere: quòd non satis exploratum mihi sit, sub quo Valentiniano noster Vegetius vitam vixerit. Etsi illud mihi penè stet, sub primo non floruisse, quem tamen ab armorum nouorum inuentione, & aliis miræ industriæ exemplis laudant Ammianus libro trigesimo extremo, Paulus Diaconus, Orosius, Sextus Aurelius Victor, & alij.

Valentinianus primus, ab inuentione nouorum armorum celebris.

Studiorum amore præcellis.] Meritò restituo *præcedis*; iubentibus sex libris scriptis & duobus VV impressis. qui impressi me ferè semper iuuerunt ampliùs, quàm vlli manuscripti. Censorinus de die natali: *opes tibi quæ non modò bona generis humani præcedunt, sed quæ*. Pari phrasi (nisi egregiè fallor) dicitur hoc lib. cap. 29: *Balistæ & onagri, si à peritis diligentissimè temperentur, vniuersa præcedunt*. nam ita eum locum restituendum suadent exempla correctissima. Eadem phrasis apud hunc scriptorem est lib. 2. cap. 6.

Restituta genuina scriptura Vegetio.

Tantum vniuerso orbi præstitum gratulamur bonum.] Mss. H. *donum* malit: duo alij Susij *honorem*. hinc facile est odorari, glossemata esse hæc omnia, quod produnt quatuor apud me libri optimæ notæ; in quibus τὸ *bonum* pedem nunquam posuit, neque vllum de sequentibus. Atqui Sallustianus locus expendendus proferatur, ex oratione secunda de Rep. ordinanda: *Sed multo maximum bonum patriæ, ciuibus, tibi, liberis, postremò humanæ genti pepereris; si studium pecuniæ aut sustuleris, aut quoad res feret, minueris*.

Iterum correctus Vegetius.

Quantum profecerit murorum elaborata constructio.] Alij, id est M. & vnus Susij, legebant, *quantum murorum profuerit labor & constructio*: quod sententiam habet idoneam & conuenientem. attamen alterum si tueamur, suspicari possumus eum respicere morem, quo receptũ erat, vt qui magnum hostium numerũ strauissent, muros vrbis

Glossema remotum de scriptura Vegetij.

Romæ

Romæ ampliarent & extenderent: eius meminit Flauius Vopiscus in Aureliano, Capitolinus, Lampridius, & ceteri. Hoc ad eum fortè modum quo triumphus nemini concedebatur, nisi quinque hostium millia vnâ acie cecidisset: qua de re etiam lex fuit à L. Mario & M. Catone Tribunis plebis lata. consulendi Valerius Maximus, & Carolus Sigonius lib. 1. De iure ciuium Romanorum cap. vltimo.

Muros ciuitatis Romanæ augere, qua cautione Principibus permissum.

Triumphus Romæ qua lege concessus.

Roma documentum est.] Membranæ H. præferunt, *res ad documentum est.* Arbitror deprauasse librarium illud dicendi genus, quo respub. appellabatur *res Romana.* quo de suprà à me dictum meministi.

Tentatus Vegetius.

AD CAPVT I.

AVT naturâ muniuntur, aut manu, aut vtroque.] Liuius libro 33. *Locus munimento quoque, non natura modò, tutus.*

Quotuplex loci munitio.

In illo naturali beneficio tutissimum eligentis consilium.] Apertissima Vegetij sententia & mens, in loco naturâ munito non tanta cum sollicitudine versari debere eum, qui vrbes aut castella condere volet, quanta opus illi, qui in plano fundaturus est. Nupera tamen editio præferebat, *In nullo naturali beneficio tutissimo eligentis consilio.* idque ita perscriptum in codice H. Sed nunquam tam blandè, tam benedicè ille dixit, vt in hoc ego illi fidem adhibiturus sim.

Vegetij scripturam vulgatam merito reiecit.

AD CAPVT II.

AMBITVM muri directum.] Varia apud antiquos sepiendarum seu muniendarum vrbium ratio. quidam muros ex solis trabibus construebant: quod testatur Æquulanum oppidum Lucanorum: cuius mœnia, quòd ex trabibus tantùm constabant, fascibus sarmentorum admotis, euersa sunt, & oppidum direptum; Appianus libro primo Bellorum ciuilium. Alij trabes paribus interuallis, binosque inter se pedes distantes, in solo collocârunt; eas extrorsus reuinciebant, & multo aggere vestiebant: ea autem, quæ diximus, interualla grandibus in fronte saxis effarciebant. Id ad vtilitatem & defensionē summam opportunitatem habet, quòd ab incendio lapis, & ab ariete materia defendit, vt auctor Cæsar septimo belli Gallici. De materia murorum adeundus quoq. Vitruuius lib. 1. cap. 5.

Muri apud antiquos ex varia materie.

Æquulanorum murus qualis.

Aliud murorum genus.

Byzantij mœnia fortissima:

& lib. 8. cap. 3. Byzantij mœnia munitissima, ex quadratis lapidibus, æreis inter se tabulis connexis, describit Dio in Seuero. quibus & turres adstructas fuisse tradit figurâ admirabili, & ad defensionem mirè accommodatas. Sagunti muris Liuius cæmenta tribuit, quæ calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. lib. 30. Dignum quod audiatur institutum Lacedæmoniorum, & de eodem diuersæ philosophorum sententiæ. Hi ciuitatem inhabitauêre nullo muro munitam, quòd ciuium armis ac virtuti, quàm mœnibus fiderent. memorat Plutarchus in Apophthegmatis, & Plato libro sexto de Rep. Ceterùm opinionem illam Lacedæmoniorum, atque vna Platonis hac de re sententiam, valdè improbat Aristoteles septimo lib. De optimâ reip. administrandæ formâ.

Sagunti qualia fuerint.

Lacedæmonij vrbem suam non munierunt:

Eorum opinio Aristoteli improbata.

Directum veteres duci noluerunt.] Placet veteribus aliquot exemplis *ducere:* Virg. 1. Æneid.

——— *pars ducere muros,*
Molirique arcem.

Murorum ciuitatis quæ figura optima sit.

Portarum itinera directa esse non debent.

De muro porrò directo præceptum Vitruuij tale est: *Collocanda oppida sunt non quadrata, nec procurrentibus angulis, sed circuitionibus, vti hostis ex pluribus locis conspiciatur: & excogitandum, vt portarum itinera non sint directa, sed σκαιὰ*; lib. 1. De Architectura, cap. 5. Rectum quidem consilium hoc, & ad tuitionem oppidorum valdè præstans: Ceterùm, vt nunc sunt mores, maximè memores nos esse oportet Plautinæ sententiæ Persâ. vbi virgo interrogata vt munitum muro sibi visum esset oppidum, respondit:

Oppidum quibus rebus bene sit munitum.

Si incolæ bene sunt morati, pulchrè munitum arbitror:
Perfidia & peculatus ex vrbe, & auaritia si exulant.
Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio;
Septimum periurium. TO. *euge.* VIR. *octaua indiligentia;*
Nona iniuria; decimum quod pessimum aggressu scelus.
Hæc nisi vnde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parũ est.

Crebrioresque turres.] Harum turrium collocandarum quis locus sit futurus oportunus, quantaque inter eas interualla esse debeant, accuratè quoque tradit Vitruuius dicto cap. 5. *Turres* (inquit) *sunt proiiciendæ in exteriorem partem, vti cùm ad murum hostis impetu velit appropinquare, à turribus dextra ac sinistra lateribus, apertis telis vulneretur.* ibidem paulo pòst: *Interualla autem turrium ita facienda, vt ne longiùs sit alia ab aliâ sagittæ emissione*

Turres in muris ciuitatum quomodo extruendæ.

Quæ debeant turrium esse interualla.

emissione; vti si qua oppugnetur, tum à turribus quæ erunt dextrâ & sinistrâ, scorpionibus reliquisque telorum missionibus hostes reiiciantur. Erant olim, præter turres, propugnacula prope portas, & in iis cataractæ, de quibus nos postea. Etiam minæ in propugnaculis & fenestræ in quibus defensores stabant cum variis telis, & quòd inde hostibus minarentur, dictæ minæ videntur. Meminit minarum Turnebus lib. 3. Aduers., cap. 14. cùm interpretatur illud Virg. ex quarto Æneid.

Propugnacula ante portas: Et in iis minæ.

—— *Iacent opera interrupta minæq;.*

Vel scalas, vel machinas voluerit admouere.] Hæc scalarum inuentio Capaneo tribuitur hoc eodem libro capite 21. Eas ita confici vult Polybius, vt si murus decem pedum altitudinem habeat, scalæ in duodecim pedum altitudinem largiter assurgant: idque voluisse video Vegetium hoc libro, cap. 30. Gradus autem scalarum medietatem scalæ ad commensurationem ascendentium requirunt, vt neque nimis distantes propter ascendentium multitudinem facilè frangantur; neque rursus plus æquo erecti, si admodùm applicentur, labiles iis, qui accedunt, existant: auctore Polybio. Noua sanè scalarum figura ab Appiano proponitur lib. De bello Hispaniensi: *Nocte, inquit, intempesta, id spacij quod inter vrbem erat & munitiones prætergressus, secumq; scalam ex partibus, quæ committuntur, compactam ferens, de improuiso custodibus oppressis, ipse cum sociis intra munitiones prosiluerunt: ac cæsis circa se custodibus famulisque, in vrbem remissis equis, quos per scalas ad hoc factas duxerant, ad Arnaceorum vrbem contenderunt.* Variæ scalarum figuræ, quæ facilè circumferri, etiam dissolui ac componi denuò possunt, apud alios scriptores proponuntur, variis vt vides figuris.

Scalas oppugnatorias Capaneus excogitauit.

Noua scalarum forma.

Variarum ſcalarum figuræ.



Alia

Aliæ Scalæ.



AD CAPVT III.

ITA vt à muro primus paries parum inferior.] Lego cum exemplari M.& S. *paries pro rata inferior*. & quod duo Susiani scribant, *pro rata parte inferior*, mihi probare non possunt. Vlpianus: *Non id, quod sua interest, conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata*, l. ex conducto, ff. locati conducti. Item Vlp. in l. si seruus. ff. si quis caut. Item l. in his verò, ff. de solutionibus. Capitolinus in M. Antonino: *Prætorianis militibus centena millia nummûm promiserunt, ceteris pro ratâ.* *Correcta Vegetij lectura.* *Pro rata.*

Quasi cliuo, molliusque ad propugnacula possit ascendendi.] Nulla eorum verborum sententia. quare meritò scribendum censui: *vt de plano ciuitatis ad similitudinem gradum,* *Vegetio reddita idonea sententia.*

Cliui loca ardua.

graduum, quasi cliuo molli, vsq. ad propugnacula possit adscendi. Omnia difficilia cliua vocabant; & inde loca ardua etiam cliui: Festus in *Cliuia.*

Ad inuicem.

Ad muri vicem ingruentibus moles resistit.] In veteribus aliquot, *ad muri inuicem.* Neque solùm hoc capite id genus loquendi ita reperitur; sed, vt ego quidem sentio, corruptum. Suspicor primùm interpretamentum fuisse alteram harum præpositionum: inde vtramque in contextum receptam. sic suprà pro, *resoluuntur ad negligentiam,* aliquammulti libri præferebant *resoluuntur in negligentiam.*

AD CAPVT IIII.

Noceri passiuè.

Ne exurantur ab ignibus.] Substituunt exemplaria M. S. & H. verbum, quod summopere vereor ne Grammatici explodant, *ne noceantur ab ignibus.*

Cataracta in propugnaculis vrbium.

In cuius ingressu ponitur cataracta.] Propugnaculum ante portas ciuitatis exstrui, & cataractam in eo suspendi, ipsa antiquitas inuênit. Vsum cataractæ, Romanorum perfugæ cùm Salapianos decipere conarentur, suo malo didicêre. Liuius: *Porta cataracta deiecta clausa erat, eam partim vectibus leuant, partim funibus subducunt in tantum altitudinis, vt subire recti possent. Vix dum satis patebat iter, cùm perfugæ certatim ruunt per portam, & cùm sexcenti fermè intrassent, remisso fune, quo suspensa erat, cataracta magno sonitu decidit.*

Cataractis vnde nomen.

Dictæ cataractæ à Græco καταρράττω siue καταῤῥάσσω, quod inter cetera significat *cum impetu decido.*

De superiore parte effusa aqua, subiectum restinguat incendium.] In veteri M. legitur: *De superiori loco effusa aqua subiectum extinguat incendium.*

AD CAPVT V.

Defensa vulgaris lectura.

Fossæ autem ante vrbes latissimæ altissimæque faciendæ sunt.] Deest in libris M. H. & tribus Susianis illud *altissimæq;.* sed, si me audis, caue inducere. Latas enim fossas esse parum est; nisi simul & altæ, id est profundæ sint. Tum vtrumque requirit quod subditur: *Nam duplici modo opus subterraneum peragi, earum altitudine, & inundatione prohibetur.*

Fossæ vrbium & latæ, & altæ requiruntur.

Cùm aquis cœperint inundari.] Quinque apud me libris scribebatur, *redundare:* in duobus aliis *redundari.*

AD CAP.

AD CAPVT VI.

DEINDE propugnacula duplicia, saga ciliciaque tenduntur.] Fortean *per propugnacula* scribemus meliùs. defensionis istiusmodi exemplum, dum Ammiani historias legerem, me notare memini. cuius hæc verba: *Tum defensores animo præstantes & viribus, per propugnacula ciliciis undique laxiùs pansis, quæ telorum impetus cohiberent, obiectis scutis vimine firmissimo textis, & crudorum tergorum densitate vestitis, validissimè resistebant*, lib. 24. Idem quoque auctor lib. 20. scripsit, ciuitatis defensores, ne conspicerentur ab hostibus, intrinsecus latuisse ciliciis obtētis. Similiter Alexander Magnus, cùm milites sui aggerem exstruentes à Tyriis impunè infestarentur, munientibus coria velaque iussit obtendi, vt extra teli iactum essent: Curtius lib. 4. Fuit & aliud genus defensionis, impediendis prohibendisque telis apud veteres vsitatum: suspensæ nempe storiæ. Harum conficiendarum rationem, vsum atque effectum discе, si lubet, à Cæsare: *Storias*, inquit, *ex funibus anchorariis tres in longitudinem parietum turris, latas quatuor pedes fecerunt, easque ex tribus partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrem, prapendentes religauerunt. quod vnum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo neque tormento tralici posse*: libro secundo Belli ciuilis.

Dubitatum de sinceritate scripturæ Vegetianæ.

Per propugnacula cur tensa cilicia.

Coria velaq; obtenta munientibus.

Aliud genus pro defensione telorum.

Storiarum conficiendarum ratio, & vsus.

Ciliciaque tenduntur.] Sunt, qui cilicia nomen adepta putant, quòd vsus eorum in Cilicia ortus sit. vide l. 1. ff. De censibus. Texebantur autem è pilis in vsum castrorum, nautarumque; teste Asconio Pædiano, & l. fundi, ff. De action. empti. De his Virgilij versus lib. 3. Georg. accipiendos, Seruius monuit:

Nec minùs interea barbas, incanaque menta
Cinyphij tondent hirci, setasque comantis,
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Cilicia vnde dicta.

Ex qua materie facta.

In vsu fuere nautis & militibus.

Vt de ligno crates facerent, quas metellas vocauerunt.] Mirum esset, ni variarent libri in vocabulo incognito. Tres libri Susij & H. *metellas*: M. *metilas*: S. *medullas* vocant. Vsum earum indicare mihi quoque visus Tacitus 4. Annalium: *Miles contrà deturbare telis, pellere umbonibus mutalia pila, congestas lapidum moles euoluere.*

Metella.

Earum vsus.

Super caput suum vergerent saxa.] Plerisq. codicibus proba-

probabatur, *supra caput* Vegetius hoc libro capite vigesimo septimo: *habeant quod supra caput hostium euoluant.*

AD CAPVT VII.

Obsidij species duæ.

OBSIDENDI duas esse species. vnam cùm aduersarius oportunis locis præsidiis ordinatis [continuis insultibus impugnat obsessos: alteram cùm] vel aqua prohibet inclusos, vel deditionem sperat à fame.]

Dubia in Vegetio scriptura.

Quæ inclusa vides, adulterina esse, optimi libri clamitant; si fortè & sententia. nulla sunt in M. S. H. & quatuor Susianis codicibus.

Possessiones, & possessores.

Possessores quamuis leui suspicione pulsati.] Agros, fundos, possessiones non mali scriptores vocârunt, & inter eos Cicero non semel. Hinc possessores sæpe pro agricolis & rusticis vsurpati, in iure scripto plus millies. At duo hîc codices, vnus Susij, alter H, lectioni vulgatæ refragantur, dum legunt, *quamuis leuis suspicio sit pulsationis.* Sic *lacrymabili aditione pulsasse* rex Theodericus dixit eum, qui libellum supplicem porrexerat, apud Cassiodorum lib. 4. Variarum capite 7. & cap. 43. Apud eundem *innocentia* dicitur *inuidiâ detestabili pulsari.* & iterũ *animus cura pulsatus*, lib. 5. Variar. ca. 16.

Pulsandi verbũ non vulgari notione acceptum.

Tempore belli ex agris ad loca munita omnia transferenda.

Omnem alimoniam victus intra muros debent studiosissimè conlocare.] Simul vt de hoste, qui bellum inlaturus venit, fama increbuit, consultissimum est, ante irruptionem, quicquid in pecore, fruge, vino, & aliis rebus vsui esse obsessis possit, ex agris ad castella aut munitissimas ciuitates conferre. Quæ res ne negligeretur, solent statim Romani non modò edictis possessores admonere, verùm etiam per electos executores cogere, vt se suaque mœnibus conderent: teste Vegetio lib. 3. cap 3. Neque id eò solùm institutum, vt necessaria obsessis suppeterent, sed vt cibariorum inopia adacti obsidentes, vel iniquam prœliandi cogerentur subire conditionem, vel re infectâ domum regrederentur. Cæsar: *Vbiis imperat vt pecora deducant, suáque omnia ex agris in opida conferant; sperans barbaros atque imperitos homines inopia cibariorum adductos, ad iniquam pugnandi conditionem posse deduci*, sexto belli Gallici. Item Liuius lib. 31. *Sed ne vnde raperet quidem quicquam reliqui erat; omni vndique frumento, postea quàm ager parum tutus erat, in vrbes munitas connecto.* Certè C. Marium quidquid ad vsum, victum vsumque militarem

Id duplici de causa factum:

C. Marij in eo prouidentia.

rem necessarium esset, diligentissimè comportasse, testis est Plutarchus; ne fortè istiusmodi rerum necessitas eum in aciem cogeret descendere.

Omne animalium genus, quod inclusum seruari non potest.] Sallustius tertio Historiarum: *Parte, inquit, consumtâ, reliqua cadauerum ad diuturnitatem usus fallerent.*

Aues autem cohortales.] *In villa cohors est ex eo dicta, quòd circa eum locum pecus coarcetur.* auctor M. Varro. Inde aues dictæ cohortales, quæ intra cohortem villaticam cõtinentur, quales potissimùm sunt gallinæ, anates, anseres. Ouidius:

Abstulerat multas illa cohortis aues.

Cohors.

Aues cohortales.

Et quæ apportari nequiuerint, exurenda.] Ne mireris villas, horrea, segetem, & quicquid auferri tempore belli ex agris non possit, flammis consumi. nam & oppida, quæ teneri non posse videbantur, ab ipsis oppidanis sæpe incensa. Cæsar septimo belli Gallici de Nouioduno ciuitate Æduorum: *Oppidum quod ab se teneri non posse iudicabant, ne esset usui Romanis, incenderunt. frumenti quod subitò potuerunt, nauibus auexerunt; reliquum flumine atque incendio corruperunt.* Similiter apud eundem libro quo suprà, Vercingetorix Biturigibus ceterisque eorum finitimis suadet, salutis causa rei familiaris commoda negligenda, vicos atq. ædificia incendi oportere; præterea oppida incendenda, quæ non munitione & loci natura ab omni sint periculo tuta; neu suis sint ad detrectandam militiam receptacula, neu Romanis proposita ad copiam commeatus, prædamque tollendam. Hęc si grauia aut acerba videantur, multò illa grauiùs æstimari debere, liberos, coniuges in seruitutem abstrahi, ipsos interfici: quæ sit necesse accidere victis. Omnium consensu hac sententia probata, vno die amplius viginti vrbes Biturigum incenduntur. Exemplum eiusdem rei apud Ammianum libro 18. Segetis quoque & tuguriorum in hostili agro exustorum exemplum apud eundem Ammianum lib. 24. De segete incensâ strategema Samsonis est in sacris Bibliis, Iudic. cap. 15. de quo Prudentius:

Ter centum vulpes Samson capit, ignibus armat,
Ponè faces caudis circumligat, in sata mittit.

Exurendum, quicquid aduenientibus hostibus ex agris auferri non potest.

Oppidum, quod teneri non posse videbatur, incensum.

Eadem de causa Bituriges amplius xx. vrbes vno die incenderunt.

Etiam segetem exustam: Samsonis strategema.

Vini, aceti, ceterarumque frugum.] Rectè mones Vegeti antè vini, aceti, reliquarumq. frugum copiam congerendam, quàm ab hostibus obsideamur. Ceterùm si desit

Acetum vinum oleum, &c. condenda ante hostium aduentu.

Ratio conficiendi aceti tribus horis.

acetum, inuenta ratio quę ſuppediteț: Betæ radicem tuſam, in vinum inde; & poſt horas tres acetum erit, vt auctor eſt Conſtantinus libro octauo De Agricultura cap. 32. Porrò vt acetum etiam ſine vino confieri poſſit, docebit idē Conſtantinus dicto libro cap. 33. cum ſequentibus. De aceti confectione ſcripſit & Plinius lib. 14. & lib. 21.

Dubia fidei locus Vegetij.

Niſi ab exordio dimenſione ſalubri per idoneos procuratores erogatio temperetur.] Nulli ſunt iſti procuratores in exemplari M. S. membranis H. & tribus aliis Suſij. Arcadius Iureconſultus eos, qui vini, olei, frumenti, aliarumque ſpecierum curam in emendo ſuſcipiunt, curatores vocat, l. numerum, ff. de muneribus & honoribus: alij

Curatores frumenti.

Sitomia.

ΣΙΤΩΝΑΣ & ΕΔΑΙΩΝΑΣ appellarunt: vnde & Sitomia nomen accepit. de qua in l. prima, C. vt nemini liceat, libro decimo. & l. 2. ff. de vacat. & excuſation. munerum. Accedit Iacobus Ræuardus, qui libro tertio Variorum, cap. 17. curatores vocat, qui frumento cōparando, non qui diſpenſando, erant præpoſiti. eoque refert illud Feſti, *Qui rei frumentariæ præpoſiti ſunt, curatores dicuntur.* De iiſdem etiam in inſcriptionibus antiquis mentionem video fieri:

Curatores frumentum diſtribuiſſe, non comparaſſe.

DEFENSORI. REIP.
CVR. ANN.
POPVLO. PRÆBITÆ
COSCONIVS SECVNDINVS.

Præfecturæ annonariæ prima origo:

Aliter tamen Iuſtus Lipſius ſentit; qui præfecturæ annonariæ primam originem oſtendit extraordinariam fuiſſe, in Cn. Pompeio, & L. Minutio: Poſt ordinariam factam ab Auguſto; & præfecti annonæ dignitatē inter primas fuiſſe. Curatores autē ille facit, qui frumento diſtribuendo fuēre præpoſiti, lib. 1. ſuorum Electorum, cap. 8. Vide Suetonium in Auguſto, cap. 37. & Caſſiodorum libro ſexto Variarum cap. 18. Eos, qui exigebant, quæ tributorum nomine inferenda erant, decaprotos ſcio vocatos ab Herennio Modeſtino, l. finali, ff. de muneribus & honoribus. Annona verò quæ in publicis horreis condita adſeruabatur, ad curam præfecti vrbis & præfecti annonæ pertinebat. In cuius erogatione præfectus vrbis ſuo arbitrio cuſtodem ac menſorem poterat adhibere, qui vel frumenta modio metiretur, vel iuſtis æſtimationibus colligeret, quanta haberentur in condito: l. prima, C. de conditis in publicis horreis. De cetero,

Eiuſdem dignitas.

Curatores frumentum diſtribuiſſe.

Decaproti qui.

Annona in publicis horreis ad cuius pertinuerit curam.

Menſor frumento metiendo à quo adhibitus. Et quamobrem.

tero, quod ad erogatorem militaris annonæ; eum procuratorem dici, non memini legere. Qui pecuniam & solatium militibus de manu in manum dant, Erogatores nuncupatos scio, in l. 16. C. de erogatione mil. annonæ. Alij Susceptores videntur appellasse. Optiones certè vocati in Nouella Iustiniani 129. non semel, & l. super, C. de iure fisci; & l. 3, C. de apochis publicis, lib. 10. Alij autem Opinatores fuerunt, milites scilicet, qui cum delegatoriis mittebantur in prouincias; non vt ipsi annonam militarem exigerent, verùm quò iudici eiusque officiis instarent, vt intra anni metas acciperent quod debebatur; l. missi, C. de exactionibus tributorum. Dictos putat Iac. Cuiacius, quòd opinionem, id est censum agri exigant. Diuersi videntur in veteri Onomastico, vbi: *Opinatores, existimatores, vel arte militares.* Item: *Militaris opinatus, id est vetus miles.* Quos procuratores apud Flauium nostrum nuncupari vidimus, fortassean Prorogatores appellandi sint. Cassiodorus: *Arcarios, Prorogatores tritici, vini, & casei, macellarios, & cellarios, qui ad vrbem Romanam, vel ad mansionem pertinent Rauennatem*, libro decimo Variarum cap. 28.

Erogatores, qui. *Susceptores.* *Optiones fumenti.* *Opinatores qui.* *Vnde illis nomen.* *Opinatores alij.* *Prorogatores.*

Erogatio temperetur.] Temperanda equidē illa etiam dum copia est. frequenter enim necessitas geminatur, & obsidio sæpe fit longior, quàm putâris. Sera procul dubio parcimonia esset tunc seruare, cùm defit: Veg. lib. 3. cap. 3. Tacitus: *Sed parùm prouisum, vt copiæ in castra conueherentur, vti permisere. Ita paucis diebus per licentiam absumta sunt, quæ aduersus necessitates in longum sufficissent:* quarto Historiarum. Imò deficientibus copiis, nihilominùs tolerantiam declarare strenuissimi solent, & extrema tentare potiùs, quàm in manus hostium perueniant.

Sera parcimonia est, seruare velle, cùm defit. *Tolerantia bonorum militum.*

Propter necessitatem victus portis frequenter exclusa est.] Pro *portis*, substituunt C. H. & duo Susiani, *foris*. At neutrum eorū agnoscit M. vnde suspicari potes vtrumque ab interpretatoribus adhibitum. Excluduntur feminæ, excluduntur quotquot per ætatem armis ferendis non sunt idonei. Cæsar 7. belli Gal. *Sententiis dictis constituunt, vt qui valetudine aut ætate inutiles sunt bello, oppido excedant.* Hirtius octauo belli Gallici: *Duces Bellouacorum veriti similem obsidionem Alexiæ, noctu dimittunt eos, quos aut ætate, aut viribus inferiores, aut inermes habebant; vnaq; reliqua impedimenta.* Similiter etiam Calones

Giessema apud Vegetium indicatur. *Inutiles bello excludendi ante obsidionem.*

lones ob annonæ penuriam è castris Cæsar dimisit lib. 3. De bello ciuili. Illud admonitos velim omnes eos, qui ad eam vsque necessitatem adigentur, dum senes emittunt, circumspiciant diligenter, ne quem excludant, cuius consilio impensè iuuari posse in defensione ciuitatis videantur; vt sunt fabri quicumque, architecti, chirurgi, medici, pharmacopœi, tũ bellicæ disciplinæ periti, aut rebus gestis clari; tum homines eruditi, qui & multa historiarum lectione variis exemplis imbuti sunt, quorumque consilio plus interdum efficere occasione captata possunt, quàm multitudine aut viribus. Nónne Periclis sententia multorum calculis confirmata est? tutius esse, imò & præclarius ingenio hostem & ratione, quàm ferro vincere? An incognitũ est, Agamemnonem apud Poëtam ad rem Troianam euertendam decem potiùs Nestores aut Vlysses consiliarios, quàm totidem Aiaces aut Achilles bellatores habere maluisse? Interempto Achille de armis ipsius contendit Aiax Telamonius, contendit Vlysses Laërtius. orationes vtriusq. apud Ouid. 13. Metamor. quibus orationibus non puto elegantius quicquã aut magis elaboratum ab eo poëtâ vnquã scriptũ. Multa ille præclara manu gesserat: tamẽ quòd consilio huius bello Troiano penè effecta essent omnia,

In dimissione oppidanorum, qua adhibenda diligentia.

Qui ciues in vrbibus obsessis.

Præclarius est ingenio, quàm ferro hostem vincere.

Quare Vlyssi arma Achillis adiudicata.

——— *quid facundia posset,*
Re patuit, fortisq; viri tulit arma disertus.

Describendos censui ex eiusdem oratione versus, quòd facere ad sententiam meam viderentur, quodque mirandum in modum placerent:

——— *Tibi dextera bello*
Vtilis; ingenium quod eget moderamine nostro.
Tu vires sine mente geris; mihi cura futuri est:
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantùm corpore polles;
Nos animo: quantoq; ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quanto dux milite maior:
Tantum ego te supero. nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu; vigor omnis in illis.

Ne penuria opprimeret armatos.] Placet M. & alteri Susiano codici, *perimeret*. Illud quidẽ ferri possit: quod autem paulo antè S. legit, *imbecillis ætas*, pro *imbellis ætas*; nõ eque.

AD

AD CAPVT VIII.

OLEVM quod incendiarium vocant.] Antè *bitumen, sulphur, picem liquidam & oleum* hoc, præposita in libris editis vox, *exurimenta*. sed eam ego in alias terras exulatum misi: nec puto fore, vt de eâ reuocandâ sanæ mentis homo vnquam referat. Nam extra vnam editionem Col. & Parisien., in nullis apud me libris id verbi possessionem reperit. vide hoc lib. cap. 18. Sed ad oleum istud, *Quo De Agitur*, veniamus: puto illud nominare voluisse Vegetium, cuius confectioni adhibebatur naphthe seu naphtha. Eius vsum discemus ex Ammiani Marcellini lib. 23. *In hac regione oleum conficitur medicum, quo illitum telum, si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu exstinguitur rapido) hæserit vsquam, æstus excitat acriores incendiorum, nec remedio vllo, quàm iactu pulueris, consopitur. paratur autem hoc modo: Oleum vsus communis herba quadam infectum condiunt harum rerum periti, ad diuturnitatem seruantes; & coalescens durant, ex materia venæ naturalis, similis oleo crassiori, quæ species gignitur apud Persas; quam, vt diximus, naphtham vocabulo appellauêre gentili.* De naphtha consulendus etiã Plinius lib. 2. Naturalis Hist. cap. 105. & lib. 35. cap. 15. & Dio Nicæus in Pompeio: iterum in Seuero. Meminit & Probus in Catholicis, *Naphthas, huius naphthæ: genus olei*, inquit, *cedrino simile: Sallustius quarto Historiarum dixit*. Non minus exhorrendum ignis genus, quod de limo flagrante tradidit Plinius; cui Maltha nomen: cuiusque vsum fuisse vtilem tradit in defensionibus: *Sic*, inquit, *defendêre muros, oppugnante Lucullo; flagrabatq; miles armis suis*, lib. 2. Natur. Histor. cap. 104.

Glossema è Vegetij scriptura reiectum.

Oleum Incendiarium:

Eius olei vsus:

Eiusdẽ olei confectio.

Naphtha apud Persas gignitur.

Maltha, aliud ignis genus defensioni paratũ.

Ad arma facienda ferrum vtriusque temperaturæ.] Consulendus Plinius lib. 34. Romani non tantùm seruando, in conditis publicis, ferro diligentes se præbuêre: verùm optimam quoque nauârunt operam, ne ad hostes suos arma cuicuimodi, aut ferrum per mercatores transferretur. quod docemur ex constitutione Imp. Martiani ad Aulum, vel, secundum membranas nostras, ad Constantianũ præfectum prætorio. quæ sic habet: *Nemo alienigenis barbaris cuiuscumque gentis, ad hanc vrbem sacratissimam, sub legationis specie, vel sub quocumque alio colore venientibus, aut in diuersis aliis ciuitatibus vel locis, loricas, scuta, & arcus, sagittas, & spathas, & gladios, vel alterius cuiuscumque generis arma audeat venundare: nulla prorsus iisdem tela; nihil*

Ferrum Romani in conditis seruabant.

Etiam ne ad hostes perferretur aduigilabant.

Martiani ea de re constitutio.

Non permissum arma barbaris vendere.

nihil penitus ferri vel facti vel adhuc infecti ab aliquo distrahatur. Perniciosum namque Romano imperio, & proditioni proximum est, barbaros (quos indigere conuenit telis) eos, vt validiores reddantur, instruere. Si quis autem aliquod armorum genus quarumcumque nationum barbaris alienigenis, contra pietatis nostræ interdicta vbicumque vendiderit, bona eius vniuersa protinus fisco addici, ipsum quoque capitalem pœnam subire decernimus: l. vlt. C. quæ res exportari non debent. Ex qua constitutione lucem accipiet l. à legatis 8. C. de vectigalibus. Sæpe Romani transfugæ vsum armorum artemque fabricandi transtulerunt ad Barbaros, maximo cum rei Romanę detrimento. Exemplum est eâ de re apud Herodianum lib. 3. Plurimum ille mali Christianæ reip. intulit, qui ad Turcas bombardarum & tormentorum bellicorum vsum traduxit. Etiam qui naues conficere barbaros docuêre, capitali supplicio puniti; l. his qui, C. de pœnis. Quin & legibus etiam illud decisum est, vt cuiuscumque operâ dolo malo hostes nostri commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliáue qua re adiuti erũt, tanquam maiestatis reos puniendos esse: l. quarta, ff. ad legem Iuliam maiestatis. Item laridi speciem ad peregrina vllatenus mitti, edicto vetuit rex Theodericus apud Cassiodorum lib. 2. Variarum cap. 12. Hoc amplius, non puto fore præter propositum, si ostendamus à quo primùm arma ferrea inuenta sint. Cassiodorus lib. 1. cap. 30. *Inter ipsos, inquit, aduersarios, vt scitis, non erant prius armata certamina: sed pugnis se, quamuis feruida, lacessebat intentio. vnde & pugna nomen accepit. Posteà Belus ferreum gladium primus produxit; à quo & bellum placuit nominari.*

Interpretata l. 3. C. de vectigalibus.

Armorum vsus ad Barbaros transflatus magno rei Romanæ detrimento.

Bombardarum vsus ad Turcas transflatus, magno Christianorum damno.

Nauium conficiendarum rationem barbaros docere non licuit.

Maiestatis rei, qui commeatu hoste m aut telis, aut pecunia iuuant.

Ferreum gladiũ Belus primum inuenit.

Bellum à Belo nomen accepit.

Et carbones seruantur in conditis.] Obseruabam maximarum dignitatum culmina, & Palatinos in dignitate constitutos, immunes fuisse à sordidis muneribus, ex priuilegio ab imperatoribus concesso; non tamen à carbonis præbitione, quem moneta vel fabricatio secundum veterem morem poscebat armorum: l. maximarum, C. de excusatione munerum.

Carbones seruati in conditis.

A carbonis præbitione non immunes vel maximæ dignitates.

Minima fundis vel fustibalis vel manibus iaciendа.] In lib. Paris. *Minima etiam fundis siue fustibalis.* sed ea scriptura operæ ne ipsum quidem limen attingere potuerunt. Sequor exemplar M. & H. in quibus vera & genuina Flauij nostri phrasis est: *Minima ad fundas, siue fustibalos, vel manibus iacienda.*

Sua Vegetiõ phrasis reddita.

Ad fundas iacere.

iacienda. Pari phrasi pro lanceis dixit, *ad latiores lanceas, vel maiora spicula belluas occidebant*: lib. 3. cap. vigesimo quarto. Eandem quoque phrasim per me redditam Vegetio videbis hoc eodem libro, cap. 18.

Maxima verò pondere, formaque volubili, in propugnaculis digeruntur.] Magna apud me auctoritas veteribus libris tribuitur: & quinque apud me sunt, tres Susij, M. & H. qui totum hoc membrum orationis inducunt, tamen eos hîc ego non sequor.

Ex validissimis arboribus cylindri (quas taleas vocant.)] Has taleas membranæ partim *galeas*, partim *coleas* vocant. sed ea vocabula ipsos librarios somniasse certum est. A Taleare, *tailler*, & à Talea, *taille* Gallis non incognita; quanquam eæ taleæ nomen habere videantur à surculis illis, qui in terram inseruntur, id est minoribus illis taleis, de quibus Plinius plurimis locis, Varro, & alij rei rusticæ scriptores. Vsum cylindrorum indicat Ammianus Marcellinus: *Nonnulli scalas*, inquit, *vehendo, adscensuq; ex omni latere parantes, sub oneribus ipsis obruebantur, contrusis per pronum saxis, & columnarum fragmentis, & cylindris.* Vide an de Rotis illis, quarum Veg. hoc capite meminit, accipiendum Sallustij hoc fragmentum, ex tertio Historiarum: *Et axe vinctæ trabes per pronum incitabantur, axibúsque eminebant in modum ericij militaris veruta binûm pedum.*

Taleare. Talea surculus.

Cylindri defensioni murorum idonei.

Trabes quoque, & tabulata.] Hæc vult in oppidis esse in promptu ad defensionem. Trabium vsum in defendendis seu prohibendis arietibus fuisse, infrà ostendemus.

Trabibus arietes arcebant.

AD CAPVT IX.

NISI funibus neruinis intenta non prosunt.] Vnus ex Susianis *intendantur* legit. quod non magni est, & vix dignum quod moneatur. Sed quòd in eodem & H. legatur, *nisi funibus, neruis*; id à Vegetio nunquam scriptum fuisse, ex ipsius verbis diligens lector facilè diiudicabit. *Funes neruini*, ex neruis torti dicuntur. Vitruuius libro primo de Architectura: *E neruo torti funes, qui non præcluduntur nec præligantur, nisi sonitus ad artificis aures certos & æquales fecerint.* Iterum lib. 10. cap. 15. *Per quæ tenduntur nerui torti, qui brachia continere catapultarum debent.* ibidem capite sequenti: *capillo maximè muliebri vel nerno funes.*

Funes neruini.

Indu-

Vegetiana lectio aliquot mutata.

Indubitatum verò est, crines fœminarum in eiusmodi tormentis non minorem habere virtutem, Romanæ scilicet necessitatis experimento.] Visum fuit totum hunc locum ita edendū iubere, ex vestigiis, quæ erant in libris veteribus. Antè vulgabatur: *Indubitanter verò & crines fœminarum in eiusmodi tormentis, non minorem habere virtutem Romanæ necessitatis experimento cognoscitur.* In M. C. M. & S. legebatur: *indubitatum verò est.* Inde τὸ *scilicet*, ex solo M etui; vbi impressum erat, *Romanæ sz.* quod valet *sed.* neque multum differt à *sez.* quod valet *scilicet.* Verbum illud, *cognoscitur*, nullum est in M. & S.

Crines fœminarum in funibus torquendis.

Crines fœminarum.] Solent veteres cùm funes & neruorum copia deesset, capillo muliebri vti in torquendis funibus. Præter Vegetium testes sunt Florus libro secundo cap. decimo quinto: Capitolinus in Maximinis: Vitruuius libro decimo de Architectura cap. 17. Dio in Seuero: Cæsar libro tertio Belli ciuilis: Appianus De bellis Punicis, & alij.

Veneris caluæ templum Rom. ex quo originem acperit.

Matronæ abscissos crines viris suis obtulêre pugnantes.] Pro eo in Remp. beneficio id redditum fœminis, vt Romæ Veneri caluæ templum consecratum sit; teste Firmiano lib. 2. aduersus Gentes, & Iulio Capitolino in Maximinis.

Vel cruda coria proficit colligi ad cataphractas tegendas.] Vox *tegendas* abest à codice optimo collegij trium Coronarum: quod indicandum putaui.

AD CAPVT X.

Fontes perennes.

CVM perennes fontes murus includit.] Id nomen his fontibus datum, quòd in iis sit perennitas aquarum, vt loquitur Cassiodorus lib. 2. Variarum cap. 39, de Apono fonte.

Putei sæpè in exercitu fodiendi.

Cuiuslibet altitudinis effodiendi sunt putei.] Putei etiam fodiendi sæpe ipsis obsessoribus; etiam exercitui proficiscenti. Appianus De bello Hispan. de Scipione loquens: *Exercitum*, inquit, *per aliam longiorem, sed ab insidiis tutam, viam circumduxit, noctu iter faciens, & propter sitim multos puteos fodi iubens; in quorum bona parte aqua salsa reperiebatur.* Dicendum porrò in puteorum fossionibus non esse contemnendam rationem, sed acuminibus solertiâque magnâ naturales rerum rationes

Naturalis quædam ratio in puteis fodiendis sequenda.

nes considerandas, quòd habet multa variaque terra in se genera. Vitruuius lib. 8. de Architectura cap. 7. Signa, vnde discas, quibus terrarum generibus aquæ subsint: varia peti possunt ab eodem Vitruuio lib. 8. cap. 1; Plinio, lib. 31. cap. 3. lib. 26. cap. 6; Palladio, lib. 9. De re rustica, cap. 8. & cap. 9; Valturio De re militari lib. 4. cap. 2. Pleraque etiam tradita ab Imperatore Constantino lib. 2. de Agricultura, cap. 4. & 5. Hac de re apud Cassiodorum elegans epistola lib. 3. Variarum: *Signis*, inquit, *virentium herbarum & proceritate arborum vicinitatem colligit diligenter. terris enim quibus dulcis humor non longè subest, vbertas quorundam germinum semper arridet, vt est iuncus aquatilis, canna leuis, vimen lætum, validus rubus, salix lenta, populus virens, & reliqua arborum genera, quæ per terrenam humiditatem felici prosperitate luxuriant. Sunt & alia huius artis indicia, cùm nocte veniente lana sicca in terram ponitur iam prouisam, & rudi cacabo tecta relinquitur. Hinc si aquæ proximitas arriserit, manè humida reperitur. Sole etiam declarato, intuentur magistri loca solliciti, & vbi supra terram volitare spissitudinem minutissimarum conspexerint omnino muscarum, tunc promittitur, quod quæritur, facilè inueniri. Addunt etiam in columnæ speciem conspici quendam tenuissimum fumum; qui quantâ fuerit altitudine porrectus ad summum, tantum in imum latices latère cognoscunt.*

Varia signa aquæ reperiendæ:

De iisdem signis ex Cassiodoro epistola proposita.

Castellum paruulum, quem burgum vocant.] Castella in limitibus prouinciarum quàm magna essent, & à quibus fierent, alibi dixi. Meminit & Iustinianus: *Si aliquas ciuitates, seu castella per limites constituta, tua magnitudo proniderit nimiæ esse magnitudinis, & propter hoc non posse bene custodiri; ad talem modum ea construi disponat, vt possint per paucos bene seruari*: l. 2. C. de præfecto prætor. Africæ. Ab castellis his nomen habent Castellani; quibus per principem, castellorum detentio concessa est: l. quicumque, C. de fundis limitotrophis.

Castella, à castris diminutè vocabula: vt alibi Veg.

Castellani.

Quem burgum vocant.] Imperatores Arcadius & Honorius AA, Vincentio P. P. Galliarum: *Eum qui collegio, vel curiæ, vel burgis, ceterisq; corporibus, per triginta annos, sine interpellatione seruierit*: l. 6. C. de fundis rei priuatæ. Item Iustiniano Belisario magistro militum per Orientem: *Vbi ante inuasionem Wandalorum & Maurorum Respublica Romana fines habuerat, & vbi custodes antiqui seruabant, sicut ex clausuris & burgis ostenditur*: l. 2. C. de præfecto prætor. Africæ. Burgum vicinitate litterarum à πύργος dictũ, notauit clarissimus Hadr. Iunius

Burgi qui.

Burgis vnde nomen.

Glossa veteres emendatæ.

noster lib. 5. Animad. cap. 6. Iuuant eum Glossæ veteres, è quibus tamen littera excidit, πύργος, *turris*, *bugus*: scribe *burgus*. Ita etiam turris nomen vsurpatum obseruaui ab Ammiano lib. 28. *Rhenum omnem à Rhetiarum exordio adusque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat, castra extollens altius, & castella turrésque adsiduas, per habiles locos & opportunos, quà Galliarum extenditur longitudo.* A burgis illis Burgundiones nomen accepisse, historiæ loquuntur: imprimis Pauli Diaconi lib. 2. *Burgundiones nouorum hostium cœpit nomen nouum, qui plusquàm* LXXX. *millia, vt fertur, armatorum ripa Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta Germania interiore, à Druso & Tiberio adoptinis filiis Cæsaris per castra dispositos, in magnam coaluisse gentem, atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta, burgos vulgo vocant.* Idem video tradidisse Isidorum in suis Originibus: qui addidit, *Burgarij à burgis dicti, quia crebra per limites habitacula constituta burgos vocant.* De iisdem Burgariis etiam rubrica est in Cod. Theodosiano, libro septimo. Inde nomen oppidanis apud Germanos nostros natum, quo eos appellamus *Burgers*; & *Burgimagistri* dicti. Multos ex iis burgis in ciuitates postea mutatos, nomina ipsa indicãt: *Wirtzburg, Marienburg, Auspurg, Friburg*, &c. Manet nihilominùs Burgi nomen in multis castellis, etiam in hodiernum vsque diem. sic castellum in celeberrima Academia Louaniensi vulgus appellat suo idiomate, *de burght*: etiam castellum oppido Heusdensi, meo patrio solo appositum, vetustate insigne, (etsi à Danis & Normannis partim dirutum) ciues nostri nuncupant *de burght*; locumque ibidem muro vndique clausum, vbi iuuentus ludendi exercendique causa conuenire solet, *de burght-plaetse*; eiusdem arcis pomœrium *de burght-boomgaert*; atque ipsum castri præfectum, *de Castelleyn*. aliis dicitur *Burch-graef*. Inde etiam nomen ecclesiæ parochiali Antuerpiæ, *de burght-kercke*.

Turres, pro castellis.

Burgundiones à burgis illis nominati.

Burgarij, à quo nomen.

Burgi in ciuitates commutati.

Burgorum nomen in castellis antiquissimis etiamnum hodie permanet.

Burgus Louaniensis:

Burgus Heusdensis.

Inter fontem & ciuitatem conuenit fabricari.] Suppeditat exemplum Hirtius 8. belli Gallici in obsidione Vxelloduni.

Cisternæ sunt diligentissimè substruendæ, vt receptacula.] Libri quidam *subitrahendæ*, alij *substituendæ* legunt: sed retineo lectionem editam. Hîc aquam pluuialem ex tectis colligi videmus. Aliud etiam excogitauêre Septentriona-

Aquæ pluuiæ excipiendæ modus.

trionales populi remediũ: qui extẽsis multis circumquaque velis, inferiori autem parte coëuntibus, & anguſtiùs multo quàm ſuperiùs panſis, miſſas cœlitus aquas, & puriores, & maiore cũ induſtria excipiunt. Vide Hiſtoriã Olaî Magni.

Difficilè enim vincit ſitis eos.] Obſeſſos aquæ penuria laborantes, aqua ad potum tantùm vti, eamque viritim certo menſuræ modo diſtribui, peritiſſimi rei bellicæ & callidiſſimi hominis Ioſephi induſtriâ excogitatum eſt, lib. 3. De bello Iudaico, cap. 8. Plinius lib. 6. Natur. Hiſtor. cap. 30. populos eſſe dixit, ab ea parte Nili, qua ſupra Syrtes maiores Oceanumque Meridianum protenditur, qui non aliâ quàm pluuiâ aquâ vtantur.

Qui ſola aqua pluuia vtantur.

AD CAPVT XI.

Si maritima ſit ciuitas, & ſal defuerit.] De ſalis neceſſitate declinandâ, monuit auctor noſter libro tertio cap. 3. Auctor eſt Appianus De bel. Hiſp. Romanos milites in obſidione Enderacienſi magno numero eſſe exſtinctos, quòd multa ceruina & leporina carne ſine ſale elixa veſcerentur. vnde ventris profluuio laborabant. Idẽ hiſtoriographus lib. De bellis Illyricis prodidit, Salaſſos vnâ ſalis inopiâ ductos, Romanis ſe dedidiſſe. Mirum eſt quod Pauſanias primo Atticæ notauit, Epeirotas etiam poſt Ilion euerſum, neque nauigationis vſum, neque ſalis nouiſſe. cui etiam Homeri verſus in Odyſs. adſtipulatur:

Salis inopia in morbos incidunt Rom.

Salaſſi vna ſalis inopia ſe dedidernnt. Epeirota quàm diu ſalem non nôrint: Et nauigandi vſum.

Qui freta non nôrunt, qui nec ſale ſumere mixtas
Conſueuêre dapes. ———

Aliter Romani: qui ſalis vſum perquàm neceſſarium perſpicientes, grauiſſimam pœnam interminati ſunt his, qui hoſtibus eum venderent. Hinc eſt apud Paulum iuriſconſultum libro quinto Sententiarum: *Cotem ferro ſubigendo neceſſariam, hoſtibus quoque venundari vt ferrum, & frumentum, & ſales, non ſine periculo capitis licet:* l. cotem. ff. de publicanis. Illud ſilentio minimè prætereundum, in libro collegij trium coronarum ter hoc capite legi *ſales*, pro *ſalem*: cui etiam alterum de Suſij codicibus video accedere. Et proinde locutus iuriſconſultus in præcedenti lege: & eandem phraſim obſeruabam in l. ſi quis 11. C. de vectigalibus; vbi legitur, *ſales emerit*: & paullò inferiùs, *ſales ipſi, vna cum eorum precio, mancipibus addicantur.* Etiam Ammianus ita eam vocem vſus: Dia-

Salem hoſtibus vendere capitale eſt: Similiter cotem, Et ferrum, Et frumentum.

Sales plurale à ſale.

cira, inquit, *inuaditur ciuitas, habitatoribus vacua, frumento & salibus nitidis plena*, lib. 24. Sed his reclament Grammatici, per me ipsis licitum est; & inter ipsos Sosipater Charisius; qui sales plurali numero facetias tantùm significare contendunt.

Dulci aqua eluunt.] Cur mare amaras aquas habeat, eleganter disputat Isidorus lib. 4. & Plinius lib. 2. cap. 100. Idem quoque libro decimo sexto Natur. Histor., cap. 2. de salis natura, varietate, & conficiendi ratione non vulgaria tradidit.

AD CAPVT XII.

In spem deditionis formidinem geminant.] Liber S. & alter Susij, *sine spe deditionis*, legũt: sed perineptè, & cõtra mentem auctoris. in M impressum erat, *spe deditionis formidinem geminant*. quod idem valet edito. Illud, ad militarem disciplinam antiquorum pernoscendam, non est impertinens scire, quâ verborum formulâ, dedentes sese, Romani accipere solent. ea apud Liuium est, libro primo ab vrbe condita: vbi rex Rom. Tarquinius legatos Sabinorum ad se missos interrogauit, *Estísne vos legati, oratoréſque missi à populo Collatino, vt vos populúmque Collatinum dederetis? Sumus. Est'ne populus Collatinus in sua potestate? Deditísne vos, populumq; Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina humanaq; omnia in meam populiq; Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio.* Qui deditum veniebant, veste sordida ferè induebantur. Hirtius de ciuibus Alexandrinis: *Omnis multitudo oppidanorum, armis proiectis, munitionibusq; suis relictis, veste ea sumpta, qua supplices dominantes deprecari consueuerunt, sacriq; omnibus prolatis, quorum religione precari offensis, iratosq; animos regum erant soliti, aduenienti Cæsari occurrerunt, seq; ei dediderunt*. Cui integrum est, videat quoque Andream Alciatum libro primo Parerg., capite decimo quarto.

Deditionis formula.

Dedentes se, sordidati prodibãt.

Etiam sacra sua quidam proferre solent.

[Dum] admotis scalis inuaditur ciuitas, [resistere debent omni virtute.] Quæ inclusa vides, nescio Romæ'ne in editione huius auctoris nostri, an Parisiis demum ab ineptis correctoribus adhibita, contra auctoritatem librorum veterum, contra ipsius Vegetij sententiam. Desunt in quatuor manu descriptis Susij, & membranis Hittorpij. præterea nullum eorum vestigium in tribus libris veteribus cusis, C. M. & S. & meritò abesse, attentum lectorem

Magna menda sublata è Vegetio.

ctorem scio non facilè fugeriti cui Vegetij locum hunc perpendendum relinquo.

AD CAPVT XIV.

Testudines in exercitu variæ.

DE materiis ac tabulatis testudo contexitur.] Varias testudines Vitruuius descripsit libro decimo, capite vigesimo & sequenti. easq. vsui fuisse ostendit vel ad congestionem fossarum tantùm, vel etiam ad muros, vt accederent; & ariete, qui inhærebat, facerent impetum. Illum auctorem (quia vulgò in manibus est) adeundum suadeo: adhibendumque Turnebi caput trigesimum tertium, libri vigesimi tertij suorum Aduersariorum; vbi Athenæi locum (à quo scriptore Vitruuius sua desumpsit) comparatum videbis. Interim figura testudinis proponenda fuit; qualem ferè Vegetius noster descripsit.

Testudinis figura.



Et appellatur aries.] In hac machinarum bellicarum explicatione illud præfandum duco: si cui in hac parte non videbimur satisfacere; is cogitabit descriptiones illas, vt mechanicas, magnam per se obscuritatem habere. quæ alia sæpe difficultate grauatur, corruptorum scilicet librorum, ex quibus eas vel petere, vel exponere conati sumus. De Arietis inuentione & constructione non vulgaria vidi in lucem protulisse Vitruuium libro decimo, cap. 19. cuius verba non potui, quin interpretando Flauio adhiberem: *Carthaginienses*, inquit, *ad Gades oppugnandas castra posuerunt: cùm autem castellum antè cepissent, id demoliri sunt conati. posteaquàm non habuerunt ad demolitionem ferramenta, sumpserunt tignum; idq; manibus sustinentes, capitéque eius summum murum continenter pulsantes, summos lapidum ordines deiiciebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem dissipauerunt. postea quidam faber Tyrius nomine Pephasmenos, hac ratione & inuentione inductus, mâlo statuto, ex eo alterum transuersum vti trutinam suspendit, & reducendo & impellendo vehementibus plagis deiecit Gaditanorum murum. Cetras autem Chalcedonius de materia primùm basim subiectis rotis fecit, supráque compegit arrectariis, & ingis varas, & in his suspendit arietem, coriisq; bubulis texit, vti tutiores essent qui in ea machinatione ad pulsandum murum essent conlocati. Id autem quòd tardos conatus haberet, testudinem arietariam appellare cœpit.* Hactenus Vitruuius: quo cum sentire vidi etiam Tertullianum, in lib. De pallio, dum Arietis inuentionem Carthaginiensibus idem vendicat, reclamante nihilominus Plinio, qui libro septimo, capite quinquagesimo sexto, Arietis inuentionem Epeio adscribit, ad Troiam. Græcorum porrò σκέλη eleganter Vitruuius in superiori descriptione *arrectaria* vertit, quæ tanquam crura sursum eriguntur. item σκεδίαν interpretatur *varas*: quod notat Turnebus dicto capite trigesimo tertio, libro vigesimo tertio. Ad figuram & impetum huius machinæ intelligendam, aduocandus quoque Iosephus qui libro tertio De bello Iudaïco, *Immensa*, ait, *est materia malo nauis adsimilis, cuius summum graui ferro solidatum est, arietis effigie fabricatum, vnde nomen accepit. Dependet autem funibus medius ex alia, velut ex trutina, palis vndiq; fulta. Retrorsum autem magna virorum multitudine repulsus, in fronte prominente ferro, mœnia percutit.* Refert Appianus lib. De bellis Punicis, in Carthaginiensi obsidio, duos admotos vastos arietes, alterum penè incredi-

Machinarum explicatio valdè difficilis.

Carthaginienses primi inuentores Arietis.

Mutata seu emendata arietis figura.

Perfectissima arietis constructio.

Testudo arietaria.

Plinius à Tertulliano & Vitruuio dissentit.

Arietis descriptio ex Iosepho.

incredibili numero peditum, tribunis hortantibus, impellendum: à remigibus alterum, triremium præfectis vrgentibus. Si cui lubitum erit plura de Ariete legere, videbit Ammianum Marcellinum lib. Historiarum vigesimo tertio, Iosephum De bello Iudaïco libro tertio, capite nono; Isidorum libro decimo octauo, & Hadrianum Turnebum libro vigesimo tertio Aduersar. cap. vigesimo primo: quo loco Vitruuij arietem comparatum reperies ad eam descriptionem, quam ex antiquioribus scriptoribus tradidit Athenæus. Itidem non inelegantia, de hoc machinamento, me legere memini apud Egesippum, libro tertio De bello Iudaïco, capite vndecimo. Addo præterea ex Ammiani libro vigesimo etiam dissolui arietes, & ita in expeditionibus circumferri solere, ad eum ferè modum, quem in nauibus fluuiatilibus fuisse, iam antè à nobis indicatum est. Pro arietum machinamentis crebritate iam despectis, condita machina scriptoribus historicis nota, quam Helepolim Græci cognominabant: cuius opera Demetrius Antigoni filius Rhodo aliisque vrbibus oppugnatis, Poliorcetes est appellatus; teste Ammiano libro vigesimo tertio, vnde etiam descriptionem eius machinæ adscribimus: *Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisq; clauis aptata, & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur eius suprema, vt flammeos detractet, & missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcæ cuspides, præacutæ, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vel fictores, vt quicquid petierit aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem, palis & funibus vegens numerosus intrinsecus miles lanquidiori murorum parti viribus admouet concitis, & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes.* Nomen Helepolis adepta παρὰ τὸ ἑλεῖν τὰς πόλεις. excogitata quidem à Demetrio Poliorcete, fabricata tamen à Dioclide Abderita, cuius in ea machina singularis industria fuisse prædicatur, vt ex Moschione refert Athenæus libro quinto. Meminit huius machinæ Vitruuius libro decimo, capite vigesimo secundo. Diodorus Siculus libro vigesimo, Heliodorus libro nono. Meminit & Plutarchus in Demetrio. Et quia idem scriptor ad figuram machinæ intelligendam (peculiari nomine Poliorcen vocari voluit Petrus Crinitus libro decimonono De honesta disciplina,

Arietes dissoluti, & ita in legionibus circumferri solere.

Helepolis, machina arietis loco adsciscari cœpta.

Helepolis descriptio.

Helepolis vnde nuncupata: A quo excogitata: A quo primùm fabricata.

Plutarch.

capite secundo) adhibendus videbatur; locum eiusdem subiiciendum putauimus: *Eodem etiam bello, inquit, in quo Rhodij simul erant cum Ptolemæo societate coniuncti, machinam quandam, quam vrbium expugnatorem appellant, eorum mœnibus admouisse Demetrium aiunt, tali quidem figura atque specie fabricatam. Habebat imprimis quadratam sedem, cuius vnumquodque latus inter se æquale, in latitudinem octo & quadraginta; in altitudinem sex & sexaginta cubitorum extendebatur, atque à postrema basi vsque ad verticem adeò gradatim extenuari videbatur, vt cùm infima sedes longè latior supremo culmine esset, egregia quædam figura ex omni proportione seruata resultare videretur. Intùs præterea erant latebræ cauernæq; complures, ad suscipiendos milites accommodatæ. Quà verò hostes spectabat, frontem patefactam habebat, atque vndique feneſtellas tectas, quibus varia tela poterant aduersus hostes sine vllo periculo iaci. Erat præterea secundum vnamquamque speciem pugnæ, bellicosissimis viris referta: &, quod supra omnia spectantibus admirationem præbebat, tanta felicitate agebatur, vt cùm strepitum maximum ederet, in vtram partem inclinaretur, conspici minimè posset: sed æquali vtrinque pondere inconcussa rectáque moueretur.* Sed ipsius Arietis figuras subiicere tempus; ac primùm, qualis à Carthaginiensibus repertus fuit.

Helepolis altera descriptio.

Aries

Aries Carthaginiensium.



Aries fabri Tyrÿ.



Aries

Aries Cetræ Chalcedonij.



Vel quòd habeat duriſſimam frontem, quæ ſubruat murum.] In membranis H. perfectè ſcriptum vidi, *qui ſubruat murum*. quod genus locutionis neque inelegans, neque inſuetum eſt bonis ſcriptoribus; neque neſciuiſſe videtur, qui in iiſdem membranis illud *qui* mutare conatus eſt in *quæ*. Comicis tamen magis vſitatum: Plautus Rudente, ſcena 2.

In dubium vocata vulgaris Vegetij ſcriptura.

Quî, ſexto caſu antiquis vſitatiſſimum.

Quin tu in paludem is, exicaſſis arundines,
Qui pertegamus villam, dum ſudum eſt.

Iterum ibidem ſcena Seriò. Itidem apud Terentium Hecyra actu quarto, ſcena prima:

Neque ei detractum tuus quidquam eſt,

Quî

Qui possit possit nosci, qui siet.

Item Phorm. act. 4. scen. 3.

Aliquantulum quæ adferret, qui dissoluerem quæ debeo.

Atqui aliam huic loco scripturam (si minùs placita est illa superior interpretatio) de coniecturâ video adhiberi posse: ea est, vt legamus, *vel quod habeat durissimum frontem, qui subruat murum.* & suspicari possis ex aliquo antiquo auctore hæc Vegetium mutuatum, vt ex Catone, quem *frontem* masculino genere vsurpasse, ostendi exemplis, libro tertio, capitis vigesimi principio.

Tentatus Vegetius de coniectura.

Frons masculinum erat veteribus.

AD CAPVT XV.

Pluteorum vinearumq; vsus.

VINEAS dixerunt veteres.] Obiectu vinearum pluteorumque tecti milites machinas componere, iter ad fundamenta murorum subuertenda quærere solent: testes historiæ passim & Ammianus libro vigesimo. Plutei, vt quidam volunt, erant similes iis appendicibus quas ædificiis applicamus; & tectum in vnam partem deuexum habebant: vt & Plutei, in quibus scribimus: Vineæ in vtramque partem deuexitatem tecti habebant: tradit Turnebus libro vndecimo Aduersariorum, cap. 24.

Pluteorum qua forma.

Quæ forma Vinearum.

Quas nunc militari barbaricoq. vsu causias vocant.] Hîc idem vsu venit quod alibi in vocabulis rei militaris, vt quilibet librariorũ varietate scripturæ ad palmam contendisse videatur. pro *causias*, alij habent *cautias*, alij *caucias*, alij *cautibus*, alij *cantibus*. ora Parisiensis editionis vocauit *cattos*. Vox causia etiam veteribus non fuit incognita, qui eâ vsi pro velamento capitis ad arcendum solem & æstum, vt obseruauit in Lexico verborum Plautinorum Alciatus: eâdem vsus & Plutarchus in Demetrio, Plautus Persâ, scenâ *Omnem rem*:

Obscurus Vegetij locus.

Causia, capitis tegumentum.

Tunicam, atque zonam, & chlamydem adferto, & causiam.

Idem Milite, scena *Sequimini*:

Causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam.

Commeminit autem Comicus ea scena, vt in allegoria sibi perfamiliari, quàm plurima sumta de re militari nomina: quæ res facit, vt sanum ibidem non putem versum sequentem:

Plauti versus tentatus.

PA. *Quod apud nos fallaciarum est, esse excitum certò scio,*
Oppidum quodnis videtur posse expugnari dolis.

Legi

Legi enim mauelim, *exercitum*. Eum locum diligens lector cõsidera:& similem ἀναγνῶναι vide apud eundem Plautum Bacchidibus, scena *Hunc hominem*. & Amphitr. scena *Qui me alter*. Item Pseudolo, scena *Prob Iuppiter*. in qua ad superiorem emendationem lumen prætulit hic versus:

Pòst ad oppidũ hoc vetus continuò mecũ exercitũ protinus obducam.

Alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sex.] Præter nuperam editionem, omnes aliæ, itémque membranæ omnes legebant, *sexdecim*. neque per sententiam est, vt aliter à Vegetio scriptum suspicemur. legunt præterea M. & S, & ipse etiam Calepinus, in Vineæ : *lata pedibus octo, alta pedibus septem*. *Correcta scriptura Vegetij.*

Crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur.] Auctor est Vitruuius libro decimo, capite 21. in machinis muniendis tegendisque tabulas & coria cruda in vsu fuisse. *Corium crudum sordiscum appellatur*, in veteri Onomastico,& inter rei militaris vocabula recensetur. Imò & humectatum illud corium, quò minùs flammæ foret obnoxium; Ammiano teste libro vigesimo. Etiam argillam cum capillo subactam ad eam crassitudinem induxerũt, vt ignis omnino non posset nocere, teste Vitruuio, dicto cap. Memorat quoque idem scriptor Epimachum Athenienſem architectum Helepolim construxisse, & eum in modum ciliciis & coriis crudis illam confirmasse, vt posset pati plagam lapidis balistâ immissi CCCLX. pondo. In madefactione corij, & aliorum stratorum aceto potiùs, quàm aqua vtebantur. Vitruuius dicto lib. cap. 20. *Circùm tabulata*, inquit, *collocentur crates, ex tenuibus virgis creberrimè textis: maximeq; recentibus percrudis coriis duplicibus consutis, fartis alga aut paleis in aceto maceratis, circà tegatur machina tota*. Sisenna tertio Historiarum : *Aceto madefactis centonibus integuntur*. Aliud etiam industria hominum excogitauit: materies quippe machinarum alumine diligenter vnxerunt. quâ re effectum, vt ignis per eas innoxius laberetur : Ammiano teste libro vigesimo. Turris materiem alumine oblitam ab Archelao, L. Sulla non quiuit iucendere: notat Agellius libro 15. cap. 1. ex Quadrigarij vndeuigesimo Annalium. *Corio crudo tectæ machinæ : Corium illud, Sordiscũ quidam nuncupárunt: Corium in eum vsum humectatum. Argilla quoque, cum capillo subacta in ea re vsui. Aceto potius, quàm aqua, materies machinis tegendis madefacta. Alumine oblitũ lignum non suscipit ignem.*

Vel centonibus operitur.] Cæsar in descriptione Musculi: *Coria autem ne rursus igne ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur*, libro secundo De bello ciuili. Iterum Cæsar: *Centonibus machina contecta.*

Centones

Centonéſque iniecerunt, ne ant tela tormentis miſſa tabulationem perfringerent, aut ſaxa ex catapultis lateritium diſcuterent. Cato: *Culcitas octo, inſtragula octo, puluinos ſexdecim, operimenta decem, mappas tres: centones pueris ſex*; De re ruſtica, capite decimo & vndecimo. Ab iiſdem & *centunculus* diminuto vocabulo deriuatus eſt. Liuius libro ſeptimo: *Mulis ſtrata detrahi iubet, binis tantùm centunculis relictis.* Seneca in epiſtolis: *Diurnum accipit, in centunculo dormit.* Plautus Epidico: *Quin tu*, inquit, *alium quæras cui centones farcias.*

Centunculus.

C. MVTRIO. C. F. PAL.
QVINTO. SEVERO. Q. II.
VIR. Q. ALIMENTOR
CVRATORI. CALENDAR
PECVNIAE. VALENTINI
N. HS. DC. PATRONO. VI.
VIR. AVGVST. ET. COL-
LEGA. FABR. CENTONA-
RVM. NAVICVLARVM.
DECVRIONES. ET. PLEBS
VRBANA. EX. DIVI. NERVAE
EPVLARVM. OB. MERITA
L. D. D. D.

Iſtæ cùm plures factæ fuerint, iunguntur in ordinem.] In vnis membranis Suſij repertum eſt, *cogebantur in vnum*: quod meâ ſententiâ in contextum recipi poſſit; tanquam vſurpatum eâ notione vocabulum. quanquam alterum tamen, vt cenſor, tribu mouere nolim.

Vineæ plures fiebant & in vnum cogebantur.

Sub quibus ſubſidentes tuti.] Si ſeptem aut octo pedum altitudinem habuerint vineæ, non incommodè ſtare inibi milites potuerunt. Neque neceſſe fuit ſubſidere. Deinde in exemplaribus M. Pariſ. editione, H. & quatuor mſ. Suſianis ſcriptum erat, *ſub quibus obſidentes tuti*. Iterum Vegetius hoc eodem capite de Pluteis: *Quos obſidentes applicant muris, eorumq; munitione protecti.* Verùm controuerſiam & iſtic illi ſcripturæ motam vidi à S. qui pro *obſidentes*, volebat legi *ſubſidentes*; & illi accedit alter Suſianorum, in quo *ſubſiſtentes* ſcriptum fuit.

Vegetij ſcripturam libri mutant.

Plutei

Plutei dicuntur, qui ad similitudinem absidis contexuntur è vimine & ciliciis.] Pro *absidis*, M. duo Susiani, & ora Parisiensis editionis subst ituunt, *cassidis*. De cetero materiem Pluteorum vimina fuisse, Vegetius noster scribit: neq. ab eo vllos vidi dissentire codices, extra vnum M, qui hîc legebat *& vimine vel ciliciis seu coriis proteguntur*. Vitruuius: *Supra caput eorum qui continebant arietem, collocatum erat pluteum, turriculæ similitudine ornatum, vti sine periculo duo milites tutò stantes prospicere possent, & renunciare quas res aduersarij conarentur*, libro decimo De Architectura cap. 21. Festus, seu compilator illius Paulus Diaconus, *Plutei*, inquit, *crates corio crudo intentæ, quæ solebant opponi militibus opus facientibus; & appellabantur militares. nunc etiam tabulæ quibus quid præsepitur, eodem nomine dicuntur*. Vide Cæsarem, si vacat, in obsidione Alexiæ. Pluteorum hunc fuisse vsum Vegetius docet, vt ternis rotulis, quarum vna in medio, duæ in capitibus appositæ erant, more carpenti mouerentur, & eorum munitione protecti bellatores, sagittis, fundis siue missilibus defensores vrbium de propugnaculis exturbarent: vineis autem ad subruenda murorum fundamenta penetrarent; hoc eodem capite. Addo, postquàm vinearum adminiculo ad muros peruentum esset, dolabris vsos in subruendis muris: Liuius lib. 30. *Cùm muros defensoribus nudasset, tum Annibal occasionem ratus, quingentos fermè Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. Nec erat difficile opus, quòd cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. itaque antè quàm cæderetur, ruebat: perq; patentia ruinis, agmina armatorum in vrbem vadebant*. Meminit huius & Appianus, & Ammianus libro vigesimo primo, & alij. Pertinere huc video quod de terebra ex Diade tradidit Vitruuius libro decimo, capite vltimo, vnde hæc describere consultum putaui: *De terebra*, inquit, *has explicuit scriptis Diades rationes. ipsam machinam, vti testudinem, in medio habentem collocatum in orthostatis canalem faciebat (quemadmodum in catapultis aut balistis fieri solet) longitudine cubitorum L, altitudine cubiti, in quo constituebatur transuersa sucula. in capite autem dextera ac sinistrâ trochleæ duæ, per quas mouebatur, quod inerat in eo canali, capite ferrato tignum, sub eo autem ipso canali inclusi, tuti, crebriter celeriores & vehementiores efficiebant eius motus. Supra autem id tignum, quod inibi erat, arcus agebantur ad tegendum canalem, vti sustinerent corium crudum, quo ea machina erat innoxia*.

Pluteorum materies vimina fuerunt.

Plutei militares.

Plutei rotis mouebantur.

Diuersus pluteorum & vinearum vsus.

Dolabris subruebant muros.

Terebra etiam inter machinas.

Terebra figura.

Inuentio

Diades inuentor variarum machinarum.

Inuentio terebræ & machinæ aſcenſoriæ (ἐπίβαθρα Græcis) & Corui demolitoris Diadi tributa, dicto lib. cap. 19.

Numantia aggere clauſa, quanquam pugnam non detrectaret.

Agger autem ex terra ligniſque extollitur contra murum.] Auctor eſt Appianus De bello Hiſpanico, Scipionem, ſua opinione, primum eſſe qui Numantiam vrbem obſeſſam aggere ceu muro præcingeret, quæ quidem pugnam non detrectaret.

AD CAPVT XVI.

Muſculus vnde nuncupatus.

MVSCVLOS dicunt minores machinas.] Iſidorus libro duodeuigeſimo Etymologiarum, capite De Ariete: *Muſculus*, inquit, *cuniculo ſimilis ſit, quo murus perfoditur: ex quo & appellatur, quaſi muruſculus.* Quæ ipſa ab alio aliquo vetere ſcriptore Iſidorum mutuò ſumpſiſſe, vt pleraque omnia ſua, mihi omnino veroſimile fit. ideoque figuram muſculi, quam inde confeciſſe video Rob. Valturium, ſubiiciendam putaui. etſi neſcius non ſim alium planè muſculi vſum à Vegetio noſtro declarari.

Muſculi figura.



Machinis aliquot bellicis nomen ab animalibus tribuerunt.

Solent milites in machinis bellicis multa ab animalibus nomina ſumere: hinc Aries, Ericius militaris, Scorpio, Cuniculus, Teſtudo, alia. teſtis Seruius libro vndecimo Æneidos, Iſidorus dicto libro, capite De clypeis. Figura autem

autem musculi apud Cæsarem describitur; quæ potiùs ad genus aliquod testudinis accedere videtur, quas varias describit Vitruuius libro decimo. Sed Cæsarem audiamus, qui libro secundo De bello ciuili hoc modo: *Duæ primùm trabes in solo æquè longè distantes inter se pedes quatuor, conlocantur: inq; iis columnellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur: has inter se capreolis molli fastigio coniungunt, vbi tigna, quæ musculi tegendi causa ponunt, conlocentur. Ea super tigna bipedalia iniiciunt, eáque laminis clauisq; religant. Ad extremum musculi tectum trabesq; extremas, quadratas regulas, quatuor patentes digitos defigunt; quæ lateres, qui super musculos struuntur, contineant. Ita fastigiato atque ordinatim structo, vt trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus lutoq; musculus, vt ab igne, qui ex muro iaceretur, tutus esset, contegitur. Supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lapides diluere posset. Coria autem ne rursus igne ac lapidibus corrumpantur, centonibus contegumtur.* Hactenus Cæsar. cuius scripta si inspexeris, facilè discres quantum hæc machina, licet minor, in deuastatione muri potuerit. Quòd musculum hunc testudinis genus esse dixi, in eo adstipulatur mihi Turnebus libro vndecimo Aduersariorum, capite vigesimo quarto: distinguitque sola paruitate musculum, à testudine: ab animalium scilicet similitudine has machinas nomen accepisse; minores musculos, maiores testudines vocatas.

Musculi alia descriptio.

Is musculus ad murum diruendum adhibitus.

Si lutum obfuerit, aut ciuitatis fossatum, etiam apportatis lapidibus, lignis ac terra, non solùm cõplent, sed etiam solidant.] Particulæ disiunctiuæ *aut* nullus locus in melioribus libris sex, septem; ideoque eam expuli: & iisdem libris auctoribus τὸ *etiam*, quod subsequitur, in contextum recepi. nec puto in eo vllam Vegetio factam iniuriam. Verba illa, *si lutum obfuerit*, diu admodum me torserunt. in causa fuit veterum librorum scriptura. Suspicabar primùm legi posse: *Si aplictum obfuerit*. De quo ita Leo Imperator capite vndecimo: *Aplicta igitur siue fossata (nam aplictum propriè fossatum totius exercitus est) validè quantum potes munies.* sed id nunc minùs placet. nec video cõiecturam illam libris multùm iuuari. In exemplari M. & membranis Hittorpij, sine vllâ liturâ, scribitur: *quibus protecti bellatores sudatum auferunt, cinitatis fossatum etiam adportatis lapidibus ac lignis, non solùm complent*, &c. Quam scripturam Modij quoque liber vnus confirmare videtur; in quo, *sudatim auferunt*. Interpretabar

Scaber admodũ Vegetij locus.

Aplictum quid.

Tentatus prædictus Vegetij locus.

terpretabar *ſudatum*, vallos aut ſepes è ſudibus, quæ ipſis foſſis præſtruebantur. at Ianus Palmerius noſter ſuſpicabatur priorem litteram in *ſudatum* à fine præcedentis vocis *bellatores* auulſam eſſe; ideoque ſcribendum, *vdatum auferunt*: quaſi protecti muſculis bellatores, viam turribus ambulatoriis præparantes, vda omnia ſuſtulerint, loca ſolidârint & complanârint.

Iterum tentatus.

Ciuitatis foſſatum etiam adportatis lapidibus.] Foſſatum non tam ineptum vocabulum, vt cenſuit ille cenſor, qui illud expellendum vrbe Quiritium, & deturbandum ex Pandectis noſtris putauit. Modeſtinus libro tertio De re militari: *Qui à foſſato recedit, capite puniendus eſt.* Gloſſarium vetus: Τάφρος, *foſſa, ſepes, foſſatum.* Sudas, Σέδετο τὸ φοσσάτου. Harmenop. libro ſexto titulo quinto: Τὰς δὲ τῷ φοσσατῷ πλέκτους εἰ μὲν ἀπλῶς σοφοδρῶς ποιοῦσι τύπτουσι. Libellus De militibus; *Foſſatum deciſum paruum in fine, pro termino.* Plinius: *Foſſatum purgari, & extendi*, libro decimo ſeptimo, capite vigeſimo primo. frequens etiam ea vox apud Leonem Imperatorem De bellico apparatu. Idem ille cenſor non minùs hallucinatus in Papiniani reſponſo, l. quòd ſi, De captiuis & poſtlim. reuerſis: *Exinde ſui iuris videtur fuiſſe, ex quo pater hoſtium potitus eſt.* emendabat ille, *pater hoſtium poteſtati ſubditus eſt*, quaſi παθητικῶς dici Latinè non poſſet, *hoſtium potitus.* & in ea pugna auxiliarem ſibi adſciſcit Accurſium. Ego illis primùm oppono Tryphoninum, l. in bello, eodem titulo: *Cetera quæ in iure ſunt, poſteà quàm poſtliminio redit, pro eo habentur, ac ſi nunquam iſte hoſtium potitus fuiſſet.* Inde oppono Iulianum l. bona eorum, titulo eodem. & l. facere, ff. De teſtamento militis. Triarij munus facilè mihi ſuſtinebit Plautus Epidico, ſcena *Si quid eſt*:

Lapſus magni viri, quem non nomino.
Foſſatum non ineptum vocabulum.
Def. nſa ſcriptura vulgata in l. 3. ff. de re mil.
Defenſa item Papiniani verba l. quod ſi. ff. De capti. & poſtli. rever.
Potitus hoſtium paſſiuè dictum.

—— *Guata mea hoſtium eſt potita.* Ibidem
—— *Eductam perdidi,*
Hoſtium eſt potita.

Eâdem ille phraſi vſus Captiuis ſcena prima & ſecunda. Neque hæc eò à me dicta, quaſi detrahere laudibus magni illius viri quicquam velim, cuius eruditioni & ſummis in iuris ſtudioſos beneficiis leuia hæc facilè cõdonanda ſunt: ſed, vt viciſſim alij, ſicubi & nos in tantis antiquitatum tenebris incurriſſe videbimur, de verbis ſe præbeant modeſtiores. Sed & alterum audi cenſorem: Iulius Capitolinus in Gor-

in Gordianis scripserat: *Castra omnia fossato circuibat.* ibi Ioan. Baptista Egnatius exclamabat, *ineptum scriptorem!* *Capitolini scripturam tueor.*

Vocantur autem à marinis belluis Musculi. nam quemadmodum illi, cùm minores sint, tamen balænis auxilium, adminiculumque iugiter exhibent.] Festus: *Balænam bellnam marinam, ipsam dicunt esse pistricem, ipsam esse cetum.* Musculus genus piscis, qui moderamine paruæ caudæ suæ, iter balænæ regit, necubi impingat. & quia hæc luscioſa est, præuio illo pisciculo deducitur ac reducitur. Claudianus libro secundo: *Balæna bellua marina.* *Musculus genus piscis, quale.*

Sic ruit in rupes amisso pisce sodali
Bellua, sulcandas qui præuius edocet vndas,
Immensumq; pecus paruæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdera monstro.

Plinius libro nono capite quinquagesimo secundo: *Balænæ musculus, quandoque prægrani superciliorum pondere obrutis eius oculis, infestantia magnitudinem vada prænatans demonstrat, oculorumque vice fungitur.* Iuuenalis Satyra decima: *Balæna quare musculi opera indigeat.*

Balæna maior delphinis.

Quantò delphinis balæna Britannica maior.

AD CAPVT XVII.

TVRRES autem dicuntur machinamenta.] Turres has ambulatorias nuncupârunt: nam rotis subditis promoueri atque reduci solent. Hirtius: *Præterea ambulatorias totidem tabulatorum confinxerant, subiectisq; eis rotis, funibus immentisq; obiectis, directis pluteis, in quamcumque visum erat partem mouebant*; De bello Alexandrino. Has Diades scriptis suis ostendit à se inuentas: quas etiam dissolutas in exercitu circumferre solebat. minorem ait oportere fieri altam cubitorum sexaginta, latam septemdecim, tabulatorum decem, singulis partibus in eâ fenestratis: maiorem verò altam cubitorum centum viginti, latam cubitorum viginti trium s. In qua tabulata constituebat viginti, & habebant singula tabulata circuitionem cubitorum ternûm, vt memoriæ prodidit Vitruuius libro decimo De Architectura, capite vndeuigesimo. Harum turrium hanc possumus fingere figuram fuisse. A. *Turres, vnde ambulatoriæ vocentur.* *Turres dissolutæ in exercitu circumlatæ.* *Turris minor alta cubitorum LX.* *Turris maior alta cubitorum CXX.*

Turris à Diade excogitata: A.



THYIS

Turris Vegetij. B.



Turres alia, quas Vegetius describit.

Aliæ dubio procul turres ambulatoriæ, nec ita speciosæ, quas Vegetius nobis describit; eâ proceritate, vt tam turres ciuitatis lapideas, quàm muros ipsos superârint. his ille in inferiori parte tribuit arietem, circa medium verò pontem (exostram posteà vocabit) quem subitò milites proferebant, & per eum egredientes de machina in ciuitatem transibant. In superioribus autem turris partibus contatos & sagittarios collocat, qui defensores ab vrbis mœnibus proturbent. Cuius turris hanc fingimus figuram B.

Pons protrusus ex medio turris: C.



Pontem Vegetius tradit in turri fuisse, factum de duabus trabibus, septem de vimine; quem subitò prolatum, inter turrem murumque constituebant ad egrediendum in muros

muros hoc eodem capite. Eundem pontem hoc libro, capite vigesimo primo, legimus de turri in murum repentè protrusum fuisse. Quod ego suspicor eâ ratione, quam suprà posuimus satis commodè potuisse fieri; notâ C.

Turrium ambulatoriarum effectus.

Supereſt nunc, vt cognoſcamus quis harum turrium effectus fuerit, & quantus ex illis hoſtibus iniectus fuerit ſæpè metus. Galli vt in caſtris Cæſaris turrim procul conſtitui primùm viderunt, irridere ex muro atque increpitare vocibus: vbi verò moueri atque appropinquare mœnibus viderunt; noua atque inuſitata ſpecie commoti, legatos ad Cæſarem de pace miſerunt; libro ſecundo De bello Gallico. Pari modo & Perſæ ad preces conuerſi, ſimul vt vidêre Helepolim muris appropinquare, teſte Ammiano libro vigeſimo quarto. Vſi etiam turribus Romani bellis nauali-bus. qua de re infrà locus agendi dabitur hoc libro capite vigeſimo quarto. Præter magnum armatorum numerum, quos ex turribus pugnaſſe certum eſt, etiam machinæ bellicæ in iiſdem per tabulata diſponebantur. Liuius libro 31. *Ipſe Annibal, quâ turris mobilis omnia munimenta vrbis ſuperans agebatur, hortator aderat. quæ cùm admota, catapultis baliſtiſq; per omnia tabulata diſpoſitis muros defenſoribus nudaſſet*, &c. Meminit quoque Ammianus libro vigeſimo.

Turrium metu Galli ſe dedunt: Etiam Perſæ eodem exemplo. Turres etiam in nauibus. In turribus multi armati: Item & machinæ in iis per tabulata diſpoſitæ.

Diligentiſſimè ex crudis coriis, vel cẽtonibus communita.] VV. aliquot præferunt, *diligentiſſimeq; crudis coriis & centonibus communitur*. Etiam fronte ferreâ turres quandoque exſtructas legimus, ne flammam iniectam reciperent, apud Ammianum dicto lib. 19.

Turres fronte ferrea.

AD CAPVT XVIII.

Turres, etiam ipſi obſeſſi in mœnibus ſuis extruxerunt.

Hinc tam manifeſto diſcrimini multis reſiſtitur modis.] Enumerat Vegetius hoc capite & cap. ſubſequenti varia remedia vel prohibendæ vel incendendæ turris ambulatoriæ. vnum addam, quod ab ipſo video non animaduerſum: videlicet exſtructam quoque & ab ipſis oppidanis ſubinde aliam turrim ſimilem, ex qua omni genere telorum murus defenſus, & aduerſariorum turris facibus iniectis conflagrauit. exemplum ſi deſideras, adeundus erit Liuius libro 32. in obſidione Cumarum.

Mœnonis nocturna cruptio.

Eruptione facta globus egreditur armatorum.] Confidentiam hanc erumpendi, in Memnone fuiſſe intel-leximus

leximus. qui cùm in ciuitate Halicarnasso obsideretur, noctu cum manu militum eruptione facta machinas oppugnatorias, licet iam amotas, incensum venit; Diodorus Siculus libro 17. Similiter & Veij à Romanis intentè obsessi, cùm noctu opera negligentiùs custodiri animaduerterunt, patefacta repentè porta cum facibus ardentibus egressi; horaeque momento aggerem, vineas longi temporis opus incendio perdiderunt: Liuius libro quinto. Persas etiam à Romanis obsessos eruptionem fecisse, ponè sequentibus qui flammas ferrent ad machinas incendendas, videbis apud Ammianum libro 20.

Veiorum eruptio

Persarum eruptio.

Vegetij locus correctus.

Machinamentum illud ingens direptis coriis de lignis exurit.] Edendum curaui praeuntibus libris: *direptis coriis, ignis exurit.* Quanquam putem tutius fore membranas H. sequi, in quibus abiectis caeteris legebam: *direptis coriis, exurit.* Et meo iudicio exurendi verbum non ignem respicit, sed illud quod paullo antè praecessit, *globus egreditur armatorum.*

Iterum ditatus propria phrasi Vegetius.

Quòd si oppidani exire non audent, maiores balistas, malleolos, vel phalaricas cum incēdio destinant.] Restituo ope librorum S. H. & quattuor Susianorum, *ad maiores balistas.* Neque enim balistae ipsae emittebantur; sed illis malleoli, phalaricae destinabantur. id puer intelligat qui Vegetium attentè legat. Eandem phrasim Vegetio etiam suprà restitui, vbi in eam rem plura à me dicta sunt.

Malleoli quid sint.

Malleoli velut sagittae sunt.] Nimis frigida & supina malleolorum descriptio apud Vegetium. quare hoc nobis relinquitur, alios adhibere qui rem explicent. Nonius Marcellus: *Malleoli*, inquit, *sunt manipuli spartei pice contecti, qui incensi, aut in muros, aut in testudines iaciuntur.* Festus: *Malleoli vocantur non solùm parui mallei, sed etiam ij qui ad incendium faciendum aptantur; videlicet ad similitudinem priorum dicti.* Glossarium vetus Πυρίβολα vocat malleolos. Sed nihilo haec, aut paulo perfectiora sunt verbis Vegetij: quapropter adhibendus ille, cui propter conseruatos plerosque bellicae disciplinae ritus, ac propter machinarum explicationem, omnis posteritas debet ac perpetuùm debebit, Ammianus Marcellinus: Is libro Historiarum vigesimo tertio sic definit: *Malleoli autem teli genus figurantur hac specie. Sagitta est canna, inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quae in*

Malleolorum elegans descriptio:

muliebris

muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concauatur, ventre subtiliter & plurifariam patens, atque in alueo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. & sic emissa lentius arcu innalido (ictu enim rapidiore extinguitur) si hæserit vsquam, tenaciter cremat: aquisq; conspersa acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio vllo quàm supraiacto puluere consopitur. *Quomodo emittebantur:* *Quomodo extinguerentur.*

Quia ardentes sunt.] Libri melioris notæ M. H. & tres Susiani legunt: *ardentes veniunt.* Sic apud Maronem

——— *contorta phalarica venit.*

Phalarica ad modum hastæ valido præfigitur ferro.] Etiam huius teli descriptio non satis perfecta apud Vegetium: ideò & alij quoque auctores de eo consulendi sunt; imprimis Isidorus: *Phalarica*, inquit, *est telum ingens, torno factum, habens ferrum cubitale, & rotunditatem de plumbo in modum sphæræ in ipsa summitate. dicitur etiam & ignem habere adfixum. hoc telo pugnatur è turribus, quas phalas dici manifestum est.* Iuuenalis: *Consulis ante phalas.* *Dictum autem hoc genus teli à phalis, id est turribus ligneis.* Monuit etiam Nonius Marcellus in *phalarica.* Item Festus libro sexto: *Falæ*, inquit, *dictæ ab altitudine, à falando, quod apud Etruscos significat cœlum. Falarica, genus teli missile, quo vtuntur ex falis, id est locis exstructis dimicantes.* Vnus Liuius ad teli figuram & impetum intelligendum sufficerit. Is libro trigesimo: *Falarica*, inquit, *erat Saguntinis missile telum, hastili oblongo, & cetera tereti, præterquàm ad extremum, vnde ferrum exstabat, id sicut in pilo quadratum, stuppa circumligabant, linebantq; pice. ferrum autem tres in longum pedes habebat, vt cum armis transfigere corpus posset. sed id maximè etiam si hæsisset in scuto, & non penetrasset, pauorem faciebat; quòd cùm medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat.* Auctor noster, balistæ impetu falaricam destinari docet: idemque innuit Lucanus; *Phalarica descriptio.* *Phalarica dicta a phalis.* *Quid Fala.* *Falæ vox Etrusca.* *Phalarica, seu Falarica descriptio multo perfectior.* *Falarica balista mittebatur:*

——— *vibrata phalarica nervis.*

Virgilius verò, manu quoque phalaricam Turnum iecisse testatur nono Æneidos: *Etiam manu.*

Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo; quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis, & auro
Sustinuit, conlapsa ruunt immania membra.

Virgilius Ennij versum imitatus.

Virgilius hunc Ennij versum imitatus est, Quæ

Quæ valido vênit contorta phalarica missu.

Glossæ veteres, *Falarica*, χειροβαλλίστρα.

Turres variis modis incensa.

Turritamque machinam frequenter incendit.] Præter ea, quæ Flauius noster ad machinas incendendas adcommodauit, vsui quoque fuerunt proiectæ ardentes faces, & ardentes quali, pice & sulphure illiti; auctore Ammiano libro vigesimo. Veruntamen ne ratione vllâ flammam conciperent machinamenta, sæpe cauisse scio obsidentes, ordinatis scilicet ac paratis qui tela, si quæ turribus adhæsissent ignifera, exstinguerent. quod etiam ex Ammiano didicimus eodem libro vigesimo.

Homines extinguendo incendio in turribus destinati.

Depositi quoque homines funibus cùm hostes dormiunt, in laternis portant lucernas.] Simili strategemate Carthaginienses vsi contra Scipionem. Hic cùm portum Carthaginiensium aggere aliisque machinis obstruxisset: illi noctu eruptione facta, non per terram, non enim erat transitus; nec nauibus, erat enim ibi vadosum mare; sed nudi, non accensis facibus, ne è longinquo essent conspicui, partim natando, partim mare vadando, ad aggerem machinasque peruenerunt, & ibidem accenso igne machinas incenderunt; postque natatu domum reuersi sunt. testem habeo Appianum De bellis Punicis.

Carthaginiensiũ audax nocturna eruptio.

AD CAPVT XIX.

Ante quàm murus decutiatur, nouus intrinsecus ducendus.

EXSTRVENDO faciunt altiorem.] Ideò fit, ne turris muro altior occasionem præstet inuadendæ ciuitatis. Sin autem murus arietibus sæpe cæsus corruerit; perque patentia ruinis armatorum agmina vrbem ingrediantur, alio remedio opus esse vides. Bene mehercules cum oppidanis actum erit, si in tempore nouum murum intrinsecus imminuta partim ciuitate duxerint. id quod nostro sæculo in vsu esse videmus, percussa scilicet fossa, & nouo aggere perducto ab ea parte mœnium, vbi murus integer est, ad eam vsque partem, quam calamitas non attigit: ita vt per modum semilunæ quidquid ruinosum est excludant, hostibusque relinquant. Capta autem iam ciuitate non erit consultum de hoc remedio cogitare: tametsi Saguntinos id fecisse Liuius testatur; apud quem libro trigesimo hæc verba: *Et Saguntini murum interiorem ab nondum captâ vrbis parte ducunt,*

Qua ratione id hodie fiat à nostratibus.

Saguntini capta ciuitate hostibus diu restiterunt.

dicunt, utrimque summa vi & muniunt & pugnant. sed interiora tuendo minorem indies vrbem Saguntini faciunt.

Ne defensores mœnium, desuper vrbi ventura, possit opprimere.] Codex M præ se ferebat *vbi ventura*: alter Susianorum, *turris ventura*. sed illis ego nunquam hodie credam. nam Virgilij versum denuò imitatus noster Vegetius ex lib. 2. Æneidos:

Iterũ Virgilium imitatus Vegetius.

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaq; desuper vrbi.

Constat autem inefficax machinamentum reddi, si inueniatur inferius.] In M & H longè alia lectio est: *constat autem efficax machinamentum reddi, si inueniantur inferiores.* Vt neutri illorum consentiam, facit me verbum *reddi*: cui meliùs quadrat, quod editum est.

Subitò funibus trochleisque de medio turricula illa producitur.] In maiori turri, ad decipiendos oppidanos, minorem clàm paratam indicat Vegetius ex tabulis (ita lego pro *tabulatis*) & appropinquante ad vrbem machinamento ambulatorio, tum demum illam turriculam funibus trochleisque productam. Pro *trochleis* in M. codice, *troceis*, expressum erat: in S. *crodeis*; quæ instrumenta an fabri nôrint mihi incertum est. Trochleæ (trochalia quidam appellari putant) instrumenta cum orbiculis, ad subleuanda & demittenda onera; vel rotulæ striatæ è ligno velære. Lucretius:

Minor turris ex maiori cautela in fraudem oppidanorum.

Trochleæ, qualia instrumenta.

Multáque per trochleas & tympana pondere magno
Commouet, atque leui sustollit machina nisu.

Quanquam alia quoque ratio esse potuerit, vt expeditis machinationibus & perpaucorum hominum viribus turricula illa in altum educeretur, & occulto quodammodo artificio in sublime sensim crescceret. quod indicabit figura, quam ob oculos ponendam curauimus.

Turricula

Turricula artificio intrinsecus erecta.



AD CAPVT XX.

SED cùm Rhodiorum ciuitas oppugnaretur ab hostibus, & turris ambulatoria murorũ altitudinem ac turrium omnium superaret.] In editione C. P. M. & S. legebam, *turris ambulatoria supra murorum altitudinem ac turrium omnium pararetur*. quod non minùs aptam effecerit sententiam,& meliorem, meâ opinione,quàm quæ edita est. sequitur enim paullò inferiùs: *Et illum locum, ad quem die posteró turris fuerat promouenda.*

Mutata lectura Vegetij, vt arbitror, recte.

Mechanici ingenio inuentum est tale remedium.] In M.expressum erat *mechanico ingenio repertum est tale remedium*. & illud, *mechanico*, confirmant membranæ H. & tres Susianæ. Primùm rem ipsam, id est facti huius narrationem

nem à me accipito: inde optionem facito de lectionibus. Vitru. lib. 10. cap. vlt. duo elegantissima strategemata in obsidione Rhodiorum edita commemorat: primum, quòd architectus quidam ab Arcado nomine Callias, Rhodum cùm venisset, acroasin fecit, exemplumque protulit muri, & supra id machinam in carchesio versatili constituit, qua Helepolim ad mœnia accedentem corripuit, & transtulit intra murum. Alterum, quod Diogneτus, cùm simili strategemate vtendum non putaret, eoque aliam Helepolim altiorem, latiorem, & ob hoc maioris ponderis confectam ab hostibus audiret; murum ciuitatis Rhodiæ, eâ regione, quâ machina accessura erat, pertudit: & iussit omnes publicè & priuatim, quod quisque habuisset aquæ, stercoris, luti, per eam fenestram, per canales effundere, ante murum. Cumque ibi magna vis aquæ, stercoris, luti, nocte perfusa fuisset; postridie Helepolis accedens, antequàm appropinquaret ad murum, in humida voragine acta consedit. Nec progredi, nec regredi postea potuit. Ad hunc Vitruuij locum; ad factum certè huius Diogneti, auctorem nostrum hoc cap. respexisse, non puto cuiquam fore dubium.

Strategemata duo in obsidione Rhodiorũ edita.

Machina, quæ Helepolis intra murum pertracta est.

Diogneti strategema contra Helepolim admouendam:

Tanto ponderi solo cedente subsedit, vt nec iungi muris, aut moueri vlteriùs potuerit.] Eam lectionem in Parisiensi editione primùm suppositam animaduerti, reclamantibus aliis libris veteribus cusis, scriptis M. S. H. & tribus Susij. Quisquis autem ille fuerit qui eam finxerit, illum ego Latinæ linguæ non satis magnam habuisse rationem pronuntio. Particula illa, *tantò*, absolutè & sine sequela alterius posita à Vegetio. ideoque edendum curaui: *Tanto ponderi solo cedente subsedit, nec iungi muris, aut moueri vlterius potuit.* idque iubentibus prædictis omnibus exemplaribus, non pro meo arbitrio factum est.

Id Diogneti strategema hic pra oculis habuisse Vegetiũ.

Mendum in Vegetio.

Tantus absolutè positum.

Sublatum à Vegetio mendum.

AD CAPVT XXI.

EXEMPLO Capanei, à quo primùm hæc scalarum oppugnatio perhibetur inuenta.] Capaneus Hippo-ni filius, nobilis Argiuus, maritus Euadnes, qui cum Polynice ad bellum Thebanum profectus est. hic cùm scalas muris admouere vellet, à Thebanis lapidibus obrutus est. Hinc factus locus fabulæ, Capaneum, quòd Deorum contemtor esset, à Ioue fulmine percussum. Adeunda Pausaniæ

Capaneus scalarum inuentor, & quis fuerit:

Hic scalas muris Thebanis admouit.

Capaneus fulmine tactus perhibetur.

niæ Bœot. lib. 9. Ouidius 4. Triſtium, Plinius, Statius 10. Thebaid. Item Diodorus Siculus lib. 5. Rem ipſam ſiue fabulam potiùs, vt eleganter Græcè deſcripſerat Euripides Phœniſ., ſic non minùs accuratè, non minùs feliciter Latinè reddidit amiciſſimus mihi Ianus Gulielmius:

Capaneus furorem immanè quantum inſaniit!
Nam ſcalam habens altùm eminentem, ad mœnia
Subibat, his nequicquam territans minis:
Nec me ſacrum impedibit fulmen Veiouis
Quò fundo ab imo diruam hanc vrbem minùs.
Hæc dum profatur, imbre ſaxeo obrutus
Repit ſuum ſub clupeum, & corpus occulens
Pertendit ad nos ire per ſcalam tamen.
Iámque alta murorum tenentem culmina
Petit igne Iuppiter ſuo. tum terræ ſola
Mugire; omnes ſtupeſcere, vt ſcalis procul
Heic diſſipata, & illic membra cernere eſt.
Comæ volant per altum, dipluit cruor.
Manus pedesq́; Ixionis *velut rotæ*
Rotantur, ipſe ſemis ambuſtus decidit.

Correctus Vegetius.

Sambuca dicitur à ſimilitudine citharæ.] Exemplaria optimæ notæ ſi voles ſequi, leges *ad ſimilitudinem citharæ*. Similem locutionem ſæpiùs ſcio me Vegetio noſtro reſtituiſſe lib. 3.

Iterum emaculatus.

Nam quemadmodum in cithara chordæ ſunt, ita in trabe, quæ iuxta turrim ponitur, funes ſunt, qui pontem de ſuperiore parte trochleis laxant, vt aſcendat ad murum.] Si quid ego machinam hanc eiusque operationem intelligo, magnum ille ſcelus commiſit, qui hîc edidit, *aſcendat ad murum*: nam quod ex parte ſuperiori trochleis funibusq. laxatur, qua ratione quæſo illud dicemus aſcendere? Certè in caſtigatiſſimis editionibus & membranis reperi, *deſcendat ad murum*. Feſtus: *Sambuca organi genus, à quo Sambuciſtræ dicuntur; machina quoque qua vrbs expugnatur, ſimiliter vocatur: nam vt in organo chordæ, ſic in machina intenduntur funes.* Meminit hac de machina Athenæus lib. 14. Figuram autem imaginari poſſumus eam fuiſſe, qualem ob oculos ponendam curauimus. Aliter ſcio apud alios Sambucam depingi; ſed (quæ mea ſententia eſt) hæc magis ad Vegetij deſcriptionẽ & vſum accõmodata. Sed eâ de re aliorũ eſto iudicium.

Sambucæ

Sambucæ figura.



Non possum quin ex Polybio adferam descriptionem Sambucæ, quali ipse in nauibus vsos commemorat, lib. 8. his verbis: *Octo quinqueremes habebat, quibus remigij series inerat, tam à dextris quàm sinistris; atque illas inter se cum duobus leuibus parietibus coniunctis ad murum per remigationem, quæ erat extra parietes, adduxerunt: & has vocant Sambucas. Genus autem structuræ dictorum instrumentorum tale est: Scalam parârunt latitudine quatuor pedum, sic vt dum ex nani descenditur, muro adæquetur. Huius virumque latus cancellis munierunt, & desuper tegulis defensoriis armarunt, & obliquam parietibus imposuerunt, quibus coniunctæ naues constringebantur: sic vt plurimùm embolis præemineret. Deinde & ad malos nauium rotulæ erant desuper cum funibus desilientes. Vbi necessitas ingruebat, funibus in vertice*

Sambucæ naualis descriptio.

vertice scalæ religatis, per rotulas in puppi stantes trahunt. Et alij consimiliter in prora structuram eius machinamenti repagulis firmant, ac deinde per remigationem, quæ ab vtraque illa externi remigij serie fiebat, telluri nauibus appropinquantes, dictum instrumentum muro applicant. In summitate autem scalæ tignum est, quod scutis Persicis trinam superficiem communiit, quò quatuor milites adscendentes, aduersum eos decertant, qui inde à propugnaculis applicationẽ Sambucæ impedire conantur. Vbi applicata scala murum occupauerint, ipsi scutorũ latera vtrimque soluentes propugnacula, vel turres conscendunt: reliqui per Sambucam istos cautè sequuntur, scala per malos in vtramque partem demissa. Structura autem ista non immeritò hanc appellationem sortita: quando enim perficitur & erigitur, redditur figura nauis huius, & scala in vnum redacta, Sambucæ conformis. Hactenus Polybius.

Exostra in turri ambulatoria:

Exostra autem dicitur pons.] Pontem hunc paullò superiùs descripsit Vegetius; & qua ratione idẽ ex turri subitò potuerit protrudi adminiculo trochlearum, propositâ ibidem figurâ à nobis demonstratũ est. Fuit etiam exostra machina lignea, qua, quæ intùs gerebãtur, versatione rotarũ spectatoribus exhibebãtur, Græcis ἐγκύκλημα dicta; cuius machinæ nomẽ Ciceroni in Oratione De prouinciis cõsularibus restituit Turnebus lib. vigesimo Aduers. cap. nono.

Alia species exostra.

De turri in murum repentè protenditur.] Dixi ex officinis illã scripturã prodiisse: in VV. tã editis quàm scriptis legitur *protruditur*. Scio elegans & probũ verbũ esse *protendere*, ceterùm huic loco non tã conueniens quàm protrudere. Pontem eundem dixit proferri hoc lib. cap. 17.

Emendatus Vegetius.

Tollenon dicitur, quotiens vna trabes in terrã prærãltè defigitur.] Hoc machinamentũ in M *tollenone*, in membranis H *tellemnon* appellabatur. Glossariũ vetus *Tolleno, vel Ciconia*, τηλάντιον. Telonẽ Isidorus vocat, additque Ciconiam appellari ad similitudinẽ auis rostro clangentis. Quòd verò hîc legatur *vna trabes* singulari numero, id optimis libris ita placuit: & retinere idem lubitum mihi, quòd Catonis aut veteris alicuius lucernam redolere videretur, ex quibus multa hic noster descripsit. Dici autem solitum apud veteres *trabes, canes, duces* in singulari, pro eo quod est *trabs, canis, dux*, quod & Varro lib. 6. & lib. 9. De sermone Latino, & post illum P. Crinitus monuit, lib. 15. De honesta disciplina cap. 6. Quin imò & ipse Crinitus in descriptione Tollenonis prædictam lectionem retinuit libro vndeuigesimo, cap. 2.

Tollenon, machina: Ciconiam alij vocant.

Trabes singulari numero.

Itidem canes, duces, singulariter antiqui dixêre.

Dissentio à Crinito.

cap. 2. Vbi malè tamen legitur, *tellenon*, non vnâ vice.

Tunc per funes vno attracto depressóque, alio capite eleuati imponuntur in murum.] Desidero τὸ *vno* in exemplaribus aliquammultis M. S. H. & quatuor Susij: Suspicor numero id nomen in membranis primùm scriptum fuisse, ac pòst neglectum à librariis. Pro *imponuntur*, malebant M. & H. & aliquot Susij *ponuntur*. Machinamenti operatio facilius intelligetur ex figurâ quam subiecimus.

Tollenonis figura.



AD CAPVT XXII.

Additicia vox Vegetio nõnata.

BALISTA funibus, neruis chordisque tenditur.] Illud, *chordisq;*, adulterinũ esse, & alibi quàm in Vegetij museo natum, clamant S. & H. & alter Susij. Pro *neruis*, alij *& neruis* scribebant. sed in optimæ notæ libris erat, *Balista funibus neruinis tenditur.* Vitruuius lib. 10. cap. 17: *E neruo*, inquit, *capillo q; tortis rudentibus.* Plura hac de re à me allata testimonia ad caput 9. huius libri. Neruos autem, non funes neruinos appellat noster paullo pòst in descriptione Onagri. De re ipsa Vitruuius cõsulendus; qui lib. 10. cap. 17. ita scribit: *Nulla balista perficitur, nisi ad propositam magnitudinem ponderis saxi, quod id organum mittere debet. igitur de ratione eorum non est omnibus expeditum, nisi qui arithmeticis rationibus numeros & multiplicationes habet notas. Namque fiunt in capitibus foramina, per quorum spatia contenduntur capillo maximè muliebri vel nerno funes, qui magnitudine ponderis lapidis, quem debet ea Balista mittere, ex ratione grauitatis proportione sumuntur; quemadmodũ catapultis de longitudinibus sagittarum* Balistam centenariam quidam vocant, quæ saxa centũ pondo; talentariam, quæ talenti pondo iaciebat. de proportione lapidũ mittendorũ ad balistę foramen, consulendus idem Vitruuius lib. 10. cap. 17. & ibi interpres Daniel Barbarus. In idẽ caput adhibẽda, quæ doctissimus Adr. Turnebus eâ de re cõgessit lib. 2. Aduers. cap. 5. Adhibendus quoq. Ioannes Buteo, qui in sua Logistica seu Arith. prædictũ caput Vitruuij perpurgauit, & acutissimè interpretatus est multis verbis; quæ mihi in aliud tẽpus reseruo.

Balistarum & neruorum proportio quadam fuit.

Balistæ diuersæ fuerunt:

Illud monendũ est, balistas diuersas fuisse, quanquã vnius effectus causa cõparatas. aliæ enim vectibus & suculis, nonnullæ polyspastis, aliæ ergatis, quædã etiam tympanorũ rationibus torquebantur; teste eodẽ Vitruuio lib. 10. cap. 16.

Torta diuersis rationibus.

Non possum quin istius balistæ descriptionem in medium adferam, quam nobis suppeditauit Amm. Marcell. lib. 23.

Balistæ descriptio:

Ferrum, inquit, *inter axiculos duos firmum compaginatur, & vastum, in modum regulæ maioris extentum: cuius ex volumine tereti, quod in medio ars polita componit, quadratus eminet stylus extensiùs, erecto canalis angusti meatu canatus, & hac multiplici chorda nernorũ tortiliũ illigatus, eiq; cochleæ duæ ligneæ cõiunguntur aptissimè, quarũ prope vnam adsistit artifex contemplabilis, & subtiliter adponit in temonis canamine sagittã ligneam spiculo maiore conglutinatam: hocq; facto, hinc inde validi*

lidi iuuenes versant agiliter rotabilem flexum, cùm ad extremitatẽ nervorum acumen venerit summum, percita interno pulsu à balista ex oculis auolat, interdum nimio ardore scintillans: & euenit sæpius, vt antequam telum cernatur, dolor letale vulnus agnoscat. Huius machinamẽti descriptionẽ reperi quoq. in Notitiâ Imperij: quare illius quoq. auctoris sententiam de eo (balistam fulminalem ille vocat) primùm proponendã puto. inde, ordine hoc labore nostro procedente, ad figuram illius peruenietur: *Huiusmodi*, inquit, *balistæ genus naturali defensioni necessarium, supra ceteras impetu & viribus prævalere vsu compertum est. arcu etenim ferreo supra canalem, quo sagitta exprimitur erecto validus nervi funis ferreo vnco tractus, eandem sagittam magnis viribus in hostem dimissus impellit. Hunc tamen funem non manibus neq. viribus militum trahi fabricæ ipsius magnitudo permittit, sed retrò duabus rotis vivi singuli radiorum missibus adnitentes, funem retrorsum tendunt, pro difficultate rei viribus machinis adquisitis. Balistam tamẽ ipsam ad dirigenda seu aliùs seu humiliùs tela, cochleæ machina, prout vocet vtilitas, nunc erigit, nunc deponit. Hoc tamen miræ virtutis argumentum, tot rerum diuersitate connexum, vnius tantũ otiosi (vt ita dicam) hominis, ad offerendã tantummodo impulsioni sagittã, opera guberuat. Videlicet ne si hominum turbã huius ministerio inserviret, minueretur artis inuentio. Ex hac igitur balistâ tot & tantis ingenij artibus communita, expressum telum in tantum longius vadit, vt etiam Danubij famosi præ magnitudine fluminis latitudinem valeat penetrare. Fulminalis etiam nuncupata, appellatione suâ virium testatur effectum.* Figuram balistæ in prædicto auctore reperi, quæ etsi talis appareret, quæ operationem debitam non satis ob oculos poneret; volui tamen eam proponere inspiciendam, qualis qualis sit. A

Altera balistæ descriptio.

Alia balista quam tractoriam seu catapultam Sebast. Munsterus vocauit; qua nõ mœnia, sed domos & alia ædificia intra mœnia constituta quassare solent. eius enim fabricam mœnibus admouẽtes, per hypotenusam grauissima saxa aut fœtida bestiarum cadauera in altum proiiciebant. quæ consummato cursu in hypotenusæ tramite magno impetu, è sublimi per cathetum seu præcipitium in subiecta cadebant loca, impetuque vel fœtore infestabant obsessos. Eâ machinâ ad deditionem coacti, qui munitissimam arcem in medio Rheni conlocatam, iuxta oppidum Rheinfeldense tenuerunt. Vsus quoq. eâdem in subigendis Indis præfectus militum. B

Alia balista, quâ lapides iaciebantur.

Baliſta. A



Baliſtæ

Baliſtæ maioris figura. B



De baliſtis, catapultis & ſcorpionibus magna etiam apud veteres diſſenſio.

Illud prętereundũ non putaui, quod apud Vitruuiũ lib. 10. cap. 16. & ſeq. memorię proditũ eſt; catapultis & ſcorpionibus ſagittas emitti ſolere; baliſtis verò lapides. Cõtrà Vegetius baliſtis ſpicula emitti ait hoc eodẽ cap. Itidẽ Cæſar 1. De bel. ciuili, catapultis ſaxa eiecta teſtatur. Rurſum Val. Max. lib. 1., Cicero 2. Tuſc. Lucilius & Siſenna apud Non. Marcellũ, ſilices baliſtis tribuunt. Iterũ Ammianus lib. 20., Scorpionibus ſaxa, baliſtis verò tela eiecta teſtatur. In eâdẽ diſſenſione ſuffragiũ quoq. tulit Iſidor., qui baliſtã ab emittendo iaculo dictã cenſet. Idẽq. paullo pòſt baliſtã verbere neruorũ torqueri ait, & magna vi iácere aut haſtas aut ſaxa. Vides, beniuole Lector, quã diuerſæ etiã ipſorũ veterũ ſcriptorum opiniones, quàm diuerſæ fuerint de hiſce machinis ſententiæ: ideoq. admirari minùs debes, ſi nõ omnẽ hîc nebulã à nobis videas ſublatã. Amm. Marcell. homo militaris diſciplinæ pergnarus, quẽ & bellicis laboribus exercitũ, & in ciuitatibus obſidio clauſis nõ ſemel incluſum, ex lectione Hiſtoriarũ, quas idẽ reliquit, quilibet cognoſcere, qui vigilãs eaſdẽ legit, poteſt: idẽ, inquã, Ammianus etſi ipſo Vegetij æuo, id eſt ſub Valẽtin. Impp. vixerit, tamẽ in tantum diſſentit, vt Onagrum & Scorpionem eadem faciat lib. 23.

Ammianus pergnarus militaris diſciplinæ.

Ammianus ſub Valentiniano primo vixit.

Quæ quantò prolixiora brachiola habuerit, hoc eſt, quantò maior fuerit, tantò ſpicula longiùs emittit.] Aliam in catapultis rationem eſſe teſtatur Vitruuius: iſthîc nempe breuitatẽ brachiorũ miſſiones iaculationesq. vehementiores efficere; contrà longitudinẽ multã adferre ictui mollitiem atq. remiſſionẽ. Is lib. 10. cap. 15. *Brachij, inquit, breuitas plagã facit vehementiorem: brachia longiora faciliùs ducuntur. namq; quemadmodũ vectis, cùm eſt longitudine pedũ quatuor, quod onus quinq; hominibus extollitur, is ſi eſt pedum octo, à duobus eleuatur: eodem modo brachia, quò longiora ſunt, molliùs; quo breuiora, durius ducuntur.* Hæc ille in deſcribenda catapulta: cuius catapultæ nulla mentio (quod meritò mirere) apud Vegetiũ; niſi fortè alio nomine eandẽ appellârit. Et quanquã mihi, ſi de eâdẽ dicere ſuperſederẽ, nemo vitio vertere poſſe videatur; volui tamẽ eatenus gratũ facere ſtudioſis eiuſmodi antiquitatũ, vt mutuatã à Guil. de Choul catapultæ figurã depictã ex antiquo marmore, eiſdẽ hîc præberẽ inſpiciendã. Alias qui petet, videat eas apud Robert. Valturiũ De re militari, & Iucundũ Veronenſ. apud Vitruuiũ. quanquã ad elegantiã huius impetumq. nullatenus illæ accedant.

Aliã brachiorũ ratio in baliſtis, atque in catapultis.

Brachij breuitas plagam vehementiorem facit: Eius rei data à Vitruuio ratio.

Catapultæ Vegetius non meminit.

Cata-

Catapultæ fragu.



Onager dirigit lapides.] Onagrum, vt anteà monui, eundem facit cum Scorpione Ammianus Marcellinus libro 23. in quo etsi diuersum sentiat, atque hic noster Vegetius; visum nihilominus fuit, descriptionem istius machinæ, non facilè alibi obuiam, ab eodem huc transferre:

Onagrum cum Scorpione Ammianus confundit.

Scorpionis descriptio ex Ammiano.

Scorpionis (quem appellant nunc Onagrum) huiusmodi forma est: Dolantur axes duo quernei vel ilicei, curuanturq; mediocriter, vt prominere videantur in gibbas, hiq; in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex vtroque latere patentius perforati: quos inter, per cauernas, funes colligantur robusti, compagem (ne dissiliat) continentes: ab hac medietate restium ligneus stilus exurgens obliquus, in modum ingalis temonis erectus, ita nernorum modulis implicatur, vt altius tolli possit & inclinari: summitatiq; eius vnci ferrei copulantur, è quibus pendet stupea vel ferrea funda. cui ligno fulcimentum prosternitur ingens cilicium paleis consertum minutis, validis nexibus illigatum & locatum super congestos cespites, vel lateritios aggeres. nam muro saxeo huiusmodi moles imposita dissectat quidquid inuenerit super concussione violenta, non pondere. Cùm igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ impositio, quaterni altrinsecus iuuenes repagula (quibus incorporati sunt funes) explicantes retrorsus stilum penè vicinum inclinant. Itaque demum sublimis adstans magister, claustrum quod totius operis continet, vincula reserat, malleo forti percussum. Vnde absolutus ictu volucri stilus, & mollitudine offensus cilicij, saxum contorquet, quicquid incurrerit collisurum. Et tormentum quidem appellatur, quod ex eo omnis explicatio torquetur; Scorpio autem quoniam aculeum desuper habet erectum; cui etiam Onagri vocabulum indidit ætas nouella, eâ re, quòd asini feri cùm venatibus aguntur, ita eminùs lapides, post terga calcitrando, emittunt: vt perforent pectora sequentium: aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Hæc Ammianus. Idem libro 19. de scorpionibus, quibus obsessi in Ardeâ ciuitate vsi sunt, inter quos & ipse Ammianus fuit: *Per scorpionum*, inquit, *ferreas fundas è propugnaculis subinde rotundi lapides acti, dissolutis turrium coagmentis, balistas earumq; tortores fudère præcipites.* Idem libro 24. lapides scorpionibus euibratos scribit: *Post machinam scorpionis*, inquit, *architectus foriè adsistens, reuerberato lapide, quem artifex titubanter aptauerat fundæ, obliso pectore sauciatus perfudit animam, disiecta compage membrorum, adeò vt ne signa quidem totius corporis noscerentur.*

Scorpioni vnde nomen.

Onager quare appelletur.

Omnis machina proportionem habere debet ex fine & effectu.

Sed pro neruorũ crassitudine & magnitudine saxorum pondera iaculantur.] Omnis constructio & à fine

&

& ab effectu ordinari debet, & quia in magnis oneribus mouendis ipsa rerum natura nobis aduersa est, opus est magno artificio vt vires hominum exsuperare ipsamque naturam vincere queas. In quo aut machinis aut organis opus & variis inibi adiumentis partibusque, vt longiùs pondera emittantur, ictusque maiores fiant: quæ fieri non possunt absque clauiculis, trochleis, vectibus, suculis, neruis, & aliis huiusmodi, quibus vel innitantur, vel à quibus expellantur. Hinc rationes & proportiones quæruntur, vt omnia respõdeant, pondus, magnitudo, & vis quæ mouet. ideò ab ipsa ponderis natura & magnitudine proportio sumitur omnium partium instrumenti. Et quemadmodum hodie à pilæ seu globi pondere tormenta bellica (bombardas vulgus vocat) conficiuntur, & contrà: similiter & veteres in machinis suis, quæ tela vel sagittas emittebant, à longitudine sagittarum machinæ mensuram sumere debebant: in iis quæ lapides, saxa, aliáve corpora iaciebant, à pondere eius quod iaciendum erat. quippe necesse erat rationis comparationem quandam esse inter rem motam & vim mouentem. longiùs enim ferri nequeunt contorquendo, quæ nimis parua sunt, aut magnitudinis modum excedunt; vel quæ nimis leuia aut grauiora sunt quàm par est: iuxta disciplinam Aristotelicam in Mechanicis quæstione quarta & vigesima. Hinc non abs re de Onagro Vegetius inquit: *Nam quanto amplior fuerit, tanto maiora saxa fulminis more contorquet.*

Partes machinarum præcipuæ.

Ad pondus saxi vel teli magnitudo machinæ, & vis mouens respondere debet.

Scorpiones dicebant, quas nunc manubalistas vocant.] Scorpionem aliud machinamentum esse ab Onagro, præter auctorem hunc nostrum testabitur Vitruuius libro decimo De architectura, capite 1. Vbi de tractoriis machinis agens, *Sunt*, inquit, *ex his alia, quæ mechanicῶς, alia quæ organicῶς mouentur. inter machinas & organa id videtur esse discrimen, quòd machinæ pluribus operibus, aut vi maiore coguntur effectus habere; vti balistæ torcularium̄q; præla: Organa autem vnius operę prudenti tactu perficiunt, quod propositum est; vti scorpionis, seu anisocyclorum versationes.* Atque Isidorus scorpionem non pro tormento sed telo accipit, libro decimo octauo capite De sagittis: *Scorpio*, inquit, *est sagitta venenata arcu vel tormentis excussa, quæ dum ad hominem venerit, virus quà figit infundit, vnde & Scorpio nomen accepit.* Ea dũ scripsit Isidorus, visus respexisse ad illud

Scorpiones Vegetio manubalistæ.

Scorpio aliud ab onagro.

Machinæ, & organa quid differant.

Scorpio, etiam pro telo.

Scorpio vnde nominationem acceperit.

ad illud Tertulliani Scorpiaco : *Bellicam*, (inquit) *machinam & retractu tela vegetantem de scorpio nominant. id spiculum & fistula est, paulla tennitate in vulnus & virus, qua figit, effundit.* Superiorem Isidori definitionem nemo admirabitur, qui sciet scorpionem modò pro ipso tormento, modò pro spiculo sumi. Itidem & catapultam interim tormentum, interim telum, quod eâ machinâ emittitur, designare, testis mihi Turnebus lib. 15. Aduers. cap. 1.

Catapulta modò machinam, modò ipsum tormentum significat.

Quod paruis subtilibúsque spiculis inferant mortem.] Ea spicula sunt, quæ pennata vocat Plinius libro trigesimo quarto, capite decimo quarto: *Vtimur & ferro ad bella, cædes, latrocinia*, inquit, *non cominus solùm, sed etiam missili volucríque; nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato; quam sceleratissimam humani ingenij fraudem arbitror. siquidem vt ocyùs mors perueniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennásque ferro dedimus.*

Spicula pennata

AD CAPVT XXIII.

Correctus Vegetius.

ADVERSVS arietes prosunt culcitræ, laquei.] Facere non possum quin moneam in M. S. H. tam hoc loco, quàm paulo pòst scribi, *culcitæ culcitas*. quod probant quoque Glossæ veteres, in quibus *Culcita*, τύλη: & iterum Τύλη, *culcita*. Itidem in Pandectis textus Florentinus legit, in l. supellectili, de supellectile legata; & l. argumẽto, De auro, argento mundo. & alibi. *Culcita* item, non *culcitra*, legendum, lapides veteres indicio sunt. Varro lib. 4. De lingua Latina: *Postea quam transierunt ad culcitas, quòd in eas sagus, aut fomentum, aliúdve quid calcabant, ab inculcando culcita dicta. ac quicquid insternebant, à sternendo stragulum appellabant.*

Culcita, non culcitra.

Culcita à quo dicta.

Aliquanti centones & culcitas.] Centones, culcitas arietum ictibus opponi solere, scribit quoque Leo Imperator De bellico apparatu, capite 15, numero 48. Meminit quoque Isidorus lib. 18. capite De ariete: *Contra impulsum* (inquit) *arietis remedium est, saccus paleis plenus, & in eum locum demissus, quo aries percutit. laxo enim saccorum sinu ictus arietis illisus mollitur. Duriora enim mollioribus facilius cedunt.* Eodem strategemate mœnia sua tutati ciues ab imperatore Vespasiano obsessi, apud Iosephum De bello Iudaico libro tertio capite 9. Sed hostes eorum animaduertentes saccorum mollitiæ machinæ vim eludi, perticis falcatis, lora vnde sacci depen-

Arietis impetum sacco paleis refer to frangebant Eo strategemate usi Iudæi.

dependebant, tandem inciderunt. Neque tamen illis aut consilium aut virtus postilla defuit, vt qui exinde machinamenta partim ignibus iactis exusserint, partim lapidibus confregerint: teste eodem Iosepho. Idemque legere memini apud Egesippum lib. 3. cap. 11.

Saccos illos falcibus alij deciderunt.

Culcitas fustibus calcant.] Locus deprauatissimus: &, me iudice, fustuarium meruerunt qui primi hîc pro *funibus* substituerunt *fustibus* In omnibus libris præter Parisiensem & nuperam Colonienſem editionem, repericbam *funibus*. De cetero, pro *calcant*, Veteres libri, partim *calant*, partim *casant*, alij *celant*. In vno Susij legebatur, *funibus colligant*. quod genuinum esse, cùm res ipsa, tum Iosephus exemplo superiore, Isidorus, & Egesippus iam persuaserant. non enim quomodo culcitæ farciẽdæ, implẽdæ erãt; sed quî ex muris suspenderentur, hîc laborabatur. Ideoque locum ita rectè constitutũ à me putabam, iam iam discessionẽ facturus in eam sententiam; ni interceſſisset Adrianus Turnebus: cui viro ad reconditissima eruenda, obscurissima illustranda, diuinum prope ingenium fuit. is clamabat emendandum *funibus chalant*: interpretabatur autem *chalare esse laxare, & demittere*. quo de infrà pluribus agemus ad caput vltimum. Iuuant Turnebum duo apud me libri, vnus H, alter Susij; in quibus est *calant*. Ad notam aspirationis non tam sollicitè attendebant olim librarij, qui *vmerus* pro *humerus*, & mille itidem alia scribebãt: vt etiam videmus in textu Florentino Digestorum, & aliis libris veteribus passim. Econtrario eandem notam addebant vbi nihil opus erat, vt alibi moneo. quo vitio in hodiernum vsque diem Belgij quoque populus quidam laborat.

Locus Vegetij contaminatissimus.

Quid Chalare.

De nota aspirationis in libris veteribus modo addita, modo dempta.

Alij laqueis captos arietes.] Operæ pretium videtur, quod aliâs soleo, etiam hîc Vegetium exemplo illustrare. Ammianus lib. 20. *Prominentem aries ferream frontem, arte subtili inlaqueatam, altrinsecus laciniis retinuere longis, ne retrogradiens resumeret vires, néve muros ferire posset.* Idem strategema Vticenses vsurpârunt contra falces, cùm à Scipione oppugnarentur, Appiano testante De bellis Punicis: *Hostis*, inquit, *subruebat aggerem, falces iniectis laqueis deflectebat, arietum impetum retundebat transuersis trabibus.* Cæsar lib. 7. De bello Gallico, solertiam industriamq. Gallorum prædicans; *Laqueis*, inquit, *falces auertebant, quas cum destinauerant, tormẽtis introrsus reducebant, & aggerem*

Arietem laqueis quoque capiebant.

Falces quoque murales laqueis iniectis deflectebant.

Arietibus & trabes transuersas opposuere.

Columnis quoque inactis arietes confregerunt:

& aggerem cuniculis subtrahebant. Vegetius noster arietibus laqueos opponit, item lupos. Interdum bases columnasq. de muris iactatas scribit, vt vibrato impetu arietes confringerent. Addam ex Diodoro Siculo libro 17. suæ Bibliothecæ insignia aliquot strategemata quæ à Phœnicibus, Tyro ab Alexandro Imperatore obsessâ, excogitata sunt.

Fascibus etiam armamenta arietis abscinderunt.

Illi asseribus, quibus falces adnexæ erant, arietum armamenta abscindebant, ne deinceps validas in quatiendo vires haberent.

Hamis clypeos aduersariis detraxerunt:

Confecerant etiam tridentes maximos hamorum instar aduncos, quos in Macedones de turribus pugnantes iniiciebant. Cumque scutis infixi essent, funibus eosdem quibus reuincti erant, ad se retrahebant. erat igitur necesse aut arma abiicere, atque ita apertos contra tela, quæ innumera mittebantur, se exhibere; aut retentis ob pudorem armis, tractos è turribus altis cadere & mori.

Alij retibus illaqueatos ex turribus deiecerunt: Arenâ ignitam alij sparserunt.

Alij etiam piscatoriis retibus hostes inuoluentes, cùm manus explicare non possent, adtrahebant atque in terram deiiciebant. Clypeos insuper æreos & ferreos fabricârunt, hisque arena repletis flammam continuam subiecerunt, donicum ignita & candens arena fieret, quam demum per machinam quandam in hostes audaciùs ceteris pugnantes effuderunt, atque ita extremo supplicio adfecerunt. illa enim intra thoraces & tunicas penetrans cutem grauissimè torquebat.

Alij & laminas ferreas proiecerunt: Coruis quoque, & manibus ferreis arreptos, ex propugnaculis extrahebant.

Iidem in hostium frequentiam de machinis candentes magnas laminas ferreas iaculabantur, quæ in tanta turba semper aliquos attingebant. Coruis quoque & manibus ferreis ex propugnaculis hostes arripiebãt. Consuta etiam coria ad excipiendum missorum lapidum impetum muro prætendebant, vt nihil ictu suo offenderent.

Arietes etiam in testudinibus.

Et cum ipsis testudinibus euertunt.] Discè arietes etiam in ipsis testudinibus exstructos fuisse. qua de re suprà egi, proposita ibidem testudinis figurâ.

Murum duplicem Turij duxerunt obsessi.

Destructis domibus alius intrinsecus murus addatur.] Illo remedio Tyrij ab Alexandro obsessi se suaque tutari conabantur. mœnia vrbis duplicia fecêre, quòd non crederent quinque cubitorum murum sustinendæ oppugnationi sufficere. itaque murum altero tanto latiorem exstruere cœperunt, inter quem & priorem, quod erat intervalli, aggere & lapidibus compleuerunt.

AD CAPVT XXIIII.

QVOD cuniculum vocant.] Festus: *Cuniculum, id est foramen sub terra occultum, aut ab animali, quod simile est lepori, appellatur, quod subterfossa terra latère est solitum: aut à cuneorum similitudine, qui omnem materiam intrant findentes.* Tutissimum hoc genus oppugnationis; quippe quod sine vllo periculo & sine suspicione hostium facere liceat, teste Hirtio libro octauo De bello Gallico. Quò tamen tutius id opus sit, fulturis suspendi debet, quod fieri solitum probauit Vitruuius lib. 10. cap. vlt. Nomen hoc genus operis inuenit à cauernis seu cuniculis leporum; Vegetius hoc cap. Hinc etiam illi qui hæc opera faciunt proinde cunicularij dicti Vegetio libro 2. cap. 11. Gallos cuniculorum agendorum peritissimos fuisse, & præsertim inter eos Aquitanos, propterea quòd multis locis apud eos æreariæ fecturæ sunt, Cæsar memoriæ prodidit lib. 3. De bello Gallico. Cùm Imperator Alexander Gazam obsideret, potiri antè eâ non potuit, quàm vbi vltima pestis cuniculus accessit, quo & subrutus murus, & per eius ruinas hostis intrauit: vt narrat Q. Curtius lib. 4. Itidem captæ Fidenæ, Liuio teste lib. 4. Itidem expugnati Veij, Liuius libro 5. Huic dolo etiam strategema opponi consuetum est; scilicet, vt eo tempore quo putas emersuros tuos cunicularios, ciuitatis muros vndique inuadas; vt dum propulsaturi pericula inuadentium defensores vltrò citroq. discurrunt, opprimantur nec opinantes. cuius exemplũ suppeditabit Ammianus lib. 24. Nunc illud quoque admonere mei officij putaui, quòd varia apud veteres subterraneo huic operi remedia fuerunt opposita. Galli apertos cuniculos præusta & præacuta materia & pice feruefacta, maximi ponderis saxis morati sunt, mœnibusq. appropinquare prohibuerunt: testis Cæsar lib. 7. De bello Gallico. Luculli exercitus Themiscyram oppugnans, cuniculos tam amplos fodiebat, vt in iis pugnæ committerentur subterraneæ. Hos oppidani supernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios vrsas, aliasque bestias, & apum examina: quod probat Appianus De bello Mithridatico. Illud equidem magni momẽti est, si oppidani cuniculos qui ab aduersariis fodiuntur reperire possint, quod neque tempus neq. certus locus sciri possit, quo

Cuniculus militaris vnde dictus.

Oppugnatio tutissima per cuniculos.

In cuniculis, opus fulturis suspendendum.

Cunicularij. Galli peritissimi agendorum cuniculorum.

Gaza cuniculis expugnata:

Proinde etiam capta Fidenæ & Veij expugnati.

Cuniculis aliud strategema ad hiberi solitum.

Remedia cuniculis opponi solita.

Galli saxis & pice feruefactâ cuniculos morati sunt.

Cuniculi tam ampli, vt in iis pugnæ committerentur.

Vrsæ & apum examina in cuniculis immissa.

Modi, quibus aduersarij cuniculos repererint:

quo emersuri sint hostes. Elegans sanè strategema hac de re apud Vitruuium lib. 10. cap. vlt. quod hoc loco subiicere volui: Trypho Alexandrinus dum Apollonia obsideretur, intra murum plures specus designauit, & fodiendo terram progrediebatur extra murum, dumtaxat citra sagittæ emissionem, & in omnibus vasa ænea suspendit. Ex his in vna fossura, quæ contra hostiũ specus fuerat, vasa pendentia ad plagas ferramentorum sonare cœperunt. Ita ex eo intellectum est qua regione aduersarij specus agentes, intrà penetrare cogitabant. Sic limitatione cognita, temperauit ahena aquæ feruentis desupernè contra capita hostium & stercoris humani & arenæ coctæ candẽtis. Dein noctu pertudit crebra foramina, & per ea repentè perfundendo, qui in eo opere fuerunt hostes omnes necauit. Aliud audi inuentum fabri ærarij, qui cùm Persæ Barcam obsiderẽt, clypeum æreum intra muros circumferens & pauimento admouens, tãdem ex sono edito locũ qui suffodiebatur comprehẽdit: testatur Herod. in Melpomene. Nostro verò hoc sæculo pelues aut tympana militaria ponũt erecta, iisq. pisa, fabas aut aleas imponũt quæ exultẽt ad ictus subterraneos.

Tryphonis hac in re strategema.

Cuniculi obsidentium ab oppidanis perfossi.

Aliud ad cuniculum inueniendum strategema.

Strategema, quod nostrates ad reperiendos hostium cuniculos vsurpant.

Cuniculum vocant à leporibus, qui cauernas sub terris.] Vidi qui rideret Vegetiũ, quòd hos cuniculis, id est operibus subterraneis, nomen esse dixerit à leporibus potiùs; cùm à cuniculis dicere debuerit. At ille Varronem audiat De re rustica lib. 3. cap. 12. Vbi tria is scriptor leporum genera recensẽt: Vnum Italicum, pedibus primis humilibus, posterioribus altis, superiore parte pullâ, ventre albo, auribus longis. Alterum, quod in Galliâ nascitur ad alpes, qui hoc ferè mutant, quòd toti candidi sunt; qui rarò perferebantur Romam eo æuo. Tertij generis est quod in Hispania nascitur, simile (inquit Varro) nostro lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant.

Vegetius contra Zeilum defensus.

Tria leporum genera: Vnũ Italicum:

Alterum Gallicum:

Tertium Hispanicum: cuniculum vocant.

Reseratisque portis suorum agmen ducunt.] Veteres nonnulli *introducunt*; plurimi ex iis *inducunt* præferebant. alterutrum in contextum recipiendum puer videat.

Emendatus Vegetius.

Tunc præparatis bellatoribus subter ignis immittitur.] In emendatissimo codice collegij trium Coronarum expressum est, *Præparatis bellatoribus in opera ignis immittitur.*

Muro subito corruente [irruptione] aditus reseratur.] Aliæ editiones & mẽbranæ partim *inruptionis*, partim

inruptioni

irruptioni legebant. quod postremum ferri aliqua sententia possit. Ego interim vnum M. libenter hîc audio, & illius fide vocem illam aliò ablêgo, cùm nulli aut perparuo vsui sit: nam quid verius quàm muro corruente aditũ reserari, neq. id adeò irruptione, sed lapsu & euersione ipsius muri? *A glossemate liberatus Vegetius.*

AD CAPVT XXV.

INNVMERABILIBVS declaratur exemplis, sæpe cæsos ad internecionem hostes, qui inuaserant ciuitatem.] Militibus inprimis seditiosis Romæ id vsui venisse, testatur Herodianus lib. 1. Ij cùm à ciuibus, qui domibus clausis in tecta & culmina euaserant, lapidibus tegulisque desuper incesserentur, terga fugæ mandare coacti sunt. Huic rei facile tamen remedium opponitur, vt videlicet ianuis, ac ligneis ædificiorum proiecturis, quales in vrbibus plurimæ visuntur, ignem illicò admoueas. cuius rei exemplum luculentum apud eundem Herodianum lib. 7. extremo: Item apud Q. Curtium lib. 4. Historiarum. Itidem apud Liuium, in expugnatione Veiorum lib. 5. *Expugnata ciuitate sæpe ad internecionem victores cæsi. Oppidani ex tectis pugnant.* *Remedium illi rei, vt domos incendas.*

Vt resistere desinant fugiendi potestate concessa.] De hoste emittendo; ne, dum clausus est, audaciam illi animosque faciat necessitas; suprà à nobis dictum est. qui volet, videat eâdem de re Frontinum lib. 2. strateg. cap. 6. Eoq. pertinet quod Curtius scribit lib. 9. *Desperatio magnum est ad honestè moriendum incitamentum.* Idemque voluit Vegetius, cuius hæc sententia: *Necessitas enim est quædam virtutis desperatio.* pro quo Modius in membranis reperit, *Necessitatis enim quædam virtus est desperatio.* *Desperatio magnum ad honestè moriendum incitamentum.*

In hoc casu vnum oppidanis auxilium est.] Vnus Susianus codex referebat, *vnum oppidanis consilium est, vt muros turresque teneant.* Muros teneri, loca altiora conscendi vult Vegetius; inde hostes obrui. Amplius quid, & dubio procul vtilius, nostra ætas excogitauit; tensis quippe per singulas plateas catenis id cauent, ne liber sit hostium copiis, equitatui præsertim, discursus. *Loca altiora retinenda dum inuadatur ciuitas. Nostri hodie feruea catenas plateatim tendunt.*

AD CAPVT XXVI.

FREQVENTER dolum excogitant obsidentes, ac simulata desperatione longius abeunt.] Eo dolo concidit Ilion, & ingens gloria Dardanidûm. qua de re Virgilius 2. Æneidos: *Simulatus discessus ab obsidentibus.*

—— fracti

——— *fracti bello, fatisq; repulsi*
Ductores Danaûm, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum diuina Palladis arte
Ædificant, sectaq; intexunt abiete costas,
Votum pro reditu simulant, ea fama vagatur.

Profuit quoque simulasse obsidionem duraturam.

Alia huius simulationis strategemata peti possunt à Frontino lib. 3. cap. 6. & cap. 10. & cap. 11. Profuit etiam persuasisse obsessis, obsidionem duraturam: Front. lib. 3. cap. 5.

Canes anseresq; Rom. vigiliarum caussa aluerunt.

Vt acerrimos ac sagacissimos canes in turribus nutriant, qui aduentum hostium odore præsentiant, latratuque testentur.] Cicero pro Sexto Roscio Amerino: *Anseribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt significent, si fures venerint.* Idem refert Arnobius lib. 6 aduersus gentes. Liuius: *Canes sollicitum quidem animal ad nocturnos strepitus*, lib. 5. ab vrbe condita.

Romanis profuit in maxima inopia ab anseribus Iunoni sacris abstinuisse.
Flori locus tentatus.

Clamore anseris excitatus Manlius.] Variant hîc libri perinde vt in Historia variant scriptores. Tres inpræsentiarum apud me codices, qui illud *anseris* tuentur: quatuor item alij, qui *anserum* plurali numero malunt. Primo loco Liuiũ ponamus, cuius magna hac in re auctoritas esse debet: *Anseres* (inquit lib. 5.) *non fefellêre, quibus sacris Iunoni in summâ inopiâ cibi, tamen abstinebatur. quæ res saluti fuit. namque clangore eorum, alarumq; crepitu excitus M. Manlius.* E contrario Florus lib. 1. cap. 13. *clangore anseris excitatus.* Malim eo loco, & apud Vegetium quoque pro *excitatus*, *excitus* legi: nam eo rei Romanæ statu vigiles, qui in Capitolio à Gallis obsidebantur, vsque adeò negligentes, socordes, somnolentósve fuisse, vt excitandi fuerint, vix credibile. Auctor De viris illustribus: *Clangore anseris excitus Gallos adscendentes deiecit.* Item Plinius lib. 10. cap. 22. *Est & anseris vigil cura Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus.* Plurarchus ἐν αἰτίοις auctor est, alimenta anserum publicè à censoribus fuisse locata, ob diligentiorem, quàm canum, custodiam. Lucretius quoque testis citandus est:

——— *Humanum longè præsentit odorem*
Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Ambrosius contra Symmachum: *nisi eos pauido anser strepitu prodidisset.* Sed quorsum hîc tãdiu hæremus in re nõ ita magni momẽti, & in qua Arabiæ opes non versantur? in eâ si quis cõtra tẽdere vellet, hoc reapse foret caprinũ prœlium.

AD CAP.

AD CAPVT XXVII.

ASTV se prœlio subtrahunt, vt aduersariorum negligentiæ licentiam tribuant.] Optimæ notæ & plurimæ numero editiones & membranæ legebant: *astu se à prœlio subtrahunt*. hac de re exemplum apud Hirtium. Præmittebatur autem hoc capite, *cùm vtriusque partis milites ad requiem aut curanda corpora dispergantur*. In exemplo M. & H. particula illa temporis nulla appâret; eâque sublatâ, vera & genuina (prout mea opinio est) emerget huius loci sententia. *Obsessorum negligentia licentia tribuitur, vt posti opprimantur.*

AD CAPVT XXVIII.

CVM negligentia interuenerit, paribus insidiis subiacent obsidentes.] Ferendum erit, non culpandum, quòd auctoris nostri opinionem Claudiani versibus confirmo. Is lib. 4. ita cecinit: *Obsidentibus quoque suæ negligentia nocuit.*

——*Si longa moretur*
Obsidio, tum vota cane securæ remittas,
Inclusumq; putes. multis damnosa fuêre
Gaudia, dispersi pereunt somnoq; soluti.
Sæpiùs incautæ nocuit victoria turbæ.

Eodem astu Apollinates à Philippo Macedonũ rege obsessi, noctu, non sentientibus hostibus, præsidium Romanum intromiserunt. totum dein diem insequentem quiescentes, causam aduersariis suis socordiæ negligentiæque dederunt. Nihilominus noctis silentio ab vrbe sine tumultu egressi, castra occupauerunt; aliquot millia militum interemerunt, plura ceperunt, rege ipso prope seminudo fuga elapso: narratur à Liuio lib. 33. *Apollinates obsessi quo stratagemate Philippum deceperint.*

Omniaque in perniciem suam fabricata opera subuertunt.] Alij edebant, *ad perniciem*, M. *ad interniciem*. *Interniciei.*

Propter quod obsidentes vltra iactum teli fossam faciunt.] In quibusdam libris; *propter hoc*. inde pro *iactu*, substituunt quatuor manuscripti *ictum*. Itidem lib. 2. cap. 15. omnes membranæ & veteres aliquot impressi legebant: *ad cuius ictum præcipuè exercebantur milites*; vulgò *ad cuius iactum*. *Ictus, pro iactu.*

Fossam faciunt, eamque non solùm vallo & sudibus sed etiam turriculis instruunt.] Exemplar collegij trium Coronarum referebat, *fossam iaciunt*. in quo an fides illi

adhibenda sit, aliis considerandum relinquo. Vallos & sudes pro iisdem esse, alibi docui ex Seruio; addam nunc & Isidori testimonium: *Vallum, inquit, est quod mole terræ erigitur, vt custodia prætendatur. dictum antè vallum à vallis. nam valli fustes sunt quibus vallum munitur. Et valli dicti, quòd figantur & euellantur. intervalla, spacia sunt inter capita vallorum, id est stipitum, quibus vallum fit.* lib. 15. cap. De munitionibus.

Vallum quid sit.

Valli vnde dicti.

Quid intermalla.

Loricula vrbē esse circumdatam.] In membranis Hittorpianis, *lorica* vocabatur. Ammianus: *Terras præstringens, muros altiùs erigebat: hac lorica, diligentia celeri consummata, in tuto locandam securitatem suam existimans*: lib. 31. Etiam ad cœli ambitum omnia suo amplexu concludentem id transtulit Lucretius:

Lorica vrbes circumdata:

Denique qua circum cœli lorica coërcet.

Dicebatur autem illa lorica Latinè ea notione, qua Græcè θωράκιον, pro quo Vitruuius ferè reddidit *pluteum*. Loricam autem hoc opus ab aliis quoque Historiographis vocatam obseruaui, non Loriculam, nisi in munitionibus leuiusculis & minoribus. Cæsar lib. 7. belli Gallici. *Post eas aggerem & vallum XII. pedum extruxit, huic loricam pinnasq; adiecit.* Iterum lib. 5. *Turres cōtabulantur, pinnæ, loricæq; ex cratibus attexuntur.* Hirtius octauo belli Gallici: *Turres crebras excitari in altitudinem trium tabulatorum, pontibus transiectis constratisq; coniungi: quorum frontes viminea loricula munirentur.* Tacitus 4. Annal. *Obsidium cœpit per præsidia, quæ oportunè iam muniebat. dein fossam loricamq; contexens, quattuor millia passuum ambitu complexus est.* Florus lib. 3. cap. 10. *Castellis ingenti quasi lorica circundatam primùm fame domuit.*

Lorica illa vnde dicta.

AD CAPVT XXIX.

Sed ex alto destinata missilia, siue plumbatæ, siue lanceæ, veruta, vel spicula.] Cogit me hic Vegetij locus dissentire à doctissimo viro Adriano Turnebo, quod illius manes mihi cupio ignoscere. Is lib. 24. Aduers. c. 12. plumbatas interpretatus glandes plumbeas, quas martiobarbuli gerebant, vt à me relatū est suprà lib. 1. cap. 17. fortè inductus in eam opinionē, quòd easdem putaret esse plumbatas, quibus animaduertebatur olim in fontes: qua de re ego memini suprà libro secundo. Et penè in eundem me errorem vir ille pertraxerat; nisi reprehendisset Vegetius, quem

Dissentio à Turnebo.

quem vides has plumbatas inter missilia enumerare. Iacula autem has plumbatas, non glandes fuisse, probabo ex incerto auctore De rebus bellicis, cuius ego antè mentionem sæpiùs feci. Is bifarias plumbatas proponit hac figura:

Plumbatæ missilia, non glandes: Plumbatæ bifariæ.

Plumbata Tribolata.



Plumbata Mamillata.



Alteram plumbatam Tribolatam appellat, alteram Mamillatam. Expositionem autem Tribolatæ talem adhibet: Hoc, inquit, *iaculi genus quod in modum sagittæ pennis videtur instructum, non arcus neque balistæ pulsu consuevit emitti, sed manus impetu & viribus elisum in hostem cominus vadit, quod excipienti gemina ratione videtur afferre perniciem. Aut enim perimit infixum, aut sine vulnere dilapsum, & in terram positum, plantæ calcantis infigitur, eò quòd in partem quamlibet si fuerit conversum ex latere, aculeo ex sè eminente inferat vulnus. Fit autem ex ligno in modum sagittæ facto, cui ferrum subtiliter in formam venabuli aptatum infigitur, fistula eiusdem ferri parumper extensa, supra quam modico interiecto spatio, plumbo adhærentes iaculi velut tribuli emergunt. In summa autem parte eiusdem iaculi affiguntur pennæ celeritatis causa, tanto videlicet super easdem pennas relicto spatio, quantum digiti potuerint tenentis amplecti.* Plumbatæ Mamillatæ expositionem talem habet idem auctor: *Bene extensa* (inquit) *& directa virga, accipiet in extremitate sui rotundum & in acumen deductum ferrum similibus locis in tribulata plumbo, & pennis adhærentibus, vt plumbi pondere, & pennarum celeritate adiuta rotunditas teli, facilè clypeos aduersarij, & similiter obstantia valeat penetrare.*

Plumbatæ tribolatæ descriptio.

Plumbatæ mamillatæ expositio.

Balistæ verò & Onagri, si à peritis diligentissimè

Præcedendi verbum Vegetio iam sæpius restitutum.

temperentur vniuersa præcidunt.] Exemplaribus veteribus M. H. & duobus Susij probabatur *præcedunt*: quasi hæc duo machinamenta reliquorum impetum antecellerent & superarent. De quo loquendi genere dixi in Prologo huius libri, vbi *præcedis* restituebam, loco *præcellis*.

AD CAPVT XXX.

De altitudine murorum extrinsecus colligenda.

MENSVRA autem colligitur duplici modo.] Duplicem rationem Vegetius proponit colligendæ altitudinis. Atqui aliud medium Polyb. lib. 9. esse dicit, si per aliquem ex cõiuratis altitudo muri significata fuerit. tunc enim in promptu cognosci posse, quæ debeat scalarum esse commensuratio. Si verò fieri nequeat, vt mensura capiatur, vel ad murum quis appropinquet, ex interstitio totius altitudinis magnitudo eorum quæ erecta subiectæ planiciei imminent, capiatur: qui compræhensionis modus possibilis, imò facilis est illis, qui præceptis mathematicorum imbuti sunt. De quibus longum sit hîc disserere. Quare ad Sebastianum Munsterum, & alios mathematicos scriptores lectorem remitto.

Vel quæ recentior necessitatum vsus inuenit.] Varietatem lectionum ponam, etsi à vulgata non recedam. In M. *vel quæ Cretensium ciuitatum vsus*. H. *vel quærentium necessitatum vsus*: duo Susij *vel quæ recentiorum necessitatum vsus*.

Expensus Vegetij locus.

Pro publica (vt arbitror) vtilitate digessi.] Solus codex H. scriptum habet, *pro duplici, vt arbitror, vtilitate digessi*. Videndum certè, ne hoc de obsessorum & obsidentium vtilitate Flauius acceperit. quem non solùm ad oppugnandas atque expugnandas; sed ad defendendas quoque vrbes præcepta collegisse, capitibus aliquot superioribus liquet.

Emendatus Vegetius.

Ideoque intra muros tanto plura condenda sunt, quanto scitur clausuræ tempus in obsidentium potestate consistere.] Duo libri veteres reponebant *considerandа* pro *condenda*. eos qui volet sequatur, me tamen comitem non habiturus. Ceterùm pro *quanto*, legerim lubenter *quando*, vt in vno Susij exemplo scripto repperi. & iam antè de coniectura mihi probabatur. Nam particula *tanto* comparationis alterum membrum non videtur hîc admissura, eamq. ita absolutè vsurpari nemini incognitum est. *Quando* interpretor *quandoquidem*, *quoniam*. qua notione ista vox in

Quando, pro quandoquidem.

Pandectis

Pandectis nostris frequens. Paulus: *Nec factum serui domino obesse debere, nisi hactenus, vt ipso careat, quando ipse nihil deliquit.* Non ausculto aliis, qui isthîc supponebant *quoniam*, pro *quando*. Terentius Adelphis: *Quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.* de qua phrasi, in gratiam iuuentutis plura exempla congessi in Particulis. Eâdem phrasi cap. 34. huius libri Flauium nostrum vsum fuisse, magnum pignus dederim. vbi adiuuantibus partim libris veteribus ita scribo: *Sed cùm in domibus substruendis arenæ, vel lapidum qualitas requiratur, quanto magis in fabricandis nauibus diligenter cuncta quærenda sunt, quando maius periculum est nauem esse vitiosam, quàm domum?* Et quod libri M. & H. duoque Susij ibidem legant: *quia maius*: S. *quod maius*; tantum abest vt me ab hac coniecturâ recedere iubeant, vt magis etiam confirment.

Iterum leuiter emendatus Vegetius.

Quando scitur clausuræ tempus in obsidentium potestate consistere.] Qui enim obsessuri veniunt, ferè pro oculis habent illud Appij Claudij: *perseuerantiam in omni quidem genere militiæ necessariam esse, maximè tamen in obsidendis vrbibus*, apud Liuium lib. 5.

In obsidione maximè opus perseuerantia.

AD CAPVT XXXI.

PRÆCEPTA belli naualis.] Notaui superioribus libris vnico quasi filo in manuscriptis & vetustissimis editionibus multa Vegetij capita decurrere nullo nouo titulo adhibito aut incerto. At hoc loco monendū est, in vno exemplari Susiano nouum hoc loco Vegetij librum auspicatos librarios; qui verba huius capitis prima vsque ad eam periodum, *Romanus autem populus*, prologi vicem esse voluerunt libri quinti De re militari.

Semper habuit præparatam.] Ego quidem, Vegeti, id pernego, videlicet Romanos classem semper habuisse instructam & præparatam; præsertim dum viribus antiquis virisque Romana res stetit. C. Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, cùm videret eos multum mari posse, classem magis validam quàm decôram fabrefecit: testis auctor De viris illustribus cap. 38. Imò scribit Florus, & accedit Seneca, intra sexagesimum diem siluam cæsam, & CLX. (vel secundum Orosium, & Eutropium CXXX.) nauium classem factam, tam celeriter, vt velocitas, victoriæ auspicium ostenderet: cùm non arte factæ,

Romani liberæ rep. non semper habuere paratam classem. C. Duilius primam Rom. classem videtur paraſſe: Is classem intra sexagesimū diem confecit.

sed deorum quodam munere conuersæ in naues atque mutatæ arbores viderentur. Meminit etiam eius Plinius lib. 19. cap. 40. & Silius Italicus lib. 6. fine. Sed de Romanis an primam traiecti maris palmam Duilio tradamus? Absit; debetur Appio Claudio Caudici, qui consul ad Mamertinos liberandos missus, à Carthaginiensibus obsessos, primò ad explorandos hostes naui piscatoria traiecit: testis auctor De viris illustribus: Pòst capta à suo peditatu hostium trireme, eâdem legionem in Siciliam traiecit. Classe traiecisse vult Suetonius Tiberio, cap. 2. Erat porrò caudex apud veteres plurium tabulatorum contextus, vnde & Claudio huic cognomen Caudicis adhæsit, quòd primus bello apud Romanos nauem conscendit. Seneca De breuitate vitæ, cap. 13. Vsi quoque Rom. sociorum opera nauali bello. Nauales socij Liuio dicti lib. 45. (vt Turnebus interpretatur ex Polybio) qui propter census exiguitatem non ad bella terrestria & legiones centuriabantur; sed in classe belloque nauali militabant, libro 11. Aduers. cap. 18. Addo præterea quinto anno belli Punici secundi, Q. Fabio Maximo quartùm, & M. Claudio Marcello tertium consulibus, primùm factum esse, vt classis Romana sociis naualibus priuata impensa paratis cõpleretur. Cùm enim nauta deessent, consules ex Senatusconsulto edixerunt, vt qui L. Æmilio, C. Flaminio censoribus, millibus æris quinquaginta, ipse aut pater eius census fuisset, vsque ad centum millia: aut cui postea res tanta esset facta, nautam vnum cum sex mensium stipendio daret: qui supra centum millia, vsque ad CCC. millia, tres nautas cum stipendio annuo: qui supra trecenta millia vsque ad decies æris, quinque nautas: qui supra decies, septem; Senatores octo nautas cum annuo stipendio darent. Ex hoc edicto dati nautæ, armati, instructique ab Dominis, cum triginta dierum coctis cibariis naues conscenderunt.

Prima gloria traiecti maris apud Rom. debetur Appio Claudio Caudici.

Caudex quid sonaret veteribus.

Vsi quoq; Rom. sociis naualibus: Quales hi socij.

Quãdo primùm nauales socij priuata impensa parati.

Apud Misenum ergo & Rauennam singulæ legiones cum classibus stabant.] Libri scripti habebant: *Messenum, Missenam* vel *Messenam*: sed falluntur: Misenum enim hoc promontorium alij quoque appellant; & præter Historiographos & Cosmographos Festus adhibendus: *Misenum*, inquit, *promontorium à Miseno tubicine Æneæ, ibi sepulto, appellatum est.* De Miseno hoc Virgilius & alij scripsêre. De classe Misenensi

Vegetij scriptura confirmata.

Misenum promontorium vnde nuncupatum.

Misenensi & Rauennensi, earumque præfectis, variæ apud me inscriptiones, quas breuitatis causa prætereo. vnius tantùm partem huc pertinentem subiungo:

IIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. CLASSE. MISENENSI.
QVÆ. EST. SVB. IVLIO. FRONTONE. &c.

Quòd verò apud Misenum & Rauennam legiones Romanorum cum classibus stationes habuisse Vegetius scribit, id Octauij tempore primùm introductũ suspicor. cuius opinionis mihi auctor est Suetonius in Octauio cap. 49. *Ex militaribus* (inquit) *copiis legiones & auxilia prouinciatim distribuit. classem Miseni, & alteram Rauennæ ad tutelam Superi & Inferi maris conlocauit.* Auctor quoque Cornelius Tacitus 4. Annalium: *Italiam* (inquit) *vtroque mari duæ classes Misenum, atque Rauennam, proximumq; Galliæ littus rostratæ naues præsidebant. quas Actiaca victoria captas, Augustus in oppidum Foroiuliense miserat, valido cum remige.* Hinc in expeditione belli naualis, cõuentus nauium ad Rauennatium vrbem edicebatur, apud Cassiodorum libro quinto Variarum cap. 17. & nautarum conuentio, dicto lib. cap. 18. & seq.

Quãdo primùm apud Misenum & Rauennam stare cœperint Romanæ classes.

In expeditione nauali ad prædicta promonteria nauium conuentio edicta est: Itidem & nautarum.

In rebus bellicis celeritas ampliùs solet prodesse, quàm virtus.] Aurea illa, & digna quam bellici Imperatores præ oculis seruent, sententia. C. Cæsaris eam vbique fuisse industriam atq. conatum animaduertimus, vt quicquid præstituisset, vt plurimùm celeritate effectum daret.

Celeritas in bello sæpè ampliùs valet, quàm virtus.

AD CAPVT XXXII.

LIBVRNIS autem, quæ in Campaniâ stabant.] Appianus libro De bellis Illyricis: Ἐγένοντο Λιβυρνοὶ γένος ἕτερον Ἰλλυριῶν, οἳ τὸν Ἰόνιον καὶ τὰς νήσους ἐλήστευον ναυσὶν ὠκείαις τε καὶ κούφαις. ὅθεν ἐπὶ νῦν Ῥωμαῖοι τὰ κοῦφα καὶ ὀξέα δίκροτα, Λιβυρνίδας προσαγορεύουσιν. Hoc est, *Fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Ionium mare, & quæ in eo sunt, insulas prædabantur celeribus & leuibus nauigiis. Vnde etiam nunc leues & celeres biremes Romanis Liburnicæ vocantur.* Eâdem imitatione Carpasiæ naues à Carpado insula; ab Alexandria Alexandrinæ; itidem Achaïcæ, Smyrneæ, Sidoniæ, Rhodiæq. naues appellationẽ sortitæ; Isidoro teste lib. 19. Luciano, Herodoto Polhymnia: & Liuio libro 47: Cæsare 3. Belli ciuilis, & aliis. Rhodij vt rei nauticæ peritissimi etiam celebrati ab Hirtio lib.

Liburnicæ naues ex quo nomen adeptæ sunt.

Carpasiæ Alexandrinæ, Rhodiæ naues, &c. nomen habent à prouinciis.

Rhodij periti rei nauticæ.

Nominatæ quoque naues a ministerio, vel statione.

De bello Alexandrino. Nomina itidem nauibus aliunde indita, ab officio scilicet aut ministerio quod præstant; itidem à cursu ipso vel statione; quemadmodum obseruauit vir eruditissimus Lazarus Bayfius in explicatione capitis secundi ff. De captiuis & postliminiò reuersis. Nomina itidem nauibus à forma: vnde rostratæ, longæ constratæ, seu tectæ, & apertæ in historiis passim. Longas naues dicuntur habuisse veteres diuersas: alias maiores, potentiores, rostratas, ac tectas, de quibus posteà agemus; alias minores, quas biremes, celeres, leues atque liburnicas antiqui nuncupârunt, quæ remorum singulos ordines habebant; Vegetius hoc libro cap. 37. Et hac forma fuisse credũtur, quam in nummis Imperatoris L. Aurelij Veri, & alibi videmus.

Naues etiam à forma cognominatæ.

Liburnicæ antiquis cum singulis remorum ordinibus.

Liburnica, leuis, celeris, vnius ordinis.



Eæ verò

Eæ verò, quæ Ionio in mari locatæ fuerant, ad præfectum classis Rauennatium pertinebant.] Monendum video (etsi perinuitus illa varietate lectionum chartã impleo) in optimæ notæ libris referri: *Eas verò quæ Ionio in mari locatæ fuerant, præfectus classis Rauennantium retinebat.* Et quòd paullo pòst dicantur deni tribuni per cohortes singulas in classe constituti; id videntur inficiaturæ membranæ H, in quibus vox *deni*, nulla est. Et absit sanè. nam in singulis cohortibus fuisse denos, si quis adfirmet, mentiatur. Veruntamen cùm sub præfectis singulis singulæ legiones militauerint, & inibi decem semper fuerint cohortes, facile est colligere quot istîc tribuni fuerint. *Tentatus iterũ Vegetius.*

AD CAPVT XXXIII.

SED Augusto dimicante Actiaco prœlio.] Eo prœlio Augustus Antonium superauit, & ab illâ victoriâ rerum summa apud eundem fuit. atque ex eo anni principatus eius numerati. Prœlium autem confectum ad IV. nonas Septembris. cuius apparatum & successum pete, si lubet, ex Dionis Augusto, Plutarchi Antonio, L. Flori libro quarto cap. 9. *Actiaca victoria: Exinde anni principatus numerari cœperunt.*

Ergo similitudine, & nomine vsurpato, ad eandem instar classem Romani principes texuerunt.] Aliquot libri habebant, *Ergo nomen & similitudinem vsurpati.* Vegetius Liburnicas naues à Romanis primùm vsurpatas ait, post Augusti ad Actium victoriam. Dissentit ab eo Eutropius, qui in classe Duiliana (de qua ad caput 31. diximus) naues rostratas, quas Liburnas vocant, fuisse auctor est. Itidem naues Actiaco prœlio captas, rostratas vocat Cornelius Tacitus quarto Annalium; cuius verba modò proposuimus. Illud certum est, M. Attilium Regulũ cos. primum Romanorum ducum in Aphricam classem traiecisse; eaque quassata, de Hamilcare naues longas tres & sexaginta accepisse, testatur auctor De viris illustribus cap. 40. Eutropius, Florus, Orosius lib. 4. Nauium longarum inuentio Iasoni tribuitur à Philostephano apud Plinium libro septimo cap. 56. Neque admodùm ab eo discedit Diodorus Siculus, qui libro quinto scriptum reliquit, primùm circa Pelium nauem ædificatam, magnitudine & reliquo apparatu consuetum tunc temporis morem excedentem: *Eutropius, & alij à Vegetio dissentiunt.* *M. Attilius Regulus primus in Aphricam traiecit.* *Nauium longarum inuentio Iasoni tributa.*

Argô nauis circa Pelium ædificata.

dentem: vocatam autem Argô nauem. de quo nomine varia poëtæ, & Cicero prima Tuscul. Hæ naues Liburnicæ

Liburnæ quare in prœliis vtilissimæ: Eadem remis actæ.

præterquàm quòd expeditiores essent, etiam specie barbaris erant inusitatiores, & ob hoc magno vsui in prœliis: testis Cæsar lib. 4. vbi & ipse Cæsar, & proinde Liuius, lib. 37. & Tacitus 4. Annal. principio indicant, remis incitari solere. Plutarch. tamen ipsas Liburnicas videtur referre inter naues speculatorias, & quæ ad conflictum non essent idoneæ; vt obseruauit quoq. Bayfius. Illud memoria dignum, quòd omnium primi Lydi nauem fabricasse, & incerta pelagi petentes, peruium humanis vsibus mare fecisse perhibentur, vt scribit Isidorus lib. 19. cap. 1.

Nauem Lydi omnium primi fabricârunt.

Liburnia namque Dalmatiæ pars est, Iadertinæ subiacens ciuitati.] Membranæ ciuitatem illam partim *diadicinam*, partim *diadertinam*, aut *diaterdinam* nuncupant. quas ego ciuitates nondum extructas scio. Emendo de coniecturâ, *Iaderinæ*; nisi malis *Iaderæ*. Iadera colonia est in Liburnia, apud Ptolemæum lib. 2. cap. 17: Pomponium Melam lib. 2. Plinium lib. 3. cap. 2. Ptolemæo additur, *Biaram siue Zaram*, vulgo hoc oppidum nominari. quod etiam in Itinerario Antonini me legere memini. Velim & in Æthici Cosmographia, & in prædicto Itinerario scribi *Iadera*; vbi malè hactenus *Iader* legitur. Nam Iader Dalmatiæ fluuius est, in Adriaticũ mare defluẽs, iuxta quẽ sitũ hoc oppidum: vnde & nomen illi inditum nemini dubium erit. Lucanus:

Emaculata Vegetij lectura. Iadera ciuitas.

Itinerarium & Æthicus leniter correcti. Iader Dalmatiæ ciuitas.

Et tepidum in molles zephyros excurrit Iader.

AD CAPVT XXXIIII.

Ex cypresso ergo.] De cupresso consulendus Plinius lib. 16. cap. 33. Memini quoque à probatis auctoribus scriptum, crucem illam ex qua Saluator noster pependit, quò à Diaboli tyrannide nos liberaret, ex cupresso, pino & cedro fuisse compactam. quod præter alios memoriæ prodidit Ioannes Cantacuzenus, rex Constantinopolitanus.

Crux Christi ex tribus diuersis lignorum speciebus.

Et pinu domestica.] Vide Plinium lib. 16. cap. 39. Theophrastum lib. 5. cap. 2.

Larice & abiete.] Quòd *laricem* hinc amouent S & alter Susij, id me faciunt inuito, atque adeò reclamantibus reliquis exemplaribus. Plinius de larice: *Inuentum est*, inquit, *pictorum tabellis immortale, nullisq; fissile vimis hoc lignum*: lib. 16. cap. 36.

Laricis arboris ligna non ducunt vimas, neq. comburuntur.

cap.36.Idem eodem illo capite: *Larici,& magis abieti*,inquit, *succisis humor diu desluit . hæ arborum omnium altissimæ ac rectissimæ. nauium malis antennisq; propter leuitatem præfertur abies*. Videndus Theophrastus lib.3.cap.10. Mantuanus:

Larix & abies aptissimæ nauium malis.

Et robusta larix igni impenetrabile lignum.

De materiis perpetuis, & quæ cariem vel rimam non sentiant, multa præclara collegit Plinius lib.16. cap.40. vbi abietem tanquã admirationis præcipuæ in naui commendat. Consulendus itidem hac de re Vitruuius lib.2.cap 9. Nunc etiam illud examinandum relinquitur,an ad classem instruendam arbores vndecumque conuehere principibus liceat,non numerato possessoribus pretio.qua de re constitutiones sunt regis Theoderici apud Cassiodorum lib.5. Variarum capite 16.17.18.& 20.

Arbores in vsum classis tadere an Principi liceat, non numerato pretio.

Vtilius æreis clauis quàm ferreis cõfigenda.] Membranæ H.suadent legendum,*compingenda*. De æreis clauis & materia ærea in construendis nauibus, locum aliquando notaui apud Cæsarem, quarto belli Gallici: *Quæ grauissimæ erant naues, earum materia atque ære ad reliquas reficiendas vtebatur*. Porrò & illud satis constat, prærerquam quòd vtilitas esset in clauis æreis; etiam facilius fuisse antiquis ex ære, quàm ex ferro quid conficere: *Quòd prius æris erat quam ferri cognitus vsus*,vt alibi docui. In qua opinione testem quoque habemus Plinium lib.34.cap.primo & sequentibus,& Isidorum lib.16.Quin & arma,pectoralia, ocreas, galeas,ex ære antiquis factas,innuit locis infinitis Virgilius, Seruius Grammaticus,& ipse Plinius libro trigesimo quarto capite 7.Polybius in Castrametatione,Liuius, & alij mille locis. Ceterùm qui ferri inuentores primi fuerint si quæras,præsto est Ammianus;qui lib.22.ita scribit:*Dahæ*, inquit, *& Chalybes, per quos erutum & domitum primitus est ferrum*.

AErei olim claui in nauibus.

AEs valde in vsu antiquis.

AEs cognitum ante ferrum.

Arma, ocreæ galeæ ex ære apud antiquos.

Ferri inuentores primi.

Ferreos clauos tempore & humore celeriter rubigo consumit.] Eos qui à rubigine defendere volet,sequatur consilium Plinij ex lib. 34. cap.15.& videat eâdem de re consilium Isidori lib.16.Originum,seu Etymol.

Ferrum à rubigine qui conseruetur.

Ærei autem etiam in fluctibus propriam substantiam seruant.] Claui ærei;& quicquid ex ære est,cum substantia etiam nitorem facilè retiner, etsi neglegatur:contrà si tergas, nisi oleo perungatur, statim æruginem trahet; vt auctor est Plinius lib.34.cap.9.

AEs quando æruginem contrahat.

AD

AD CAPVT XXXV.

VT à quintadecima luna vsque ad vigesimam tertiam arbores præcidantur.] Melioris notæ libri S. H.& tres Susij referebant *ad vigesimam secundam*,& aliquanti ex iisdem paullo pòst ex octiduo septiduum faciebant.

Menses triplices. Sed ad locum interpretandũ eamus. Menses triplices quidam dixêre. Nam ab eo spatio,quod sol in signo peragendo consumit,Solares vocârunt: Lunares verò de recessione Lunæ à Sole,& reditu ad eundem: Vsuales seu communes à spatio in Kalendariis nostris præscripto. De arboribus porrò ad Lunæ decursum cædendis, audiemus Plinij opinionem ex libro 16.Naturalis hist.cap.39. *Infinitum*,inquit, *refert lunaris ratio,nec nisi à vicesima in triceſimam cædi volunt. Inter omnes conuenit vtilissimè in coitu eius sterni; quem diem alij interlunium,alij silentis lunæ appellant.* Cato De re rustica: *Vlmeam, pineam, nuceam, hanc atque aliam materiam omnem cùm effodies, luna decrescente eximito post meridiem,sine vento Austro,cauetoq; per rorem trahas,aut doles*, cap.31. Idem paullo pòst: *Nisi intermestri luna atque dimidiata,ne tangas materiem,tunc ne effodias, aut præcidas abs terra. Diebus quatuor proximis quibus luna plena fuerit,optimè eximitur.* Vide eundẽ scriptorem De re rustica, cap. 37: & apud Plinium illius verba laudata,lib.16. cap.39.si componas, facilè videas alterum medicâ manu indigere. Auctor item Plinius dicto cap. 39, Tiberium & in capillo tondendo interlunia seruasse. Adeundus Vitruuius lib.2. cap.9. & ibidem latissimè Guil. Philander;& Petrus Crinitus lib.4. De honesta disciplina capite sexto. Cicero: *Ostreisq; & conchyliis omnibus contingere,vt cũ Lunâ crescant pariter,pariterq; decrescant,arboresq;,vt hyemali tẽpore,cum Luna simul senescentes, quia tum exsiccatæ sint,tempestiuè cædi putentur*: lib.2. De diuinatione. Vide, si vacat,& Agellium lib.20.cap.7.

Qua luna arbores cadenda.

Comparanda Plinij & Catonis verba.

Interlunia in capillo tondendo seruauit Tiberius.

Conchylia omnia cum luna crescunt & decrescunt.

Quod ars ipsa,& omnium architectorum quotidianus vsus edocuit.] Ita eum locum vulgandum curaui, præeuntibus in eo omnibus libris, extra editionem nuperam & H,quibus placebat legi, *quod præter omnium architectorum doctrinam,quotidianus vsus edocuit.*

Obscurus Vegetij locus, illustratus.

Et contemplatione ipsius religionis agnoscimus, quam pro æternitate his tantùm diebus placuit celebrari.] In M. & vno Susij inseritur,*placuit pascha celebrari.* id

glosse-

gloſſema eſt, ſed valdè aptum ad rem illuſtrandam. Iſidorus lib. 6. Etym. cap. de cyclo paſchali: *Paſcha* (inquit) *à* XIIII. *luna vſque ad vigeſimamprimam extenderunt*. Alij à XV. luna cœpiſſe volunt. vt videre eſt apud Ioannẽ Lucidũ, in ſuo Chronico: qui varias de eâ re Patrũ opiniones recenſet.

AD CAPVT XXXVI.

Id eſt vſque ad Kalendas Ianuarias.] Inducunt omnes Suſiani illud interpretamenti præambulum, *id eſt*: & in quibuſdam legebatur, *vſque ad tertium Kalendas Ianuarias*. ſed in eo fruſtrà ſunt, qui id ita expreſſerunt. membranæ H. referunt *vſque in Kalendas Ianuarias*. Decepti librarij, qui particulam *in* putârunt ſignificare numerum ternum, vnde illi poſteà effecêre tertium.

Illud etiam cauendum, ne continuò, vt deiectæ fuerint trabes.] Peritiſſimus huius rei ſcriptor Vitruuius adhibendus, qui libro 2. cap. 9. de iis diſſerens, de quibus hoc capite noſter Vegetius: *Cædi*, inquit, *ita oportet, vt incidatur arboris craſsitudo ad mediam medullam, & relinquatur, vti per eam exſiccęſcat ſtillando ſiccus. ita qui ineſt in his inutilis liquor, effluens per torulum, non patietur emori in eo ſaniem, nec corrumpi materiæ qualitatem. Tum autem, cùm ſicca & ſine ſtillis erit arbor, deiiciatur; & ita erit optima in vſu.* Idem quoque monet Plinius libro decimo nono capite trigeſimo nono, & Palladius libro ſecundo De re ruſtica cap. 15.

Trabes non ſimul vt deiectæ, adhibendæ ad conſtructionem nauium:

Vitruuij hac de re conſilium.

Duplices ad maiorem ſiccitatem mereantur inducias.] A Cæſare effectas armatasque naues ſcribitur, diebus triginta, à quâ die materia cæſa erat; primo Belli ciuilis. Mirum apud antiquos, primo Punico bello, claſſem Duillij imperatoris ab arbore exciſa LX. die nauigaſſe. Cõtra Hieronem regem ducentas viginti naues effectas diebus XLV, tradit Liuius Piſo. Secundo quoque Punico bello Scipionis claſſis quadrageſima die à ſecuri nauigauit, vt adnotatum reliquit Plinius lib. 16. cap. 39.

Trigeſimo die poſt cæſas arbores naues nauigârunt:

Iterum à die quadrageſima.

Et rimas faciunt latiores.] Ex viridi aut humida materia compactæ naues, non eundem habent quem aliæ celeritatis vſum; teſtante Cæſare primo Belli ciuilis; tantum abeſt, vt à rimis modò periculum ſit.

Recens lignum & tardam nauẽ efficit, & periculoſam.

Quo nihil eſt periculoſius nauigantibus.] Perfecta huius loci, & abſoluta ſuis numeris Vegetij oratio: auſi tamen

Ridicula aliquot glossemata addita huic scriptori.

men librarij assuere aliquot pannos, quos vel puer videat aptari nõ posse. sunt autẽ tales: *quo nihil est periculosius nauigantibus, quàm hiare tabulata; quàm viridia tabulata: quàm hiatus tabulatorum.* Sed quid optemus his tam ineptis hominibus? non aliud, meo iudicio, quàm saniorem mentem.

AD CAPVT XXXVII.

Naues eliphantes habebant remorum ordines.

Ordines remorum in latitudinem considerandi.

MINIMÆ Liburnæ remorum habent singulos ordines.] Istiusmodi nauem paullo antè depictam vidisti; quæ paullo maiores erant, in iis binos, ternos; in maioribus quaternos, interdum quinos remigũ ordines fuisse, Flauius scribit. Sed illi ordines non in altitudinem, sed in latitudinem considerandi sunt, vt in naui longa, rostrata triremi, quam mox exhibituri sumus, videre erit. ab hisce ordinibus, si bini erãt, ipsæ naues biremes; si terni, triremes, & sic deinceps nomen sortitæ sunt. In biremi latus vtrumque binis ordinibus positis inibi sedilibus, vbi remiges sedebant, distinctum erat; in triremi tribus, in quinqueremi quinis, & sic deinceps. In triremi quam exhibebimus, tres remigum ordines appãrent, & quia in singulis ordinibus remi septem, ad eam nauem agendam remigibus opus fuit quadraginta duobus, qui singuli sua sedilia occupabant, & remos singulos. Si quinqueremis agenda erat, in cuius singulis lateribus ordines requirebantur quinque, pro numero sediliũ, quę in singulis ordinibus erãt, remiges adhibendi erant. Plinius in quinqueremi Caij remiges fuisse scribit quadringẽtos: quos si rectè partiaris, reperies in singulis ordinibus istius nauis sedilia, remos, & remiges quadraginta.

Ordines illi sedilibus distincti.

Romani mare primùm ingressi L. Valerio, T. Octacilio coss.

Quinqueremiũ constructio difficilis Rom.

Interdum quinos sortiuntur remigum gradus.] Polybius libro primo Historiarum auctor est, Romanos centum viginti nauium classe contra Carthaginienses ædificata, mare in eum vsque diem intentatum ingressos esse, L. Valerio, T. Octacilio coss. Sed in illius classis apparatu perquàm difficile fuisse quinqueremium ædificationem. ipsos tamen Romanos, qua erant animi magnitudine & excellentia, centum quinqueremes in prædicta classe quoquo modo ædificasse. Cumque paullo pòst vna Carthaginiensium quinqueremis in potestatem Romanorum casu peruenisset, eam exemplar eius generis præbuisse, eiusque instar omnem classem suam Romanos instituisse.

Cùm

Cùm in Actiaco prœlio longè maiora referantur concurrisse nauigia.] Maiora certè istîc nauigia, quàm quinque ordinum fuisse, docent nos historiæ. Vnum Dionem testẽ citasse suffecerit: eius verba ex Augusto de hac pugna ista sunt: Τὰ μὲν σκάφη τῷ Αντωνίῳ πολὺ τῶν ἐναντίων ὑπερέχοντα ἦν, τριήρεσι μὲν γὰρ ὀλίγαις, πεντήρεσι, τετρήρεσι τε, καὶ δεκήρεσι. καὶ τὰ λοιπὰ τὰ διὰ μέσου πάντα ἐξεποίησε. καὶ ἐπ' αὐτὰ πύργους τε ὑψηλοὺς ἐπικατεσκεύασε, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐπ' αὐτοῖς ἐβίβασε. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὁ ἀγὼν ἐκ ὁμοιότροπος αὐτοῖς ἐγίνετο. Id est, *naues Antonij erant nauibus hostium longè maiores; in quibus triremes paucæ, quinqueremes & deciremes complures. reliquæ erant inter has mediæ; in his altissimas turres ædificari, atque magnum numerum hominum imponi in turribus iusserat, ex quo efficiebatur vt pugna dissimilis esset.* At maiora nauigia Alexandri Magni fuêre, quem naues ad duodecim ordines instituisse scripsit Plinius. Longè maiora fuêre Philadelphi. Is enim (vt auctor est Athenæus lib. 5.) naues triginta ordinum habuit duas; vnam, viginti; tredecim ordinum, quatuor; duodecim, duas; vndecim ordinum, quatuordecim; nouem ordinum triginta; hepteres, triginta septem, hexeres quinque; quinqueremes decem & septem. Longè maximũ nauigium Ptolemæus Philopator dictus, fieri iussit. cumque nemo reperiretur, qui ante id tempus quindecimremem, aut sexdecim ordinum nauem nosset, vnam construendam curauit quadraginta ordinum, in longitudinem quidem productam ad cubitos ducentos octoginta: altitudinem autem ad summitatem vsq. nauis duodequinquaginta cubitorum. Instructa autem erat nautis quadringentis, præter remiges, qui quater mille numero erant. quibus accedebant armati milites paulò minùs ter millenis. testis Plutarchus in Demetrio, & Athenæus libro quinto, qui idem huic nauigio rostra tribuit septem, gubernacula quatuor, & complura alia in nauibus noua, rara, imò nunquam audita. Illud in genere admonendum est, in bello nauali classem expeditam, leuem, promptam vtiliorem esse, quàm quæ armis, comeatu, exercitu, propugnaculisue nimis onusta est. Declarant exempla in historiis veterum. apud Florum lib. 2. cap. 2. apud Plutarchum in Antonio: iterum apud Florum libro quarto capite nono. Declarauit quoque euentus prœliorum in Hollandia, annis superioribus commissorum.

Maiores, quàm quinqueremes in pugna Actiaca:

Maiora tamen nauigia Alexandri Magni: Longè maiora Philadelphi:

Longè maximũ nauigium quod Philopator ædificandum curauit;

In ea naui milites quater mille;

Item rostra septem, gubernacula quatuor.

Classis expedita leuis magis commoda bello.

Scaphæ

Scaphæ tamen maioribus Liburnis exploratoriæ sociantur.] Cæsar quarto belli Gallici: *Plures paucos circumsistebant, alij ab latere aperto in vniuersos tela coniiciebant. quod cùm animaduertisset Cæsar, scaphas longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus compleri iussit, & quos laborantes conspexerat, iis subsidia submittebat.*

Scaphæ speculatoriæ.

Quas Britanni pictas vocant.] In tribus membranis Susij hæ scaphæ exploratoriæ nomen habebant *picatos*. In M & H *picato*. Piraticas appellare quis possit: quarum meminit Sallust. 2. Histor. Nonius Marcellus: *Piraticæ naiculæ celeres; quòd citò agi possint*. etiam *picatas* dictas suspicari licet. mihi tamen verius videtur *pincas* appellatas. Idenim naiucularum genus etiam hodie Britannia & Batauia agnoscit. vocant autem vulgò, *een pincke*. Ab antiquo porrò verbo *specio*, speculator Varroni deriuatus; quem mittimus antè, vt respiciat quæ volumus, lib. 5. De lingua Latina. Itidem hæ naues exploratoriæ, ab explorando; à speculando, speculatoriæ dictæ. Liuius lib. 45. *Ipse Philopœmenes in leui speculatoria naui fuit, nec ante fugæ finem quàm Patras ventum sit, fecit.*

Quæsitum de nomine nauis.

Piratica naues.

Coniectura in Vegetium.

Speculator vnde dictus.

Speculatoriæ scaphulæ.

Ne tamen exploratoriæ naues.] Verba hæc cum sequentibus omnibus vsque ad initium capitis subsequentis absunt à duobus libris Susij M. H. Veruntamen, quia ad strategemata instruenda pertinent, vela nauium tingi, nimis temerarium foret hæc Vegetij verba inducere. Vela tingi solita auctor quoque est Plinius lib. 35. cap. vndecimo & lib. 19. cap. 1. Vbi is scriptor: *Tentatum est, inquit, tingi linum quoque & vestium insaniam accipere in Alexandri Magni primùm classibus, Indo amne nauigantis, cùm duces eius ac præfecti in certamine quodam variassent insignia nauium, stupueruntq; littora, flatu versicoloria implente. Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemq; effugit; hoc fuit Imperatoriæ nauis insigne.* hactenus Plinius. Vela nauibus primùm adhibuisse fertur Icarus, Plinio scriptore lib. 7. cap. 56. Alij Isidem primùm rati vela suspendisse volunt. inter hos Cassiodorus libro quinto Variarum capite decimo septimo.

Vela nauium tingui solita: Id inuentũ primùm in classe Alexandri Magni.

Vela quis primùm naui apposuerit.

Cera etiam, qua vngere solent naues, inficitur.] Denuò ad locum hunc illustrandum appellandus Plinius: *In encaustice pingendi duo fuisse antiquitus genera constat, cera, & in ebore cestro, id est, viriculo, donec classes pingi cœpêre. Hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo vtendi, quæ pictura in nauibus nec sole*

Naues ceră vnctæ.

sale ventúsq; corrumpitur, lib. 35. Naturalis historiæ, capite vndecimo.

AD CAPVT XXXVIII.

TVRBINVM signa debet antè prænoscere.] Multa in hanc sententiam ex ipsis antiquorum monumentis eruta à nobis reperies, ad Caput quadragesimum primum eiusdem huius libri.

De numero & nominibus ventorum.

Igitur ventorum numerum, atque vocabula ars nauigandi primùm debet inspicere.] De ventorum natura variaque diuisione, ac ratione nominum singulorum, consulendi sunt Plinius libro secundo cap. 46. cum seq., Aristoteles lib. 3. Meteor. & lib. De mundo, Seneca lib. 3. Naturalium quæstionum, Vitruuius libro primo cap. 6. Strabo lib. 1. Geographiæ, Agellius lib. 2. cap. 22; Isidorus lib. 4. cap. De nominibus ventorum, & lib. 13. cap. vndecimo; Constantinus lib. primo De agricultura, cap. vndecimo.

Venti veteribus duodecim.

Sed experimento posterior ætas duodecim comprehendit.] Membranæ partim referunt, *sed per experimentum posterior ætas*: aliæ, *sed experimentum posterioris ætatis duodecim inuenit.* Imò plures multò nostra ætas numerat; nec puto facilè reperiri nationes, quæ Batauos in ventis enumerandis, distinguendis atque dinoscendis superare possint.

Hodie multò plures.

A verno itaque solstitio.] Aliter visum libris M. & duobus Susij, in quibus legebatur, *Hiberno itaque solstitio.* porrò vnum tantùm esse solstitium (Lucretio, Virgilio, Varrone, Cicerone, & Plinio testibus) contendit P. Victorius suis in Varronem De re rustica Notis. Columellam & Seruium reprehendit, qui solstitium æstiuum, & solstitia numero plurali dixerunt; cùm illi solstitium τροπὰς θερινὰς solùm vocent; τροπὰς autem χειμερινὰς, brumam.

Solstitium tantum vnum.

Venti principales quatuor.

Veteres autem iuxta positionem cardinum tantùm quatuor ventos principales à singulis cæli partibus flare credebant.] Manuscriptus H. præpositionem hinc eiicit. De re ipsa Ouidij versus sunt primo Tristiũ, Elegia 2.

Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest.
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus aduersa prœlia fronte gerit.

Item Manilius:

Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu,
Auster amat medium cœlum, Zephyrusq; profundum.

Ventus oritur ἀπηλιώτης, id est, subsolanus.] Adeundus Plinius lib. 18. cap. 34.

Suppletus auctoris nostri locum.

Huic à dextra iungitur Καικίας.] Vanus promissor fuit Vegetius si libros editos sequimur. Is enim ad dubitationem quæ in ventorum distributione erat, submouendam, nomina eorum non solùm Græca, sed etiam Latina se protulisse dixit. Cæciam ventum Hellespontium quidam vocârunt: vide Erasmi Chiliades. Supplere autem hunc locum conantur duo libri M. & alter Susij: *iungitur καικίας, seu erobinus.*

Eurus ventus idem qui Vulturnus.

Εὖρος, siue Vulturnus.] Isidorus, & eum secuti alij, Cæciam, Vulturnum esse volunt. Reclamat Vegetius & alij. Columella lib. sexto: *Cùm plerumque sideris caniculæ tempore, quædam partes eius regionis sic infestantur euro, quem incolæ vulturnum vocant, vt &c.*

Iterum supplementum Vegetio factum.

Occidentalem verò cardinem retinet ζέφυρος.] Et hoc loco Latinum nomen desideratur apud Vegetium: ex codice M. & altero Susij suppletur, ζέφυρος, *id est, subuespertinus.* Eum ventum Fauonium alij sæpè appellant.

Tempestatibus magnis plures simul venti spirant.

Hi sæpè singuli, interdum duo; magnis autem tempestatibus etiam tres pariter flare consueuerunt.] Virgilius 1. Æneidos:

Incubuêre mari, totumq; à sedibus imis
Vnà Eurusq;, Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus, & vastos volunt ad littora fluctus.

Horatius lib. 1. Od. 3.

—— Nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes hyadas, nec rabiem Noti.

Itidem Lucanus lib. 5. & alij in descriptionibus tempestatum.

Sæpe apud veteres X. pro S. vsitatum.

Horum impetu maria, quæ suasponte tranquilla sunt & quieta, vndis æstuantibus sæuiunt.] In M. erat, *extumantibus.* sed hoc argumentum est, expressum illũ ex membranis. ibi enim sæpe X. pro S. scriptũ reperimus. in S. erat *exæstuantibus.* Cicero in eâ quam pro Cluentio habuit: *Mare quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari.*

Nam secundo spiramine optatos classis inuenit portus.] Codex M. legit *inspiramine.*

AD

AD CAPVT XXXIX.

NEQVE enim integro anno vis atque acerbitas maris patitur nauigantes.] Magna olim Romanorum temeritas, præsertim cùm primùm nauigare inciperent, fuit. vt qui nulla habita temporis ratione, quicquid semel decreuissent, omnino perfici necessarium ducerent. quod exemplo confirmare libet. Polybius libro 1. testis est, tantam iacturam vno tempore Romanos mari passos fuisse, quantam nemo ante eam ætatem meminerit; idque non tam fortunæ culpa, quàm consulum temeritate. Nautis enim sæpe monentibus vitandum esse extremum Siciliæ latus, quòd importuosum atque infestum esset, & ægrè traiici posset, præsertim eo anni tempore, quo inter Orionis & Canis signa nauigabant; illi spretis nautarum monitis, superioris victoriæ fiducia elati, classem mari committunt, & ex trecentis sexaginta quatuor nauibus, vix octuaginta incolumes ad littus perducunt. Huc etiam spectat illud Didonis apud Virgil.

Romani valdè in nauigando primùm temerarij.

Ea causa maximum accepisse detrimentum.

Inter Orionis & Canis signa periculose nauigatum.

Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum.

Idem 2. Æneidos:

——— *Sæpe illos aspera ponti*
Intercluſit hiems, & terruit Auſter euntes.

Videndus Horatius libro primo, Ode quarta & quinta; & ibidem interpretes; & doctissimus iurisconsultus Barnabas Brissonius in l. quoties, C. de naufragiis; & in lege ciuiles, C. de officio rectoris prouinciæ.

Vis atque acerbitas maris patitur nauigantes.] In vno Susij erat, *vim atque acerbitatem patiuntur nauigantes.*

Phanitæ decursu, id est post ortum Pleadum.] Mirum nî diuersum sonarent libri in re aut nomine incognito. In M. *flagrante decursu*. membranæ H. nihil hîc iuuant. nam in iis totum hoc caput desideratur. Sus. partim *flagrante decursu*, partim *pagnitæ*. At Adrianus Turnebus testatum reliquit in suis Aduersariis, se in suo exemplari reperisse *Phaguite decursu*: & ita ego expressum vidi in S. Inde idem Turnebus faciendum censuit, *pharmuti decursu*. nam mensis Ægyptij nomenclaturam esse arbitratur. de quo in epigrammate Græco:

Restitutus à Turnebo Vegetij locus.

Ειαρινῶν φάρμυθι ῥόδων πρωτάγγελός ἐστι.

Secura nauigatio creditur.] Prædictus Turnebus lib. 24. Aduers. cap. 34. legit, *secunda nauigatio*. verùm an libris præeuntibus, an de sua coniectura, non indicat. Illud testari debeo, libros me non vidisse qui ab edita lectione deflecterent vel hilum, nisi quod similitudinis particulam quidam inserunt; hoc modo: *vt secura nauigatio creditur, quia æstatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur; ita post hoc tempus*, &c. quæ lectio meis auribus visa non intolerabilis. Illud non iniuriâ ab auctore nostro dictum est, certis diebus nauigationem securam credi; & quidem creditur. nam ventorum inuasione maria, quæ sua spontè tranquilla sunt, desubitò turbantur, & secundum illud Propertij,

Nauigatio certis diebus secura creditur: Reuera autem non est secura.

Ventorum est quodcumq; paras; haud vlla carina
Consenuit, fallit portus & ipse fidem.

Nec minùs verum & Senecæ illud esse, probat experientia: *Noli* (inquit) *huic tranquillitati confidere; momento mare vertitur. eodem die vbi luserunt nauigia, sorbentur.* Imò quisquis nauigat, tantum distat à morte, quanta est nauis crassitudo. ad quod Anacharsis Apophthegma allusit Iuuenalis:

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor. ——— Satyr. 12.

Eôdem quoque digitum intendit & Seneca Medea:

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit:
Terrasq; sua post terga videns,
Animam leuibus credidit auris;
Dubiaq; secans æquora cursu,
Potuit tenero fidere ligno,
Nimium gracili limite ducto.

An'ne Carfilidis responsiones tam sunt veræ, quàm Apollinis oracula? qui interrogatus quid esset nauta, eum fluctuum comitem respondit. Idémque terram fidelem, nil infidélius mari censuit. quod vnico epitheto poëta expressit 1. Georgic.

Nauta comes fluctuum. Nil infidelius mari.

——— *infidum remis impellere marmor.*

Post idus Septembris oritur Arcturus vehementissimum sidus.] Plinius: *Sidus Arcturi*, inquit, *exoritur vndecim diebus ante æquinoctium autummale*; lib. 2. cap. 47.

Cre-

Crebris tempestatibus nauigia conturbat Vergiliarum hiemalis occasus.] Vnus Susianus hæc effert παθηπικῶς, *nauigia conturbantur Vergiliarum hiemali occasu.*

Ex die igitur tertio Iduum Nouembris vsque in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur.] Cicero Q. Fratri: *Atque adhuc clausum mare scio fuisse.* Item Cassiodorus: *Cùm ventis sæuientibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amœnissima fluuiorum*; lib. 12. cap. 24. Cæsar libro quinto: *Quas naues, cùm aliquamdiu frustrà exspectasset, ne anni tempore nauigatione excluderetur, quod æquinoctium suberat, necessariò angustiùs milites conlocauit.* Ex hoc loco lux adhibenda Suetonio, in Claudio cap. 18. & constitutioni Imperatoriæ, quæ est in l. ciuitas, C. de officio rectoris prouinciæ. Meminit huius rei diligentissimus obseruator & lector adsiduus Plinius libro 2. Naturalis historiæ cap. 47. *Post id*, inquit, *æquinoctium diebus ferè quatuor & quadraginta Vergiliarum occasus hiemem inchoat. quod tempus in tertio Idus Nouembris incidere consueuit; hoc est Aquilonis hiberni. multumq; æstiuo illi dissimilis, cuius ex aduerso est Africus. Ante brumam autem septem diebus, totidemq; postea sternitur mare halcionum fœturæ, & inde nomen ij dies traxêre: reliquum tempus hiemat, nec tamen sæuitia tempestatum concludit mare. Piratæ primùm coëgere mortis periculo in mortem ruere, & hiberna experiri maria: nunc idem anaritia cogit.* hæc Plinius.

Maria quamdiu dicebantur clausa.

Post natalem verò (vt ita dicam) nauigationis.] Eum diem incidisse VI. Iduum Martiarum, testis hoc cap. Vegetius. De eâdam re Plinius testis laudandus est: *Ver aperit nauigantibus maria, cuius in principio fauonij hibernum molliunt cœlum, sole Aquarij* XXV. *obtinente partem*; prædicto cap. 47. Attigit & Virgilius primo Georg.

Dies natalis nauigationis. Ver aperit mare.

——— *& cùm*
Eurique, Zephyrique tonat domus, omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis nauita ponto
Humida vela legit. ———

Eôdem respexit quoque Poëta Lyricus, primo, Odâ 4.

Soluitur acris hiems gratâ vice veris & fauonî:
Trahuntq; siccas machinæ carinas.

Apuleius de Asino aureo: *Diem*, inquit, *qui dies ex ista nascetur, æterna mihi nuncupauit religio. quo sedatis hibernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, nauigabili iam pelago, vndem dedicantes carinam, primitias commeatus mei libant sacerdotes.* Isidis ista

apud Apuleium verba sunt, cui propter nauigationem apertam solemnia istîc sacrificia fieri videbis. Et præfecta certè Isis tempestatibus ac nauigantibus fuit: vt testatur Lucianus in Dialogo Zephyri & Noti. De tempore quo maria aperiebantur, ex epigrammatis Græcis à Turnebo propositos videbis lib. 24. cap. 33. versus sequentes:

Isis tempestatibus ac nauigationibus præposita.

Οἴγεται ἄρτι θάλασσα, ἐφοπλίζοιτε δὲ νῆας,
Ὥριον ἀκλύστων ἐκτὸς ἄγειν λιμένων.

Iterum:

Ἠδὴ δὲ πλώουσιν ἐπ' εὐρέα κύματα ναῦται
Πνοιῇ ἀπημάντῳ ζεφύρου λίνα κολπώσαντες.

Qui solemni certamine publicoq́. spectaculo multarum gentium celebratur.] Romani Consum deum coluerunt, cui nomen ab eo, quòd salutaria & fida consilia suggereret. Arnobius lib. 3. Dicta autem ab eo Consualia, quòd tum feriæ publicæ ei deo; & in circo ad aram eius ab sacerdotibus fierent ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. testis mihi Varro lib. 5. De lingua Latina, & Festus. Glossarium; *Conso*, τῷ υἱῷ τῆς Ισιδος. Plutarch. problem. quæst. XLVIII. *Cur*, inquit, *Consualibus feriis equos asinosq́; coronant, & ociari sinunt? an quia feriæ istæ Conso, qui equester Neptunus est, aguntur? asinus autem equo consors, ac pari vacatione fruitur: an quia nauigandi facultas aperta est, iumentis qualiscumque quies præbetur?* Porrò ludos illos in mensem Martium, & diem natalem nauigationis incidisse testatur Kalendarium vetus Romanum, & Ouid. 3. Fastorum:

Consus Deus.

Consualia, ludi die natali nauigationis celebrati.

Festa para Conso, Consus tibi cætera dicet.

Cùm priuatorum mercium festinat audacia.] In M. & altero Susij est, *priuatorum mentium*. præmisit tamen Vegetius, *non quòd negotiatorum cesset industria*. & illi sunt, qui *per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes*. Piratas primùm maria hieme tentasse, post auaritiam mercatorum, suprà ex Plinio didicimus. *Equidem magna pars hominum* (vt aiebat Seneca) *vbi nauigatura est, de tempestate non cogitat.*

Hieme primùm nauigarunt piratæ: Posteà mercatores, vt idem facerent, auaritia coëgit.

AD CAPVT XL.

PRÆTEREA aliquorum ortus occasusq́ue siderum tempestates vehementissimas commouent.] Innuit Poëta Virgil. 3. Æneidos:

Tempestates ex ortu, & occasu siderum.

Haud segnis strato surgit Palinurus, & omnes

Explorat

Explorat ventos, atque auribus aëra captat.
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluuiasq; Hyadas, geminosq; Triones,
Armatumq; auro circumspicit Oriona.

Tamen quia diuersis casibus aliquando mutantur.] Duabus membranis Susij, quibus consonant quoque H, refertur *aliquanta mutantur*. quâ voce numerum à Vegetio sæpe expressum obseruare potuisti. suprà, *Aliquanti centones, & culcitas funibus chalant.* Itidē capite ab hoc primo, *Aliquanta ab anibus, aliquāta à piscibus significātur.* Vsus quoque Spartianus in Hadriano: *Ad honores*, inquit, *explendos, non modò amicis, sed passim aliquantis multa largitus est.* Variant item libri in iis quæ apud auctorem nostrum præmittuntur, *licet certi dies auctorum attestatione signentur.* in H reperias, *signantur*: in S *firmentur*: in M *testentur*. Id an ex repetitis per incuriam, ex præcedenti voce *attestatione*, aliquot litteris, enatum sit; an verò patiendi notione hîc positum, viderint docti. et si illud non ignoro, multa deponentia verba contra præcepta Grammaticorum passiuè vsurpari. Sic in Codice Iustiniani, *tueri*, pro *defendi*, frequens est, & multa alia: sic πυθμενικῶς *virtutem adipisci*, Plautinus ille dicebat.

Vox aliquanti, Vegetio vindicata.

Multa deponentia verba passiuè vsurpata.

Et, quod confitendum est, cælestes causas humana conditio ad plenum nosse prohibetur.] Tres Susij malunt, & *quia confitendum*. Digna homine Christianissimo hæc Vegetij sententia, & similis quam in Pythiis Pindarus posuit: *Deum scilicet pro sua libidine omnem exitum perficere.* Consilia deorum secreta esse, testatus quoque aphophthegmate Cato Vticensis. Cùm enim Pompeio res infeliciter cederet, & ad Cæsarem inclinaret victoria; dicebat hic in rebus diuinis multū esse caliginis, quòd præter ius agenti fuissent prospera omnia; at causam reip. tuenti nihil succederet.

Christiano & sapienti homine digna sententia.

Deus pro sua libidine omnia perficit.

Catonis apophthegma.

Vnde præcedentes προοιμιασιν.] Adhibendum in hunc locum cap. 25. lib. 18. Plinij Naturalis historiæ. Item Festus adeundus in *Præsiderare*; & in eum locum Notæ viri à maiorum stemmate & litterarum ornamentis nobilissimi, Iosephi Scaligeri.

Cum præscripto cursu dierum arbitrio creatoris suscipiunt signa ac deserunt.] Veteres aliquot legebant *suspiciunt signa*. Et quidam ex iis habebant, *cum præscripto cursu diei*. quidam *cursu diei, ex arbitrio creatoris*. Solus M disertim

Tentatus Vegetius.

expressum habet, *cum præscripto cursu dei creatoris arbitrio suscipiunt signa.* Adeundi hac de re Astrologi, & Cassiodorus libro vndecimo Variarum cap. 36.

AD CAPVT XLI.

MVLTIS quoque signis & de tranquillo procellæ, & de tempestatibus serena produntur.] Primùm quæ in orbe lunæ signa & prognostica sunt, Flauius noster indicat: pòst monet ab auibus, & à piscibus posse obseruari. De iis qui volet legere, adeat Isidorũ lib. 3. Etymologiarum cap. De signis tempestatum & serenitatum. Item Virgil. qui permulta adnotauit, primo Georgic. his versibus:

De signis tempestatum & serenitatum.

Atque hæc vt certo possimus discere signo,
Æstusq́, pluuiasq́, &c.

Consulendus quoque Plinius lib. 18. cap. vltimo. Constantinus libro primo De Agricultura cap. 2. & cap. 3. Cassiodorus lib. 3. Variarum cap. 48. De prognosticis his adeunda etiam Antonij Mizaldi Phænomena: item libellus eiusdem, cui titulus Ephemerides aëris perpetuæ. De iisdem prognosticis Ciceronis versus aduocare placuit:

De prognosticiis, M. Tullij versus.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpè futuros
Inflatum mare, cùm subitò penitusq́, tumescit.
Saxaq́, cana salis niueo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces.
Aut densus stridor cùm celso è vertice montis
Ortus, adaugescit scopulorum sæpe repulsu.
Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti
Nuntiat, horribiles clamans, instare procellas;
Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus.
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat & adsiduas iacit ore querelas.
Fuscaq́, nonnunquam cursans per littora cornix,
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.
Vos quoque signa videtis aquæi dulcis alumnæ,
Cùm clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoq́, sono fontes & stagna cietis.
Mollipedésque boues spectantes lumina cœli,
Naribus humiferum duxêre ex aëre succum, &c.

Alij Lucani versus de iisdem prognosticis.

De iisdem elegantes versus Lucani libro quinto:

Sed

Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus,
Nec placet incertus, qui prouocat æquora Delphin,
Aut siccum quod mergus amat: quodq́ ansa volare
Ardea sublimis, pennæ confusa natanti:
Quodq́ caput spargens undis, velut occupat imbrem:
Instabili gressu meritur littora cornix.

Quæ velut in speculo orbis Lunæ ostendit.] De naturâ Lunæ, vide Vitruuium lib. 9. cap. 4. Plinium libro secundo cap. 9, & cap. 18. Varronem libro primo De re rustica cap. 37. Omnium elegantissimè Virgilius libro primo Georgicorum: *Prognostica quæ ex luna colligun tur.*

Luna reuertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëre cornu,
Maximus agricolis pelagoq́ parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, nec obtusis per cœlum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem, pluuiâ ventisq́ carebunt.

Eâdem de re Lucanus libro quinto:

Lunaq́ non gracili surrexit lucida cornu,
Haud orbis medij puros exesa recessus;
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,
Ventorumq́ notâ rubuit: tum liurida pallens
Ora tulit, vultu sub nubem tristis ituro.

Hic etiam versiculus vulgò celebratur:

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Si quarto ortu neque obtusis cornibus rutila] In libris quibusdam, *si liquato cornu*: & paulo pòst, *obtensis*, vel *obtunsis*. Sed editam lectionem vtrobique vt conseruemus, iubent Virgilij versus iam recitati. *Vegetius imitatus iterum Virgilium.*

Neque infuso fuerit humore fuscata.] M. & Susianorum vnus malebant *fucata*. Iustinus lib. 12. *Verens, ne hæc opinio etiam in Macedoniam diuulgaretur, & ne victoriæ gloria, sanitiæ maculâ infuscaretur.*

Sol quoque exoriens, vel diem condens.] Virgilius eodem lib. Georgic. *Prognostica quæ de sole colligun tur.*

Sol quoque & exoriens, & cùm se condet in undas,
Signa dabit, solem certissima signa sequentur.

Ille vbi nascentem maculis variauerit ortum,
Conditus in nubem, medioq; refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres. —— &c.
Cæruleus pluuiam denuntiat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisq; videbis
Féruere. —— &c.
At si cùm referetq; diem, condetq; relatum,
Lucidus orbis erit, frustrà terrebere nimbis.

Iterum Virgilium imitatus Vegetius.

Eum Virgilij versum auctor noster exprimere voluit: quare ne auscultes iis libris, qui hîc legunt, *diem fundens*; vel, *sol quoque exoriens, candens*, apud Vegetium.

Defensa Vegetij vulgaris scriptura.

Vtrum solido splendore fulgidus.] Quatuor, quinque exemplaribus quà scriptis, quà impressis, legebatur *solito*. Non probo. Ammianus Marcellinus libro quarto decimo: *Luna etiam tunc cornuta, ideoq; solido splendore fulgens.*

Scabrosus hoc in loco Vegetius.

Hæc gubernatores sè scire profitentur.] In vno exercitu vix tam varia tela reperias, vt hîc variantes librorum veterum scripturas. Primùm in editione Paris. est, *gubernatores seſe scire profitentur.* in lib. M. H. & tribus Susij est, *Hæc gubernatores si se scire profitentur.* quæ videntur lubenter admittere, quod sequitur in membranis Colonien. *peritiam magis vsus instituit, quàm altior doctrina firmauit.* Particulam *magis*, quæ videtur in Bonnensi codice defuisse, si quis puret inducendam, non inelegans erit, nec insolens loquendi genus. Certè verbum *instituit*, pro *instruit*, liber M. H. S. & quatuor Susij tuentur. Porrò pro *quàm altior*, M. C. P. & S. legebant: *non altior doctrina firmauit.*

Potiùs magis, & similes particulas boni scriptores frequenter supprimunt.

AD CAPVT XLII.

ELEMENTVM pelagi, tertia pars mundi est.] Ouidius:

Ignea conuexi vis, & sine pondere cœli
Emicuit, summâq; locum sibi legit in arce.
Proximus est aër illi leuitate locoque.
Densior his tellus, elementaq; grandia traxit,
Et pressa est grauitate sui. Circumfluus humor
Vacua possedit, solidumq; coërcuit orbem.

Elementa quatuor.

Nam certis horis, diebus pariter ac noctibus, æstu quodam {quod reuma vocant.}] Varro lib. 8. De lingua Latina: *At in mari, credo, motus non habent dissimilitudines geminas,*

Æstus mavis, reuma vocatus.

qui

qui XXIIII. horis lunaribus, quotidie quater se mutant. At cùm sex horis æstus creuerunt, totidem decreuerunt rursum. Videndus Isidorus lib. 13. Etymol. cap. 18, & lib. 4. cap. de Oceani æstu; Pomponius Mela lib. 3. cap. 1; Plinius lib. 2. cap. 97. cum aliquot seqq. Causſam huius æstus Strabo Geographiæ suæ lib. 1. (secutus in eo Platonicorum sententiam) talem esse putat: mare animantibus simile esse coniectat. quemadmodum enim animantes spiritum assiduè admittunt & remittunt: sic mare semper in se & ex se recurrens, agitatione quadam moueri. Alij æstus marinos à Lunâ pendêre censent. qua de re infrà.

AEstus maris sex horis crescit, ac totidem decrescit.

Platonicorum sententia de maris æstu.

Hæc reciprocantis meatus ambiguitas, cursum nauium secunda adiuuat, retardat aduersa.] Romani cùm æstum nauibus suis aduersum adeò vehemêter experirentur, vt nulla remorum vi, aut multitudine progredi possent, naturalis huius mysterij ignari, diuinitùs id fieri & prodigiosè existimabant. Iisdem Carthaginem obsidentibus, ad id, quod sua sponte in mare æstu trahebatur aqua, acer etiam Septemtrio ortus inclinatum stagnum eodem quò æstus ferebat. Hoc cura & ratione cõpertum, in prodigium ac deos vertens Scipio, Neptunum iubebat ducem itineris sequi, & medio stagno vrbis Carthaginiensis mœnia inuadi. scribit Liuius lib. 35. Haud secus Macedonum militum animos perculit lunæ defectio: & quanquam in exercitu essent, quibus probè eius rei ratio constaret, maluêre tamen multitudinem commento eludere, & superstitione captam tenere: Q. Curtius lib. 4. Solis quoque eclipsim in castris formidabilem, naturalem esse primus docuit Palamedes. Interest certè non parùm (vt ad Flauium nostrum redeamus,) non ignarum esse marini æstus eum, qui aut nauibus congressurus, aut classi præficiendus est. Testimonio erit Cæsar lib. 3. De bello Gallico in oppugnatione Venetûm, & lib. 4. in inuasione Britãniæ. Itidem ignota vulgò freti natura in varia discrimina Alexandri Magni exercitum deduxit: testis Curtius libro 9.

AEstus secundus nauigantibus adiumento est, aduersus vel de impedit: Id Romanis olim incognitũ.

AEstum maris pro miraculo Scipio accepit.

Itidem lunæ defectio ignoratæ militum animos perculit: Etiam solis eclipsis primùm formidabilis in castris.

Et quoniam in diuersis regionibus, diuerso lunæ crescẽtis minuentisq. statu, certis horis ista variantur.] Pomponius Mela de causſis æstus marini hunc in modum disserit, lib. 3. cap. 1. *Neque adhuc satis cognitum est, anhelitúne suo id mundus efficiat, retractamq; cum spiritu regerat undam undique: si* (vt de-

AEstus marini imperitus esse non debet qui classi præficitur.

Causſæ marini æstus.

(*vt doctioribus placet*) *vinum animal est, an sint depressi aliqui specus, quò reciproca maria residant, atque inde se rursus exuberantia attollant. An luna caussas tantis meatibus præbeat. ad ortus certè eius occasusq́; variantur, neque eodem assiduè tempore, sed vt illa surgit ac demergitur; ita recedere atque aduentare comperimus.* Cicero De diuinatione. *Quid de fretis, aut de marinis æstibus plura dicam? quorum accessus & recessus, lunæ motu gubernantur.* lib. 2. de Diuinat. Plinius dicto capite 97. auctor est, æstum maris pluribus quidem modis accidere; verùm causſam in sole lunaq́ue ponit. Idemque paulo pòst subdit: *Nec vnquam eodem tempore, quo pridie refluit, vt ancillante sidere trahenteq́; secum auido haustu maria, & assiduè alibunde, quàm pridie exoriente: paribus tamen internallis reciproci, seniſq́; semper horis, non cuiusque diei, aut noctis, aut loci, sed æquinoctialibus:* &c. Addam quod & Annalibus suis inseruit Cornelius Tacitus; *sidere æquinoctij Oceanum maximè tumescere.*

Mare nunquam eodem tempore quo pridie refluit.

Mare æquinoctiali sidere maxime tumet.

Hac de re videnda disputatio Possidonij, quæ est apud Strabonem libro tertio: & libellus De Lunæ & Oceani cõcordia, quem Antonius Mizaldus se daturum promisit.

AD CAPVT XLIII.

NAVTICORVM gubernatorumq́ue solertia est.] *Nauta*, & per Epenthesin *Nauita*, vocabula notissima sunt; quibus generaliter eum significamus, qui nauem exercet, l. prima, ff. Nauta, caupo, stabularius. *Nauicularium* vocabant iurisconsulti in l. 9. ff. De decurionibus, & l. 5. ff. De muneribus & honoribus. *Nauticum* Vegetius nuncupauit. quod tamen non admissum à librariis quibusdam verbũ: qui pro eo supposuêre, *nautarum gubernatorumq́; solertia*: sed errârunt. Nauticos agnoscit l. prima, C. De canone frumentario vrbis Romæ: & ibi eam vocem tuetur Codex Theodosianus. Apuleius libro vndecimo: *Principi magno senatuiq́; & equiti, toto Romano populo, nauticis, nauibus, quæq́; sub imperio mundi nostratis reguntur, renuntiat.* Ammianus libro decimo quarto: *Luna etiam tum cornuta, ideoq́; nondum solido splendore fulgente, nauticos obseruabat.* Idem libro vigesimo quinto: *Nauticos*, inquit, *iustius idem accusabit.* Nauticorum vocabulo vsos scio præterea Curtium libro nono, & Isidorum libro decimono. *Nauarchos*, nauium principes, id est, qui in naui nautis imperant, vocamus: meminit & auctor noster hoc eodem capite. Inde & nauis triremis principem

Nauticus vocabulum probum.

Nauarchi qui sint.

triear-

Trierarchi vnde nuncupati.

trierarchum appellauit Seneca ſeptimo De beneficiis,& Tacitus 2. Hiſtoriarum. *Nauicularij*, illi ſunt, qui naues habent proprias, vel conductas, quarum obuentiones, & reditus omnes accipiunt; C. De nauicularijs,libro 11. Nauiculariam eiuſmodi exercentes, vocat Iuriſconſultus Exercitores, in l. 1.ff. De exercitatoria actione.

Virtute remigũ, & gubernatorũ peritia, hoſtes ſæpe eluduntur.

In gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur.] Maſſilienſes gubernatorum ſcientiâ, remigumque virtute confidentes, cum Romanis congreſſi ſunt: quos dum aliquamdiu eluſiſſent,impetuſque eorum excepiſſent; tandem Romani, cùm occaſio cominùs pugnandi data eſt, iniectis manibus ferreis,in hoſtium naues tranſcenderunt, eoſque ſuperârunt. teſtis Cæſar. Gubernatorum munus, quo de hîc agitur,elegantibus verſibus Manilium expreſſiſſe audies:

Gubernatorum quod ſit munus.

> ——— *nouerit orbem*
> *Fluminaque, & portus mundi, ventoſq; neceſſe eſt;*
> *Iámque huc atque illuc caligine vertere clauum,*
> *Et frenare ratem, fluctuſq; effindere rectos.*

Induſtria ac diligentia Rom. in arte bellica addiſcenda.

Incredibilis atque ſummis præconiis extollenda veterum Romanorum in rebus bellicis induſtria, diligentiaque in imitandis iis,quæ ab aliis viderant aut inuẽta,aut factitata. Hi cùm nauigandi prorſus eſſent imperiti, dum primæ naues ædificarentur,ad remigium ſuos exercuêre per hunc modum: Subſelliis in arena per ordines diſpoſitis, remiges inſidẽtes, ad vocem præcipientis,qui in medio eorum erat, omnes vna protendere brachia ac reducere, remoſque per arenam mouere docebantur. ad illius vocem ſimul omnes incipiebant,ſimul deſinebant. Inde perfectis iam nauibus, verum in vndis periculum fecêre. narrat Polybius libro 1. Hiſtoriarum. Prima autem remorum inuentio Copis tributa, apud Plinium in Hiſtoria naturali.

Romani remiges ſuos in arena primùm remigare docuerunt.

Liburnarumque moles non ventorum flatibus, ſed ventorum pulſu percutit roſtris.] Docui aliquando *non flatibus*, pro *non ſolùm flatibus*, Latinos & claſſicos auctores dicere ſolitos, ſuppreſſis particulis *ſolùm*, *modò*, *tantùm*,&c. Iſti phraſi, ſi locus hîc faciendus ſit, alij viderint: nam Liburnicas, præterquàm quòd remis, etiam velis armatas videmus paſſim in nummis.

Non, pro non ſolùm.

Liburnicæ & remis & velis armatæ.

Ex num-

Ex numismis M. Antonij. *Nummus Hadriani Augusti.*





Admirabile,& nouum planè nauigij seu Liburnæ genus, quod miro artis effectu rotarum radiis, remorum loco adhibitis, mouetur. Huius figuram ab incerto auctore De rebus bellicis mutuati sumus; eamque ob oculos inspiciendam proponere libuit: ac primùm eiusdem scriptoris de illâ naui sententiam ad verbum sumus expressuri.

Liburnæ nouum genus.

Expositio eiusdem Liburnæ, ex auctore libri De rebus bellicis.

Liburnam naualibus idoneam bellis, quam pro magnitudine sui virorum exerceri manibus quodammodo imbecillitas humana prohibebat, quocumque vtilitas vocet, ad facilitatem cursus, ingenij ope subnixa animalium virtus impellit. In cuius alueo vel capacitate bini boues machinis adiuncti, adhærentes rotas nauis lateribus voluunt: quarum supra ambitum vel rotunditatem extantes radij, currentibus hisdem rotis, in modum remorum aquam conatibus elidentes, miro quodam artis effectu operantur, impetu parturiente discursum. Hæc eadem tamen Liburna pro mole sui, proque machinis in semet operantibus, tanto virium fremitu pugnam capessit, vt omnes aduersarias Liburnas, cominus venientes facili attritu comminuat.

Liburnæ

Liburnæ rotatæ figura.



Aduersarios percutit rostris.] Rostra nauibus adhibita in fronte nemo nescit. Forma, materia eorum non perinde quibusuis perspecta est. Illa non vnius, sed plurium sæpè dentium fuisse primùm docebo ex Virgilij quinto Æneidos:

Rostra nauium in fronte:

Illa sæpè pluvium dentium.

Conuulsum remis, rostrisque tridentibus æquor.

Et ea figura in nummis ferè vbique. Proræ autem totius rostratæ hanc figuram depictam, vel potiùs insculptam, vidisse se in antiquis Rom. monumentis testatur Carolus Stephanus.

Prora

Prora roſtrata.



Roſtra illa ex ære.

Quòd autem ex ære hæc roſtra fierent, ipſæ naues æratæ dictæ fuerunt, teſte Plinio libro trigeſimo ſecundo Naturalis hiſtoriæ capite primo. Cæſar ſecundo belli ciuilis: *Cum claſſe nauium ſexdecim, in quibus paucæ erant æratæ.* Virgilius decimo Æneidos:

Hinc nauis æratæ.

Reddunt ſe totidem facies, pontoq; feruntur,
Quot prius æratæ ſteterant ad littora puppes.

Iterum primo Æneidos:

—— & ſpumas ſalis ære ruebant.

Roſtrorum inuentor Piſcus.

Horum roſtrorum inuentor fuiſſe ſcribitur Piſcus; ſcribente id Plinio libro ſeptimo capite 56. Nunc quæ iſtiuſmodi roſtris præmunitæ erant naues, roſtratas nuncupari placuit. Adhibita autem roſtra, vt conſtratis ſeu tectis nauibus itidem & apertis: Liuius lib. 48. *Quæ aut apertæ roſtratæ, aut ſine roſtris erant ſpeculatoriæ.* Impoſita quoque hæc roſtra non ſolùm maioribus nauigiis, vt anteà monuimus hoc libro cap. 33. ſed & minoribus. Hirtius De bello Alexandrino: *Nauibus actuariis, quarum numerus erat ſatis magnus, magnitudine quanquam non ſatis iuſta ad prœliandum, roſtra impoſuit. Has adiunctas nauibus longis,* &c. Ceterùm, vt ad Vegetium redeamus, naues, quæcumq. ventorum vi & remorum impulſu agebantur, tanto cum impetu percutiebant, vt roſtra non modò perforarẽt aduerſis, verùm etiam ita inter ſe adhæreſcerent, vt diſſolui vix vlla ratione poſſent. teſtantur

Roſtra quibus nauibus adhibita: Etiam minoribus nauigiis impoſita.

Quis impetus fuerit nauium roſtratarum.

Polybij

Polybij fragmenta libri sexti decimi suarum Historiarum. Et non rarò perforata nauigia mergebantur: testis Hirtius De bello Alexandrino in congressione Octauiani & Vatinij; Liuius,& alij passim.

In quo opere lacerti remigum.] Alij *latera remigum* præferebãt. Sincerè S.& more sibi solemni *lacerti remigium*. quomodo *iudicium* pro *iudicum* suprà membranæ legendum persuaserunt. Virtutem remigium,& firma in ipsis latera, non vnus Flauius noster desiderauit: nam apud Cassiodorum lib.4. Variarum hæc scribuntur: *Remigum labor operosus, valentes animo & viribus quærit, vt confidentia mentis procellis obuiare possit vndosis.*

Remigium,pro remigum.

Remiges quales probati.

Et ars clauum regentis magistri victoriam præstat.] De cognitione partium mundi, ventorum, portuum, quæ quidem in omni nauigatione, ac toto bello in gubernatoribus meritò desiderantur, versus Manilij iam antè recitauimus. eoque pertinent illa Vegetij nostri præcepta: *Loca in quibus nauigantur, portusq; cognoscere, vt infesta prominentibus, vel latentibus scopulis, vadosa ac sicca vitentur.* At hîc de alia magistri peritia agitur, quæ adiumento sit ad consequendam victoriam. Apud Hirtium De bello Alexandrino hoc obseruabam; gubernatoris officium in eo maximè consistere, vt nauis sua nunquam transuersa hosti obiiciatur, sed venientibus semper aduersam præbeat.tum etiam id illi magna cautela agendum esse, ne remi sui à latere detergantur aut defricentur. Remis enim præternauigando detersis, præterquam quòd inhabiles redduntur naues, cùm ad fugiendum, tùm ad persequendum; etiam aditum faciunt (quod omnium periculosissimum est)ad apertam & lateralem inuasionem. Eius rei testimonia apud Polybium lib. 16: & in Biblioth.. Diodori Siculi lib. 20: & Liuium lib.46.

Quid potissimũ in gubernatore desiderandum ad cõsequendam victoriam.

Nauem semper aduersam hostibus obiicere debet.

Tum diligenter tanere ne remi sui defricentur.

AD CAPVT XLIIII.

PRÆCIPVA ergo esse debet tegminum cura.] Codex M. & vnus Susianorum referebant *regiminum*. sed hoc ab ineptis librariis factum erat ex *tegiminum*. Veteribus enim in vsu fuerunt, *Tegmen, tegimen & tegmentum*. Cassiodorus lib.2. Variarum cap. 27: *Tegimen tantùm vetustis parietibus superimponere*. Ita eo loco scribo; etsi vulgò legatur, *Tegumen tantum*. Iuuenalis Satyra sexta:

Tegimen pro tegmen Vegetio redditum. Emendatus Cassiodorus.

Ecce Balibens,

Iuuenalis leuiter correctus.

Baltheus, & manicæ, & cristæ, cruriſq; ſiniſtri
Dimidium tegimen. ——

Ita enim & istîc scribo, auctoritate duûm veterum manuscriptorum. Vulgati libri habent: *Dimidium tegmen.*

De onere namque armorum nemo potest cõqueri.] Auctiùs in duobus codicibus prædictis, *nemo debet, vel potest conqueri.*

Scuta quoque validiora, propter ictus lapidum, & ampliora sumuntur, propter falces.] Falcis huius descriptio apud auctorem nostrum est, hoc libro capite vltimo; & meminit libro 2. capite vltimo. Vsum illius didici quoque à Cæsare libro tertio belli Gallici: *Vna erat*, inquit, *magno vsui res præparata à nostris, falces præacutæ insertæ affixæq; longuriis, non absimili formâ muralium falcium. His cùm funes, qui antennas ad mâlos destinabant, comprehensi adductiq; erant; nauigio remis incitato prærumpebantur: quibus abscisis, antennæ necessariò concidebant.*

Falcis vsus in nauali prælio.

Harpagones, aliaque naualia genera telorum.] Præter harpagones, & manus ferreæ in nauibus habebantur in promptu ad comprehendendas retinendasque aduersariorum naues. Sed tamen Liuius libro 26. & 37. manus ferreas & harpagones confundit: *Cùm belli*, inquit, *apparatu strepunt, ferreæ quoque manus (harpagones vocant) quas operibus hostium iniicerent, præparabantur.* Iterum libro trigesimo: *Postremò asseres ferreo vnco præfixi (harpagones milites vocant) ex Punicis nauibus iniici in Romanas cœpti.* Diuersa hæc facit Cæsar, & pro meâ opinione, non immeritò. qui primo De bello ciuili ita scribit: *Ij manus ferreas, atque harpagones parauerant.* Huic accedit Plinius, qui Anacharsim harpagonas, manus autem Periclem Athenien sem inuenisse memoriæ prodidit, libro septimo Naturalis historiæ capite 56. etsi Appianus quinto Bellorum ciuilium, ἅρπαγας ab Agrippâ excogitatum scribit. Si Dioni credimus, Harpagones celeriter emitti ac retrahi solent; manus ferrea cum pondere decidebat, retinebatque quodcumque amplexa erat. Præterea, quòd scuta bello nauali ampliora sumi velit noster Vegetius, propter falces & harpagones, subindicat eorundem telorum vsum. De coruis non minor dissensio est auctorum, quà de nomine, quà de inuentore: coruum enim, & manum ferream plerique confundunt: imprimis auctor De

Harpagones & manus ferreæ à Liuio confunduntur.

Reclamat Cæsar, Plinius & alij.

De inuentoribus prædictarũ ma gna dissensio.

De coruis non minor pugna auctorum.

viris

viris illustribus capite trigesimo octauo. Vbi idem scriptor, & cum illo Frontinus 2. Strategematωn capite tertio, C. Duilium ferreæ manus inuentorem faciunt. At ab eodem illo Duilio coruus seu κόραξ repertus dicitur apud Polybium libro primo Historiarum. apud quem ex omnibus exemplaribus Vaticanis hæc translata huius machinæ descriptio: *Lignea columna proris inerat longitudinis quatuor vlnarum, latitudinis palmorum trium: in eius apice rotam constituerant; huic prætereà tabulæ inhærentes scalas conficiebant, quarum latitudo erat pedes quatuor, longitudo sex vlnæ. foramen autem tabulati erat oblongum, & circumambibat columnam post primas statim scalæ duas vlnas. Habebat autem veluti sepem, ad vtrumque oblongum latus, genu tenus altam. In ligni extremo ferrũ erat, instar mallei peracutũ; prætereà annulus fune alligatus, ita vt hæc machina machinis frumentariis simillima videretur. Igitur simul ac nauis hostium aduentabat, laxato fune scalæ demittebantur; ferrum pondere ac vi ligni super hostium nauim lapsum figebatur, si aduersa prora erat, bini milites per scalas descendebant; duo primi præferentes scuta, reliqui latera scutis protecti: sin verò obliqua erat hostium nauis, in eam ex tota pariter nauι desiliebatur.* Ex quo loco suspicari possumus coruos eosdem cum ferreis manibus fuisse; sic, vt harpagones, lupos vocatos indicauit Vegetius libro secundo capite vltimo. Et proinde Isidorus lupum harpagonem vocat, quo aqua ex puteo extrahitur: Glossæ: *arpago* ῥέαγρα. Iterum: ῥέαγρα, *exemplum, arpago.* Aliud à prædictâ machinâ genus manus ferreæ, quod Archimedes Syracusanus excogitauit. cùm enim Marcellus Syracusas cum classe oppugnatum veniret; aduersus naualem apparatum Archimedes varia & quidem permagna in muris tormenta disposuit; quibus in eas, quæ procul erant naues, saxa ingenti pondere emittebat: propiores verò leuibus eoque magis crebris petebat telis. si quæ verò ita propinquârant, vt sub muris quasi laterent, ferream manum firmæ catenæ illigauit, quæ cùm proræ iniecta esset, grauique libramento plumbi recelleret ad solum, suspensa prora nauim in puppim statuebat. dein remissa subitò, nauim quassabat, magna cum trepidatione nautarum. auctor Liuius libro trigesimo tertio. Naues autem hoc pacto sæpe sursum tractæ, vel frangebantur, vel mergebantur: quod in pugna ad Cyzicum commissâ contigisse auctores referunt.

Coruum Duilius inuenit:

Eius machinæ descriptio.

Harpagones lupos vocabant.

Alia manus ferrea, quam Archimedes Syracusanus excogitauit:

Ea manu naues ille totas quassauit, elisauit.

Turres in nauibus. Etiam propugnacula.

In maioribus Liburnis etiam propugnacula, turrésque constituunt.] At dixerit aliquis, quî potuere turres, & præsertim propugnacula in nauibus constitui? & cui rei? audi quæso Cæsarem: *Alias deinceps pari magnitudine rates iungebat: has terra atque aggere contegebat, ne aditus atque cursus ad defendendum impediretur; à fronte atque ab vtroque latere cratibus ac pluteis protegebat. in quarta quoque earum turres binorum tabulatorum excitabat, quò commodiùs ab impetu nauium, incendiísque defenderet. Contra hæc Pompeius naues magnas onerarias, quas in portu Brundusino deprehenderat, adornabat. ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, eásque multis tormentis, & omni genere telorum completas, ad opera Cæsaris adpellebat.* Hactenus Cæsar in primo De bello ciuili. & meminit eiusdem libro tertio De bello ciuili. Et ipse Virgilius octauo Æneidos:

——— pelago credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant,
Stupea flamma manu, telísque volatile ferrum
Spargitur. ———

Item Lucanus lib. 4.

——cunctas super ardua turris
Eminet, & tremulis tabulata minantia pinnis.

Turres & in prora, & in puppi.

Constitui autem hæ turres æquè in prora atque in puppi solebant. Appianus, De bello ciuili: Πύργους ἐπὶ τῶν νεῶν εἶχον κατά τε πρῷραν, καὶ κατὰ πύμνων. De nauibus porrò in vsum propugnaculorum coniunctis, itemque turritis, scribit Liuius in oppugnatione Syracusarum: scribit & Tacitus Annalium quintodecimo; & Plinius libro trigesimo secundo, capite primo; Dio in enarratione Actiaci prœlij; Appianus De bellis Punicis, in oppugnatione Vticæ. Coniungebantur autem modò binæ, modò ternæ, interdum plures: sed remis priùs iis lateribus, quibus connectendæ erant, ademptis. Vnum Ammiani locum, quòd impensè placuisset, facere non potui quin in medium adferrem. Is autem libro vigesimo primo Historiarum talis est: *Constructas veloci studio ligneas turres, propugnaculis hostium celsiores, imposuêre trigeminis nauibus valdè sibi connexis; quibus insistentes armati vno parique ardore prohibitores dispellere, collatis ex propinquo viribus, nitebantur; subitoque expediti velites è turrium cauernis egressi, iectis ponticulis, quos antè compaginârant, transgressi.*

Vt coniunctæ naues, ad vicem propugnaculorum.

Nauale

Nauale propugnaculum cum turri.



Obuolutæ & ardentes ſagittæ per baliſtas in hoſticarum nauium alueos infiguntur.] Cùm milites Cæſariani ab Antonianis, qui in nauibus multò excelſioribus atque turritis conſtituti erant, contis, ſecuribus, atque omni telorum genere conciderentur; Cæſar ignem petiit, quo neceſſariò ſibi vtendum videbat. ibi illius milites vndecumque appropinquantes, tela ignita in hoſtes coniiciebant, faceſque ardentes emittebant. etiam ollas carbone piceque refertas eminùs machinis iniecêre, qua re (cauentibus interim ſibi, ſatiſque remotis Cæſarianis) id effectum eſt, vt quod

Quæ tela ex nauibus veteres tecerint.

Naualis prælij elegans exemplum.

quod antè viribus non quiuerant, ſolo igne victoriam facerent ſuam. Nihil autem ad reſtinguendum incendium aquæ infuſio profecit: maxima pars nautarum priùs quàm flamma circumuenirentur, fumo ſuffocati; alij in ipſa flamma media tanquam in fornace comburebantur; alij priùs quàm id paterentur, ſemiuſti ferro cadebant hoſtium; alij in mare ſe præcipitantes ſubmergebantur; alij ab hoſtibus oppreſſi pelago immergebantur; rurſum alij ab ipſis marinis beluis deuorabantur: prout eleganter hæc omnia expreſſit Dio in pugna illa Actiaca. Ad quam ipſam pugnam Vegetium noſtrũ reſpexiſſe facilè intelliges, ſi verba huius capitis extrema attentè legeris. Aliam nihilominùs incendendæ claſſis rationem alij ſecuti ſunt. Carthaginienſes obſeſſi, vento qui in Romanos ferret exſpectato, ſcaphas ſarmentis ſtuppaq́ue repleuerant: exinde perfuſas pice ac ſulphure, & obpanſis vento velis, incenderunt; eâq́ue viâ totam penè Romanorum claſſem cõcremârunt: teſte Appiano de bellis Punicis. Itidem præparatas ad incendium onerarias naues quadraginta Caſſius in aduerſarios immiſit: notat Cæſar libro tertio De bello ciuili. Olim in pugnâ nauali ex turribus grauiores maſſas, lapides grauiores in naues hoſtium, muriceſq́ue ſeu tribulos iniiciebant. Etiam calcem in oculos eorum qui in partibus inferioribus ſunt, hodie noſtrates effundunt: aliaq. ad necãdos vel ad impediendos nauibus decertantes hoſtes, humana ſeu induſtria, ſeu peruerſa natura in dies comminiſcitur atq. excogitat.

Alia ratio ad incendendam aduerſariorum claſſem vſurpata.

Quàm varia ex turribus in naues hoſtium proici ſolita.

Stategema noſtratium.

AD CAPVT XLV.

Bello nauali ad inſtar terreſtris prœlij multa fieri ſolita.

Hic & præluſio vſui.

Etiam flameolũ. aut aliud ſignũ

AD inſtar autem terreſtris prœlij ſuperuẽtus fiunt.] Bello nauali non modò ſuperuentus, & inſidiæ; ſed infinita alia adinſtar belli terreſtris prœliiq́ue, à bonis claſſium præfectis obſeruari debẽt. Nam & hîc tyrones omni exercitio vſuq́ue armorum ac telorum naualium imbuendi ſunt; proluſiones inſtituendæ; naueſq́ue omni armorum machinarúmque genere, remigibus militibuſq́ue inſtructæ committẽdæ ſunt: vt diſcant quomodo inuadere debeant, quomodo recedere; vt in naui gladiis, haſtis, ſcutiſq. vtendis adſueſcant; ſigna quæ iſtîc ſequenda ſunt obſeruare incipiant. Debet autem in naui prætoriâ, quæ claſſis vniuerſæ caput eſt, flameolum, aut ſimile ſignum mutum loco celſo

celso extendi, quo præfectus classis in confusione certaminis (cùm buccinæ, tubæ, exaudiri non possunt.) significare suis possit, quid facere debeant: vtrúmne incitare cursum, an tardare; in prœlium venire, an recedere; naues contrahere, an in hostium circuitionem exspargere debeant. Signum hoc aut directum stare, vel ad dextram, vel lævam inclinari, aut perpetuò agitari; eleuari, aut deprimi; aut omnino detrahi, aut denique immutari figuris vel coloribus potest. itaque tuis nullo negotio indicâris, quid facto opus sit; & quidẽ hostibus rem totam non intelligentibus. Vexillo, aut alio signo prætoriam nauem insignem fuisse, non modò cùm pugnandum erat, verùm etiam aliâs semper, vt eam reliquæ, quocumque eundum esset, sequerentur, mihi dubium non est. Video à me stare Cornelium Tacitum quinto Annalium: *Dux semisomnis ac propè intectus errore hostium seruatur. namque prætoriam nauem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt; Cerialis alibi noctem egerat.* Plinius libro vndeuigesimo, capite primo: *Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemq; effugit. hoc fuit imperatoriæ nauis insigne.* Noctu quidem λαμπαδοῦχος (vulgò *phano* vocant) nauim prætoriam ad puppim habuisse, vt ad conspectum luminis cursum reliquæ dirigerent ac sequerẽtur, probatur ex Xenophonte. Ex eâdem tamen prætoriâ naui vexillum, indicium pugnæ, sublatum, non sum nescius. Hirtius de bello Alexandrino: *Quod vbi conspexit, celeriter vela subduci, demittiq; antennas iubet, & milites armari; & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naues subsequebantur, idem vt facerent significabat.* Eâ de re Leo capite decimo nono, De bellico apparatu: *Nam belli, inquit, tempore consligendi signum habebant, quod φοινικίδα appellabant: erat autem camelaucion, hasta longiore eleuatum, rubro colore.*

in naui prætoria requiritur: Id cui vsui:

Illud signum vario motu mouendum.

Prætoria nauis vexillo aliquo semper insignis:

Id confirmatum testimonio Taciti.

Velum purpureũ insigne nauis imperatoriæ ad Actium.

Etiam noctu nauis prætoriæ lumine insignis.

Ex prætoria naui datum quoq; signũ, indicium pugnæ.

Tunc Liburnarum instruendæ sunt acies, non directæ, vt in campo, sed incuruæ ad similitudinem lunæ.] Aciei nauali instructæ elegans exemplum est apud Hirtium De bello Alexandrino: vbi ad imitationẽ aciei campestris, & cornua in lateribus, & post aciem principalem subsidia, relicto tamen explicationi interuallo, distributa animaduertes. Classis item in modum lunæ dispositæ, si lubet, exemplum pete ab Appiano De bello ciuili. sed occurrunt in historiis passim. Tum dici certò non po-

Acies bello nauali ad similitudinem Lunæ instructa: Exemplũ rei non inelegans.

De acie nauali instruenda quæ præcepta difficulter dari possint.

teſt, quæ inſtruendæ hîc aciei forma optima futura ſit; cùm ſæpe locus, ſæpe hoſtium multitudo, ſæpe venti alium inſtructionis modum præcipiant. Lunata forma ad concludendos hoſtes potiſſimùm valet: in qua illud ferè præcipitur, vt nauis prætoria, quaſi caput, in ipſius ſemicirculi ambitu ſtatuatur: vt exinde perluſtrari omnia, adminiſtrari, atque gubernari poſſint; & præſidia, ſicubi opus eſſe videantur, in tempore ſubmitti.

In forma lunata prætoria nauis medium locum tenere debet.

AD CAPVT XLVI.

QVOD contis longioribus inditum, collatorios funes quibus antenna ſuſpenditur, repentè præcîdit.] Falcem Vegetius deſcribit, quo opiferi funes præcidebantur. Eos funes *chalatorios* Turnebus appellandos cenſuit lib. 24. Aduerſar., cap. 25. vbi *chalare verbum à Græco χαλᾶν* deducit. Idem nautis hodie familiare; qui dicunt chalare velum, quòd chalare, ſit laxare & demittere. vnde & chalatorij funes, quibus antenna & attollitur & demittitur. quam emendationem ille acceptam fert doctiſſimo huius ætatis viro Guilielmo Pelliſſerio montis Peſſuli epiſcopo. Subdidit nihilominùs, ne quid diſſimularet Turnebus, non diſplicere ſibi *colatorios*; quòd funibus illis colari ſurſum deorſumque antenna videatur: eamque ſcripturam ſe in veteribus codicibus reperiſſe indicat. Iſidorus libro vndeuigeſimo Etymologiarum: *Opifera*, inquit, *funis, quo cornibus antennæ dextra ſiniſtraq; tenduntur retrouerſo.* Cæſar: *Funes*, inquit, *quibus antennas ad mâlos deſtinabant.* Operæ pretium facturus videbar, ſi nauem longam maiorem, potentiorem ac tectam, quæque velis & remis agi poterat, cum ſuis armamentis hîc depingendam curarem.

Chalatorij funes. Chalare vnde dictum.

Nauis

Nauis longa rostrata.



Nautæ vel milites, cum minoribus scaphulis, secretò incîdunt funes.] In M.S.& H.desiderabam totum illud incisum, *cum minoribus scaphulis*. sed ad rem ipsam. Narrat Vegetius quomodo in ipso pugnandi ardore soleant peritissimi milites vel nautæ in id tantùm incumbere, vt bipennibus (in quibus vtrimque latissimum & acutissimum ferrum) funes, quibus aduersariorum gubernacula ligata erant, inciderent. Id quia secretò fieri vult Vegetius, arbitror

Abstersa magna macula Vegetio.

arbitror ab vrinatoribus factum fuisse : & consequenter, inculcata illa verba, *cum minoribus scaphulis.* Varro: *Vrnæ dictæ, quòd vrinant in aqua hauriendæ, vt vrinator. Vrinare, est mergi in aquam.* quarto De lingua Latina. Vrinatores Iurisconsulto appellabantur, qui in mare mergebantur ad eruendas merces, nauis seruandæ causa in tempestate eiectas.

Vrnis vnde nomen: Item Vrinator à quo appellatus.

Addam aliud strategema editum ab iisdem vrinatoribus. Byzantini, cùm à cunctis ferè totius orbis exercitibus triennium obsiderentur, vt varia passi, proinde & diuersa edidêre strategemata. Inter cetera hostium triremes in statione conlocatas per submissos vrinatores aggressi, & ancoris clam præcisis, easdem nauibus suis per funiculos alligatas, ita postmodum ad se traxerunt, nullis remigibus, nulloque vento incitatas, vt sponte sua ad ipsos cursum instituere ac tenere viderentur. quod commemorat Dio in Seuero.

Elegans strategema ab vrinatoribus Byzantinis editum.

De lusoriis, quêis in Danubio quotidianis vtuntur excubiis, reticendum puto.] Nomen harum nauium nimis quàm apertum & clarum est. Ammianus libro duodeuigesimo: *Quos lusoriæ naues quadraginta, quæ tum aderant, solæ exceperunt.* Seneca septimo De beneficiis, cap. vigesimo: *Cui triremes & eratas non mitterem, lusorias & cubiculatas & alia ludibria regnum in mari lasciuientium.* Iterum eodem cap. *Vbi naues luserunt, hauriuntur.* Vt naues lusoriæ, similiter & fulmina lusoria, armaque lusoria, Seneca nuncupabat, decretoriis opposita; quo modo & sagittas lusorias noster appellauit, quibus in prælusione ad palum vtebantur, libro primo, capite quintodecimo.

Lusoriæ naues.

Arma lusoria.

Lusoriæ sagittæ.

FINIS.

Nobilissi-

Nobiliſs. ac Generoſiſſimis,

BERNHARDO VANDEN BONGAERT,

Filio Domini de Nyenroyde, &c.

REYNHARDO AB ÆSWIIN,

Filio Domini de Braeckel,

Sterckenborch, &c.

GODESCALCVS STEWECHIVS

S. P. D.

QVI *periculo alieno ſapientiores euadunt, eos tanquam felices prædicare ſolẽt omnes: qui verò imitatione bonorum ad virtutem incitantur, ij mea opinione laudem promerentur longè maximam, quòd illi quaſi coacti; hi verò ſponte ſuum officium facere videantur. Quod ad vos, adoleſcentes Nobiliſſimi; ego de vtroque veſtrûm, ſimiliter & parentes veſtri ſpem illam concepimus, vos nomẽ familiæ veſtræ, etſi natalibus per ſe & rebus geſtis ſat nobile, magis tamẽ illuſtraturos. Futuros deniq. dignos, non modò qui hereditatem tam lautam cernatis, verùm etiam qui in honoribus, ac dignitatibus publicis, patribus, auis, & maioribus veſtris aliquando ſuccedatis. Quæ domi exempla propoſita habeatis, pariter vobiſcũ ſcio. ſi qua foris petenda erunt, illa mei officij erit vobis proponere. In præſentiâ non aliud, quàm Imperatorum Valentinianorum ſtemma exhibebo, cuius initium quàm leue, quàm exiguum fuerit, diligenter & cum iudicio conſiderabitis. Cogitabitis porrò præſens hoc munuſculum meum minimam eſſe ſignificationem meæ erga vos beniuolentiæ. quam ego, Dis & Muſis volentibus, prolixiùs aliquando vobis, veſtriſq; declaraturum me ſpondeo ac promitto. Valete & me redamate. Anno* M. D. LXXXIV.

STEM-

STEMMA VALENTINIANORVM.

GRATIANVS, Mediocri stirpe ortus apud Cibalas, Funarius appellatus, eo quòd venalitium funem portanti quinque milites nequirent extorquere. Is solùm ad præfecturæ prætorianæ dignitatẽ conscendit. Ammianus Marcellinus lib. xxx. Sextus Aurelius Victor, & Paulus Diaconus lib. xii.

VALENTINIANVS primus, A. duxit SEVERAM.

GRATIANVS primus, A. duxit CREVSAM; sed filio nullo herede relicto decessit, cùm antè in imperium ab eo adscitus esset

THEODOSIVS primus, A. duxit PLACILLAM.

ARCADIVS A. duxit EVDOXIAM.

PVLCHERIA. ARCADIA nubsit MARTIANO A. apud quem castitatem semper seruauit. Euagrius lib. 2. cap. 1. Diaconus lib. 14. extremo. qui Martianus in Orientis imperio successor fuit THEODOSIO secundo A. Euagrius lib. secundo, Diaconus, alij.

EVDOXIA, quæ nubsit VALENTINIANO tertio A.

HONORIVS A. duxit THEODOSIVS MARINA. secundus A.

VALENS A. duxit IVSTINAM.

VALENTINIANVS secundus, A.

IVSTA. GRATA. Hæ in virginitate vitam duxerunt. Socrat. lib. 4. cap. 26. Diaconus lib. 12.

DOMINICAM.

GALLIA nubsit THEODOSIO primo A.

Galates, qui vno parte exstinctus. Sozomenus libro VI. cap. XVI.

GALLAM.

GALLA PLACIDIA nubsit CONSTANTIO A. Sozomenus lib. 9. cap. 16.

HONORIVS. VALENTINIANVS tertius A. duxit EVDOXIAM. Hæc interfecto Valentiniano, nubere coacta Maximo tyranno; quapropter Genzericum ex Africa ad Romam deuastandam euocauit.

EVDOXIA. Hęc, Româ à Genzerico captâ, coacta nubere illius filio Honoricho. auctor Euagrius lib. 2. ca. 7.

PLACIDIA. Hanc Genzericus cũ matre Eudoxia in Orientem ad MARTIANVM A. remisit; vbi Olybrio viro cõsulari nubsit. Euagr. eod. cap. 7.

VALENTINIANVS PRIMVS A. genere Pannonius, è ciuitate Cibale ortus. *Socrates libro 4. capite 1.* Ab Imperatore Iuliano relegatus, quòd se Christianum esse palàm ostenderet: *Theodoritus libro 3. capite 15: Sozomenus libro sexto capite sexto; Diaconus, alij.* A militibus quinto Kalend. Martij apud Nicæam Imperator declaratus: *Socrates libro quarto cap. 11. Sozomenus libro 6. cap. 6. Ammianus libro 30. Victor, Diaconus libro 11. Historiarum.* Hic rem militarem tractare aggressus facilè peritissimum se in eâ ostendit. *Socrates libro quarto cap. primo.* Idem nouorum armorum inuentor: *Victor, Diaconus libro 12. Ammianus lib. 30.* Idem fratrem suum Valentem imperij consortem adsumsit Constantinopoli, trigesimo die post suam creationem: *Socrates libro 4. cap. 1. Theodoritus lib. 4. capite 5. Sozomenus libro 6. cap. 6. Diaconus libro 12. Ammianus libro 30.* Hic Valentinianus in Occidente; Valens in Oriente imperauit. *Socrates libro 4. cap. 2. Sozomenus libro 6. cap. 6. & cap. 21. Theodoritus libro 4. cap. 5.* Valentinianus visis Sauromatum legatis sordidioribus, iracundiâ inflammatus, neruos tantopere vociferando distendit, vt venas aperiret, omnesque arterias disrumperet. *Socrates libro 4. cap. 26. Sozomenus libro 6. cap. 36. Victor, Diaconus lib. 12.* Atque ita mortuus, Gratiano tertium & Equitio cos. quinto decimo Kalend. Decembris. *Socrates, Diaconus, alij.* Vixit annis quinquaginta quatuor, regnauit tredecim. *Socrates eodem cap. 26. Sozomenus eodem cap. 36. Sed hic Victor & Diaconus dissentiunt.* Hic Valentinianus Iustinam Iusti filiam Seueræ superinduxit vxorem; legemque tulit, vt cuique volenti liceret duas habere vxores legitimas. *Socrates eodem cap. 26. Diaconus libro 12. Theodoritus lib. 5. cap. 13. Sozomenus lib. 7. cap. 13.*

VALENS A. Hic vxoris fallaciis Arianus factus, crudelis, in omnes Christianos maximoperè sæuiit. *Theodoritus libro 4. capite 11. Eusebius, Socrates, Sozomenus, Ammianus, Diaconus, alij.* Idem cum Gothis confligens prope Adrianopolim vrbem Thraciæ, occubuit v. Idus, vt Diaconus; vt alij, tertio idus Augusti: se sextùm & Valentiniano secundùm cos. Qua verò ratione ibi interierit, incertum. *Socrates lib. 5. cap. 1.* Alij igne ambustum periisse scribunt. *Socrates libro 4. cap. 31. Diaconus libro 12. Sozomenus libro sexto capite vltimo, Theodoritus libro quarto cap. trigesimo primo, Victor.* Alij Imperatorio habitu mutato se in medium suorum peditum iniecisse: ibique fortiter

fortiter pugnantem cecidisse,& iacuisse incognitum. *Socrates libro quarto capite vltimo.* Obiit anno ætatis L. Cum fratre regnauit annos tredecim; post mortem fratris, tres. *Socrates, Sozomenus, Nicephorus: à quibus discrepant Diaconus, Victor.*

GRATIANVS A. Sirmij genitus, antè quàm pater Imperator esset. *Socrates libro quarto capite nono, Sozomenus libro 6. capite 10. Diaconus, Victor, alij.* Imperator à patre creatus, cùm necdum plenè pubes esset; nono Kalend. Septembris, Lucino & Iouiano cos. *Victor, Diaconus libro duodecimo, Ammianus trigesimo, Socrates lib. quarto cap. decimo & vigesimo sexto.* Vxorem duxit Creusam; ex qua filio imperij herede nullo relicto decessit, adscito imperij consorte THEODOSIO primo A. *Diaconus libro 12. Theodoritus libro 5. capite 12.* Hic cùm paucos Alanos ingenti auro ad se transtulisset, præ his omnes milites Romanos neglexit, contempsit. *Victor, Diaconus.* Idem Valente mortuo, Christianos qui ab auunculo relegati fuerant, reuocauit. *Socrates, Sozomenus, & Theodoritus.* Idem dolo & insidiis Maximi tyranni ab Andragathio tyranni duce, in Gallia interfectus, Merobaude & Saturnino cos., cùm annos regnasset XV. vixisset XXIIII. *Socrates libro 5. capite 11. Sozomenus libro 7. cap. 13.*

VALENTINIANVS SECVNDVS, A. Hic D. Gratiani frater, sed ex matre Iustina natus, versus Occidentem imperante iam patre, paullo post mensem Maium, Gratiano & Dagalepho cos. *Socrates libro quarto, capite 9. Sozomenus libro sexto capite decimo.* Idem sexto die post obitum patris à militibus in Italia Imperator creatus, adhuc quadriennis. *Socrates libro quarto capite vigesimo sexto: Sozomenus libro sexto, capite 36. Victor, Diaconus libro duodecimo.* Et pro eo Probus cum Iustina imperatrice Occidentem rexerunt. *Diaconus, alij.* Idem fratre Gratiano interempto, Maximum ad imperij societatẽ admittere coactus est. *Socrates libro quinto capite vndecimo.* Occidenti autem præfuisse hunc Valentinianum, liquet *ex Socratis libro 5. capite 11. & capite 18. & Theodorici libro 5. capite 6.* Iste dolo & insidiis tyranni Eugenij apud Viennam dormiens à domesticis strangulatus. *Socrates libro 5. capite 24. Sozomenus libro 7. cap. 22. Victor, Diaconus 13.*

THEODOSIVS PRIMVS A. Ortus ex patritiis Hispanis, genus trahens à Traiano principe; patre Theodosio, matre Thermantia genitus; vir admodum religiosus, à

GRA-

GRATIANO primo A. Imperator declaratus Sirmij, Ausonio & Olybrio cos. XVII. Kalend. Februar. *Socrates libro quinto, capite secundo; Theodoritus libro 5. capite 5. & capite 6. Sozomenus libro 7. capite 2. Diaconus libro 12.* Hic Maximum tyrannũ superauit; quem milites metu aduentantis Theodosij victum dediderunt: idemque Maximus occisus, Theodosio secundùm, & Cynegio primùm cos., sexto Kalend. Septemb. Andragathius verò Gratiani percussor, se in flumen præcipitauit. *Socrates libro 5. capite 14. Sozomenus libro 7. capite 14. Theodoritus libro 5. capite 15. Diaconus lib. 13.* Idem tyrannum Eugenium, cuius insidiis Valentinianus secundus interemptus erat, ad Frigidum flumen superauit, & interfecit octauo Id. Septemb. Arcadio tertiùm, Honorio secundùm cos. *Socrates libro 5. capite 24. Nicephorus libro 12. Claudianus in Panegyr. Theodoritus libro 5. cap. 24. Sozomenus libro septimo cap. 24. Diaconus libro 13.* Idem post victoriam illam ab Eugenio partam, Mediolani in morbum incidit; ibique filio Honorio præsente decessit, Olybrio & Probino cos. XVI. Kalend. Februar. *Socrates libro quinto, capite vltimo, Victor, Theodoritus libro 5. cap. 25. Diaconus lib. 13. Sozomenus lib. 7. cap. vlt.* Vixit annos sexaginta, regnauit sexdecim. *Socrates dicto capite vlt. Sozomenus lib. 8. cap. 1.*

ARCADIVS PRIMVS, A. THEODOSII primi A. filius, ex Placilla: à patre Augustus declaratus Constantinopoli, Merobaude & Saturnino primùm cos. XIIII. Kalend. Februa. *Socrates lib. 5. cap. 10. Diaconus lib. 12.* Idem patre mortuo Orientis gubernacula suscepit. *Socrates lib. 6. cap. 1. Theodoritus lib. 5. cap. 25. 26. 27. Sozomenus lib. 8. cap. 1. Diaconus lib. 13.* Obiit Basso & Philippo cos., Kalendis Maij, filio Theodosio annorum octo relicto. *Socrates lib. 6. cap. 21. Diaconus lib. 13.* Regnauit annos XXVII., vixit XLIIII. *Socrates lib. 6. cap. 21. Diaconus lib. 13.*

HONORIVS PRIMVS A. Genitus patre THEODOSIO primo A. matre Placilla, Rhycomeliano & Clearcho cos. 5. Id. Septemb. *Socrates lib. 5. cap. 12. Sozomenus lib. 7. cap. 14.* A patre Imperator declaratus Cõstantinopoli, Theodosio tertiùm & Abundantio primùm cos., IIII. Id. Ianuarij. *Socrates lib. 5. cap. 24. Sozomenus lib. 7. cap. 24.* Idem patre mortuo, Occidenti præfuit. *Socrates lib. 6. cap. 1. Theodoritus lib. 5. cap. 25. Sozomenus lib. 8. cap. 1. Diaconus lib. 13. Socrates lib. 7.*

lib.7.cap.1. Hic, vt cum patre annos duos, tredecim cum fratre imperasset, Romæ obiit sine sobole. Nam etsi duas Stiliconis filias, Mariam & Thermantiam vxores habuerit, vnam post alteram; tamen vtraque sine prole præmaturè mortuæ sunt. *Diaconus lib.14.* Mortuus verò Asclepiodoto & Mariano cos., ad decimũ octauũ Kalend. Septemb. *Socrates lib.7. cap.23.*

THEODOSIVS SECVNDVS A. ARCADII primi A. filius, à patre Imperator creatus, cùm esset annorum octo. *Diaconus lib.13.* Hic Orientem rexit per sororem Pulcheriam. *Sozomenus lib.9. cap.1. Enagrius lib.1. cap.20.* vel, vt, alij volunt, per præfectũ Anthemium. *Socrates lib.7.cap.1.* Idem oppresso per Asparem Ioanne, Occidentis imperium adfectante, VALENTINIANVM tertium A. consobrinum suum Occidenti præfecit. *Socrates libro septimo cap.24.* Decessit hic Theodosius apud Constantinopolim, postquam imperauit annos XXXVIII. *Enagrius libro 1.cap. vltimo, Diaconus lib.14.*

VALENTINIANVS TERTIVS A. Patre CONSTANTIO A. matre Galla Placidia genitus. cuius pater ab Honorio Imperator declaratus apud Rauennam. *Socrates lib.7. cap.24. Sozomenus lib.9. cap.15. Diaconus lib.14.* Hic THEODOSII secundi A. filiam Eudoxiam vxorem duxit, Isidoro & Sinatore cos. *Socrates lib.7. cap.43. Enagrius lib.1.cap.20. & lib.2.cap.7. Diaconus lib.14.* Idem in Occidente regnauit. *Socrates lib.7. cap.24. & cap.43. Enagrius lib.2. cap.1. & 7. Diaconus lib.14.* Idem Romæ in campo Martio interfectus ab Ætij militibus, insidiis Maximi tyranni, cuius vxorem compresserat. *Enagrius libro 2. cap.7.* Eudoxia verò marito interfecto Genzericum ex Libya ad Romam diripiendam, deuastandam euocauit. *Enagrius libro 2.cap.7. Diaconus libro 15. Pomponius Lætus, & l.2.C.de officio præf. prætorio Africæ.*

GODES-

GODESCALCI STEWECHII

CONIECTANEA

AD

SEXTI IVLII FRONTINI

LIBROS STRATEGEMATON.

CLAVDII RAMBERVILLERII
NOBILIS AC PATRITII TVLLENSIS
EPIGRAMMA.

HVESDANÆ gentis laus GODESCALCE perennis,
Carmine quo tollam nomen ad astra tuum?
Plurima Frontini fœdabant vlcera corpus,
Deformiq; miser vulnere plenus erat.
Huic te Phylliriden, doctúmque Machãona præbes,
Et solâ ingenij tot mala tollis ope.
Charam animam durâ vi morbi oppressus agebat,
Sed vitæ auxilio redditus ille tuo.
Sic Phœbi Hippolytum soboles reuocauit ad auras,
Postquam illum rapidi dilacerastis equi.
Macte animo STEWECHE, manent te maxima laudis
Præmia, te passim splendida fama canet.
Nam veterum extrahere è nigris monimenta tenebris,
Exstinctis q3 animas reddere corporibus;
Vtrumque est hominis diuini opus. at magis illud
Vtile, vita hominum quo sine cæca iacet.

Nobiliſſi-

Nobilissimis ac Generosissimis,

IOAN. GVILIELMO DE SPANGEN,
Domino de Spangen, Boudry, &c.

WALRANDO AB HAFTEN,
Domino de Haeften, Herwiinnen, &c.

GODESCALCVS STEWECHIVS
HVESDANVS S. D.

INTER alia quàm plurima prudenter & grauiter imprimis à C. Mario apud Sallustium hoc dicebatur, *Maiorum gloria posteris quasi lumen est; neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Quam quidem sententiam animis vestris, Nobilissimi ac generosissimi iuuenes, impressam si seruabitis (quod equidem facturos non diffido;) numquam non recordari poteritis quantū vobis oneris cum honore impositum sit. Parentes vterque in aulis Principum educatos laudare; natales longos, ac illustrem prosapiam recensere potestis. Taceo quæ in lubrico posita, corporis ac fortunæ bona. quæ tamen omnia aliena deputo: propria illa, quæ neque hereditaria sunt, neque casu pendula; hoc est bonas artes, atque animis vestris insita virtutum & boni semina. Imagines maiorum circumspicere lubebit; occurrent vndequaque, qui patrum auorumque laude non contenti, ipsimet nomen rebus bello ac pace gestis auxerunt. Vt antiqua nobilitatis vestræ initia, itidem egregia virtutum exempla domi proposita. quare acriùs vobis adnitendum est, vt institutioni meæ, & amicorum exspectationi respondeatis. Hoc ita fiet potissimùm, si maiorum gloriam non sustinere

tantùm, verùm etiam excellere fueritis conati. Ea in re quibus adminiculis opus sit, non ignoro. tũ & illud probè scio, neque prudentiam vobis, neq. scientiam defuturam, quibus cùm rebus vestris aliquando superesse, tum præesse subditis queatis. In excolendo ingenio, moribusq. vestris formandis (dico audacter) strenuam operam nauaui, & ab ea hora, qua meæ fidei commissi estis, nihil mihi antiquius fuit, quàm de vobis, & per vos de rep. ipsa bene mereri. Dum artibus liberalibus vos imbui, dum in historiarum lectione præiui, iuris elementa edocui, numquam in vobis discendi studiũ, obsequendi officium numquam requisiui. Nunc porrò si lectio iuris molestior, si fastidiosa videbitur; at Historiam è manibus non deponite. Hæc tamquam certissima ac promptissima rerum magistra, virtutum vitiorumque exempla quibus vita instituenda sit, non secus atq. in amplissimo totius orbis theatro, spectanda proponit. hæc & secundam & aduersam fortunam ferre docet: res gerere; prouincias, regna administrare volentibus eadem non minùs necessaria, quàm in naui gubernator, in puppe clauus. Venio tandem ad hæc nostra Coniectanea, quæ domi & nulla veterum codicum ope nata, sub vestro nomine publicare visum est: vt aliquod saltem à me accipiatis μνημόσυνον. Atqui magnum facinus etiam temerarium haberi dictitant, maiorum scripta veteribus libris nullis adhibitis emendare velle. & est sanè periculosum. Ceterùm an non malo nodo, malus quærendus est cuneus? an ne ipsius scriptoris æuum, stilus, institutum quoque in hoc iudicium venire debent? quæ omnia temeritatis culpam illam, si non prorsus tollere, at certè eleuare ex parte videtur. Aliud diui Iustiniani, post editos à se libros iuris, placitum fuisse nemo nescit: sed nos illum iudicem nolumus, & hanc partem leges illius migramus. neque enim capital censendum est ingenij ner-

uos

uos in proletariis (vt sic dicam) scriptoribus emaculandis experiri, qui vel eadem cum aliis memoriæ prodiderunt; vel qui omnia de superioribus mutuati, suo illa arbitrio in certos locos redigere, ac velut centones cõtexere voluerunt. Inter quos si quis mihi Sex. Iulium Frontinum ponendum negabit, eum vel scriptorẽ ipsum ignorare, vel gnauiter impudentem esse existimabo. Quanta huius viri in strategematis cõradendis diligentia; in componendis, digerendis prudentia fuerit, non meum iudicium est. illud tamen ingenuè fatendum, vnà cum reliquis militaris disciplinæ scriptoribus in patrũ auorum q. manu crebrum fuisse; ideoque miris modis multatum; ab iis imprimis, qui libris describendis destinati fuêre. At qui tandem illi homines? præstantes fuisse confitebimini, si cogitabitis tot antiquorũ labores, tot omnis generis scripta, vna istorum opera vindicata ab interitu, & nobis quasi per manus tradita. Veruntamen frequenter eosdem peccasse nostri clamitant. id pariter cum iis confiteor, & factum nollem. denique cùm barbariem, tum audaciam quoque causſæ fuisse nõ sum nescius: interim dandum aliquid isti seculo, etiam oneribus illorum hominum priuatis nonnihil condonandum arbitror. quod reliquum est, optandum, vt quæcumque istorum negligentia contaminauit, audacia peruertit, doctiorum huius æui diligentiâ purgentur; corrigantur industriâ. Habetis meum qualecumque iudicium (siue opinio est) de libris veterum: de Coniectaneis hisce nostris vestrum itidem exspectabo. in quibus etsi leuiora quoque adsperserim, seu potiùs indigna de quibus verba fierent; attamen (nisi ego vehementer erro) nihil leue putandum, quo vel litteræ, vel scriptores ipsi iuuentur. In quo si vos eiusdem sententiæ esse intellexero, mihi susque deque erit, quid sint probaturi, quid improbaturi ceteri. Valete.

GODESCALCI STEWECHII CONIECTANEA AD SEX. IVLII FRONTINI LIBROS STRATEGEMATVM.

In librum primum.

CAP. II. Exemplo vlt.

HASDRVBAL frater Hannibalis tunc Liuij & Neronis exercitū intellexit.] Pro tunc Liuij: *scribendum erit*, iunctum Liuij. *aut posthac manus abstinendæ à libris. quorsum enim illa quæ sequuntur*, quanquam hoc illi non duplicatis castris dissimularent? *Imò ne vallum quidem aliquâ parte hi coss. auxerant, quò facilius imponerent hosti. testis Liuius libro* XXVII. *Eum adi; & videbis coniecturā illam meam non vanā. adhibe quoque Frontinum, hoc eodem lib. cap.* I. *exemplo* IX., *Polybium lib.* XI., *Florū lib.* II.

CAP. IIII. exemplo 3.

Et ipse cum cetera manu, quà non exspectabatur aditus, intrauit.] *Legerim*, quà non exspectabatur intrauit. *nisi hòc magis placuerit*, quà non sperabatur aditus, intrauit. *Itidem l.* XXV. *Codice Theodosiano, De petitionibus:* Cùm per Illyrici partes barbaricus sperareturincursus. *Sperare, pro timere. Sic Vegetius noster lib.* III. *cap.* XX. Non sperante eo ambas alas tuas incitare te conuenit. *Virgilius:*

——— tantum sperare dolorem.

CAP. V. exemplo 3.

Vnam spem salutis haberet, si flumen liberasset.] *Agitur toto hoc capite de euadendo ex difficilibus locis.* Flumen liberare *quid sit, fateor me nescire. neque video quid huius loco substitui commodè posit; nisi fortè legamus*, si flumen superasset. *Frontinus eodem hoc capite, exemplo præcedenti*, dumque ignibus submouerentur hostes, ipse flumen superauit. *Idem libro* IIII. *cap.* VII. *exemplo* XXVIII. flumen, in quo tumultuarium fecerat pontem, liberasset: *& hìc malim* superasset. Q. *Curtius lib.* III. Motis castris superat Pinarum amnem. *Iterum lib.* VIII. quia plura flumina superanda erant.

Fossam

Fossam transuersam inter montes pressit.] *Magnum pi-* Exemplo 8.
gnus dederim, in hunc modum ea scripta fuisse à Frontino, fossam transuersam inter mõtes percussit. *Premere fossam quid sit, nondũ didici: at percutere, id est ducere, fodere fossam, scio esse genus loquendi bonis scriptoribus vsitatum. ostendo in Commentario ad Flauium Vegetium. ceterum ne molestum sit eò remitti, eundem hunc Frontinum appello. Is libro* III. *cap.* XVII. *exemplo quinto:* Fossa (*inquit*) in fronte percussa, quietum in vallo militem tenuit.

Vniuersi à milite obstiterunt.] *Scribo,* à limite obstite- Exemplo 10.
runt. *De limitibus prouinciarum agitur, in quibus clausuras, Burgos antiqui habebant, & inibi præsidium militare;* l. II. C. *de officio præfecti prætorio Africæ.*

Primò intenti hostes, ne lacesserentur, stationem Exemplo 16.
obiecerunt: de industriâ Numidæ ad augendum sui contemptum, labi equis.] *Si me audies, leges* dein de industria. *Natum mendum ex consuetudine librariorum, qui malè compendiosi sunt.*

Idem cum in Vesuuio obsessus.] *Montem hunc Campaniæ* Exemplo 20.
& Vesuuium, & Vesenum, etiam Vesuium scio appellari solitum. quare offendere non debent ea, quæ in libris aliis reperta sunt, in Vesbio obsessus, *siue* in Besbio obsessus. *nam tantundem illa valere, pueri sciunt.*

Ex quo vnus ad opprimendũ ipsos descensus erat.] Exemplo 22.
Adstipulante sententiâ reponimus, ad opprimendum ipsum. *en, quod præcessit,* explorasset autem ab hoste proximum teneri collem.

Qui deducti frequentiori mugitu speciem rema- Exemplo 24.
nentium præbebant hostium.] *Restituo, vt nullus videbitur, audacter; vt mihi, verissimè,* qui edito frequentiori mugitu. *Solens mos quondam librariis, qui de suo ad ineptiam vsque prodigi erant, consonantes non suo loco bonis scriptoribus largiri. declarani apud Vegetium propositis exemplis. quin & in lapidibus veteribus reperias passim* iuncxit, vicxit, nuncquam, *& infinita alia. Pari scriptione & in antiquis codicibus manuscriptis obseruabam* condictio *pro* conditio: extincxi, coniuncxi, *& similia sexcenta. Ad eum modum olim operæ hic scripserant:* edicto frequentiori mugitu. *inde ineptiores & malè feriati homines paullo pòst fecère* deducti; *& quidem nulla sententia. mentio enim de relictis bubalis ad arbores alligatis, qui recedentibus dominis, frequenti mugitu edito Romanis persuaderent, castra Ligures non mouisse.*

CAP. 6. exemplo 3. Cùm propter conditionem locorum longum deduceret agmen.] *Fortè quis malit*, educeret. *mihi tamen perplacet*, duceret.

Exemplo vlt. Delituerant deinde ad extremas ipsi, vbi ingresso siluam hoste proximas vlteriores impulerunt.] *Corrigo quà ab interpunctione, quà de scriptura, hoc modo:* delituerant deinde ad extremas ipsi Boij. ingresso siluam hoste, proximis vlteriores impulerunt. *Si vacat, locum consideră; ac diiudica, recténe fecerim, qui veritate historiæ à vulgatâ Frontini scripturâ discesserim. Strategemate isto Posthumium consulem, & cum eo millia* XXV. *deleta; memoriæ prodidit Liuius; ex cuius lib.* XXIII. *verba rei illustrandæ, & confirmandis coniecturis huc arcessere visum fuit:* Galli (*inquit*) oras extremæ siluæ cùm circumsedissent, vbi intrauit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellunt. quæ alia in aliam instabilem per se ac malè inhærentem incidentes, ancipiti strage arma, viros, equos obruerunt. *Boios verò istos quibus Frontinus id strategema tribuit, Galliæ Lugdunensis populos fuisse si quis nescit, cõsulat Plinij lib.* III. *cap.* VII. *& lib.* IIII. *cap.* XVIII. *Item de migratione eorundẽ in Germaniam, inter cæteros Wolfgangũ Lazium lib.* VII. *& Strabonẽ lib.* VII. *Liuius lib.* XXXIV. L. Valerius Flaccus in Galliâ cum Boiorum manu propter Litaniam siluam secundo prœlio conflixit.

CAP. 8. exemplo 5. At illi ne suspicione prœlij diducerent vires.] *Repono,* At illi ne suspectione prœlij diducerent vires; *viam facientibus aliis editionibus. De verbo Suspectio, vide quæ dixi ad Vegetium, si modò operæ videatur. nam eam vocem Tacito, Terentio, aliis Romanis scriptoribus iam olim postliminij iure redditam, non potes ignorare.*

Exemplo 7. Legati Romanorũ, cùm mississent ad Antiochum.] *Insani simus, ni sincerum esse videamus*, cùm missi essent. *quod & sententia, & rei veritas ita emendandum flagitant.*

CAP. 9. exemplo 1. A. Manlius consul.] *Hoc strategema non Manlio, sed C. Martio Rutilo, qui posteà Censorinus vocatus fuit, à Liuio adscribitur lib.* VII. *ab Vrbe condita. Sed idem ille in primo consulatu suo collegam habuit quendam Cn. Manlium Capitolinum imperiosum, anno ab V. C. trecentesimo nonagesimo sexto testantur Fasti.*

CAP. 11. exemplo 3. Vt decimam, tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogeret.] *Scribe meo periculo,* vt decumani tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogerẽtur. *ita primùm eum locum constitueram, pòst vidi ipsum Frontinum lib.* IIII. *cap.* V. (*vbi idem exemplum in medium attulit*) *legere,* testimonio concitarentur.

tur. *Itidem alia ſtrategemata bis apud hunc ſcriptorem poſita animaduerti: inprimis lib. I. cap. I. exemp. II. & lib. I. cap. V. exem. XIII. Item lib. I. cap. V. exem. XII. & lib. IV. cap. V. exem. VIII. Item lib. I. cap. X. exem. I. & lib. IV. cap. VII. exem. VI. Item lib. I. cap. IX. exem. vlt. & lib. IV. cap. V. exem. II. Item lib. I. cap. XI. exem. III. & lib. IV. cap. V. exem. XI.*

Hoc genere ſtrategematicõn, non ea tantùm parte vtendum eſt, qua imperitos exiſtimabimus eſſe, apud quos his vtemur: ſed multò magis ea quæ talia erunt, excogitabuntur; vt ab his monſtrata credantur.] *Nunquam mihi perſuadere potui (quod pace eruditiorum dixerim) à Frontino ſcripta verba iam recitata. Nam vt primùm ſcriptorem hunc attentiùs legere cœpi, ſtatim ſuſpicatus ſum ludimagiſtri alicuius commentum eſſe, ad ea præcedentis exempli, cùm barbaro & indocili milite vteretur. Si erro, ignoſces, benivole lector: ſi enim contrà tendere velis, nihil ſupereſt, quo defendam, aut latus tegam, cùm deſint mihi veteres libri.* Exemplo 14.

Et ludite, inquit, milites, Aphricam oppreſſi.] *Reſtituebat ingenioſiſsimus & amiciſsimus mihi Ianus Gulielmius,* & pludite. *mihi non diſpliceret legi,* eia pludite. Pludo *pro* plaudo: cludo, *pro* claudo; *ſimilia ſexcenta obuiam in libris antiquioribus paſsim. hinc illud* ludite *ab indoctis librorum deſcriptoribus ſuppoſitum eſſe, liquidò appâret. Plautus Caſi. Sc. vlt.* CAP. XII. exemp. 1.

Verùm qui non manibus, quantum poterit, pluſerit.

IN LIBRVM II.

DEPOSCENTES pugnam, humeroſque exercentes, & lanceas vibrantes.] *Saniorem, imò genuinam Frontini ſcripturam fore arbitror, ſi ſecundam illam conſonantem abiiciamus, & ſcribamus* exerentes. *quippe id verbi elegans, & meo iudicio magis ſignificans, quod geſtum & calorem exprimat eorum, qui prælium inire geſtiunt. Ouidius:* CAP. I. exemp. 3.

Exerit hic humerum, veſtes trahit ille per altas.

Idem I. *Faſtorum:*

Credibile eſt illos pariter vitiiſque iociſque
Altiùs humanis exeruiſſe caput.

Et dictatores Carthaginienſium quotidie ante ipſa munimenta Romanorum dirigerent aciem.] *Itáne boni correctores impunè vobis licet Principes Aphricæ viros Carthaginienſes vilipendere, & in repub. ſeu caſtris eorum Dictatores, & quidem plures conſtituere, nulla ſenatus auctoritate, nullo populi conſenſu adhibito?* Exemp. 4.

Apage nobis istos dictatores: Frontinus noster ducatores *appellauerat; ea vox incognita vobis causam dedit loci depranandi. Vt* duces, *item* ductores, *&* ducatores; ductus *&* ducatus *olim vsitata nomina fuisse, ad Vegetium docemus. Coniecturam hanc, vt alias pleraſque meas in hunc ſcriptorem, cum Iano Mellero Palmerio amico communicabam, viro & ab eruditione, & ab ingenio nunquam ſatis laudato. qui eandem hanc emendationem ſibi quoque in mentem veniſſe adſeuerabat; paratum oſtendere, niſi exemplar Bonnæ fuiſſet. quinimò ſimiles emendationes in Frontinum plurimas mihi ſuppeditaturum, ſimul vt reuerteretur ex Superiori Germania. Ceterùm id illius beneficium nõ me tantum, ſed remp. potiùs ipſam percipere non potuiſſe, meritò doleo. paucis namque poſt diebus quàm à nobis ille diſceſſerat, Argentinæ peſtilentiâ (proh dolor!) exſtinctus eſt: non ſine magno amicorum dolore, non ſine maximo rei litterariæ damno.*

Exemplo II. Interfectis omnibus impedimentis.] *Vidi, qui legendum cenſerent,* interceptis omnibus impedimentis. *fortè quòd iis non placeret impedimenta dici interfecta. Sed eos ego ad Vegetij caput ſextum libri tertij remitto. Vlteriùs pronuntio, historiæ fidem* interceptis *non admiſſuram. neque enim hic Cæſarianorum, ſed ipſorummet Afranianorum agitur factum, qui tantum abeſt, vt impedimenta ſua à Cæſarianis intercipi permiſerint; vt ipſimet illa interfecerint. teſtem do Cæſarem ipſum lib. I. De bello ciuili:* Illi (*inquit*) & inopia pabuli adducti, & quòd eſſent ad id expeditiores, omnia ſarcinaria iumenta interfici iubent. *quo loco ſuſpicor ſagmaria iumenta à Cæſare nuncupata fuiſſe. de quibus nos alibi.*

CAP. II. exemp. 4. Equitatum eorum à latere inuaſit, auerſumque, & eorundem partem peditum perturbantem inſecutus.] *De hoc loco Palmerium quoq. conſului, videretúrne commodius legi &* eorundem pariter peditem perturbantem. *ille quanquam coniecturam meam non improbaret; malebat tamen ſcribi &* eorundẽ in arcto peditem perturbantem. *Vtrum voles, eligito; adhibetoque Appianum de bello Mithridatico, & Plutarchũ in Lucullo: vbi traditur, Lucullum Thraces Galloſq; equites in Tigranis cataphractos extranſuerſo immiſiſſe; illos, non exſpectato Romanorum impetu, ſeſe graviſſimoſq; armis equos inter ſuorum peditum agmina præcipitaſſe: eaq; re impeditum vniuerſum exercitum, non tam inſequendum, quàm cædendum fuiſſe. Victoriam illam adeptus Lucullus pridie nonas Octob., die alioquin nefaſto, quòd eodem Scipio cum Cimbris congreſſus exercitum Romanum perdidiſſet.*

CAP. III. exemp. 3. Ipſe optima parte virium ſuarũ dextro cornu totam circuiuit

circuiuit aciem hostium.] *Suspicor locum à glossis contaminatum, & abiicienda illa* dextro cornu. *dixit enim paullo antè* omnemque equitatum & fortissimum quemque peditum in dextro cornu posuit.

Equites à sinistro cornu ptæter ora phalangis iussit transcurrere, citatis equis tectos, vt obiectis armis ipso impetu perfringerent hostium spicula: quo genere telorum exarmati Macedones soluerunt aciem, & terga verterunt.] *Locus, meâ quidem sententiâ, non sanus; & cùm libri antiqui desint, ex ingenio, si non persanari queat, saltim tentandus linquitur. in præsentiâ non aliud mihi occurrit, nisi reponi posse* citatis equis vectos. *nam quod Parisiensis editio præ se fert,* citatis equis tectis; *mihi numquam probabit. De conflictu hoc P. Æmilij & Persei, consulendus Liuius lib.* XLIV. Exemplo 20.

Cn. Pompeius aduersus C. Cæsarem palustri prœlio Pharsaliæ triplicẽ instruxit aciem.] *Repererat in libris Franciscus Modius:* palestrialis, *in aliis,* palæpharsali. *quæ ipse ænigmata mera fatetur; ideoq; scribendum videri,* illustri prœlio. *Atqui mea opinio alia est: nam illud* palustri, *vt reiicere vix ausim, facit ipse Frontinus verbis subsequentibus,* Sinistrum latus, ne circuiri posset, admouit paludibus. *Prætereà, illud* palæpharsali, *dictum vt multa alia more Græcorum. Q. Curtius lib.* 4. Legati respõdent esse templum Herculis extra vrbẽ, in ea sede, quam Palætyron vocant. *Idem lib. eodem,* Magna vis saxorũ ad manum erat Tyro vetere præbente. *Sic Palæopolis, vrbs antiqua: sic Palæpaphus, in qua antiquum Veneris Paphiæ tẽplum. Sic Scepsis & Palæscepsis apud Stephanũ, apud Strabonem lib.* 3. *lib.* 13. *lib.* 14. *apud Ptolemæum lib.* 5. *cap.* 14. *& lib.* 3. *cap.* 13. *& aliis locis sexcentis. Quin, omissis superioribus, vnus Orosius poterat satisfacere; qui lib.* 6. *ca.* 15. Hic (*inquit*) exitus pugnæ ad Palæopharsalum fuit. *De qua pugna Lucanus lib.* 6. *Dio lib.* 42. *Velleius lib.* 2. *Appianus lib.* 2. *& ipse Cæsar libro* 3. Exemplo 22.

Sed deinde cohortes in subsidio retinuit ad res subitas; sed dextro latere conuersas in obliquum.] *Adsentior iis, qui pro* sed *vtrobique substituendum putant* sex. *Id vt faciam, primùm mihi auctor Plutarchus in Pompeio; vbi de Cæsare acies instruente loquens,* Sex cohortes, *ait,* è legionibus eductas legioni decimæ à tergo locauit; iussitque eas quietem agere. *Iterum in Cæsare:* Ex posteriori acie sex clanculum venire cohortes iussit; quas post dextrum dispositas cornu, quid opus esset facto, præmonuit. *Meminit quoque Appianus, & alij.* Exemplo eodem.

Inopinato

Exemplo eodem. Inopinato ſubinde lati excurſu.] *Scribo,* ſubinde elati. *Vocalem ſecundam bis ſcribere librarij noluerunt. quod genus hominum nimiſquàm negligentiſſimum, iſtiuſmodi compendiis ſcripturæ maximas turbas dedit: ſciunt, qui membranas volutârunt.*

Exemplo 23. Catij equeſtre prœlium.] *Equidem parùm cati illi, quicunq; iſtos Catios, nouum genus hominum, & orbi Romano, ne dicam Soli, incoguitum, primi producere conati ſunt. Nec eſt quod de Catheis ſomniemus, quorum meminêre Oroſius lib.* III. *cap.* XIX. *Ptolemæus lib.* VII. *alij. Hi enim Indiæ populi, quos Alexander Magnus adiit, dum Porum ſuperauit, teſte Strabone lib.* XV. *Nos Cæſari Germanico laudem ſuam eripi non patimur, populoq; huic nomen reddimus, ſcribendo,* Catti equeſtre prœlium. *ſecuti in eo Dionem, Strabonem, Oroſium, Florum, Tacitum, & Martialem; apud quem lib.* II. *epigram.* II. *pro* Dacis *reponendum* Cattis, *olim monuit in ſuis* Epiſtolicis I. *Lipſius.*

Exemplo eodem. Prœlium in ſiluas refugiendo diducerent.] *Profectò id nunc primum eſt, cùm apud Romanum ſcriptorem lego,* diducere prœlium. *neque ſatis capio quid hoc ſibi velit: corrigendum ſuadeo* prœlium in ſiluas refugiendo ducerent. *Enim* prœlium ducere *eleganter dicimus; quemodo Cæſar & alij, plus centies dixère,* bellum ducere, *id eſt protelare, protrahere, procraſtinare. Pari phraſi quoque Cic.* rem ducere, *hoc eſt rem proferre.*

Exemplo eodem. Ne quis non locus eius victoriam miraretur.] *Non incommoda illorum verborum ſententia; attamen præ illâ mihi placet quod dicam,* ne quis locus eius victoriam moraretur. *Victoriam enim ad multos dies remorati videbantur Catti, cùm ad ſiluas & loca ardua impedita ſæpiùs ſeſe reciperent. Sic Curtius lib.* IV. Vnam eſſe vrbem, quæ curſum victoris morari auſa eſſet.

CAP. IV. exemp. 4. Deiectis iugis Callidromi montis Ætolis, qui præſidio tenebantur.] *Scio Ætolos in Callidromo præſidere ſolitos; teſtante idipſum præter alios Liuio lib.* XXVII. Igitur Philippus *(inquit)* deiecto præſidio, fuſis Ætolis, qui ſaltum Thermopylarũ inſidebant. *Nihilo ſeciùs ſuſpecta mihi illa,* qui præſidio tenebantur. *Deinde, quod alij in libris reperiſſe ſe aiunt,* Callidromiacolis; *id puto olim fuiſſe* Callidromi colis. *& vtrumque illud* collis *&* montis *pro gloſſemate induco; ſcribóque,* deiectis iugis Callidromi Ætolis. *Liuius libro* XXXVI. Extremos ad orientem montes, OEtam vocant; quorum quod altiſſimum eſt, Callidromum appellatur. *Adeundus & Strabo lib.* 9. *Appianus De bellis Syriacis; item Plutarchus in Catone.*

Exemp. eodẽ. Niſi circummiſſus ab eo M. Porcius Cato, &c. ſuper

pereminentem castris regiis collem, à tergo subitus apparuisset.] *Necessariò emendandum*, super imminentem castris. *Audi Livium*: Ni M. Porcius Cato(*inquit*) ab iugo Callidromi, deiectis inde Ætolis, & magna ex parte cæsis (incautos enim & plerosque sopitos oppresserat) super imminentem castris collem apparuisset. *Prælium hoc, quo de agitur, Attilij Glabrionis & regis Antiochi, commissum anno Vrbis* DXLV., M. *Claudio Marcello*, T. *Quinctio Crispino* COSS.

Vehiculaque tædæ & sepi, & sulphuris plena.] *Eò quòd in similibus strategematis oleum incendiarium, sulphur, & pix vsui esse solent, mutare fortè quis posit illud* sepi *in* picis. *at eum puto contra mentem facturum nostri auctoris.* Sepum, sebum, & seuum *promiscuè vsurpabant veteres, pro pinguedine ex omento animalium, ex quo candelæ nostræ conflant. Inuenias quoque* seuo, seuas, seuare; *pro quo &* sebare *indifferenter scribebant. obuiæ voces apud Plinium, Catonem, Columellam non vno loco.* Exemp. 17.

Compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis.] *Præpositionem* in, *tanquam non magni vsus, tollere suaserim. natam autumo ex geminatione præcedentis liquidæ.* Exem. penul.

Ob eius ingentem exercitum 130. elephantos intentior.] *Ruit sententia, nî reponas,* ob eius ingentem exercitum, & 130. elephantos. CAP. V. exemp. 4.

Certior factus hostem inopem cõmercio laborare.] *Palmerio visum legendum esse,* commeatu laborare. Exemplo 14.

Molitus imbelles suorum.] *Neque mentem Frontini intelligo, nec quis strategematis istius vsus sit, video; ni emẽdemus,* amolitus imbelles suorum. *Remouisse enim Harridas videtur omnes, qui per ætatem arma ferre non possent; reliquis insidias & subsessas instituisse.* Exemplo 19.

Cum Lacedæmonij Athmon vallo ducto Peloponesον tuerentur.] *Verba hæc scriptoris mendosa esse, manifestissimum. Palmerio nostro proposui eâ horâ, quæ mihi vltimum cum eo viro conloquium præbuit. ille, quâ erat ingenij sagacitate, emaculanda vidit hoc modo:* cùm Lacedæmonij ad Isthmon vallo ducto Peloponesον tuerentur. *in quo diuinam illius coniecturam non potui non approbare; & probabis, scio, quisquis Plutarchum in Theseo, in M. Crasso, & in Arato, Strabonem libro* VIII. *Ptolemæum libro* III. *cap.* XVI. *Pausaniam, Plinium, alios consulueris.* Exemplo 26.

Ac deinde prima luce vocatis suis.] *Scribe meo consilio,* prima luce euocatis suis. *Ex iis quæ anteà diximus, iã aperta, scio, mendi origo: geminãda enim vocalis, quæ in fine præcedentis nominis delituit.* Exemplo eodem.

Pagos

Exemplo 28. Pagos quoque sub specie deditionis obtulerunt.] *Amicus meus emendari volebat* spathas quoque; *vel hoc modo*, sparos quoque. *Sed hic, quod manes illius condonent, ab eo non steti. videbar enim proximè ductum litterarum commodiùs ita restituere*, paganos quoque. *Semper belli militibus oppositi fuêre pagani, non in iure tantùm, sed etiam apud Suetonium, Vegetium; vbi me de iis dicere memini. Hoc ampliùs; non spatha, non spara, tela quæ scimus illa; sed qui Romanos à tergo nihil tale suspectantes, adorirentur inimici, in quæstionem hic veniunt.*

Exemplo 30. Et fide pacta hosti, facinus perpetraret.] *Coniecturam nostram ille admisit, qui mihi instar erat multorum. admittet, scio, quotquot animo attento Frontinum legerint. Emendo sic*: & fide facta hosti. *In recipiendo transfugâ pactione opus non est. ceterùm vt Adathantes hic (Plutarchus in Lucullo Olthacum vocat.) ingens illud atque strenuum facinus interimendi Luculli perpetraret, necesse fuit, sic vitam instituere, eos mores fingere, qui illum & castris Luculli, & familiaritate tanti viri non indignum præstarent. & hoc illud est, quod paulo pòst Frontinus noster innuit his verbis*, cùm deinde frequentibus excursionibus promptam & enixam operam exhiberet, fide acquisita tempus elegit. *Fidem ergo acquisiuit rebus gestis; in transfugiendo pactus non est.*

Exemplo eodem. Tempus elegit, quò missa principia quietem omnibus castrensibus dabant.] *Amicus noster scribendum censebat* remissa principia. *quod expendendum relinquo his, qui scriptos Frontini codices habent, aut postideà nanciscentur. mihi certè id pro gennino est. de principiis, id est, principibus seu principalibus militibus negligentiùs agentibus id accipiendum liquet. Vide Commentarium nostrum ad Vegetium.*

Exemp. 31. Cùm deinde Pompeiani securi seruatique pabulo de reditu cogitarent.] *Quot capita, tot sententiæ: aliis placet* securi saturiq. pabulo; *aliis* securi oneratique pabulo: *rursùm aliis*, securi serenatique cum pabulo. *de quibus omnibus eruditiorum esto iudicium. Interim paulo pòst pro eo quod vulgatur*, persecuti cæduntur; *vide reponendum ne sit* persecuti cæduntur.

Exemp. 32. Et in fronte, & vtriusque lateribus.] *Negligentia operarum error natus. scribendum*, & vtrisque lateribus. *Simile & illud eòdem hoc capite, exemplo* XXXVIII. tamquam Ilerdam repetiturum, *pro* repetiturus. *Item exemplo eodem*: inordinatos est adortus: *pro quo illi edidère* inordinatus. *Non absimile suspicor illud, quod sequitur einsdem huius capitis exemplo* XLII. à tergo ingressus

gressus itinere, oppressit fuditque : *pro quo substituere possis*, à tergo aggressus, in itinere oppressit fuditque. *Imò & in vltimo huius tapitis strategemate, quòd minùs sincera existimem auctoris nostri verba, sic legerim*, varioque flexu eluderent hostem. deinde vt primùm sensit minùs agiliter aduersam partem moueri, progressus, prælassatos facilè superauit. *Item lib.* II. *cap.* VI. *exemplo* V. *repone*, insecutus, *pro* insecutos. *& lib.* III. *cap.* X. *exemp.* I. eruptione, *pro* irruptione.

M. Crassus bello fugitiuorum apud Cathenam bina castra cominus cum hostium castris vallauit. nocte deinde commutatis copiis, manente prætorio in maioribus castris, vt fallerentur hostes, ipse omnes copias eduxit.] *Ita postrema Colonienſis editio, vt primâ fronte videtur, omnino absque suspicione mendi. nihilominus tamen, vt locum diligentiùs examinarem, militaris disciplina in causſa fuit. M. Crassus à Romano populo imperator missus contra Spartacum, legatum habuit L. Quintium: illum maioribus castris, in quibus prætorium erat, insedisse certum est, minoribus verò legatum. nunc vt de nocte copias illi commutârint, relicto, vt ait, in castris maioribus prætorio; habuerit hoc speciem aliquam & occasionem fallendi hostis, vt qui maiores copias illi vallo opposuerit, vnde maiorem hostium impetum metuebat. Sed quid nunc illo faciamus, quòd ipsum Crassum omnes copias eduxisse subdit? an hoc ex diuersis castris fieri potuit? nunquam hodie credam. Etenim commutatas copias fuisse falsum est. indicat editio Parisiensis, in qua non* commutaris copiis, *verùm* cõmunitis copiis *legitur. Immuto leuiter & corrigo* cõminatis copiis. *Valet autem* cõminare, *idem quod* cogere, in vna castra colligere. *Festus*: Agasones equos agẽtes, id est, minãtes. *Idẽ*, Agere modò significat ante se pellere, id est minare, modò significat iurgari. *Apul.* 9. *Milesiarũ*: Nam senex claudus, cui nostra tutela permissa fuerat, vniuersa nos iuméta, id horâ iã postulante, ad lacũ proximũ bibendi causſa gregatim prominabat. *Idem lib.* 7. Illi (*inquit*) vinarios vtres ferẽtes & gregatim pecua cõminantes. *Hæc illa sunt quibus coniecturã nostram stabiliendam ratus sum: nam quòd à Liuio huius belli scriptore, aut à Plutarcho in M. Crasso opẽ exspectabam, frustrà erat.* exemp. 34.

Triginta quinque millia armatorum eo prœlio interfecta cum ipsis ducibus, Liuius tradidit.] *Non licuit nobis esse tam beatis, vt à Liuio scriptam hanc historiam legeremus; quippe cum multis aliis illius auctoris scriptis, hæc quoque iniuriâ temporum interiit. Igitur Epitomen illius libri* XCVII. *audiamus:* Exemplo eodem.

M. Crassus

M. Crassus (*inquit*) prætor primum cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnauit, cæsis inimicorum XXXV. millibus, & duce eorum Granico. Cum Spartaco deinde bellauit, cæsis cum ipso millibus XL. *Locu expendant quibus plus otij est. dissentiunt enim hi scriptores de cæsorũ numero. Neq. ea tantùm varietas hoc loco cõsideranda; sed & quæ de nominibus ducum est, seu præfectorum militarium. Frontinus noster lib. II. cap. IV. exemplo VII. Ganimocum appellauit; vel, vt in aliis est, Tanonicum, quem hoc capite Gannicum nominat. eundem alij Cannitium vocandum censent; idq; ex Plutarchi Crasso: in quo non leuiter errant. Plutarchus enim Cannitium istum, Crassi, nõ Gallorum aut Spartaci partes secutum indicat. De bello hoc Spartacio, consulendi præter Plutarchum & Liuium, Appianus, Eutropius, Florus libro III. cap. XX. Orosius lib. V. cap. XXIV.*

CAP. VI. exemp. 4. Cum ad Thrasymenum incluſi Germani acerrimè pugnarent.] *Absit vt Germanos ad Thrasymenũ cum Hannibale congressos librarij nobis persuadeant. neque enim ij sunt Germani, vt contractam temeritate C. Flaminij cos. ignominiam, tam facilè patiantur in se deriuari. Emendo, incluſi Romani. ita iubent Liuius lib. XXII. Orosius lib. 4. Florus lib. II. Valerius lib. I. Silius lib. V. Plutarchus in Hannibale, & in Fabio: item Frontinus noster lib. 4. cap. 7. exem. 25.*

CAP. II. exemp. 5. Aurum quod parentes eius redempturi captiuam domum Scipioni attulerant.] *Exiguum est quod monebo; tamen facere non potui, quin monerem: scribendum videlicet,* domo Scipioni attulerant. *Vide Val. Maximum libro IV. cap. III. Liuium lib. XXVI. Gellium lib. VI. cap. VIII.*

CAP. XIII. exemp. 5. Deiecit se in alueum, eumq. in armis & vulneribus oneratus tranauit.] *Fuit qui hæc ita mutaret,* eumq. & armis & vulneribus oneratus. *quod ferrem facilè, ni Parisiensis editionis lectionem pessimam esse pronuntiasset; quam ego & genuinam & optimam esse probabo. ea talis est:* eumque non armis sed vulneribus oneratus tranauit. *Dictum illud* non armis, *quasi* non solùm, non tantùm armis. *de quo Græcismo dixi in libello De particulis linguæ Latinæ; eumq; magnos viros & in Ciceronis lectione imitatione; assiduos præteriisse ostendi; & parùm abfuisse, quin illorum temeritate Cicero in Verrinis vulnus acceperit. Vnum Ciceronis testimonium adhibere visum est ex ea pro Sextio:* Eaq. non silentio consulum dissimularentur; sed & voce, & sententia comprobarentur. *Similia qui volet, in Pandectis iuris obseruata; petat ex Antonij Augustini lib. II. Emendationum, cap. I.*

IN LIB.

In librvm III.

Tvm illos victoriam adeptos, cùm quadridui iter biduo arripuerunt.] *De perrependo vel exependo non sinit nos hoc loco cogitare eorum verborum significatio; vt quæ tarditatis sint, & testudineo gradui conuenientes voces. Caninam illam litteram malè geminatam arbitror: scriptum quippe à Frontino fuisse,* aripuerunt: *quod valet,* abripuerunt. CAP. I. exemp. I.

Fiducia conditi commeatus proprio tritico abusos, initio ætatis aggressus, inopia cõpulit ad deditionem.] *De hoc loco sententiam dico, vt suspensa manu, scribendum videri, properè tritico abusos. quanquam non immeritò, triticum proprium, & hoc frumentum quod ex fœdere acceptum condiderant, opposita dicere quis possit. Illud minimè prætereundum, τὸ* abusos, *non eam hîc notionem habere, quam vulgus putat, sed proinde esse, ac si dixeris Consumpsisse. Plautus Asinaria, Scena V. Vbi sunt:* Vbi sunt quæ dedit? abusa sunt. *Idem Bacchidibus, Scena* In Piræeo. *Similiter interpretatus doctissimus Adrianus Turnebus illud Terentij,* CAP. IV. Exem. VII.

Nam in prologis scribundis operam abutitur.

Eandem vocem ex optimis membranis nostris reposuissem in constitutione Imp. Iustiniani, ni præuenisset Ludo. Russardus, l. vbi adhuc, 29. C. de iure dotium: Ita tamẽ, vt eadem mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi viuente marito, & matrimonio inter eos constituto: sed fructibus earum ad sustentationem tam sui, quàm mariti, filiorumque, si quos habet, abutatur. *In vulgatis libris est* vtatur.

Index huius capitis procul dubio depranatus. quod enim vulgo editur, De fluminum deriuatione, & vitatione aquarum; *id neque idonea sententia sit, neque mentem auctoris exprimit. Corrigo igitur,* & vitiatione aquarum. *neque enim de vitandâ; sed de corrumpendâ, inficiendâ aquâ hîc agebatur. quod & res ipsa, & quod subditur Clisthenis strategema clamitat; his verbis:* mox afflictis siti restituit aquam elleboro corruptam. CAP. VII.

Caduceorum ciuitatem amne cinctam.] *Nullâ in re magis ineptiunt librorum descriptores, quàm in populorum nominibus; quos illi sæpe nouos dant; interdum non secùs atque Peliam recoquunt. Emendandum ex historiis eius aui,* Cadurcorũ ciuitatem. *Hi Cadurcenses quoque post appellati, vt videre est in Itinerario. Cæsar VII. belli Gallici:* Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos. *Ibidem, Lucterium Cadurcum summæ hominem audaciæ. Iterum libro* exemp. 2.

eodem, Rutenos, Cadurcoſque ad fines Volgarum depopulandos mittit. *Hinc videre eſt, non temerè nos in reſtitutione huius loci verſatos. qui volet, adiungat Ptolemæum lib.* II. *cap.* VII. *Plinium lib.* IV. *cap* XIX. *Strabonem lib.* IV. *Meminit horum Mantuanus quoque:*

Aluerni, Meldiqúe ſimul, forteſque Cadurci.

Narbonenſis prouinciæ Galliæ, & Aquitaniæ populi, & ciuitas Epiſcopalis in prouincia Bituricenſi Caors.

Exemplo 4. Foſſam pariter & aggerem inſtituit, vt in vſum eius exiſtimarent homines egeri terram.] *In Pariſienſi editione erat*, aggeri terram, *quod aliis non placuit. Verumtamen, quamquam ferri hoc poterat (vſitata enim ſcimus Planto, aliis Rom. ſcriptoribus* aggerere bona, aggerere aquam, aggerere herbas;) *nobis tamen libet verum eſſe*, aggerari terram. *Ex multis teſtimoniis quæ ſuppetunt, pauca tantummodò dabimus. Q. Curtius lib.* IV. Profundum mare quod vix diuina ope poſſet impleri: quæ ſaxa tam vaſta, quas tam proceras arbores poſſe reperiri? exhauriendas eſſe regiones, vt illud ſpacium aggeraretur. *Arnobius primo libro Aduerſus gentes:* Quæ gentes famem ſenſerint horridam, & aggerata interierint vaſtitate. *Apuleius ſecundo de Aſino:* Ac ſic aggeratis in cumulum ſtragulis & effultis incubitum.

CAP. VIII. exemp. 1. Philippus cùm Trinaſſum caſtellum nudâ vi capere poſſet.] *Vidi editiones, quæ* Teenaſſum *appellarent. alij* Trineſſum *& gentiles eius Trineſcos vocaſſe videntur. Adi Stephanum & alios. & pro* nuda vi, *ſubſtitue*, nulla vi. *operarum nempe culpâ mendum illud enatum eſt.*

CAP. IX. exemp. 2. Aquarum ſono, qui operis ſtrepitum obſcurabat.] *Longiùs videbatur petitus hic tropus: quare locum ſuſpectabam: ac primùm*, obturabat *reponi poſſe credebam. ceterùm in eo nondum mihi potui ſatisfacere.*

Exemp. 3. Eripi poſſe caſtellum.] *Parùm abeſt quin legendum cenſeam*, crepi poſſe in caſtellum. *De eo quod ſubſequitur, liberiùs pronuntiabo:* vt proſpectus viſuſque per ſaxa facilior foret. *nimis hoc ineptum, nimis, inquam, abſurdum. quapropter reſcribe*, proſpectus niſuſque. *Hanc emendationem Criſpo Salluſtio debemus: qui in Iugurthâ, dum præſens enarrat ſtrategema*, modò eminentibus *(inquit)* ſaxis niſus Ligus. *item paulo pòſt*, capite atque pedibus nudis, vti proſpectus niſuſq. per ſaxa facilior foret. *Iterum ibidem:* quæ dubia niſui videbantur potiſſimùm tentare. *quinimò Frontini noſtri verba ſubſequentia hanc emendationẽ planè confirmant:*

ait enim,

ait enim, quibus in ascensu nitebatur. *Curtius lib.* VII. Nihil tam altè natura constituit, quò virtus non possit eniti. *Idem*: Per has difficultates enituntur in verticem montis.

Opperirenturq. tempus, quo ipse noctu appelleret.] Exemplo 4. *Si retinemus τὸ* noctu, *nullus haud dubiè usus erit istius doli. neque enim is oppidanorum mos est, portis patefactis hosti aduentanti de nocte occurrere. quæ res facit, vt libentiùs legerim*, interdiu appelleret. *Nihilominùs vt cetera omnia, itidem hoc iudicio doctiorũ lubens meritò relinquo: & videant iidẽ illi sitne paulò inferiùs reponendum*, impetum fecerunt, *pro eo quod vulgò circumfertur*, impetũ facerent.

Cùm constituerent.] *Mirum ni Frontinus scripserit*, quò Exemplo 6. cùm confluerent. *vel sic*, cumque eò confluerent.

Aliqui & iumentum in aduersam partem infulserunt.] CAP. XIII. exemp. 4. *Facile sit adferre verbum rei significandæ conueniens: sed impudens planè sit à libris discedere, si sententia constitui possit ex iis, quæ isthinc suppeditantur. Ora Parisiensis editionis habebat*, auersam partem inflixerunt. *miror inde non potuisse emendari ab amico nostro, qui fatetur sibi N. L. poterat enim sic*, aliqui & iumento in auersam partem inflixerunt. *vel hoc modo*, aliqui & iumento auersam partem inflixerunt. *coniuncta nimirũ cum verbo veteri* Fligo, *præpositione, quæ tamen casum præcedentem regat. Eadem hallucinatio & in Curtij lib.* VII. Idem Asiam, & Europam finis interfluit. *De Tanai fluuio illa dicuntur. Veram & genuinam scripturam esse præstabo, quam in membranis repererant alij, quamq; malè illi repudiârunt. hanc scilicet*: Idẽ Asiæ & Europæ fines interfluit. *Certè vsitata, imò & Curtiana phrasis; libro* III. Pinarum (*inquit*) amnem, qui duo agmina interfluebat. *Idem lib.* VII. Viginti millia latronum erant, fundis sagittisq. pugnam inuadunt. *Idem lib.* IX. Ne infregeritis manibus meis palmã, qua Herculem, Liberumque patrem, si inuidia afuerit, æquabo. *Iterum libro eodem*: quàm procul abessent mari. *Pari phrasi ab illo scriptore dictum illud lib.* V. Persequi idipsum iter, quo pridie pulsi fuerant, ne dubitaret. *quo loco quàm varient codices, quàm æstuent correctores, non est nunc pretium operæ referre.* Redeo vnde discesseram. *Iumento in partem auersam litteras quandoque inflixisse, id est per posticum commisisse, ait noster Frontinus, donec transissent stationes hostium. idem innuit, quod proximè præmissum est*, pecoribus quidam insuerunt litteras.

Vt cruribus velut gubernaculis dimissis.] *Scribe* de- Exemp. 5. missis.

CAP. XIIII. exemp. I. Vigiles quosdam excitauit.] *Legendum meo quidem iudicio* excluit. *non hoc primùm est, cùm hæc verba* excitare *&* excire *in mutuum locum immigrârunt. Deinde quis hoc toleret, cui vel mica salis insit; à tribuni cornicularius, vel à circatoribus vigiliarum vigiles excitari? Apuleius* VIII. *De Asino, extremo:* Tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum, cantusque Phrygij mulcentibus modulis exercitus, procurrit obuiam. *non est per sententiam, vt aliter iste auctor scripserit, quàm* modulis excitus. *Cic.* III. *Officiorum:* Sùntne igitur insidiæ, tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis, nec agitaturus? *malim,* excituras. *Idem verbi videbis restitutum auctori De viris illustribus à doctissimo adolescente Andrea Scotto. Lubet ad alios quoque scriptores excurrere; & Q. Curtio Rufo duo vulnera obligare: imprimis lib.* VIII. Itaque protinus iniicit fratri manum, & in regiam peruenit: excitisque custodibus corporis ad salutem regis pertinere, quæ adferret, adfirmat. *Iterum libro eodem, paucis admodùm interpositis.* Ptolemaum ac Leonatum excubantes ad cubiculi limen excitauerunt. *vbi vulgò legas,* excitatisque excitauerunt.

CAP. XV. exemp. 4. Quia frumento defici videbantur, horrea tota nocte circumduxerunt: captiuos deinde præcisis manibus dimiserunt.] *An nè mirum est depranatissimam illam interpunctionẽ adhuc non mutatam? repono* horrea tota nocte circumduxerunt captiuos: deinde, *&c. phrasim, scio, animaduertis; de qua nos paulo antè egimus.*

CAP. XVI. exemp. 2. Etiam ex consuetudine vt socij exciperentur.] *Distractione prioris vocis sententiam iuuo,* Et iam ex consuetudine.

Exemp. 3. Per tempus idoneum datis pollicitis.] *Iam dim illa* pollicita data *erant: boni correctores, cùm figuratam verbi* ducere *significationem non caperent, aliò, nescio quo, nos abducere conati sunt. eos sequatur qui volet: ego hîc consisto; & reperi qui ad meas partes accederent; scriptum videlicet à Frontino fuisse,* ductis pollicitis. *Vt liquidiùs de re iudicare possis, en in promptu testimonia. Cæsar:* ducere diem ex die Hædui. *Cicero:* suadere institui, vt bellum ducerent. *Par phrasis illa Curtij:* Trahendi belli vix vllam esse rationem.

Exemp. vlt. Qua spe simulatos Thracas emisit.] *Vide rectène cõstituta sit sententia adiectione vnius litteræ,* spe stimulatos. *Curtius lib.* IV. satisque omnibus stimulatis opus orsus. *quo loco legendum aliquando putaui,* satisque. *ceterùm non id iam agitur. Iterum Curtius lib.* VII. tandemque eodem metu stimulante. *Denique nemo non*

non dixit, spe, metu, pollicitis, præmiis stimulari, incitari, &c.

Cùm exemplum hoc suspectum mihi esset de mendo, idq; de disciplina militari cognitum haberem, pluribus copiis minora interdum castra fieri solere, quò hostes lateret militum numerus; eò coniectura ductus sum, vt emaculandum putarem hac ratione, in castris, quæ arctiora solito industria fecerat; pro, ampliora solitò. pòst vidi & historiâ ipsâ castramentationem illam, quam suspicatus fueram, comprobatum iri. Cæsar v. belli Gallici: Consedit (inquit) & quàm æquissimo loco potest castra communit. atque hæc etsi erant exigua, per se vix hominum millium septem præsertim nullis cum impedimentis; tamen angustiis viarum quàm maximè potest contrahit; eo consilio, vt in summam contemptionem hostibus veniat. CAP. XVII. Exemplo 6.

Quare prælio aptatos.] Dicam quod suspicor, legendum videri, qua re prælio captato. interim audituros quid sint dicturi alij. Exemplo eodem.

Continendo militem iuxta munimenta.] Error, ni fallor, ex notis, quibus olim vtebantur librarij. corrigendum indico, intra munimenta. Neq; illò sola coniectura me duxit, sed auctoritas ipsius Cæsaris, à quo didici, Q. Titurium hunc Sabinum legatum suum, etsi idoneo omnibus rebus loco, tamen castris sese tenuisse: eaq; re non solùm hostibus Gallis in contemptum venisse; verùm etiam Romanorum militum vocibus nonnihil carptum. Cæsar libro III. belli Gallici. Exemplo 7.

In librvm IV.

Qvo facto, quos tum habebat.] Locus dubio procul non integer: quem vide, si de coniectura rectè emendârim, quos secum habebat. CAP. I. exemplo 8.

Magnum de hoc exemplo certamen, & in quo perpurgando duos scio amicos meos operam posuisse. in libris vulgatis ita editur, M. Cato memoriæ tradidit in furto comprehēsis, inter cōmilitones dextras esse præcisas; aut si lentiùs animaduertere voluissent in principes, sanguinem missum. Fuit qui abiectis primùm verbis illis, inter cōmilitones, reliqua sic legeret & interstingueret: aut si leniùs animaduertere voluissent, in principiis sanguinem missum: quòd præter alias notiones, principia locum in castris denotent, vbi & aperta vena hanc animaduersionem in milites exercuerint. eam opinionem aliter quoque approbauit. Attamen alia mihi stat sententia, & quod liberum semper fuit, ab amicis hîc dissentio. nam ab eo quod editiones vulgatæ expressum habent, nihil abiicio: & quod amplius est, nihil immuto; nisi forte legi mauis, at si lentiùs animaduer- Exemplo 17.

tere voluissent in principes. *Sic enim exemplum totum accipio, vt principes seu principales milites, qui primilegiis muniuntur, opponantur gregariis, contubernalibus, quos hìc à Catone Commilitones appellatos reor. Præterea acerbior pœna, ac subita magis, præcisio dextræ: lentior, vel (si aliam lectionem hactenus amplecteris) lenior animaduersio, quæ sanguinis missione infertur. de qua pœna nos ad Vegetium, & multis vir clarissimus Antonius Muretus in suis Variis.*

Exemplo 21. Qui exercitum deseruerant damnati.] *Perlibenter nomen* exercitum *abiecerim, quòd sciam apud antiquos ferè absolutè* deserendi *verbum, itidem* desertorum *vsurpari. testes mihi Iureconsulti nostri plus mille locis. eam phrasim ope veterum codicum, & apud Vegetium reposui, & in quadam constitutione Codicis Iustiniani. Cetera ne longius abeamus, ipsum potiùs Frontinum in causa propria aduocandum puto, hoc eodem capite, exemplo* XVIII. certum (*inquit*) si deseruissent, manere supplicium.

Exemp. 27. *Exemplum istud aliis persanandum relinquo. Verba illa,* ne auxilia ei submittantur: *S. littera geminata sic repono,* ne auxilia eis submittantur. *è reliquis vix ipse Frontinus, si proponantur vt nunc sunt, se expedierit. Consulendi Historiographi, & ipse Frontinus libro eodem, capite eodem, exemplo tertio à fine. Item Liuius & Valerius Maximus lib.* II. *cap.* VII.

exemplo 29. Quorum stationem hostis perruperat, galeatos & discinctos perstare in principiis iussit.] *Aliud profectò latet in his verbis,* galeatos & discinctos, *quàm arbitrere. A'nne galeam Frontinus illi reliquerit, qui iam antè militari cingulo à Sullâ priuatus est? nunquam inducar, vt credam. mutanda fortè vulgata lectio,* discalceatos & discinctos perstare in principiis iussit. *Frontinus exemplo superiori:* cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus, in principiis quotidie stare, dum vigiles venirent, iussit. *Paribus ferè verbis Valerius Maximus lib.* II. *cap.* VII. Iussit eum toga laciniis abscissis amictum, decinctaque tunica, nudis pedibus à manè in noctem vsque ad principia, per omne tempus militiæ adesse. *Suetonius Nerone:* prodierit in publicum, sine cinctu, & discalceatus.

Exem. vlt. Stipendium ei annuum non daretur, æraq. rescinderentur.] *Ora libri Parisiensis habebat,* numeroque rescinderentur. *Id si recipiamus, de vi Frontinus agere posßit. qui enim numero rescindebantur, milites innumeri è matricula sublati dicebantur & milites esse desinebant. at de his nihil minùs quàm somniauit hoc loco Frontinus: agit enim de iis, quos alij Æredirutos vocârunt. de quibus nos in*

Commen-

Commentario ad Vegetium. Tum pro vulgata scriptura testimonium, præter alios dicet Valerius Maximus dicto cap. VII. neq. stipendium anni procedere, neque æra dari voluit.

Rutilianum quendā minorem.] *Res periculosa est, fateor, absque veterum codicum adiumento in emendatione scriptorum versari: pergam tamen vt cœpi, quod felix faustumq; sit; reponamq; quanquam minorem. Cui optio dabatur duorum exercituum, enm elegit, quem disciplinâ præualere intellexit, etsi numero inferiorem.* CAP. II. exemp. 2.

C. Cæsar seditionem in tumultu ciuilium armorum.] *An retinendum sit, vò seditione, aliis considerandum relinquo.* CAP. V. exemp. 2.

Inde optima spolia retulit.] *Dij vobis malefaciant audacissimi nebulones, qui bonis scriptoribus corrūpendis ita sedulam nauatis operam. Emendo,* opima spolia: *quorsum enim illa præcedentia, ducem quoque eorum trucidauit? Ea spolia opima quæ dux duci detrahebat. testes mihi Liuius, Plutarchus, Festus, alij. inter quos Varro: qui tamen illius vocis significationem amplianit. Non absimile mendum in* II. *Apuleij de Asino.* mittit mihi Byrrhena xeniola, porcum optimum, & quinque gallinulas. *scribo,* porcum opimum. *Apud eundem Apuleium paulo pòst,* non paruas stipes, imò verò mercedes optimas iam consecutus. *iterum legerim* opimas. Exemp. 4.

Vt centum denariis murem venisse proditum sit.] *Ampliant & addunt ad eam summam alterum tantum Plinius lib.* 8. *Naturalis Historiæ cap.* LVII. *& Valerius Maximus lib.* VIII. *capite* VI. *Verum enimuerò an iis accedendum sit, restituendumq; ducentis denariis, ipsi viderint.* Exemplo 20.

Æginenses, cùm à Viatotis liberi & coniuges cæderentur.] *Qui illi Viatoti, sine vt in Parisiensi editione erat,* Viathori *essent, ignorabam fateor: quare super eo nomine Ianū Palmerium nostrum quoque consului, qui verbis scriptoris huius lectis ac relectis, respondit legendum videri, cùm à Bœotiis liberi. neque Apollinis magis verum atque hoc responsum fuit. De Bœotiis Strabo lib.* IX. *Ptolemæus lib.* III. *Pausanias, alij. Sunt etiam qui Æginenses illos, Æginenses potiùs nuncupandos arbitrantur, ab Ægio oppido Peloponensi.* Exemp. VII.

Quarum iactus & pondere foret noxius, vt diffundendo quæ cōtinuerant alimentum præstarent incendio.] *Germana Frontino scriptura, atque distinctio reddenda, & pondere foret noxius, & diffundendo quæ continuerant, alip. incendio.* CAP. VII. exemplo 9.

Tigracus cùm edixisset futurū, vt ex Volonum numero.] *Eā quàm portentosa nomina innexerint inepti illi, monstrorum* Exemplo 24.

potiùs, quàm hominum digni nomine. Voces quæ coaluerunt ex notis, ita distrahamus Ti. Gracchus. *illis verò librariis non fortunam ea-sumq; seditiosorum Gracchorum; sed mentem meliorem optemus. Nihil erat hac emendatione facilius: quare miror tot correctores hoc mendum non animaduertisse.*

Exemplo eodem. Totum sibi exercitum Volonum vicisse videri, quòd hostes fugissent, & sic eos, & sua fide, & ipsorum metu exsolutos recepit.] *Ad oram libri Parisiensis pro* fugissent, *adscribi fuissent non sum nescius. at non video quâ sententiâ id recipi possit. Legerim potiùs,* fecisse videri. *vel hoc modo,* misit qui eis dicerent, id totum exercitũ Volonum fecisse videri, quod hostes fugissent. *Liuium consule libro* XXIV. & *videbis non vsquequaque cum Frontino illi conuenire.*

Exemp. 29. Vt delectos ex toto exercitu.] *Mirum, nî procul in suas terras hinc ableganda particula* vt: *ac paulo pòst legendum* iubere, *pro,* iuberent. *quem ad modum reliqua verba infinitè ponuntur subsequentia,* armare incipere.

Exemplo eodem. Qui velocissimi videbantur, & mediocris staturæ erant, parmulis non amplis.] *Pro* parmulis *scribi voluêre Parisienses,* spathulis. *sed crassus ille error est. Audi quæ postea his velitibus arma auctor noster tribuit,* galericulis, gladiisque ac septems singulos hastis quaternorum circiter pedum armare. *Parmulam, id est, minorem clypeum, tripedalem scilicet, & breuiorem, quàm erat equitum, velites gestasse, ad Vegetium doceo ex Liuio, Valerio Maximo, Orosio, Eutropio.*

Exemplo 32. Ora oculosque eorum gladiis peti iussit; & sic aduersam faciem cædere coëgit.] *Caueris credas Frontini hanc scriptionem esse. quid enim dicent illa,* ora oculosque petere, *ab his,* aduersam faciem cædere? *vide quantas turbas det vnius voculæ immutatio, vel adiectio litteræ. corrigo, & sic* auersâ facie cedere coëgit: *volentibus historiographis, & sententia idipsum flagitante. Tria enim hominum millia à Cæsare ad hoc dilecta atque instituta memoriæ proditum est, vt longioribus telis, nobilium Rom. qui à Pompeio stabant, non crura, aut femina; verùm oculos & vultus obnixè peterent ac ferirent. Inde vt iuuenes illi coma, & ætatis flore decori ferrum ante oculos versari viderunt, statim abiectis animis, faciem auerterunt, ac fugientes cæsi sunt. auctor Plutarchus in Pompeio; iterum in Cæsare. Appianus* II. *De bello ciuili; item alij.*

FINIS.

LOCA

LOCA ALIQVOT
A
FRANCISCO MODIO BRVGENSI
IN
SEXTO IVLIO FRONTINO
OBITER NOTATA.

Libro primo.

NEMINI volebat commissum.] *Ita emendandi, cùm anteà passim legeretur*, quia hoc nemini volebat innotescere cõmissum, nihil nuntio respondit qui ad eũ à cõsilio erat missus, tamen *&c. Primum enim illud* innotescere, *in quodam impresso (mss. enim huius auctoris libris deficimur)* nõ erat: *& illud* à filio, *verũ esse, testãtur omnes Rom. rerũ scriptores, & in iis Liuius lib. 1. Decad. 1.* CAP. I. Exemplo 4.

Natione Cyrrestem.] *Alij*: Tyriestem. *sed frustrà sunt. Cyrrestes dictus à Cyrro, vrbe Syriæ: de qua re vide Stephanũ De vrbibus, & Ios. Scaligeri diuinas ad M. Varronis cap. v. lib. III. de re Rust. annotationes; seu oracula sunt.* Exemplo 6.

sub quibus.] *Non placet hoc, nec habeo quod dicam aliud, sed tamen non placet. vtique, cùm præcedentia alij sic legant*: profectionis suæ sensus obtexuit Galliarum. Exemplo 8.

vereris ne tubam.] *Rom. editio*: vereri se ne tuba id audiat: *ora libri Wecheliani*, vereris ne tuba id audiat. *illud tolerabile, hoc minimè.* Exemplo vlt.

intellexit quod.] *Deest* coniunctũ, vnitum, *aut simile quid.* CAP. II. Exemplo vlt.

neque obsidioni.] *Tolerandæ scilicet. Aliàs legitur* subsidioni; *& mox* amandandi, *pro* emittendi. CAP. III. Exemplo 6.

assecutus est vt Poro.] *Ita procul dubio scribendum; & nugas agunt, qui legunt*, & vbi eo more exercitationis assuetus est, quia Porus aduersa ripa caueret. CAP. IIII. Exemplo 8.

Monœcium traiecit.] *Quî potuit? Monœcus Liguriæ portus cùm sit, teste Plin. lib. III. cap. v. sine, si Lucretio credimus, statio potiùs, nominis ratione ab Hercule sortita, qui prope eũ locũ habebat ædẽ, in qua solus colebatur? omnino est restituendũ* Monychium, *siue* Munychiũ, *aut certè* Munychiæ: *est enim Munychia tumulus oris angusti, à quo protendebatur murus 40. stadiorũ longitudine, Athenas cum Pyræeo duobus* CAP. V. Exemplo 7.

duobusq; aliis portubus connectens. vide Plutarchum in Phocione. Dicta & Diana Munychia, quæ apud Pygellam colebatur. Strab. lib. XIV.

Exemplo 11. similibus fossis c.o.t.d.t. castra confodit.] *Aliæ editiones:* sublimibus fossis c.o.t.d. castra confudit. *non placet.*

Exemplo 12. locóque iniquo circumuentus.] *Benè quòd idem hoc exemplum lib. IV. cap. V. iisdem verbis repetitur. hîc enim vocibus aliquot, quas nos inde supplenimus, truncatum, absque vllâ idonea sententia ita legebatur:* prædatum profectus ad Hasdrubalem, & ad primos tantùm *&c.*

illas quoque angustias.] Ille *vulgato in* illas *commutato, & reliquis ita constitutis, vt editiones vett. legebant, locum emendani. qui anteà in impressis omnibus (& iam de iis loquor, qui proximis quinquaginta, sexaginta annis, prodierunt) malè ita circumferebatur:* Ille per angustias, noctu eruptione facta cùm eluctatus esset, Decius incolumis cum militibus consuli accessit.

Exemplo 15. Qu. Cœditium.] *Vide Agellij, sive A. Gellij, Noctes Atticas lib. III. cap. VII.*

Calpurnium Flammam.] *Pro cognomine huius Calpurnij irrepserat in libros vox* fama: *sed pessimè. vide Florum cap. 2. lib. 2. & Plinium lib. XXII. cap. VI.*

Exemplo 16. Caudinæ cladis.] *Aliæ editiones;* Claudianæ c. *Sed fugit eos ratio; dignioresq; sunt ad furcas Caudinas qui ablegẽtur, quàm qui in officinis typographicis præsint; qui nobis ita contactu suo omnia fœdant.*

Exemplo 17. ad exercitum hostium.] *Forte an leg.* ab exercitu h.

Exemplo 20. in Vesuuio obsessus.] *Hæc proculdubio vera lectio est; quidquid illi insaniant, qui modò* Lesbio, *modò* Besbio, *modò denique* Vespio *portenta mera, non montium nomina hîc somniant. vt enim Plutarch. (in M. Crasso) nomen ipsum montis non ponat, coniiciendum tamen relinquit, ex descriptione eius, non alium se quàm Vesuuium (qui Campaniæ non Liguriæ, vt Sernio placet, mons est) seu Vesenum, (vtroque enim nomine censetur) dicere; atque eum Vesuium, de quo Plin. cap. 5. lib. 3. quem vide.*

Clodium ita terruit.] *Habẽt pleræq; editiones,* gladio ita terruit: *quam lectionẽ cùm meras nugas viderẽ, considerani diligentiùs; & ni fallor, non id quod pueri dicunt, sed germanã Frontin. iscripturã, quæ est ea quam expressi. Clodius enim Glaber prætor is fuit, cuius à Spartaco ex Vesuuio erũpente, & copiæ profligatæ, & castra capta sunt. Plutarchus in M. Crasso, & Florus lib. 3. ca. 20. cuius verba adscribã, quòd ea & huic & superiori proximæ emendationi ita cõfirmandæ sint, vt spere nullũ deinceps scrupulũ in animis hominum de his quidẽ relictũ iri. Sic igitur Lucius:*

cius: Prima velut ara viris mons Vesuuius placuit: ibi cùm etiã obsiderẽtur à Clodio Glabro per fauces caui mõtis &c.

L. Varino.] *Variè huius viri prænomen, sicut & nomen traditur: dum aliis hoc modo nostro scribitur, cum quibus Plutarchus facit: nisi quòd* Publij *non* Lucij *eidem prænomen esse vult: aliis magis placet* Q. Varium *vocare: à quibus stat epitome Liuiana: nonnullis etiam* L. Varinium *appellare, potiùs sedet.*

cruta veste contegere.] *Melius hoc quàm Parisien.* c. v. Exemplo 25.
contingere.

certa Fabio.] cuncta Fabio renuntiassent, *alij. & audebo* Exemplo vlt.
dicere, rectè: quid enim certis renuntiatis, & quod res erat, insidias metueret Fabius?

suffugere & iter.] *Alij,* fugere. *quidã etiam,* sufferre. *sed rectè* CAP. VI. exemplo 2.
nos. suffugere *hîc est, non re verâ fugere. sed fugæ speciem præbere.*

rates consternerentur.] *Pessimè quidam,* r. continerentur. CAP. VII. Exemplo 2.

vtilior e. t. q. s. c. potuisset.] *Aliàs,* vtiliore e. t. q. s. c. vo- Exemplo vlt.
luisset. *minùs eleganter. Vide Curtiũ lib. 7. longè aliter hæc narrantem.*

ad Sitium mouerent.] *Quidam* à Samnium; *sed parũ bene* CAP. VIII. exemplo 3.
& hi & illi. aut enim Liuij monimenta auctoritate primendum est; aut legendũ, copias ad Clusium mouerent. *Sic enim ille lib.* x. *Dec.* I. *(Fabius puta & Decius)* Fuluio vt ex Falisco, Posthumio vt ex Vaticano exercitum ad Clusiũ admoueant, summaq. vi fines hostiũ depopulentur, scribũt. Huius populationis fama Hetruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos mouit. *Neque Liuius tantùm, sed & res ipsa ita scribendũ clamat. enim* Sitium *vrbem arbitror te, nisi in Vtopia, nusquã terrarũ posse inuenire. &* Samnium *legi non debere, ex eo palã est, quòd tum Samnites ad sua tuenda dilapsuri fuerint; non Hetrusci, quorũ finibus exercitus Samnio (quæ regio Italiæ, inter Picenum, Campaniam, & Apuliam est) admotus, damno esse nequiret. quæ ratio in Clusio Thusciæ, sine Hetruriæ oppido, cõtraria est. Erat autem & in Vmbria antiquitus Clusiolum oppidum; cuius meminit Plinius lib.* III *cap.* XIV. *quem etiam consulendum censeo cap.* v. *eiusdem libri de Clusinis nouis, & veteribus Hetruriæ populis.*

& sonum iussit continuare.] *Inuẽni ad marginem Colon.* Exemplo 9.
edit. & sonum iussit, cõtinuere se & arbitrarij *&c. omissis illis,* quos retentos volebat. *quæ & ego semper vt à mala manu profecta suspectani; ideoq; legendum conieci,* agi mulos cum fremitu & sono iussit, & continuere se illi arbitrati castra Cæsarem mouere. *neque me adhuc coniecturæ huius pænitet.*

aduocato in Cariam.] Leg. auocato in C. Exemplo vlt.

nocenti-

CAP. IX. Exemplo 3. nocentibus attenderunt.] accesserunt, *alij. malè. & malim ego* intenderunt.

CAP. X. Exemplo 1. naturam Romanarum.] *Vocem* naturam *in recentioribus omnibus siue incuria, siue iudicio alicuius sine iudicio correctoris, omissam, ex Rom. antiq. Imp. lib. in locum suum reposui. sine qua totum hoc ineptè ita legebatur:* Iam, inquit Sertorius, Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum ostendi, milites: *&c. cassa nux.*

CAP. XI. Exemplo 3. vt decimam t.p.f. t. cogeret & cæteros puderet.] *Ad oram libri mei erat*, vt decimani t.p. f. t. cogerentur & cæteri pudore ne *&c. sequor te, quicunque es. Porrò vide hac de re Cæsarem ipsum, lib. 1. de bello Gall.*

Exemplo 6. in seruitutem adductis.] *Legerim lubens*, in s. abductis.

Exemplo 10. Lucum ex quo.] *Liquet mihi ita legendum: apage igitur illud* locum, *quod vulgò hunc locum occupauit.*

Exemplo 12. ex Scythia.] ex Syria *alij. quod vt hoc tempore in medio relinquo (etsi, cur relinquā, cùm ex Plutarcho in Mario cōstet, mulierem hanc & natione Syrā, & nomine Marthā fuisse) ita malè quosdam* magam *pro* sagam *hic reposuisse aio. Magi enim qui sint, scio; magas nescio.*

CAP. XII. Exemplo 1. ludite, inquit, milites.] *Alij* audite inquit m. *mihi neutrum satis placet.*

Exemplo 3. adhortatusque deuicit.] *Fortè:* adortusque d.

Exemplo vlt. ineunda pugna est.] *Quidam:* iucunda p.e.

LIBRO SECVNDO.

Ex Prafatione. Et eorum.] *Mutani distinctionē, cùm legerent omnes,* & deinde ea quæ post prœlium & eorū quæ ad prœliū *&c. malè. Neque enim dicturus est de speciebus eorum, quæ ad prœlium pertinent, vbi de iis egerit, quæ post prœlium agi solent, cùm id nec rectè nec ordine fieri possit: sed postquam de quibus acturus est indicauit, quæ sunt ea ipsa, quæ in prœlio, aut post prœliū facienda sunt, tum subiungit,* & eorum quæ ad prœlium pertinent species sunt; *quæ sequuntur: scilicet tempus & locum pugnæ eligere, aciem peritè instruere, insidiis hostem circumuenire, aliaq; de quibus hoc libro acturus est.*

CAP. I. Exemplo vlt. apud Ægospotamum.] *Alij* Ægeopatamon, *quidā* Egeopotaneos, *nonnulli* Ægeopotamos. *ego secutus sum Stephanū, cui αἰγὸς ποταμὸν (sonat Latinis* capræ flumen*) oppidum ad Hellespontum est, à vicino, vt puto, flumine nomen habens, qui Ægos vocatur: Plin. cap. 58. lib. 2. & cap. 2. lib. 4. & ad cuius ostia scimus classem Atheniensium à Lysandro captam fuisse. vide Plutarchum in Lysandro.*

CAP. II. Exemplo 4. auersumque & eorundem partem perturbantem.] *Sic videor partim ex libris, partim de coniecturâ rectè emendasse, cùm legeretur*

geretur peßimè, aduersumq́. & eorundẽ partem peditũ turbatã insequutus. *peßimè inquã. quod ego correxi, cùm* perturbantem *in quadã editione inuenissem, litera vna ex voce* aduersumq́. *abiecta.*

cornibus confligatis.] *Puto leg.* c. profligatis. *Nihil tamen volui contra omnium librorum consensum loco mouere.* CAP. III. Exemplo 5.

Baleares Maurosque.] *Plurimi*, barbaros Maurosq́.; *quasi non omnes sint æquè barbari. Liuius:* Hãnibal ad terrorẽ primùm elephantos (LXXX. autẽ erãt, q. n. v. i. a. a. h.) instruxit, deinde auxilia Ligurũ Gallorumq́., Balearibus Maurisq́. admistis. Exemplo 16.

retrò vel in latera.] *Alij:* rectà vel in latera concederent. *quod manauit à Liuio: in quo est*, vt ad impetum elephantorum aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram læuamq́ue discursu *&c.*

quorum pernicitati.] Q. peruicaciæ, *alij. & rectè: desperatione enim veniæ, verisimile est tales Italicos fuisse.* Exemplo 17.

tum prosignanis.] Tum postsignanis, *quidam. & ita videtur legendum planè. Vegetius lib.* II. *cap.* VI. in secunda acie post aquilam & imagines cohors sexta *&c.*

palustri prœlio Pharsaliæ.] *Hoc mihi merum ænigma est. videant & cõsiderent ampliùs, si quibus Hortensii sphynx domi est. à libris enim hactenus adiuuamur, vt alij etiã*, palestrialis, *alij* palepharsali *referant. quæ talia sunt, vt etiã magis mihi aqua hæreat: suspicabar igitur legendum* illustri prœlio. *sed somnium hoc merum.* Exemplo 22.

sed deinde c. i. s. r ad res subitas.] Ad res futuras, *alij. inficetè. legerim etiam lubenter & hîc & in seqq.* sed dextro latere *&c. & sex vtrobique pro* sed, *quod minùs conuenire videtur. Qua de re consulatur ipse Cæsar* III. *de bello Ciuili.*

refugiendo diducerent.] *Optimè ita. malè igitur alij;* refugiendo reducerent. *sententia enim postulat verbum quod sparsum equitem significet;* diducendi *autem huic rei vnicũ. Sic Cæsar lib.* VI. *Bel. Gal.* Dimittendæ plures manus, diducendiq́ue erant milites. *Porrò putem etiam in fine omisso τῷ* non, *legi posse*, ne quis locus eius victoriam moraretur: *pro* ne quis non locus eius victoriam miraretur. *etsi melius hoc est.* Exemplo 23.

Romani fiducia concitati.] *Alij:* Romanis f. concitatis. *sed quò tum verbum* propulêre? CAP. IIII. Exemplo 1.

Ætolis qui præsidio.] *Intricata lectio; nec in libris auxiliũ. nam quod quidam pro* Ætolis, Calliodromiacolis *habebant; id etiam à portento (nisi fortè* Callidromiaccolis *ex eo faciendum est) propiùs abest. Legerim tamen ego ex Plutarcho (qui sexcentos Ætolos cacumi-* Exemplo 4.

nibus

nibus Callidromi montis ab Antiocho præsidio impositos, à Catone profligatos scribit) deiectis iugis Callidromi montis Ætolis, quorum præsidio tenebantur: *aut certè*, qui ea præsidio tenebant. *Malimq; etiam posteà* super imminentem regiis castris collem, *quàm*, superemminentem. *Considerent docti.*

Exemplo 7. apud Calamarcum.] *Alij*, apud Calamatiũ. *de quibus nihil scio, nisi nescio. Plutarchus sanè horũ non meminit: sed hoc dicit tantùm, quæ hîc narrat Frontinus, non procul à stagno Lucano accidisse.*

Castum & Canimocũ.] *Alij*, Castrũ & Tanonicũ. *Sed videtur ex Plutarcho legendũ*, Castũ & Canicium. *Vide Crassi vitam.*

Exemplo 10. clarè prædicauit.] *Quidam*: clamare cœpit.

Exemplo 16. interceptus est.] *Aliàs* interemptus est. *minùs benè.*

CAP. V. Exemplo 8. simulata fuga regredi.] *Alij* s. f. receſſit. *nonnulli* s. f. recedi. *hinc facile est videre, verum esse nostrum.*

Exemplo 31. palantes effunduntur & conuulnerant.] *Prius ab editione Rom. est; posterius à coniectura. referebãt enim omnes*, in planis effunduntur & cũ vulnerant *&c. Nõ placet etiã illud quod præcessit*, securi seruatique pabulo, *pro*, s. oneratique p. *Videant eruditi.*

Exemplo 34. apud Cathenam.] Apud Cantennam *alij. fortè*, apud Catanam. *Plutarchus videtur dicere in Rhegij peninsulâ factum.*

Casti & Gannici.] *Repone ex Plutarcho*, Casti & Cannicij.

Exemplo 40. in Aphrica, bello ciuili.] *Ita scribo de certissima coniectura, contra omnes libros; in quibus aut* in Aphrico bello, *aut* Aphricæ bello *legitur.*

Exemplo 44. auersumque deinde.] *Et hoc à coniecturâ est, cùm libri* aduersumque *haberent.*

CAP. VII. Exemplo 4. dimisit ire legatos.] *Ad oram libri notatum inueniebam*: aliàs, dimisit per relegatos. *Hinc non dubito, quin faciendum sit*: dimisit properè legatos. *& vide, quisquis es: mecum facies.*

Exemplo 13. reliquis Pompeianarum.] *Lego* reliquiis P.

CAP. XI. Exemplo 2. haberet Catinenses.] *Pleræque editiones*, h. Causenses. *nugæ. vide Plinium cap.* VI. *lib.* IV. *& cap.* XXXIV. *lib.* VI.

Exemplo 5. nomine Luceio.] *Alij* n. Alicio. *Sequutus sum, quod Plutarchum in Scipione sequi video.*

pro nuptiali munere.] *Reliqui*, pro nuptiali gratia restituit.

Exemplo vlt. in finibus Vbiorum.] *Hoc feci de coniecturâ, ex voce Cubiorum, quæ quorundam librorum margines occupauerat. nam aliorum*, in finibus Galliarum, *minus quàm nihil est. quid enim Galliæ ad Germanicum? Flori certè sunt ea verba quæ sequuntur*: per Rheni quidem

dem ripam quinquaginta ampliùs castella extruxit, Bonnam & Gesoniam cum pontibus iunxit &c. *Hinc coniiciat qui volet reliqua; & Vbij quanto interuallo Bonnâ distent, consideret.*

si acie fusi essent.] *Malui hoc quàm aliorum, si acie fugissent:* CAP. XIII. Exemplo 1.
& *lego* spargeretur, *pro*, parceretur. *Consideret qui volet.*

eaque sectantes.] *Alij*, eumque sectantes: *quidam etiam*, ei- Exemplo 2.
que insectandæ Antiochi &c. *quæ quid sibi velint, nisi fortè scribi debet*, eique insectandæ Antiochi equites moratos, effugit. *quod parum abest, quin verum suspicer.*

in armis & vulneribus.] *Sic Colonienſis editio: Pariſ. enim* Exemplo 5.
peßimè habebat, eumq. nõ armis sed vulneribus oneratus tranauit. *Malim autem ego*, eumque & armis & vulneribus &c.

reliquo die.] alto die, *aliàs.* Exemplo 7.

hæretesq. imitati.] *In margine erat*, à ventisq. nutari. *gerræ.* Exemplo 10.

LIBRO TERTIO.

expressit vt.] *Ita omnino legendum; non*, oppressit. *nec rectè. pro* CAP. II. Exemplo 1.
Luca *est in aliis*, Lueria. *Vide Plinium, Stephanum de vrbibus; alios.*

feciſſe dicitur.] *Sequitur in omnibus:* Quintus Curtius, *tan-* CAP. IIII. Exemplo 4.
quam eo ſtratagemate ille vſus ſit. in quo riſi ſuauiter, tam multos correctores, non hoc ſaltem vidiſſe, ea verba ab aliquo primùm in margine adſcripta, qui monere vellet, exemplum ſequens à Curtio eſſe, poſtea temerè in contextum eſſe recepta.

Delminium.] *Variè hoc legitur, aliis* Delminum, *aliis* Del- CAP. VI.
uinum *ſcribentibus: quos fruſtrà eſſe, cap.* XII. *lib.* IV. *Florus, & cap. vltimo lib.* II. *teſtatur.* Exemplo 2.

& vitatione aquarum.] *Lege meo periculo*, & vitiatione a. CAP. VII. *Ex inſcriptione.*
quod probat & confirmat extremum huius capitis exemplum.

egeri terram.] *Ita ſcribo de coniectura, cùm libri* aggeri *ha-* Exemplo 4.
beant. ſuſpicor etiam tertio exemplo vitium ſubeſſe.

velut consulto præcipiti.] *Probaui hoc, præ illo*, cũ saltu p. CAP. IX. Exemplo 3.

quà nõ obsistebatur.] *Lectũ hoc: & falluntur qui legendum* Exemplo 6.
ſtatuunt, quà non obsidebantur. *quod tamẽ plures libros occupauit.*

ignem aceruis.] *Quid hac emendatione facilius? cùm in aliis li-* CAP. X.
bris, ignem acerbum; *in aliis*, ignem aceruis *inueniretur? & tamen* Exemplo 5.
nemo hactenus hoc aut vidit, aut certè videre curauit.

Segobrigenſium.] *Reſtitui his populis ſuum hoc loco nomen, ex* Exemplo 6.
exemplo IV. *cap. ſeq. hîc enim habebant libri omnes aut* Socobrigentium, *aut*, Etobrigenſium, *quæ nihili voces ſunt. etſi, ne exemplo quidem* IV. *quo dixi, rectè legitur in quibuſdam, imò omnibus recentibus libris*, Segobrienſes, *pro* Segobrigẽſes. *Segobrigenſes populi Hiſpa-*

niæ

niæ Plinio cap. III. lib. III. & Segobrica vrbs eidem eiusdem Hispaniæ cap. XXII. lib. XXXVI. quam opinor eandem esse cum ea, quæ Straboni lib. III. Σεγόβριξα vocatur.

CAP. XIII. Exemplo 4. & iumentum in aduersam partem.] *De hoc loco mihi non liquere fateor. tantùm pono aliàs hîc legi,* auersam partem inflixerunt. *de qua re cogitabo per otium diligentiùs; interea videant etiam alij, quid spei putent.*

Exemplo 6. L. Lucullus Cyzicenos.] *Nota res omnibus: & tamen hoc* Cyzicenos *ita turpiter corruptum in libris plerisque est, vt pigeat pudeatq; ineptissimarum ineptiarum.*

Exemplo 7. Scultellam amnẽ.] *Alij* Scultenã. *neutri rectè. tu lege* Scultennam amnem. *& consule Plinium lib. 3. cap. 16. & Philip. Cic. v.*

CAP. XIIII. Exemplo 1. Ategua vrbs.] Aregua *quidam, pessimè. Hirtius, seu quis alius est de bello Hispan.* Cæsar munitionibus Ateguam oppugnare *&c. item:* ita firmissimum eius (*Cæsaris puta*) præsidium Ateguam proficiscitur. *& sexcentis aliis locis.*

Exemplo 2. Vulturni fluminis.] *Hoc reposui ex Liuio, Plinio, aliis. Vulturnus enim fluuius, Casilinum neque interfluit, neque præterfluit: dubitandumq; adeò relinquitur, sit'ne aliquis tali nomine fluuius.*

LIBRO QVARTO.

CAP. I. Exemplo 1. Semper nequam eris.] *Aliàs*: semper necessarius nequaquam eris. *ego quomodo hinc me expediam, nescio.*

Exemplo 15. Statuentum.] *Ita plerique: quidam*, fatuentum. *sed puto vtrosque falli; reponendumq; circa vrbem* Beneuentum. *vide Plutarchum in Pyrrho.*

Exemplo vlt. æraque rescinderentur.] *Rectè, & hi ære diruti vocabantur auctore Varrone. nugantur igitur, qui pro his* numeroque rescinderetur *reponi postulant.*

CAP. II. Exemplo 2. arbitrabatur, præoptauit.] *Alij,* a. punctauit. *quod si Latinum est, castrense & militare est. natum à punctis siue puncturis, de quibus Vegetius cap. VIII. lib. I. & cap. V. lib. II.*

CAP. III. Exemplo 6. ad cœnam vacabat.] *Alij* ad c. vocabant. *Fungi, non homines, qui non videant dictum à Frontino,* vacare ad cœnam, *pro,* vacare cœnæ.

Exemplo 7. sagulo tectus.] *Plures,* sacculo tectus. *sed nescium illi ista Liuij:* multi sæpe militari sagulo opertũ (*Hannibalẽ scilicet*) humi iacentẽ inter custodias stationesq. militum conspexerunt.

CAP. VI. Exemplo vlt. deductum ad longiorem.] *Alij,* edoctum ad l. o. reiecisset. *Verùm quid igitur sequitur,* exauctorauit?

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM, IN COMMENTARIVM STEWECHII AD VEGETIVM.

A.

Aelativvs pro Datiuo veteribus placuit 33 & contra, ibid.
Accensi, Ferentarij, id est, leuis armaturæ 176
Accensi milites vnde nomen habeant 176
Acerbitas in militibus puniendis vitanda 277
Acetum, vinum, oleum, &c. condenda ante hostium aduentum 345
Acetitribus horis conficiendi ratio 346
Aceto potiùs quàm aqua materies machinis tegendis madefacta 365
Achillis arma cur Vlyssi adiudicata 348
Acies vnde dicta 306
Acies bene instructa multis victoriam tradidit 290
Acies bello nauali ad similitudinem lunæ instructæ 439 exemplum istius aciei non inelegans ibid. de acie nauali instruenda quare præcepta difficulter dari possint 440
Acies dū instruitur quæ cauenda sint 289
Aciei parti illi, quæ flumine, ciuitate munita non est, equitatum & ferentarios omnes adhibere oportet 307
Aciei pars sinistra quasi manca 305
Aciem dum ordinas, cautè prouidendum necubi sinum habeat, aut curuaturam. 304
Acta Romæ conscribebantur etiam in castris 170
Actuarij qui acta scribebant 170
Actuariis exercitus pecuniam quasi mutuam dare militibus permissum 170 quo fœnore 170 lis inter eum & militem emergens vbi decisa 170
Actarios quidam nuncupant 170
Actiaca victoria 409 exinde anni principatus numerari cœperunt 409
Ad fundas iacere 350
Ad inuicem 342
Admonitores in constitutionibus principum qui 218
Adolescentes Rom. parendo imperare discebant 14. 15 etiam in pace belli incommoda ferebant 15
Adoreum militibus datum 123
Ad plenum 273
Adsentientium militum, signum erat manus extollere 271 item clamorem tollere 272
Adscripti, & vacantes 27
Aegyptiorum notæ Hieroglyphicæ 104
Aelianus de instruendis aciebus 31
Aeneatores 234
Aequilanorum murus qualis 337
Aeredirutus quis 173
Aerei olim claui in nauibus 411
Aes valdè in vsu antiquis 411 cognitum ante ferrum 411 quando æruginem contrahat 411 militi resignatum 174 militibus ad trutinam datum 174
Aestiua 10
Aestus maris sex horis crescit ac totidem decrescit 477
Aestus marini caussæ 427
Aestus marini imperitus esse non debet qui classi præficitur 427
Aestus secundus nauigantibus adiumento est; aduersus valdè impedit 427 id Rom. olim incognitum 427
Aestum maris pro miraculo Scipio accepit 427
Aetate media mulier 15
Agesilaus in exercitatione militum etiam

præmia proposuit 40
Agmen quid sit 310
Agmen à tergo quomodo carpatur 242
Agrariæ quid sint 11
Agrarias facere quid sit 266
Agrariæ restitutæ apud Vegetium 266 267. 332
Agri militibus dati 124 agri illi ad hæredes suos transmissi qui militarent 124
Alacritatem militū augere potius quàm reprimere Imperatores debent 189
Alares equites auxiliariorum fuerunt. 78 iidem fortè cum Vexillationibus 79
Album quid 73
Alæ exercitus quid 306
Alexander Magnus militibus vxores etiam in castris permisit 12 quod successores probarunt 12
Alexandri Magni nauigia magna 415
Alexandri tabernaculum in castris etiam post mortem erectum 105
Alexander Imp. qua caussa Severus dictus 277
Alexander Severus quales tempore belli in consilium adhibuerit 269
Alexandri Severi in cognoscendis militibus diligentia 276
Alexandrini milites 198
Alexandrini milites à Caracalla instituti 46
Aliquanti vox Vegetio vindicata 423
Allocutio exercitus quomodo in castris Rom. instituta 270
Altitudo exacta ad perpendiculum 70
Alumine oblitum lignum non suscipit ignem 365
Ambidextra semina non sit 305
Ambrones populi Veget. redditi 285
Ambrones qui 285
Ammianus Marcellinus 241
pergnarus militaris disciplinæ 390 quo ævo vixerit 390
Anguli ad normam 70
Animadversiones in milites aliæ leniores, aliæ acerbiores 225
Anni in XII. vncias distributio 16
Annona in publicis horreis ad cuius pertinuerit curam 346
Annonam dierum XVII. milites ferunt. 49
Annonæ quinque militibus tandem datæ 129 etiam ampliores ibid.
Annonæ necessitate ingruente, calones, pueri amandandi è castris 221. 222 alterum item remedium 222
Annonariæ præfecturæ prima origo 346 eiusdem dignitas 346
Annonariæ aliquot species militum 214
Annonariæ species locis munitissimis deponendæ 215
Annonariæ species à Prouincialibus illatæ in horreis publicis custodiebantur 214
Annulis ferreis vtebantur gregarij milites 111
Annulos passim aureos Seuerus permisit 111
Annulos pro expeditionum numero Carthaginienses adseruarunt 111
Anseres Rom. vigiliarum caussa alebant. 400 ab anseribus Iunoni sacris in maxima inopia abstinuisse profuit 400
Antecessores 105 eorum munus 105
Antepilani qui 58
Antiochus curribus falcatis vsus 322
Antonini Imperat. in laboribus tolerantia 261
Aphri dolosi 5
Aplictum quid 369
Apollinates obsessi quo stratagemate Philippum deceperint 401
Appio Claudio Caudici prima traiecti maris gloria apud Rom. debetur 406
Aquâ turbida aut palustris quomodo purgetur 210
Aqua vitiatur ex sordibus castrorum. 212
Aquæ pluuiæ excipiendæ modus 354 qui sola aqua pluuia vtantur 355
Aquæ reperiendæ varia signa 353 de iisdem signis ex Cassiodoro epistolâ proposita 353
Aquæ stagnates Romanos castra mutare coegerunt. 212
Aquæ infectæ quibus hostibus necessariò erat vtendum 212
Aquarij, in manibus nomen Imperatoris imprimum gestabant 98
Aquæductus nomina ab Imperat. acceperunt 334
Aquila præcipuum signum 102
Aquilæ & signa in hostes proiecta vt pugna magis accenderetur 102
Aquila vna tantùm in singulis legionibus 102 Aquila quanta & ex qua materia 102 eius sacella 102
Aquilæ signum Iup. iterum inuenit 103 à Troianis ad Romanos manauit 103
Arbores cæsas facilè renasci, non homines 274
Arbores in vsum classis cædere an Principi liceat non numerato pretio 411
Arbores qua luna cædendæ 412
Arcuarii 141
Aræ & simulacra de manubiis conflari solita 127 Aræ & signa de extraneis hostibus tantùm consecrata 128
Arenam ignitam sparserunt 396
Argentum Romæ nondum signatum 173
Argilla cum capillo subacta ad tegendas machinas 365
Argo nauis circa Pelium ædificata 410

Argyraſpides 46
Arietis deſcriptio ex Ioſepho 357
Arietes diſſolui & ita in legionibus circumferri ſolere 358
Arietis inuentores primi Carthaginienſes 358 Arietis figura mutata ſeu emendata 358 Arietis conſtructio perfectiſſima 357 Arietis Carthaginienſium figura 361
Aries Fabri Tyrij 362
Aries Cetræ Chalcedonij 363
Arietes etiam in teſtudinibus 396
Arietes columnis iactis confregerunt 396
Arietis impetum ſacco paleis referto frangebant 394 quos alij falcibus decidebant 395
Arietem laqueis quoque captabant 395
Arietibus & trabes tranſuerſas oppoſuere 395
Arma Barbaris vendere non permiſſum. 349
Armorum vſus ad Barbaros tranſlatus magno rei Romanæ detrimento. ibid.
Arma ex fabricis per angarias vecta ad exercitum 145 Arma non alibi quàm in publicis fabricis fieri debebant ibid. qualia priuatim fabricari licebat, & vendere ibid.
Arma in prælusione grauiora quàm in publico prælio 37.38
Arma ex armamentariis diſtributa 51
Arma inuerſa in funere militum 272
Arma leuiora numquam depoſita 155
Arma luſoria 442
Arma militum ſeptimo die inſpecta 146
Arma, ocreæ, galea ex ære apud antiquos 411 Arma Rom. plerunque ex ære 51
Armorum alienatio deſertioni exæquatur 152 intereſt, quæ arma miles alienarit 152
Armorum a miſſorum aut alienatorum pœna capitalis 152
Armorum turreptorum pœna 152
Armorum amiſſorum diuerſa pœna fuit. 155
Armorum abiectio ignominioſiſſima 155
Armorum fabricæ 144 eas optimas Mithridates inſtituit 144
Armorum cuſtodes in Rom. exercitu 153
Armare verbi noua ſignificatio 199
Armamentaria vbi arma deponantur 153
Armarium & armamentarium quid differant 153
Armaturæ genus exercitij 38.162
Armaturæ ſunt milites iuniores 39
Armaturæ milites erant 127
Armaturæ inter leuem armaturam 161
Armaturæ illæ pluribus à me locis huic auctori redditæ 162
Armaturæ geſtus & numeri 38
Armaturarum rectores & ſcholæ 39
Armidoctores 38
Armillæ ciuibus datæ, at nullæ auxiliaribus 93
Armillæ militibus datæ 123
Artu pro *artus* 306
Aſcogefri figura 250
Aſia Gallorum auxiliis ſæpe vſa 85
Aſpirationis nota ſæpe à librariis ineptè addita, dempta 220.295
A teneris perfectius omnia imbibuntur 14
Athenienſes armaturam quando mutârint 292
Athletas quis primus Romæ dederit 194
Athletæ à matrimonio etiam à Venere prohibiti 12
Athletarum cibus, potus 40
Athletæ, venatores, aurigæ priùs in gymnaſiis exerciti 197 poſtea publicè producti 197
Athletis magnum præmium apud Græcos propoſitum 193
M. Attilius Regulus in Africam primus traiecit 409
Auctores criminum 231
Auctores legum 231
Auctoritas ſeueritate paranda in exercitu 93
Aucupes bello inidonei 22
Aues cohortales 345
Auguſtus Dominum ſe appellari non eſt paſſus 77
Auguſti diſciplina 30
Auguſti in perpetuum facti cenſebantur. 156 decimo quoque anno imperium ſibi prorogari curabant ibid. vnde ille mos ibid.
Auguſtani milites 112
Aulus Imperator agitator fuit 196
Aurelianus Cæſar quam arcte ſuos milites habuerit 260
Aurigatio Circenſis 194
Aurigatio expreſſa verſibus Virgilianis. 195
Aurigæ quale acceperint præmium 196
Aurum illatum protyronibus 28
Aurũ pro annonis & angariis tributũ 28
Auxilia à ſociis ac Barbaris 83
Auxilia vnde ſic appellata 86
Auxilia non tantum Romani ſcomparari ſolita 85
Auxiliis quo anno Rom. in Hiſp. vſi 85
Auxiliares in exercitu plures ne ſint quam legionarij 206 aliud tamen Romæ interdum euenit 207 ſed ſuo magno malo 207
Auxiliares opera facere detrectabant 93
Auxiliares quoque puniebant 69
Auxiliares torquibus donati aureis, ciues non niſi argenteis 93
Auxiliariorum præmia cur maturiora dici videantur 93
Auxiliariorum locus in acie non ſemper idem 85

B

Baivli qui 48
Baleares tribus fundis ad prælium exisse 43
Balæna bellua marina 371
Balæna quare musculi operâ indigeat 371
Balæna maior Delphinis 371
Balistarum & neruorum proportio quædam fuit 386
Balistæ diuersæ fuerunt 386
tortæ diuersis rationibus 386
Balistæ descriptio duplex 386.387
Balistæ figura 388
Balista alia, qua lapides iaciebantur 387
eius figura 389
de Balistis, catapultis & scorpionibus magna etiã apud veteres dissensio 390
Balnea natationi idonea Romani habuerunt 192
Balnea & balneæ dicunt 8
Baltheus quid 89
Balthei bullis ornati, distincti 89
Barbari qui dicantur 82
Barbari etiam voluntarij in castris Rom. 208 de eorum auxiliis Probi Imp. sententia 208
Barbi & Barbuli pisces 45
Barritus clamor militaris in pugna 300 is clamor paulatim vehementior fiebat 300
Batani testudinem exstruere à Romanis didicerunt 158
Bebræ ignotatela 62
Bellum à Belo nomen accepit 350
Bello alios aliis aptiores esse 6
Bellum pro prælio 146.332
Bello ciuili Mariano quomodo milites scripti 24
Bellum committere 147
Bellum à quo dictum 202 non est temerè suscipiendum ibid. idem permissum necessitate ita postulante 203 in pace de bello cogitandum 203
Belli lex, Non licere bis delinquere 41
Bellum Romæ vbi indici cœperit 20
Belli indicendi vetus mos 20
vnde Romam translatus 20
Bello inutile plurium imperium 135
Belli tempore ex agris ad loca munita omnis transferenda 344 id duplici de causa factum 344
Belli scientes etiam aliis in rebus consulendi sunt 269
Bellica laus partim ducibus detrahitur, & cum militibus communicatur 310
Beneficiarij, tribuni beneficio promoti. 115
Beneficiarij vacantes 116
Bessi, populi Thraciæ 145
Bigas Phryges primùm iunxerunt 195
Bina eâdem nocte castra expugnata 258
Bituriges quamobrem amplius xx. vrbes vno die incenderint 345
Bombardarum vsus ad Turcas translatus magno Christianorum damno 350
Bona dea Rom. 23 eius solemnia quomodo celebrata 23
Boues, muli, asini quoque in cursu publico 199
Bouis optimi signa 21
Brachij breuitas plagam vehementiorem facit 390
Brachiorum alia ratio in balistis atque in catapultis 390
Breues quid sint 171
Breuiarium 171
Britanni glasto se inficiebant 96
Buccinatores 234
Buccula pars cassidis 149
Bucculati fortasse an centuriones 149
Burgi qui 353 vnde iis nomen 353
Burgi in ciuitates commutati 354
Burgariis à quo nomen 354
Burgorum nomen in castellis antiquissimis etiamnum hodie permanet 354
Burgus Louanienſis 354
Burgus Heusdenſis 354
Burgundiones à Burgis illis nominati. 354
Byzantij mœnia fortissima 338

C

C, & G olim promiscuè scribebantur. 279
Caculæ qui 35
Cœnatica quomodo sublata 118
Cæsar in insidiis cautissimus fuit 242
Cæsar elephantos in Italiam transportari quare curârit 323 quid ex eo commodi senserit 323
Cæsar exactor grauissimus, cùm hostes in proximo erant 243
Cæsaris milites arma auro & argento polita gestabant 152 quare id permiserit Cæsar 152
Cæsaris natandi peritia 248
Cæsaris stratagema 308
Cæsarum nemo Deus appellatus ante obitum 77
Cæsorum sepeliendorum caussa inducia factæ 179
Calatores qui sint 35
Caligæ militum 89
Calones, vnde dicti 35
Calonibus & pueris data vexilla 244
Camelis cataphractarij insidebant 312 castrabantur feminæ in vsum belli 312
Camelis mollissimæ vngulæ 322
Camelorum vsus olim & in cursu publico 312
Camelos qui produxerint in aciem 311
Camelus sitim tolerat in quatriduum, 312 aqua obturbata gaudet 312

Campi-

Campiductores 38.245.258
Campigeni 115
Campus Martius Tyberi vicinus 35
Campus subitò inundatus valdè incommodat 256
Candidati etiam in bello 128
Canes anseresque Rom. vigiliarum caussa aluerunt 400
Canes in aciem educti 21
Canes singulari numero 384
Canum signa 21
Canis signum, & Orion, periculosa nauigantibus 419
Capaneus scalarum inuentor, & quis fuerit 381 fulmine tactus perhibetur 381
Capita contuberniorum, decani 132
Capita scholarum, præfecti aut tribuni. 132
Capite censi quando militârunt 267
Caput porcinum quid sit 303
Carbones seruati in conditis 350
à carbonis præbitione non immunes vel maximæ ciuitates 350
Cares in Græcia sæpe militârunt 85
Cares galeæ cristas primi adhibuerunt 61
item simulacra in scutis 61
Carpasiæ, Alexandrinæ naues, &c. nomen habent à prouinciis 407
Carpentarij 143
Carri in orbem constituti pro munitione sunt 282
Carthaginiensium audax nocturna eruptio 378
Casæ 9
Castella in limitibus 267
quantum spatium distarēt inter se 267
Castella limitanei suo tenebantur sumptu extruere 267
Castellani 353
Castella à castris diminuto vocabulo 353
Castoris & Pollucis opem senserunt Romani 125
templum iis diis consecratum ibid.
Castra vnde nomen habeant 11
Castra cur remouenda ab vrbibus 11
Castra iuxta paludes non ponenda 209
Castra munire quis primus excogitârit 65
Castra triplicia 63
Castrorum disciplina à principibus Rom. immutata 112
Castrorum forma pro ostentatione copiarum accommodanda 63
Castrorum formam necessitas sæpe mutauit 65
Castrorum frequens mutatio salubris. 212 idem remedium contra otium castrense 212
Castrorum portæ quatuor 67
Leo plures agnoscit 67
Castrorum locus quomodo à serpentibus purgatus 210
Castris ponendis tutissimus locus quis 63
Castris positis primo loco signa figuntur 65
Castrorum triplex forma 63
quarto loco rotunda accessit 63
Castrametatio Galbæ deputata 64
Castrensis imperij ordo 135
Cassius quo pacto Buculos deleuerit, quibus anteà Rom. resistere non poterant 281
Cataphracta quid 50
Cataphracti, & cataphractarij 313
eorum munus in acie 313
omni specie ferrei 313 itidem eorundem equi 313 vtrorumque armatura descripta 313
Cataphracti equites cur dicantur defensores 309
Cataphractis plus imminebat periculi à peditibus 316
Cataphractos excipiendi seu ludificandi ratio 330
Cataphracti pedites & equites 50
vnde dicti 50
Catapulta modò machinam, modò ipsum tormentum significat 394
Catapultæ Vegetius non meminit 390
Catapultæ figura 391
Cataracta in propugnaculis vrbium 342
Cataractis vnde nomen 342
Cato qua in re prouidissimus fuerit 274
Catonis libri De re militari 29
ex iis fragmentum 30
Catonis sententia salsa 30
Catonis libri multi desiderati 30
Catonis apophthegma 423
Caudex quid sonaret veteribus 406
Causia capitis tegumentum 364
Celeritas in bello sæpe amplius valet quàm virtus 407
Centesimatio 229
Centonibus machinæ contectæ 365
Centunculus 366
Centurio qualis esse debeat 151 qualem Hadrianus Cæsar elegerit 151
Centurionis insigne, vitis 111
Centurionum commoda ex vacationibus militum 181
Centuriones militibus opera facientibus præpositi 181
Centuriones in vna legione sexaginta. 133
Centuriones signum habuerunt in galea. 148
Centuriones vigilias circumibant 265
Cespitis in castris muniendis mensura 69
Chalare quid 395
Chalare vnde dictum 440
Chalatorij funes 440
Charondæ Atheniensis de signis ordinibúsve destitutis lex 188
Christi nomen in labaro 166

Christi nomen in scutis militum Constantini — 166
Christi nomen cur sic Xps scribatur 166
Christiano & sapienti hominis digna sententia 423
Chrysapides 46
Cibus, victus, quid differant 8
Cibus castrensis 8
Ciceronis locum Vegetius voluit exprimere 333
Ciceronis locus à Vegetio descriptus 232
Ciceronis de prognosticis tempestatum versus 424
Ciceronis de bello suscipiendo consilium 203
Ciconia, machina 384
Cilicia vnde nuncupata 343
ex qua materie facta 343
in vsu fuere nautis & militibus 343
Cilicia per propugnacula tenia 343
Cimbricum bellum 284
quot duces Rom. in eo infelices 285
Cimbrorum ducis contra Romanos stratagema 292
Cincij libri De re militari 31
Cingulo donari honorificum erat 88
Cingulo priuari ignominiosum 88
Cingulum hoc è corio 89
Circatores 265
Circare 265
Circitores vrbani 265
Circumitores à Tribunis militum lecti. 165
Ciues in vrbibus obsessis vtiles qui 348
Ciuitate ab hostibus capta, loca altiora tenenda 399 nostri aliud remedium inuenerunt 399
Clamoris militaris caussa 301
ex eo clamore notior virtus militum. 301
Clamore à tergo sublato egregia eduntur stratagemata 301
quando clamor ille attollendus 301
Classicum ante animaduersionem in castris canebat 69 etiam in vrbe idem mos 69
Classicum cecinit in animaduersionibus militum 184 item cecinit ad epulas Imperatoris 185
Classici bifaria significatio 183
Classicis vnde nomen 183
Classici tertia significatio 183
Classicum canebat ante officium scelerosi ciuis 184
Clauem quis primus apud Rom. parauit 405
Classis expedita, leuis magis commoda bello 415
Classis incendendæ ratio 438
C. Claudius Pulcher Istris egregiè superuenit 279
Claui & rostra nauium ærea 51
Clerici omnes militiæ adscripti 96
Clepsydræ vnde dictæ 263
Clibanarij qui 313 eorum armatura 313
Clibanariorum clathi qualis 314
Clibanariis vnde nomen 326
Clitæ, loca ardua 342
Clupellarij 314
Clypei amissi grauior pœna apud Græcos quam gladij aut hastæ 155
Clypei hastis percussi iræ indicium 272
qui ritus ab Aegyptijs manauit ibid.
Clypeocentra, varia depicta 163. 164. 165
Cedri stratagema 281
Cohors 345
Conors vnde nominatur 101
Cohors peditum 101
Cohors prima seu millenaria habebat equites CXXXII. 108
Cohortium reliquarum explicatio 108
Cohors secunda & reliquæ ad decimam vique, quinque centuriones habuerunt singulæ 133
Cohortes in legione decem 101
Colligere campum 330
Coloniæ deductiæ 124
Columbæ nuntij vicem fungentes 238
Comes in exercitu quis 211
Comites, tribuni vacantes 211
Commeati 110
Commanipulares 133
Commeatus litteræ sunt dimissoriæ 171
epistolas quidam vocarunt 172
vnde dicatur 172 eius formula 172
à quibus detur 172
Commeatus tempore expeditionis quot militibus daretur 172
Commilitium etiam caritatem gignit inter milites 151
Committere prælium 116
Committere legiones 116
Commodus Imp. ridiculus 334
Comparare pro committere 117
Concædes 310
Concorporales 133
Concorporales iidem qui contubernales 151
Conchylia omnia cum luna crescunt & decrescunt 412
Conditum, pro loco vbi frumentum condebatur 214
Coniuratio qualis 17
Conquisitores militum 17
Consilio parta non minùs clara victoria, quàm quæ gladio paratur 269
Consonantes apud Veteres non geminatæ 143. 220
Constantinus labarum in effigiem crucis mutauit 298
Constantinus Christianæ religionis deuotissimus cultor 166 hic crucem pro signo militari præferendam curauit 166

uit 166 tabernaculum pro oratorio habuit 166
Consuetudo quid possit 186
Consules honorarij 26
Consules alternis diebus in exercitu imperabant 135
Consules vterque rarò ad bellum vrbe egressi 204 inter se sortiebantur vter egrederetur 204 interdum auctoritate senatus alter vrbi præsidio relinquebatur 205 si pluribus resistendum foret, prouincias inter se sortiebantur. 205 duas legiones singuli ducebant. 205
Consus deus 422
Consualia, ludi die natali nauigationis celebrati 422
Continuare quid 34 item continuari 35
Continuare verbi noua notio 279
Contubernium signum non habuit 150
Contubernales qui 133
Conuentio vocabulum Latinum 222
Conuentiones prouincialium hibernales ad iudicia ordinaria 222
Coria vela q. obtenta munitionibus 343
Corio crudo tectæ machinæ 365
Cornelius Celsus 241
Cornelii Celsi scripta 30
Corniculi inter dona militaria 123
Cornua vnde dicta 234
Cornua exercitus quid 306
Cornua in se reflexa 116
Cornuarij 234
Cornus, tonitrus pro *cornu, tonitrix* 306
Coronæ ciuibus datæ ex auro 93
Coronæ militibus datæ 120
Coronæ variæ depictæ 121.122
Coronæ exploratoriæ 122
Coronam quis primus militibus dedit. 122.123
Corui inuentores ambigui 434
eius descriptio 435
Coruis & manibus ferreis arreptos ex propugnaculis extrahebant 396
Cotem, ferrum hostibus vendere capitale 355
Crebrescendi verbum Vegetio redditum 3
Cretensium Legislatores de bello satis soliciti 202
Crines feminarum in funibus torquendis 352
Crux Christi ex tribus diuersis lignorum speciebus 410
Cryptæ quid 215
Cuicui pro *cuicunque* 94
Culcita non *culcitra* scribendum 394
Culcita à quo dicta 394
Cuneus quid 303
Cuneo facto per medios hostes perrumpitur 303
Cuneus vocabulo castrensi appellatur Caput porcinum 303
Cuniculus militaris vnde dictus 397 per cuniculos oppugnatio tutissima. 397 in cuniculis opus fulturis suspendendum 397
Cuniculi tam ampli vt in iis pugnæ commissæ sint 397 ad inueniendum cuniculum aliud stratagema 398 nostratium hac in re stratagema 398
Cuniculis captæ Fidenæ, & Veij expugnati 397
Cuniculis aliud stratagema adhiberi solitum 397
Cuniculis remedia opponi solita 397 quomodo Galli cuniculos morati sint 397 in cuniculos vrtæ & apum examina immissa 397 quomodo aduersariorum cuniculi reperiantur 397
Cuniculi obsidentium ab oppidanis perfossi 398
Cunicularij 397
Curatores frumentum distribuisse, non comparasse 346
Currodrepanus depictus 319
alia figura 320
Currodrepanus clypeatus 321
Currus in cursu publico, antiquis vsui 10
Curruum certamen quando in ludos Olympicos inuectum 195 quantum auctum apud Rom. 195 quis primus inuenerit 195
Cursus armatorum 33
Cursus publicus Rom. 10 & Persarum 10
Cursum publicum apud Rom. quis inuenerit 10
Cursus publicus ex priuato fiscalis factus 199
Cylindri defensioni murorum idonei 351
Cyri exercitus graue damnum passus ex ignorantia natandi 192

D

DARII quantus exercitus 204
Datames paucioribus militibus quare victoriam semper adeptus sit 274
vicit vicesima parte militum superiores 274
Decani qui fuerint 151
Decani in singulis centuriis decem 108
Decanus vndecimus erat & caput contubernij 108
Decaprotiqui 346
Decempeda quid sit 259
Decempedator 259
Decimatio à quo primùm inuenta 229 sorte fiebat 228 cur instituta 129
Declinatio seu immutatio in hastam dextrorsum fiebat, in scutum, sinistrorsum 302
Decuriones qui 112
Decursio militum 185

Decursio armata in funere magnorum virorum 185
Decursio in anniuersariis iterata 185
currus in ea circumacti ibid.
Dedentes se fordidati prodibant 356 etiam sacra sua quidam proferre solent ibidem.
Deditio cum armis turpissima fuit 155
Deditionis formula 356
Deditionis signum apud Græcos si corpora suorum ad sepulturam deposcebant 179
Defendere pro *arcere* Latinissimè dicitur. 309
Defunctis militibus succesſerunt ferentarij 177
Delitiæ milites frangunt 8
Deni asses stipendium diurnum 175
Deponentia verba passiuè vsurpata 423
Desertor quis 100 qui pro desertoribus habiti 101
Desertores distincti 101 quæ ratio eos puniendi 101
Desertoribus dum absunt stipendia non currunt 101 etiam donatiua perdunt 101 recipiunt, si princeps in restitutione specialiter hoc indulsit 101
Desertorum commoda si moriantur, fisco cedunt 101
Desertores à Spartanis contumelioſè puniti 101
Desperatio militum virtutem sæpe excitauit 307
Desperatio magnum ad honestè moriendum incitamen 399
Destinandi verbum varij vsus apud nostrum scriptorem 311
Desultores qui fuerint 48
Deuitare 306
Deus pro sua libidine omnia perficit 423
Dextræ parti motus habilior 305
Diades inuentor variarum machinarum. 368
Dicta ducum 233
Dictatoris potestas 13 à quo dicebatur 13 quas ob causſas dicebatur 13 quis primus dictator fuerit 13
Dictatores vt magistros equitum ita legatos sibi dicebant 135
Dictaturæ tempus 13
Dicere verbum non vulgatam notionem habet 233
Dies religiosi Romanis 278
Digitos sibi amputabant Rom. detrectantes militiam 21
Dij ante expugnationem ex ciuitatibus euocati 127 formula certa illi rei fuit 127
Dij quibus præda pars consecrabatur 125
Dilectus non delectus militum 3
Dilectus ratio necessitate mutata 18
Dilectus sine vacationibus 18
Dilectus sortitione institutus 19
Diligens verbi non vulgaris interpretatio 167
Diligenter fit, quod fit cum dilectu 168
Diocletianus Maximianum Imperij consortē adsumit 46 Iouius vocabatur 46
Diogneti stratagema contra Helepolim admouendam 381 id stratagema præ oculis habuit Vegetius 381
Discessus ab obsidentibus simulatus 399
Disciplina militaris strictè olim obseruata 276.277 parentibus Rom. disciplina castrensis antiquior fuit quàm vita liberorum 277
Disciplina optimè exercitus munitur 277
Disciplina militari neglecta, res aduersariorum augentur 284
Discordia vna labes reperta opulentis ciuitatibus & magnis imperiis 282
Discordiarum causſæ inter hostes serendæ 281
Dispartiendi verbū Vegetio redditum 266
Diffidentibus ciuibus ciuitas aut regnum facilè inuaditur 281
Diuersi scriptores De disciplina militari. 31
Diui qui dicantur 77
Diuus nemo factus qui priuatus obiisset, excepto vno Diocletiano 77
Dolabris subruebant muros 367
Domestica victoria tristitia operiebatur. 128
Domestico potiùs quàm mercenario milite vtendum 207
Dominini nomen Dei cognomen est 77
Dona militibus quomodo distributa 120
Dona militaria in monumentis enumerata 123
Dona militaria in funere Imp. in rogum concessa 125
Dona seu donatiua vnde præstentur 125
Donatiuum quid fuerit 177
Donatiua annuè quoque data 178 ea causſa conuocati milites vnum in locum 178 statusillirei dies kalend. Ianuarij 178
Donatiui apud signa deponendi mos quando cœperit 178
Draconis origo in signis 65
Draconis descriptio 65
Draconis signum purpureum 65
Draconis signū in singulis cohortib. 113
Dracones in vna legione decem 147
Draconarij qui 65
Drumi quid 295
Drungi, & Drungisti, & drungarij vocabula militaria 295
Drungi apud Veget. possessionem recuperarunt 295.302
Ducatus pro dignitate præfecturæ 39 pro regione 39
Ducatores 39

Duces

Duces, ductores 38
Duces singulari numero 384
Ducem de suo capite maximè debere esse solicitum 275
Duces ante egressionem Martis templum ingrediebantur 20
Duces ante egressionẽ venatus dabant 19
Duces & Comites nostri vnde originem ducant 39
Duces post pugnam infelicem, se in occultum abdere non debent 331
Ducem remissum & clementiorem res militaris non patitur 277
Ducibus cognomina ex deuictis prouinciis parta 335 is honos primùm Cor. Scipioni contigit 335 eum morem auxerunt Cæsares 335
Ducibus cognomen ab opidis expugnatis concessum 335 etiam ab arce sola deuicta 335
Duces consilia sua celare debent, etiam suos milites 240
Ducum peculiaris vestis tempore prælij 237
Duci exemplis 282
Ductores viarũ custodiæ mancipandi 240
Ductus & ducatus 38
C. Duilius primam Rom. classem videtur parasse 405
Dulce bellum inexpertis 287
Dulciarius Tribuno militũ concessus 22
Duo pro *duos* 108. 294
Duplares & duplarij 117
Duplares militares 128
Durare in pace 273
Durare corpus, membra ad laborem 273
Durare in ædibus 273
Durabit vinum 273
Dux duci quantum præstet 277
Dux & Tribunus nomina militum scire debent 276
Dux etiam de singulis militibus è prælio reducendis debet esse solicitus 275

E

EBRII milites delinquentes non excusantur 231
Ecclesia multis vocabulis vtitur sumptis à re militari 11
Edicere pro palam eloqui 293
Edicebantur multa in exercitu 233
Edictum expeditionis ante duos menses suspensum 19
Edicti istius formula 19
Egnatij error 180
Elementa quatuor 426
Elephantus dicendum 323
Elephanti communi vtriusque partis periculo in aciem educti 323 ob id communes hostes appellati 323
Elephanti à quibus in prælium tracti. 323
Elephanti duo Antiochi 325 celebres iidem cognominibus Aiacis alter, alter Patroeli 325
Elephantorum primus vsus apud Indos & Aphros 325
Elephanti cristati in pugna 323
Elephanti in circo pugnárunt 187
Elephanti in Italia multis annis ante ætatem Cæsaris 324
Elephanti Romæ in triumpho 324
Elephantis quando primùm Romani in bello vsi 324 eorum in acie locus 324
Elephanti equis misti 324
Elephanti quoque in ludis Circensibus. 324
Elephantos primus contra Rom. posuit Pyrrhus 324
Elephanti manus 326 nasuta manus 326
Elephantorum virtus in acie 326
velites contra eos emissi 326
Elephantis quid opponendum 288
Elephanti si regi non possent, quo pacto à suis interfecti 327 id Asdrubal primus instituit 327
Elephantos sub cauda maximè petebant. 327 diuersa aduersus eos resistendi genera antiquitus excogitata 327 tandem ipsi milites cum iis congredi assueuerunt 327
Elephanti in India præstantissimi 327 eorum rectores 327 turres cum militibus vehebant 328 ex iis turribus decertatum 328
Elephanti veste purpurea in prælio ornati 328 item in triumpho 328
Elephanti turriti figura 329
Emansor quis 109
Emeritæ militiæ anni varij 86 quot anni Tiberij æuo 86
Emeritæ militiæ commodum 178
Emeriti stipendia 87
Emeriti milites 87
Emeritum aliud à præmio 178
Enasci 306
Ennij versum Virgilius imitatus 377
Ensis Rom. qualis olim fuerit 56
Epaminundæ dictum 11
Epeirotæ quàm diu salem non nôrint 355
Epeirotæ sub Pyrrho floruere 75
Epirus prouincia duplex 75
Epitome feminino genere dicendum 32
Epitomen tantùm Vegetius scripsit 2
Equi generosi signa 20. 21
Equi genua flectere docti 158
Equo quis vehi primus instituerit 195
Equi possessionibus indicti 28
Equorum probatores in prouincias missi. 28
Equitatus sæpe neutris vsui esse potuit. 269
Equites aureus annulus à plebe distinxit. 111

Equites alares, & legionarij 78
Equites defensores 156
Equites frenos detrahere coacti 269
Equites ex equis desilierunt contra elephantos pugnaturi 326
Equites pedestrem pugnam subierunt. 269
Equites obesi equo privati 22
Equites primò inermes, pòst armati exercebantur 48
Equites vigilias circumibant 264
Equitibus exercendis hieme porticus, peditibus basilicæ extructæ 312
Equitibus non eodè tempore stipendium de publico datum quo peditibus 173
Equitibus quando primum constitutum stipendium 173
Erogatores qui 347
Erogatores militaris annonæ quale iusiurandum præstiterint 221 quomodo annonam distribuerint 221
Escendere pro *ascendere* 48
Essedariorum pugna 322 aurigis eorum vbi locus dum pugnarent 322
Et pro *id est* 275
Euenire verbum vetus Veget. redditum. 273.297
Eumenes equitatu valens aduersarium equitibus pugnare coëgit 269
Euocati milites qui 87
Euocatio qualis 17
Eurus ventus idem qui Vulturnus 418
Eutropius & alij à Veg. dissentiunt 409
Exædificare 306
Exauctoratio quid differat à missione 69
Exauctoratio detractis insignibus 88
Excubabant Romani extra castra in castellis 265
Exculcatores Vegetio fortè restituti 156
Exculcatores vnde dicti 156
Excursatores & procursatores in exercitu qui fuerint 156 iidem cursores ab aliis vocati 156
Exduce, exrege 137
Executores tributorum variis nominibus nuncupati 219
Executorum pœna si amplius à prouincialibus exegissent 219
Exemplum dignum quod duces exercitus sequantur 276
Exercentibus se militibus si quis lædebatur, impunè erat 190 distinctionem tamen ille casus recipit 190
Exercitio verbale ab exerceo 45
Exercitatio ad vectim quæ 224
Exercitatio intermissa debilitat corpora & animos 41 sine ea nihil perficitur 42
Exercitari milites ante publicum certamen minoribus prœliis imbuendi 273 vbi etiam maxima cautela adhibenda. 274
Exercitio & *exercitatio* Latinè dicimus 139
Exercitus & exercitatus 139
Exercitus vnde dictus 80
Exercitus ex diuersis nationibus difficulter regitur 223
Exercitus quatuor horis conscriptus & eductus 18
Exercitum mixtum obsequentem habuit Alexander 223
Exercitus mixti seditio non facilè sedatur 223
Exercitum per prouincias proficiscentem alendi modus 18
Exercitui transeunti quidquid impendebatur reputatum in collationes publicas 118 si prouincialis præ ceteris grauatus fuerat, id illi resp. satisfaciebat 118 vel princeps 118 eadem de causa remissum tributum 118
Exonra in turri ambulatoria 384
Exostræ aliæ species 384
Expeditio quare id nomen adepta 332
Expeditionis dies edicto indicatus 19
Expensæ præparandæ aliæque de bello cogitetur 213
Exploratores & eorum pœna 234
Exploratores Hannibalis quapropter à Scipione dimissi 234
Expugnata ciuitate sæpe ad internecionem victores casu 399 remedium illi reiquale 399
Exspargere 332
Exspargenda verbum reuocatum multis locis apud Veget. 393.308
Exurendum quicquid aduenientibus hostibus ex agris auferri non potest 345

F

FABIVS rem Romanam cunctando restituit 269
Fabricæ armorum 144
Fabricæ Orientis quinque 144 Ponticæ tres 144 Asiana vna 145 Thraciæ duæ 145 Illyrici quatuor 145
Fabricæ Occidentis multæ 145
Fabricenses 145 publico sumptu alebantur 145
Fabricenses stigmatis notati 96
Factiones in certamine Circensi quatuor 195 eæ coloribus distinctæ 195
Fale quid 377
Falare vox etrusca 377
Falaricæ descriptio perfecta 377
Falarica balista mittebatur 377 etiam manu 377
Falces murales laqueis iectis deflectebant 395
Falcis vsus in nauali prælio 434
Falcibus etiam armamenta arietis abscinderunt 396

Falsi reus, qui nomen militis postibus in scriptum delebat 117
Fasces fluminum traijciendorum gratia. 247
Fasces post victoriam lauro coronabant 184 post triumphum in Capitolio deponebant 184
Februarius mensis cauus & ceteris infaustior 259
Ferentarij vnde nuncupati 177
Ferrarij 144
Ferri quæ dicuntur 48
Ferrum Romani in conditis seruant 349 etiam ne ad hostes perferretur aduigilarunt 349
Ferri inuentores primi 411
Ferrum a rubigine qui conseruetur 411
Ferrum differens pro terra & plaga cæli 7
Ferreum gladium Belus primum inuenit 350
Fessi labore itineris, prœlium non debent inire 287
Firmare locum præsidiis 219
Flammeola à flammeis 79
Flammeum duplex 79 quid sit 79
Flammearij qui 79
Flammeolum in naui prætoria requiritur 438.439 illud signum cur variè mouendum 439
C. Flaminius aciei maximè ordinatione vicit 290
Florus ab Appiano dissentit, stat à Vegetio 284
Flori locum expressit Vegetius 284
Flumen dum transis quopacto efficiatur ne miles via aquæ abripiatur 246
Fluminum traijciendorum rationes alias necessitas, alias diuersorum populorum vsus inuenit 247 quomodo milites arma per fluuios traxerint 247
Flumina subitò exundantia exercitui incommodare 34
Flumen si nimis vehemens sit quomodo spargendum 246
Fodiendi morem mutatum pro re nata. 261
Follis fidem quod saccus aut pera 178
Fontes perennes 352
Foro & Quæstorio loca in castris diuersa statuta 65
Fortes dum moriendum sibi vident, operam dant ne occumbant inulti 307
Fortissimus ille quem aduersa non frangunt 330
Fortuna in re militari plurimum potest. 310
Fortuna maximam partem bellicæ laudis sibi vindicat 310
Fossa, aggere non securus exercitus, nisi accedant vigiliæ 258
Fossa legitima tumultuariæ opposita 69
Fossæ vrbium & latæ & altæ requiruntur 342
Fossarum non eadem semper mensura. 140
Fossæ ducendæ modus 140
Fossæ æstimationem quis dederit 140
Fossatum non ineptum vocabulum 370
Fraudes 268
Frons masculinum erat veteribus 364
Frontini prænomen 30
Frumenti curatores 346
Frumentum hostibus vendere capitale. 355
Frumentantibus superueniendum 280
Fulgura & imbres in prœlio aduersa incommodant 289
Fulmen in scutis depictum 165
Funda vnde dicta 291
Funda semel tantùm circa caput rotabatur 292
Fundæ descriptio 43 inuentores 43
Fundibali vnde dicti 291
Funditor Balearis depictus 44
Funditores à funda 43.291
Funes neruini 351
Fuste extraneus miles punitus 72
Fustibulatores à fustibalis 291

G

GALEAM qui inuenerint 61 qui crista primi adhibuerint 61
Galeas ornandi mos deriuatus ab Aegyptiis 61
Galeæ ornatus familiarum insignia distinguit 61 vnde ritus ille 61
Galeis animalia hiantia addita 60
Galeæ hirsutis pellibus tectæ 161
Galeæ ex variis olim pellibus 161 duplici de causa pelles in galea 161
Galeæ pellibus indutæ 60
Galeis multa adhibita horroris causa 60
Galearij qui 35
Gallia olim equitatu potens 4
Gallia fertilissima 4
Galli, Hispani, alij, cur Barbari dicti Romanis 82
Galli proceri 4
Galli magnos exercitus ducebant 4
Galli Italiam inuadunt 4
Galli quoque prædæ partem diis consecrabant 126
Galli milites diligenter cauebant ne modum zonæ præscriptum excederent 22
Gallorum mos in conuocando milite 18
Gallorum magnum olim nomen à virtute bellica 85
Gallorum gladij quales olim 37
Gallogræci Græciam vastant 7
Gaza cuniculis expugnata 397
Gelas pro *gelis* 12.306
Geographicæ tabulæ hodie perfectiores 239
Germani sanguine abundant 4 corpore procero sunt 4 vnde dicti 4

Germanis auspicatissimum rebus gerendis initium, Luna noua aut impleta. 278
Germanorum turmæ ex consanguineis. 84
Gerundiorum vsus apud veteres 199
Gladius tribunorum insigne 110
Gladios qua parte milites gesserint 55
Gladiis longioribus Rom. vti incipiunt, 291 ad sinistrum latus transferunt 292
Gladiatores quis primus Romæ dederit 194
Gladiatores ad militiam vocati 25
Gothici regis sententia 74
C. Gracchi lex 13
C. Gracchi lex de stipendio sublata 175
Græci eminentissimum quemque tollentes perdiderunt totam Græciam 282
Græci itidem tropæa fixerunt 126
Græcorum ædificia in duas partes distincta 23 quæ pars viris relicta quæ feminis 23
Græcorum feminæ intimum locũ ædium tenebant 23
Græcorum phalanges multum potuerunt 81
Græcum locutionis genus 76
Grandis vox Vegetio restituta 245 de ea voce Donati opinio 245
Grandæuitas, granditas & grandire verbum 245
Gratianus Valentiniani filius 2
Gratianus Rom. milites neglexit 50 Alanos suscepit 50 à suis interfectus 50
Grauis armatura in acie pro muro 57
Groma quid 295
Grumus quid 295
Gubernatorum peritia & virtute remigum hostes sæpe eluduntur 429
Gubernatorum munus 429 quid in eo potissimum desideretur 433
Gynæciarij 23
Gynæcia dea Græcorum 23

H

HADRIANVS Cæsar conseruator disciplinæ militaris 31
Hadrianus Cæsar militaris rei restaurator 110 quales ipse tribunos legerit 110
Hadrianus Imp. anno xv. militiam iniit. 26
Hadrianus de singulis militibus de moribus & stationibus diligenter inquisiuit 276
Hamis clypeos aduersariorum detraxerunt 396
Hannibalis stratagema 298
Hannibalem sola virtute ducis Rom. superârunt 81
Harpagones lupos vocant 435
Harpagones & manus ferreæ à Liuio confunduntur 434 reclamat Cæsar, Plinius & alij 434
Harum machinarum inuentores ibid.
Hasta sanguinolenta bello indicendo 20
Hastam sanguinolentam & Persæ iecerunt 20
Hastæ datæ militibus 123
Hastatis & principibus diuersis temporibus diuersus locus in acie 58
Hastatos antiqui scriptores in prima acie ponunt 292
Helepolis machina arietis loco ædificari cœpta 359 eius descriptio 359 vnde nuncupata 359 à quo excogitata, & à quo primùm fabricata 359
Helepolis altera descriptio 360
Hiberna 10
Hibernacula 9
Hieme primùm nauigârunt piratæ 322 postea mercatores vt idem facerent auaritia coëgit 322
Hispania olim peditatu valebat 4
Hispani punctim magis quàm cæsim adsueti petere 37
Hispanis quale vectigal impositum 217
Homines ferino more olim viuentes 333
Honorificum de arte militari scribere 94
Horæ annis trecentis Romæ ignoratæ 211
Horæ & horaria quamdiu Romæ ignorata 263
Horologia seu horaria ex aqua miraculi loco fuerunt 263
Hordeum profrumento tyronibus quando datum 40.
Hordeum militibus pro pæna datum 40
Hordearij 40
Horrea publica deponendis speciebus. 220
Horrea istiusmodi & Romana ciuitas & Constantinopolitana habuit 220 etiam prouinciarum ciuitates & mansiones 220 quis ea curârit 220 custodes illis præpositi 221
Horrea publica in quibus pretiosissima quæque deponebant 221
Hosti fugienti non nimis pertinaciter instandum 308
Hostibus in flumine impeditis superuentus commodè infertur 255

I

IACOBITAE quiin Orientefronti characterem crucis imprimunt candenti ferro 97
Iadera ciuitas 410
Iader fluuius Dalmatiæ 410
Iapodes arboribus præcisis Cæsarem ad se venientem defenderunt 311
Ictus pro iactu 401

Ignaui quandoque præstantissimos superârunt 310
Ignis in castris quandoque vetitus strui. 238 ex igne castrorum amplitudo collecta 239
Ignominiosè missa legio nonnunquam restituta 90
Ignominiosi in ludis qui 196
Illustris 1
Imagines diuersa signa ab aquilis 107
Imagines ducum in pompa publica circumuectæ 106
Imagines in atriis domorum 106 eædem quomodo cultæ 106 in funere elatæ 106
Imagines defunctorum in signis 105 quas simulacra deûm videtur appellasse Tacitus 105
Imagines Imperatorum in signis 104 imagines istæ auulsæ in defectionibus. 104
Imagines Imperatorum in nauibus 106
Imagines bonis ducibus etiam in vrbe erectæ 106
Imagines quare videantur gestatæ 105
Imagines deorum in gymnasiis 105 ibidem & philosophorum 105
Impar numerus plenus & magis faustus. 259
Impar numerus magis faustus 70 idem aptissimus religioni 70
Impar pedum numerus in fossis castrorum obseruatus 259
Impar semper numerus in fodienda fossa 70
Impedimentis quis locus esse debet in agmine 242
Imperator quomodo colendus 100
Imperator duabus rebus præcipuè excellere debet 270
Imperatores olim acclamatione exercitus fiebant 100 id nomen Cæsar in summam potentiam vertit 100 eum secuti in eo & reliqui principes 100
Imperatores militum conclamatione facti 136 hi numero simul plures 136
Imperatores exercitus conclamatione facti quoque sub Augusto 137
Imperatores titulos in magnis operibus amârunt 334
Imperatoriæ dignitatis varia nomenclatura 78
Imperatoriæ dignitatis duo præcipua signa in exercitu, classicum & prætorium 184
Imperatoriæ dignitatis tertium insigne. 184
Impuberes tribuni militum 26 idque Imperatorum libidine introductum 26
Incõmoda exercitus vt vulnera tegenda. 308
Indicia & proba oblata in petitione annonæ 221 vnde data illa proba 221
Industria ac diligentia Rom. in arte bellica addiscenda 41.42.429
Ingenui non omnes ad militiã admissi 24
Innumeri milites qui 299
In plenum 273
In procinctu qui steterint, dum fierent opera 71
Inscriptio horum librorum 1.2
Insequi inconsultè periculosissimum est. 308
Inspectores possessionum 218
Institutio homines natura imbecillos, fortes reddit 332
In studiis timor magis quàm fiducia decet 77
Interlunia in capillo tondendo seruauit Tiberius 412
Internicies 401
Interpretamentum 246
Interualla quid 402
Inutiles bello emittendi ante obsidionem 347 in eâ emissione quæ adhibenda diligentia 348
Iouis Iouianum format 46
Iouiani & Herculiani milites 46
Iphicratenses milites 46
Iræ indicium 272
Isis tempestatibus ac nauigationibus præposita 422
Itineraria veterum 239
Iudæi sabbatho defendere se nolebant 278
Iudæorum stratagema 394
Iudicium pro *iudicum* 176
Iugare verbum Vegetio puto dandum 86
Iugum quid sit & qui fieret 42
Iulius Cæsar natandi peritissimus 192
Iumenta bellico vsui necessaria prouinciales suppeditasse 199 sed alere non tenebantur 199
Iuno ex Veiorum opido euocata 127
Iuramenti formula 98 quando ea ceperit initium 98 alia formula sub principibus 99 alia iterum sub Principibus Christianis 99 vbi præstitum 99
Iuramento alio se mutuò obstrinxisse interdum in prœlium euntes 99 ad iuramenta istiusmodi etiam inuitos cogerunt 99
Iureconsultorum opera De re militari 31
Iusiurandum sanctissimum 99 formula & ritus in eo obseruati 100
Iustiniani de militum transitu constitutio 118.119
Iuuenes bello apti, at consiliis seniorum regendi 287
Iuuenes ad venationem assuefacti, exercitationis bellicæ gratia 23
Iuuenes primum in cursu publico, non equi aut currus 10

L

LABARVM signum militare 297 id in summo honore, & adoratum à militibus 297 eius forma in nummo expressa 298 quo tempore primùm in vsu fuerit 297 In effigiem crucis à Constantino mutatum est 298
Labarorum Præpositi quinquaginta 298
Labarum ad partem exercitus declinantem statim delatum 298 disceptatio de nomine huius signi 299 laborum quidam vocant 299
Lacedæmonij quatenus hostem sequerentur 33
Lacedæmonij omnem ferè disciplinam militarem ab Aegyptiis acceperunt. 104
Lacedæmonij vrbem suam non munierunt 338 eorum opinio ab Aristotele improbata 338
Lacedæmonij galeam inuenerunt 61
Lacedæmonij cur læti imminente bello. 38
Lacedæmoniorum pueri ab anno septimo ad disciplinam præparabantur militarem 201 litteras tantùm ad necessitatem discebant 201
Lacedæmonij musices & scientiæ militaris peritissimi 201 etiam virgines & feminæ eorum labore firmabantur. 202
Lacedæmoniorum & Mysiorum ritus ante prœlium 19
Lactes 268
Læua manus oneri ferendo accommodatior 305
Laminas candentes proiecerunt è muro obsessi 396
Lapis è castro Batauico erutus 154
Lapsus magni viriquem non nomino 370
Laquei apud Veget. quales 315
Laqueatores in Ludis 315 in exercitu 315
Laricis arboris ligna non ducunt rimas, neque comburuntur 410
Larix & abies aptissimæ nauium malis. 411
Latinæ linguæ dignitas ex Pandectis recuperari potest 232
Latinum loquendi genus Vegetio redditum 332
Lauri vis 211
Legati in exercitu munus 134
Legatus vnus pluribus legionibus præpositus 134
Legati munus obibant antè præturam. 134
Legatos qui facerent & quales dati 135 plures vni Imperatori dati 135
Legati dictatorij, consulares, & Imperatorij 137 item prætorij 137
Legati exercitus quoque duxerunt 204
Legatus iudicium exercuit & pœnas 139
Legati Reip. 135 ibant redibant inuiolati 135
Legati cum liberis mandatis 135 sine liberis mandatis 136
Legati ab hostibus Romam missi non recipiebantur intra muros 136
Legatus cum ignominia missus 88
Legio quanta Vegetij æuo 83
Legio tota auocari militia solet 89 etiam cum ignominia mitti 90
Legio pedites habet sex millia centum: equites DCCXXVI. 108
Legiones etiam sine impedimentis ductæ. 242
Legionibus nomen à numero 57
Legio fulminatrix 166
Legionem sex millium Marius primus conscripsit 83
Legioni vnde nomen 81
Legionibus nomen ex variis caussis datum 57
Legiones nomen dearum quoque habuerunt 58
Legionum nomina ex lapide veteri 58
Legio linteata Samnitum 198
Legionis numerus sæpe mutatus 82
Legiones Rom. habuerunt XXIII. 205 item sub imperio Augusti XLIV. 205
Legiones venationibus exercitatæ 24
Legionarij omnes ciues Romani 83
Legionarij ipsi animaduertebant 68
Legionarij thoracomacho indutidelineatio 53
Legionarius miles depictus ex tabula marmorea Magontinensi 54 alius è prouincia Narbonensi 55
Legionariorum & auxiliariorum arma diuersa 93
Legitima fossa 69
Leporum tria genera 398
Lenis armatura tota quomodo pugnaret. 60
Lex XII. tab. super mortuorum reliquiis 179
Libella fabrilis 305
Libertini quando primùm militare cœperint 25
Libertini quo loco fuerint in exercitu Octauij 25
Librarij 116
Librarij in exercitu 179
Libratores 116
Libratores in exercitu qui fuerint 190
Librorum magna dissensio super numero legionis 134
Liburnæ quare in prœliis vtilissimæ 410 eædem remis actæ 410
Liburnicæ antiquitus cum singulis remorum ordinibus 408
Liburnicæ figura 408

Liburnicis unde nomen 407
Liburnicæ & remis & velis armatæ 429
Liburnicæ nouum genus 430
Liburnicæ rotatæ figura 431
Lignorum copia obsessis maximè necessaria 222
Lignum recens & tardam nauem efficit & periculosam 413
Limitanei milites 232
Limitantes 232
Limitanei milites Imperij limites tutabantur 145
Limitaneis agri concessi immunes à tributo 326
Linea quid 70
Linea lorica 198
Lintearij quid distent à linteonibus 22
Litterati serui quare vocati 96
Literatores qui 119
Litigiosi, vel publico iudicio damnati ad militiam non admissi 25
Lixæ qui sint 35 vnde dicti 35
Lixæ & calones clamare iussi quò maior videretur exercitus 301
Loca insidiosa cum exercitu non ingredienda nisi ante perlustrata 241
Loca seu horti sagittariis nostris destinati in vrbibus 190 quo fine ea concessa 190
Loci altioris occupandi caussa sæpe publicum prœlium commissum 257
Locus altior commodior castris & pugnæ 257
Locus superior quam ob rem occupandus 289
Loci salubritatem quomodo Romani explorarint antequam vrbes aut castra ponerent 209
Loci salubritas qui exploretur 63
Loci munitio quotuplex 337
Locutionis rarum genus 36
Longitudo rei exacta ad lineam 70
Lorica coriacea 198 ferrea 198
Loricæ antiquis variæ 198
Lorica vrbes circundatæ 402
Lorica illa vnde dicta 402
Luculli audax & memorabile stratagema 247
Lucullus qua perfidia Lusitanos deleuerit 278
Lucullus qua parte peccarit 277
Ludi ob populi voluptatem instituti 193
Lunæ defectio ignorata militum animos percutit 427
Lupi, minotauri, equi, apri inter signa militaria 103
Lusitani ad exercitum non ibant sine vtribus 248
Lusoriæ naues 442
Lusoriæ sagittæ 442

M

MACEDONES etiam Macetes dicti 312
Macedonum turmæ olim ex consanguineis 84
Macedones toto mense Iunio non pugnabant 278
Machinæ & organa quid differant 393
Machina qua Helepolis intra murum pertracta est 381
Machina omnis proportionem habere debet ex fine & effectu 392. 393
Machinarum partes præcipuæ 393
Machinæ magnitudo ad pondus saxi vel teli respondere debet 393
Machinæ variâ materie contectæ 365
Machinarum explicatio valdè difficilis. 358
Machinis aliquot bellicis nomen ab animalibus tribuerunt 368
Macrinus Imper. arma prætorianorum mutauit 56
Mæcenas notarum inuentor 170
Magister equitum à quo dicebatur 13
Magistri qui primas literas docent 119
Magistri militum in locum legatorũ 138
Magistri militum quando esse cœperint ambiguum est 138 reperti sub Constantino 138 sub Diocletiano, & Probo 138
Magna inter veteres libros pugna 148
Magistratis rei qui commeatu hostem aut telis aut pecunia iuuant 350
Maiores dignitates & Magistratus ab Imp. proditi 26
Maison vox Gallica vnde dicatur 302
Malleoli quid sint 376
Malleolorum elegans descriptio 376
quomodo emitterentur 377
quomodo extingverentur 377
Malo more 231. 238
Maltha ignis genus defensioni paratum. 349
Manipulus signum militare 150
qualis & vnde confectus 150
Manipulus vnde dictus 149
Manipuli maiores antiquitus quàm Vegetijæuo 149 quot milites in manipulo 150
Manlius Torquati nomen meruit 120
Mansiones quid fuerint 302
Mansionibus exstruendis, reficiendis certi olim curatores 302
Mansiones à prouincialibus instruendæ 302
Mansiones à manendo 302
Manubalistæ 393
Manubiæ quid 125
Manus ferrea quam Archimedes excogitauit 435 ea manu naues ille totas quassauit, eleuauit 435
Marcellus 275
Mare Aequinoctiali sidere maximè tumet 428

Mare numquam eodem tempore quo pridie refluit 428
Mari nihil infidelius 420
Maria quamdiu dicebantur clausa 421
Marius seruis in bello vsus 83
Marium serui secundò sequi nolunt 83
Marius communem cum gregariis laborem subiit 261
Marij prouidentia 344
Marius, bello Cymbrico cur in castris se diutiùs continuerit 288
Mars deus belli 125
Martis patria 75
Mars Deus Thracum 75 vbi maximè cultus 75
Marti captiuorum hostiis Thraces litarunt 75
Martiani de ferro constitutio 349
Martiobarbuli vnde dicti 45
Martianopolis Mœsiæ ciuitas 75
Matres fam. Rom. primum locum ædium tenebant 23
Matricula quid & vnde dicta 73
Maximè timidis in prælio maximum semper imminet periculum 308
Maximianus Herculius vocitatus 46
Maximinus tyronibus præfectus in exercitu Alexandri Cæsaris 146 quàm egregiè illo munere functus sit 146
Medi suum imperium annos CCCL. tuiti sunt 75
Medici à quo primùm immunitatem acceperint 119
Medici in singulis legionibus 141
Medidies pro *meridies* 263
Meditari pro *exercere* 56
Meille pro *mille* cur veteres scripserint 3
Memnonis nocturna eruptio 375
Mendicitas militaris quæ damna det 210
Menses triplices 412
Mensibus nomina ab Augustis imposita. 334
Mensores 115
Mensor frumento metiendo à quo adhibitus 346
Mensores quomodo hospitia adsignabant 117
Mereri stipendia 87
Meridiem antiquissimi ignorârunt 266
Metatores 115
Metellæ quæ, & earum vsus 343
Metelli qui 35
Metelli apophthegma 240
Milites labore promoti non ambitione. 132 idque post longam probatam q. militiam 132
Miles otiosus promtus ad seditiones 41
Miles tertiam domus partẽ habebat 117
Miles ab hospite nihil poterat petere 117 non oleum, culcitas aut lignum 117
Milites sine intermissione exercendi 12
Milites à tribunis exercitati post sub oculis ipsius Imp. exerceri debent 273
Milites tam hieme quàm æstate exercendi 41
Milites in sedibus quoque exercendi 41 etiam in pace 42
Militem bene vestire oportet 210
Milite moriente debitum heredi persoluendum 221
Militis veterani cum elephanto pugna. 325
Milites potiùs exercendi quàm athletæ. 197
Militis nomen in scuto scriptum 167 vnà cum centurionis nomine 167
Milites sæpe arma & annonam portare coacti 49 iidem & vallum tulerunt 49
Milites pro humatione suorum quàm olim soliciti 179 sæpe pactum inierunt de sepeliendis cæsis 179
Milites splendentibus armis incedere præpositis honori dabatur 146
Milites lecti XXX. diebus se parabant 18 datæ tamen in eo excusationes 18
Milites exercitatilibenter pugnant 6
Milites indocti periculis magis obnoxij 6
Milites & athletæ hieme sub tectis exercitati 191
Miles sine gladio è vallo progressus capitè plectebatur 155
Milites alij aliis vestibus distincti 236
Milites quinto quoque die decurrere iussi 146
Militibus puncta in manu 96
Militum pœna qui se patiuntur detineri. 176
Militum pœnæ leniores XVI. 225. 226 graviores XXIIII. 227
Milites optimi ex temperatioribus plagis 6
Milites strenui pro concione laudati 120
Milites non minùs laudibus quàm præmiis mouentur 120
Milites suo stipendio contenti esse debent 118
Milites donis ornati in triumphum veniebant 124
Milites Romani sumtu priuato militârunt 173 quando stipendium de publico acceperint 173
Milites positis castris statim suum quisq. locum agnoscebant 140
Milites de Repub. tuenda solùm oportet esse solicitos 175
Miles ieiunus disciplinam seruare non potest 213
Militibus pugnare non licet sine permissu ducis 98
Milites ad hostem transeuntes plus nocent quàm qui fugiunt 57
Milites gladio cincti fodiebant 259
Militum pœnæ & supplicia 69. 225. 226 227. 228

Milites stigmatis seu punctis signati 96
Militibus in Circo pugnantibus nomina fingebant, ad imaginem bellicam 187
Miles inexercitatus fœmina 186
Militum nostrorum insigne ex coloribus vestimentorum 236
Milites fide & viribus commẽ dantur 270
Milites obesi multati 21
Milites negotiari non debent 176
Miles in zonula semper aliquid habere debet 210
Milites opera olim fecerunt 15
Milites in suburbanis hibernârunt 119
Militibus de ducis voluntate constare in confusione prœlij interest 308
Milites armati etiam cum sarcinis decurrebant 192
Militibus qualia distributa dona 120
Milites omnes olim ingenui 24
Milites obiurgati si arma rubigine obducta essent 152 puniti si vendiderant aut amiserant 152
Miles debitum sibi poscere tenebatur intra annum 221
Milites ad matrimonia non admissi 12
Militi iniurato non permissum pugnare cũ hoste 97 alioqui cædis reus erat 98
Milites inobedientes seueriſſimè castigandi 7
Milites artissimè habendi sunt 7
Milites per se disciplinæ negligentissimi 7
Militem modestia commendat 7
Milites quàm diligenter olim adscripti 25
Militibus hospitia in magnis ciuitatibus tributa 119 ab eo hospitio quidam immunes 119
Militem sortitione lectum quis primus eduxerit 19
Militum valetudo curanda 212
Militaria delicta quibus rebus aucta 231 quibus rebus minuta 231
Militares sumtus leuandi ratio 129
Militares in bello maximè promouendi 143
Militaris disciplina mutata 132
Militiæ tria genera 17
Militia legitima quæ 17
Militiæ initium anno XVII. 13 finis anno XLVI. 13 vel, vt aliis placet L. 13
ad militiam euntes primum annum sub custodibus agebant 278
Millenariæ cohortis explicatio 107.108 in ea centum decani 107 in eius numero dissensio librorum 108
Minæ in propugnaculis 339
Minotauri effigies inter signa 241
Misenum promontorium vnde nuncupatum 406 quando ibi & Rauennæ stare cœperint Romanæ classes 407
Missionum tria genera 87
Missio ignominiosa à quo fieret 88 quis ritus in ea missione 88 formula eius 88 qui mitterentur 88
Missionis quartum genus 89
Missio gratiosa etiam quinto loco numerata 89
Mithridates armorum fabricas opidatim instituit 145
Mithridates inuictum suum exercitum quũ fecerit 191
Mithridates curribus falcatis vsus 322
Modij & sextarij in ciuitatibus publicè asservati 217
Mollities nostrorum militum 49
Monachi militare coacti 96
Monoxylus quid sit 251
Monoxylis Cæsar vsus in Britannia primùm 251
Monoxylos Romani carpentis vbique circumuehere solent 251
More maiorum formula vsitata 231
Mulcare quid 228
Multa nomina posteriori ætate termini lationem mutârunt 246
Munifex & *munificus* diuersa sunt 130
Munifices milites 129
Munifices valdè grauati aggerundis lignis 70
Munimina, munimenta 314
Municipes vnde vocati 129
Municipibus non licuit suos muros reficere absque consensu principis aut præsidis 270
Munus tribus modis dicitur 130
Murices 322
Murus vnde dictus 57
Murus si decutiatur, nouus intrinsecus ducendus 378 qua ratione id hodie fiat à nostratibus 378
Murus in exercitu armatura grauis 162
Murum duplicem Tyrij duxerunt obsessi 396
Muri apud antiquos ex variâ materie 337
Muri & machinamenta ante metum hostium reparanda 219
Muros ciuitatis Romanæ augere qua causa Principibus persuasum 337
Murorum altitudo extrinsecus qua ratione colligatur 404
Murorum ciuitatis quæ figura optima 338
Musculus vnde nuncupatus 368 eius figura 368 alia descriptio 369 eius vsus 369
Musculus genus piscis quale 371

N

Q. Naevius centurio primus velites excogitauit 296
Nam pro *Sed* vsurpatum, & contrà 160
Naphtha apud Persas gignitur 349
Natando etiam domi milites exercitati in gymnasiis 192 illi reiloca publica destinata 192

Natando sæpe milites exercitati 192
Natatur in mari facilius quàm alibi 192
Nauali bello adiuuatur terrestris prœlij multa fieri solita 438
hîc & prælusio usui 438
Nauale propugnaculum cum turri 437
Naualis prœlij elegans exemplum 437
Nauali prœlio Rom. vexillum efferebant 237
Nauarchi qui sint 428
Nauem Lydi omnium primi fabricârunt 410
Naues æratæ 432
Naues aliæ plures habebant remorum ordines 414
Naues à ministerio & statione nominatæ 408 etiam à forma 408
Naues cera vnctæ 416
Naues è vimine pellibus contextæ primùm excogitatæ à Cæsare 254
Naues fluuiales quæ vtrinque gubernaculum habeant 255
Naues quæ compingi & rursum dissolui possunt 253 earum figura 254
Naues quâ ratione coniungerentur ad vicem propugnaculorum 436
Naues lusoriæ 82
Naues transmisso exercitu incensæ, vel remissæ vt spes omnis fugiendi adimeretur 255
Naues, trigesimo die post cæsas arbores, nauigârunt 413 iterum à die quadragesima 413
Nauibus nomina à prouinciis 407
Nauigandi vsus quamdiu Epeirotis incognitus 355
Nauigatio certis diebus secura creditur 420 reuera autem non est secura 420
Nauigationis dies natalis 421
Nauigium longè maximum 415
Nauis cuiusdam nomen quæsitum 416
Nauis longæ rostratæ figura 441
Nauis prætoria noctu lumine insignis 439 ex ea naui elatum signum, indicium pugnæ 439
Nauis prætoria vexillo aliquo semper insignis 439 id confirmatum testimonio Taciti 439
Nauis prætoriæ in acie locus 440
Nauis quadraginta ordinum 415
Nauis semper aduersa obijci debet 433
Nauium conficiendarum rationem barbaros docere non licuit 350
Nauium conuentio ad Misenum & Rauennam edicta 407
Nauium longarum inuentio Iasoni tributa 409
Nauium rostratarum impetus 432
Nauta comes fluctuum 420
Nauticus vocabulum probum 428
Necessitas legem non habet 210
Necessitas multa offert quæ duces præuidere non possunt 210
Nihil in bello contemnendum 274
Nini copiæ quantæ fuerint 203
Nisi pro *Sed* 264
Nocere passuè 342
Noctu explorare tutissimum 242
Noctu Lunæ rationem habere cur oporteat 289
Noctu oportuna superueniendi occasio 256
Nodus quid 303
Nomina in *osus* abundantiam designât 47
Non pro *Non solum* 429
Notæ Thraciæ seu Threciæ vnde 96
Nota quæ militem superstitem indicabat 170 alia quæ indicabat mortuum 170
Notarum periti milites requisiti 169
Notarum peritia vbi militibus vsui 169
Notarij dicti à notis 169
Notarum inuentio Mæcenati tributa 170
Nullus nisi 332
Numantia aggere clausa quamquam pugnam non detrectaret 368
Numantia mensibus quindecim obsessa 283
Numantini belli origo & fons 283 sex consules præter ignominiam à Numantinis nihil retulerunt 283
Numantini belli tempus variè scriptoribus traditum 283
Numantini ciuitatem suam flamma; se ferro ac veneno contumunt 284
Numeri quid sint 84 distincti à limitaneis 84
Numerorum militarium nomen generale 78
Nummus Constantini 103
Nummus Galbæ 273
Nummus Hadriani 271. 430
Nummus Magnentij 166
Nummus M. Antonij 196. 298. 430
Nummus Traiani 123
Nuntius quomodo emittendus & recipiendus 238

O

Obsessi aliquoties lacessiti erumpere debent, cùm minimè exspectantur 286
Obsessorum negligentiæ licentia tribuitur vt post opprimantur 401
Obsidentibus maximè opus perseuerantia 405
Obsidentibus quoque sua negligentia nocuit 401
Obsidij species duæ 344
Obsidionem duraturam simulasse profuit 400
Obsidium qua caussa instituatur 218.
Occulta quadam ratione alios contra alios melius dimicare 6
Ocreis milites donati 123

Octauius Augustus parcissimè commeatum dabat 172
Octauius 3
Octauianus dictus ex adoptione 3
Olei ad incendium vsus 349
eiusdem olei confectio 349
Oleum incendiarium 349
Omnis nisi 332
Omnis pro *omnes* veteres scribebant 268
Onagrum cum Scorpione Ammianus confundit 392
Opera etiam ipsi Imperatores circumibant 260
Opera dum fierent, alij in procinctu stabant 260
Opidani ex tectis pugnant 399
Opida noua condita ad memoriam insignis victoriæ 335
Opidũ quibus rebus bene sit munitũ 338
Opidum quod teneri non posse videbatur incensum 345
Opifices & sellularij militiæ adscripti 18
Opinatores qui 347 vnde illis nomen 347
Opinatores alij 347
Opsonium pro stipendio 174
Optiones frumenti 347
Optiones supplendis legionibus 113
Optio dicebatur antea accensus 113
Optionis alia significatio 113
iterum alia 118
Oratoribus Romæ tempus clepsydris præscriptum 264
Orbe facto pauci multos sustinent 73
Orbibus instruendis editiora loca quærenda 73
Ordinantem aduersarium inuadere consultissimum 301
Ordines non seruare in acie capitale 72
Ordines quàm arctè Rom. seruandi 188
qui non seruârunt securi percussi 188
Ordinum seruandorum necessitas quandoque damnosa Rom. 72
Orion nauigantibus infaustus 419
Orpheus homines à ferino viuendi more auocauit 334
Ortu & occasu dies tantũ distinctus 266
Osculana pugna 331
Otho qua ratione ad imperij culmen peruenerit 276

P

PABVLARI, frumentari, copiari verba castrensia 212
Paces 268
Pagani militibus oppositi 193
qui sint 193
Pala instrumentum rusticum 200
Palaria quæ 36
Palariorum exercitium 188
in Palatio Cæsarum nemo promotus, nisi veræ ac catholicæ religionis esset 174
idem obseruatum in militia armata 174
Palmaria Stewechij emendatio 186
Palorum vsus & militibus & gladiatoribus vtilis 36
Palos milites fudibus cominùs petebant: eminùs verò missilibus 188
Paludes cur vitandæ in munitionibus. 211
Pamlectæ Florentinæ quomodo & quibus characteribus scriptæ 95
Pandectas iuris ad recuperandam Latinæ linguæ dignitatem idoneas 232
Papiliones vnde dicantur 9 quid sint 9
quomodo fiant 9
Parma velitum tripedalis 296
Particulatim 309
Paruissimus Latinum verbum 29
Pastores armati 25
Paterni Iureconsulti nomen 30
eius fragmenta ex Pandectis 30
Paternus quando vixerit 30
præfectura Prætorij functus 30
Paternus interemptus 30
Paulus Diaconus 284
Patroni horreorum publicorum custodes 220.221
Paulus Diaconus Festum mutilauit magno rei literariæ damno 241
Pauli Iurisconsulti fragmenta, De pœnis militum 225
Pecunia adtributa quid 216
Pecuniæ pupillares in ærarium depositæ 216
Pedatura quid sit 259
Pedis vna diuisio in XVI. digitos 16
altera diuisio in XII. vncias 16
Peditum exercitatio 48
Pelles pro tentoriis 9
Pelopidas 275
Peltastis nomen vnde 292
Peltati, cetrati, scutati &c. vnde dicti 57
Pensatores stipendiorum 174
Percutere fossam, id est, facere vel ducere fossam 258
Perfindere aciem 294
Persæ mercenario milite non vsi 85
Persæ testudine vsi 158
Persæ vexillum flammeum ante prœlium exspectabant 237
Persarum nocturna eruptio 376
Petere vox gladiatoria 36
Petitiones 36
Phalangis instructio 81
Phalaricæ descriptio 377
Phalarica dicta à phalis 377
Phaleræ militibus datæ 123
Phaniæ præfecti Aphrorum stratagema. 281
Phari in locis maritimis 263
vnde dicti 263
Philadelphi naues ingentes 415
Philopatri nauigium 415 in ea naui milites quater mille 415 item rostra septem

septem, gubernacula quatuor 415
Philosophorum imagines in gymnasiis 105
Phrasis antiqua 212
Pila eadem quæ fycula 62
Pilæ seu globuli siue circuli in signis etiã liberâ rep. 107
Pila inter signa militaria 107
Pilani triarij dicti 58
Pilatis militibus vnde nomen 57
Pilei elegans descriptio 61
Pilei Pannonici 53
Pinnæ murorum vnde dictæ 236
Pinnæ in galeis militum 236
cur adhibitæ 236
Piraticæ naues 416
Piscatores bello inidonei 22
Piscator militum tribuno concessus 22
Pittacium quid 73
Placentarius quis 22
Plaga grauior cum saltu cursuque infertur 189
Plinius à Tertulliano & Vitruuio dissentit 358
Plumbatæ iacula non glandes 155
Plumbatæ in castigationibus olim quoque vsurpatæ 190. 191
Plumbatæ missilia non glandes 403
Plumbatæ bifariæ 403
Plumbata tribolata 403
Plumbata mamillata 403 vtriusque descriptio 403
Plumæ in galeis 60
Plus audire quàm loqui debet homo militaris 151
Plutarchus reprehensus 82
Pluteorum vinearumque vsus 364
Pluteorum forma 364
Pluteorum materies vimina fuerunt 367
Plutei militares 367
Plutei rotis mouebantur 367
Pluteorum & vinearum diuersus vsus 367
Podismus quid 117. 257
Pœna eorum qui priuatis vsibus militem destinant 176
Pœnæ militares 225
Poliorce 359
Pompeij peruersa opinio 189
Pompeius contra Sertorium missus 34
Pomponius Lætus aliquot capita à Vegetio mutuatus est 144
Pons cuppis colligatis quomodo fiat 247
Pons ex tabulatis 251. eius figura 251
alius pons 253
Pons ex vtribus confectus 250
eius pontis descriptio 249
Pons protrusus ex medio turris 374
Pons, transitus exercitus, dissoluendus est 255 si rediturus sumus, præsidijs muniendus 255 idem faciendum in ponte per quem commeatu iuuamur 255. cataclasta etiam his imposita 255
Pons sæpe incensus vt spes omnis fugiendi adimeretur ignauis 256
Populi à Cæsaribus cognominati 47
Porcus quinto loco inter signa 103
Portæ ciuitatum à Cæsaribus cognominatæ 47
Portæ Decumanæ locus 67
vnde ea dicta 67
Portæ in castris quatuor 67
Portariquæ dicuntur 48
Portarum itinera directa esse non debent 338
Positæ & repositæ fabulæ 197
Positiuus pro Comparatiuo tam in nominibus quàm in aduerbiis 315
Possessiones & possessores 344
Postæ nostrates 10
Potentia in iunioribus, insenioribus prudentia 287
Potestates dicti, & qui in dignitate constituti erant 275
Potius hostium passiuè dictum 370
Potius, Magis & similes particulas boni scriptores frequenter supprimunt 426
Potus gratia milites exire sæpe coacti 281
Præcedendi verbũ Vegetio redditum 404
Præclarius est ingenio quàm ferro hostem vincere 348
Prædæ militibus concessæ duplex ratio fuit 127
Præda omnis in publicum sæpe relata. 127
Prædam nonnunquam vendere milites coacti 127
Præda tota quæstoribus permissa distrahenda, pecunia militibus diuisa 127
si plures de præda diuidunda contenderent, sorte res decidebatur 127
Prædæ pars cremata in honorem deorum 125
Præfacere pro *præficere* 244
Præfecti castrorum authoritate, fontes damnabantur 68
Præfecti prætorio exercitus duxerunt. 264
Præfecti prætorio sub principibus vt magistri militum sub dictatoribus 182
illi plures fuerunt 182
Præfectus castrorum legati authoritatem exercuit præter morem 139
Præpositiones geminatæ à veteribus 69
Præsidium vnde dicatur 224
Præstasse pro Præstitisse 5
Prætentæ & Prætenturæ quid sint 5
Prætenturarum etymon 11
Prætores etiam exercitus duxerunt 204
Prætores honorarij 28
Prætoria castra 262
Prætoria cohors quæ 84
Prætoriam cohortem apud Thebanos Gorgydas primum constituit 84
ea sacra dicta 84 publico sumptu alta

alta 84 constabat ex consanguineis 84
Prætoriani & pedites & equites fuerunt 84
Prætorianis sua signa priuata 84
Prætorianorum munus 84 stipendium sesquiplex 84
Prætorij locus in castris 67
Prætorij qui 24
Prætorium vnde dictum 261
Prætoria opidatim in prouinciis constituta præsidibus 261
Prætorium certa pars villæ 262
Prætor olim quicunque exercitui præerat 84
Primicerius quis 181
Primicerij in omnib. ferè officiis 181.182
Primipili centurio aquilæ præfuit 131 reliquis centurionibus imperabat 131 primum à tribuno locum tenebat 131 tribunum interfecit 131
Primipili commoda 180
Primipili maxima dignitas in prima legione 131
Primiscrinij etiam primicerij nuncupati 181
Primus hastatus quid 131
Primus hastatus quot milites duxerit 131
Primus pilus quid 130 quomodo ad primum pilum centuriones ascenderunt 130 ea de re locus Vegetij aliàs subobscurus 131
Primus princeps 131
Principes arma distribuenda curasse &c. 51
Principes in deos referendi ritus 77
Principes leuiores pœnas inferebant 68
Principes posteriores ambitiosissimos titulos adamarunt 77 domini generis humani libenter audiebant 77 item mundi domini 77
Principes Rom. in re forensi multa immutarunt 112
Principes vel Augusti & Imperatores exercitus quid differant 136
Principia pro principibus 60. 109 pro ordine principum 60 locus in castris 60
Principum effigies in nummis aureis, argenteisque tantùm ad honorem, non ad vsum publicum 174
Post principia quis locus sit 59
Priscianus ad confirmationem suæ opinionis Vegetij testimonium produxit 62
Probatoriæ in Palatina militia vsui 172 itidem in castrensi 173
Probatoriæ militum principis manu subsignatæ 173
Probatoriarum exemplum in scrinijs seruatum 173
Probatoriæ, literæ seu instrumenta 172
Probosci, & promusci 326
Probri metu emendati milites 188
Processio, ambulatio exercitus 185
Proconsule, prorege 137
Procubitores quales 266
Procuratio, apparitio pro *procuratore, apparitore* 112
Prælij ineundi varia signa proponebantur 237
Prœliorum res optimè disponitur quando in pace tractatur 219
Prœmia victis quoque proposita 40
Prœmium in restricta significatione 178
Professio apud Magistratum qui fieret. 219
Proficiscente exercitu, si superueniat hostis, difficulter consistunt qui absunt à periculo 245
Prognostica quæ ex luna colliguntur 425 quæ ex sole 425
Programma in pariete fixum 233
Proletarij quando milites scripti 267
Promiscuè & diligenter opposita 168
Propagare verbi vsus apud Latinos 218
Propugnacula ante portas 339
Propugnacula in nauibus 436
Pro rata 341
Prorogatores 347
Prosecutores auri publici 219
Prouido duci id semper cauendum ne à tergo hostem relinquat 267
Prouinciæ Principibus Roman. nomina dederunt; & vicissim ab iis acceperunt nomina 334.335
Prouinciæ non omnes eadem tributæ coactæ 217
Prouinciis multa eaque diuersis titulis Rom. imperabant 217
Prouinciis imperatum tributum, milites, equi, naues &c. 216
Prouinciales iure tributorum quasuis annonarias species inferebant 213 easdem ad limites & mansiones conferebant 213 itidem munera præstabant, angarias, parangarias, plaustra &c. 213
Prouinciales longiùs non debebant euocari ad conferendas species 215 præmoneri solent vt indictionē præparent 215 id duabus de causis factum 215
Prouinciales tributa non soluentes quomodo coacti 217 fundi sub hasta distracti 217 etiam suppliciis ad persoluendum cogebantur 218
Prouincialis persoluta sua capitatione non poterat cogi ad præbenda iumenta, seruos 214
Prudentes qui penum condunt antequam bello lacessuntur 215
Pueri in castris educati 12
Pugnæ & naumachiæ in Circo Rom. exhibitæ 187
Pugnandum sæpè non quia tu velis, sed quia hostes iubent 244

Pugnandi genus optimum 73
Pulsandi verbum non vulgari notione acceptum 344
Puluis exoriens signum aduentantis hostis 238
Putei sæpe in exercitu fodiendi 352 vbi naturalis quædam ratio sequenda 352
Pyrrichiarij 49
Pyrrichiarij motus in decursione adhibiti 185
Pyrrhus militaris disciplinæ peritissimus 324 idem præstantissimus imperat. 324
Pyrrhus quando ceperit Elephantos 325

Q

QVADRIGAE vnde dictæ 316
Quadrigis falcatis Persæ ferè vsi 316
earum quadrigarum descriptio 316
Quadrigæ falcatæ depictæ 317
Quadrigas falcatas excipiendi ratio 318
aliæ rationes 318
Quadrigas primùm iunxit Erichthonius 195
Qualis qualis, qualiter qualiter pro *qualiscunque, qualitercumque* 95
Quando pro *quandoquidem* 404
Quatinus quatenus quid differant 149
Quantus pro *quot* 232
Quingentaria cohors vnde dicta 109
Quinqueremium constructio difficilis Romanis 414 maiores quàm quinqueremes in pugna Actiaca 415
Quintius ex agro ad Dictaturã vocatus 13
Qui rem difficilem militibus promittunt viam ostendere debent, qua ad id perueniendum putant 288
Quirites appellabant quibus militiæ ius ademtum volebant 90
Qui sexto casu antiquissimum 363

R

RADICIVM, *cruicium* & similia 176
Ratio, non alea, sequenda in subeundo publico conflictu 269
Receptui canere 183 Receptus quid 183
Refacere 5
Refundere est reddere, restituere 51
Regimentum 247
Regradatio militum qualis fuerit 180
Reipub. conseruandæ duo maximè necessaria 215
Rei militaris scriptores, Græci, Latini, Italici, Gallici, Germanici 31. 32
Remiges in arena primùm remigare docti 429
Remiges quales probati 429
Remigium pro *remigum* 433
Remi ne defricentur in pugna nauali cauendum est 433
Remorum ordines in latitudinem considerandi 433
Repeta, ἀρπίρετα olim efferebant 414
Res ad triarios rediit 74
Res Romana pro *Repub.* 293
Retibus illaqueatos hostes ex turribus defecerunt 80
Reuma quid 396
Rhodij periti rei nauticæ 426
Rigor salutaris vincere debet Inanem speciem clementiæ 277
Robor pro *robur* 12
Rogum ter armatis circabant 183
in rogum spolia iniecta 183
etiam dona militaria 185
Roma direpta 185
Roma vnde dicta 2
cur non Romula vocata 334
Romana acies phalange Græcorum præstantior 334
Romani arma mutârunt tempore Gratiani 81
Romani à diuersis subiugati 50
Romani disciplinam militarem à Græcis acceperunt 104
Romani etiam certis diebus non pugnabant 278
Rom. ipsi barbari à Græcis nuncupati 82
Romani in delectu non respondentes puniti vt proditores 18 sed postea mutata est illa pœna 18
Romani in Hispania multa gesserunt sine auxiliis 85
Rom. non magnos ducebãt exercitus 204
Romani multa à Græcis in disciplina belli sumpserunt: illi ab Aegyptiis 61
Romani possessionibus suorum multa indixerunt 28
Romani post annum sextum reliquias suorum condiderunt 179
Romani pro lorica thoracomachum induebant 52
Romani quando primùm hiemem in castris continuarint 9
Rom. quando primùm mare ingressi 414
Romani qua ratione alias nationes subegerint 5 id pietate & religione factum Cicero putauit 5
Romanis etiam à barbaris suppeditata auxilia 208
Romani statura breui 4
Romani valdè in nauigando primùm temerarij 419 ea causa maximum accepisse damnum 419
Romuli legio quanta 82
Rorarij qui 59 quomodo pugnarent 59
Rostra nauium in fronte 431 illa sæpe plurium dentium 431
Rostra illa ex ære 432
Rostra quibus nauibus adhibita 432
etiam minoribus nauigiis imposita 432
Rostrorum figura 432
Rostrorum inuentor 432
Rudibus gladiatores pugnare discebãt 37
Rudibus quoque milites exercitati 189

Rudibus totæ legiones inter se digladiatæ 189
Rumores falsi sparsi vt parati esse ad pugnam adsuescant 243
Rustici meliores milites quàm vrbani 7
Rutrum vnde dictum 200

S

Sacerdotes quando tributum Romæ primùm dederint 216
Sacra ante egressionem facta 19
etiam ante prœlium 19
Sacramenti nomen à disciplina bellica ad Ecclesiam tractum 100
Sacramentum militare quomodo antiquitùs præstitum 98
Sagittarij 141
Sagittarii qui sagittas edolant 241
Sagittariorum collegiis priuilegia, & fundi dati 190
Sagma quid 142 Sagmarij 141
Sagmarij iterum Veget. restituti 242.244
Sagmatarij equi singuli in contuberniis singulis 142
Sagunti mœnia qualia fuerint 338
Saguntini capta ciuitate hostibus diu restiterunt 378
Salassi vna salis inopiâ se dediderunt 355
Salem hostibus vendere capitale est 355
Sales plurale à *sale* 355
Salis inopiâ in morbos incidunt Rom. 355
Salis vsus quã diu Epeirotis ignotus 355
Salpicta pro tubicine 234
Saltatio armata 49
Sambucæ figura 383
Sambucæ naualis descriptio 383
Samiare vocabulum militare 152
idem Vegetio restitutum 152
Samiatores in exercitu qui fuerint 152
Samnitum tota legio cristata 148
Samsonis stratagema 345
Sanguine abundantes in vulnera præcipites 6
Sanguinis indigentes vulnera metuunt 6
Sarissa hasta 326
Sarraca 282
Scalarum noua forma 339
Scalarum variæ figuræ 340.341
Scalas oppugnatorias Capaneus excogitauit 339
Scaphæ speculatoriæ 416
Scaphulas ex arundinibus Semiramis fecit 254
Scelerati quoque ad stipendia admissi, & captiui 26
Scenici non laudem, sed præmia spectabant 197
Scenicas donationes M. Antonius quatenus temperârit 197
Scenici infames erant 197 quando primùm Romam inuecti 198
Schemata aciei vnde nomen sumserint 306
Scindulæ à quo nominatæ 191
Scindulis Roma cõtecta annis CCCCLXX. 191
Scipionis callidum consilium 278
Scipionis cautio contra superuentus dum frumentaretur 280
Scipio disciplinam militarem restaurauit 283 quibus id rationibus effecerit 283
Scipio singulis cohortibus sagittarios miscuit 42 idem disciplinam castrensem emendauit 42
Scorpionis descriptio ex Ammiano 392
Scorpioni vnde nomen 392 cur onager appelletur 392
Scorpiones Vegetio manubalistæ 393
Scorpio aliud ab onagro 393
Scorpio etiam pro telo 393
Scorpio vnde nominationem acceperit. 393
Scorpionibus epistolæ missæ 238
Scribendo & res gerendo clari simus 94
Scrinia diuersa 172
Scrinia principum diuersa fuerunt 109
Scultatores qui fuerint 156
Scuta genibus illidere signum prosperitatis 272
Scuta militum pariter & centurionum nominibus inscripta 167
Scuti perelegans descriptio 198
Scutis milites innixi transmeabant flumen 249
Scutorum & clypeorum discrimen 156
Scutorum longitudo, latitudo 59
Scutum amisisse præcipuum flagitiũ Lacedæmoniis, itidem & Germanis 155
Scutum quatere ac rotare pertinuit ad numeros armaturæ 151
idem vsui in ludo trochi 151
Scutum tyronis primo anno candidũ 167
Scuta militum tegmentis induta ad custodiam 167
Secundicerij 182
Secũdus hastatus quot milites duxerit 131
Securi percussi in mediis castris 69
Sedes militares vnde dicantur & statiua 224
Seditio animos imbelles detegit 223
Seditiosi potius carptim mittendi 90
Sed particula rationaliter posita 186
Sed vsurpatum pro *nam* 168 id magni quidam viri non animaduerterunt 168
Seges belli tempore exusta 345
Semiramis 253.254
Senatores ab equitibus tunica discreuit 111
Senatus cõsulti in necessitate reip. formula 206 vni quoque consuli commissa 206
Senes nomina militiæ dare coacti 18
Senes plus consilio præstant quàm adolescentes manibus 287
Separati exercitus facilius superãtur 278
Sequi exempla 282

Sera parcimonia est, seruare velle cùm deſit 347
M. Sergius ferrea manu pugnauit 305
Sertorius exiguo militum numero Rom. ſæpe ſuperauit 275
Sertorius paruo exercitu plurimis reſtitit 34 diuerſos duces ſuperauit 34
Serui ad ſtipendia vocati 25 priùs tamen libertate donati 25
Serui à militia prohibiti 24
Serui in exercitu armis ferendis 142
Serui in ſycophantiis inuenti, puniti 138
Serui notati in fronte 97 poſtea id interdictum 97
Seruij Tullij lex 13
Seſquiplares 128
Seſquiſenex 128
Seuerus diſciplinam maiorũ corrupit 11
Seuerus domi vxores militibus permiſit 12
Seuerus Imperat. cur filios abduxerit ex vrbe 11
Sexti Iulij Frontini ætas 94 ſcripta 94
Siglis veteres multa ſcribebant 133
Signa amittere valdè dedecoroſum erat 102
Signa caſtris poſitis primo loco figuntur 65 ab iis ſine commeatu non diſcedendum 72
Signa cohortium qualia 107
Signa deſeruiſſe capitale 188 hac de re Charondæ lex 188
Signa & literæ in vexillis Rom. 104
Signa legionariorum, auxiliariorum & Prætorianorum diuerſa 83
Signa legionum ex nummis M. Antonij 66
Signa militaria quando ornata 106
Signa militaria tempore pacis vbi & à quibus cuſtodita 18
Signa quorum imagines geſſerunt 104 etiam defunctorum 105
Signarius 130
Signa tempeſtatum & ſerenitatum 424
Significare 5
Signiferi tardiores à ducibus interfecti. 102
Signiferi quamobrem literati eſſe debuerint 179
Signifex 130
Signis in magna militum multitudine voluntas ducis oſtendenda 238
Signis militaribus multum religionis deferebant 104
Signis poſt terga illatis ſæpe hoſtes fugati 305
Signorum bellicorum inuentores 103
Signorum figura 66 figebantur in terram 66
Signum diurnum etiam panno rubro datum 238
Signum nocturnum flammæ, diurnum fumus 238
Simulacra etiam vncta 107
Sine more 232
Sitonia 346
Sociis naualibus Romani vſi 406 quales hi ſocij 406 quando primùm priuata impenſa parati 406
Solarium quis primus in foro collocauit 263
Solida virtus 119
Solis eclipſis primùm formidabilis in caſtris 427
Solis quanta vis in corpora terreſtria 7
Solo mutato fruges degenerant 7 itidem homines 7
Solſtitium tantùm vnum 417
Sontes gladiis ſuis concidebant 68 priſcus ille mos 68
Sontes porta decumana ad ſupplicium educti 67
Sordiſcum quid 365
Spectacula priuatorum quoque ſumptu edita 193
Spectacula varias ob cauſſas Romæ exhibita 193
Spectacula & Iudos placamina deorum putabant 193
Specula qui id ſit 262
Speculæ in locis mediterraneis vſui 263
Speculatores cur ſic vocati 114
Speculatores ſuppliciis ſumendis deputati 68
Speculatores non ſpiculatores hi vocandi 68
Speculatores qui 233
Speculatores vnde dicti 263
Speculatoriæ ſcaphulæ 416
Speculator vnde dictus 416
Sperare pro timere 306
Spes numero plurali 268
Spicula minora dextro pede in ante poſito eiiciebantur, maiora præpoſito ſiniſtro 62
Spicula pennata 394
Spolia quoque domum relata 127 ea fixa in poſtibus ædium 127 quæ ne venditis quidem ædibus refigi potuerunt 128
Spolia opima Ioui Feretrio fixa 126 ea ſpolia ter ſolum Romani fixerunt 126
Spoliis hoſtium & templa & forum Rom. ornatum 126
Spolia ad ornatum quoque coloniarum diſpartita 126
Spoliarium & armamentarium vbi in vrbe fuerint 154 etiam in exercitu 154 quæ arma inioi ad ſeruata 155
Statua vnde dicantur 224
Statuæ ſtrenuis militibus decretæ 124 etiam auxiliari militi 124
Statura breuis quæ 16
Statura media militaris & commoda 15
Statura procera, eminens, prolixa 15

Statura Romana 15
Stellaturæ 180
Stellaturarum acceptarum pœna 69
Stellaturarũ commodũ qualefuerit 180
Stevvechij palmaria emendatio 186
Stipendia prima annorum XXI. 86
in classe Misenensi XXVI. annorũ erant 86
Stipendiorum vox annos significat 27
Stipendiosi qui 47
Stipendium amplissimum tempore Domitiani 175
Stipendium diurnum quantum 174
valde exiguum libera Rep. 174
auctum tempore Cæsaris 175
iterum auctum sub Octauio 175
Stipendium pro ipso ære 27
Stipendium vnde dictum 27
Stipendium vnde nomen acceperit 173
Storearũ conficiendarũ ratio & vsus 343
Strabo non malè belli Numantini computum iniuit 283
Strata equorum 280
Strategema elegans ab vrinatoribus Byzantinis editum 442
Strategema nostratium 438
Stratagemata duo in obsidione Rhodiorum edita 381
Stratores & munus eorum 280
Stratores qui 28
Stratorum præmium 28
Striga castrense vocabulum 279
Structores 143
Stylus pro columna 246
Subita omnia probantur incauta 219
Subitariæ legiones, & subitarij milites. 267
Subsessa quid sit 239
Subsessores alieni matrimonij 239
Subsidendi ratio cùm testudinem Rom. facerent 157
Subsidium vnde dictum 224
Subsignani 79
Subsignani apud signa detenti post exauctorationem 89
Substantiua quartæ declinationis pro verbalibus 286
Sudibus etiam in prœlio vsi 189
Suffecti 110
Sumptus pro *sumptio* 285
Superlatiuus pro comparatiuo 62
Supernumerarij tam inter equites, quàm inter pedites 177
Supernumerarij centeni aut quinquageni extra eos qui matriculis inscripti erant 177
Supernumerarij milites alij titulo tenus 177
Superueniendi occasio quando commoda 277
Superueniendum lætis & securis 309
Superuentus occasiones 278
Superuentus quid 239
Susceptores 347
Susceptores tributorum 217
eorum emolumenta 217
duo in singulis prouinciis 217
Suspectio pro *suspicio* vox è medio Latio 241
Syriquid 215

T

TABERNACVLA 9
Tabernaculum ducis quare appellatum prætorium 184
Tabulamentum 246
Taciti testimonium 83
Taleare 351
Taleæ furculi 351
Tamburlianus Scytharum Imperat. 237
Tantus absolutè positum 381
Tantus, quantus pro *tot, quot* Græca phrasi dicuntur 232
Tarquinius Superbus vite puniendi genus inuenit 72
Tegimen pro *tegmen* Vegetio redditum 433
Tela ex alto faciliùs, sed certiùs sursum mittuntur 257
Tela ex nauibus qualia veteres iecerint. 437
Tela quoque ducum nominibus inscripta 167
Temeritas in re militari ante omnia vitanda 274
Temonarij qui 28
Tempestatum & serenitatum signa 424
de iis Ciceronis versus 424 item Lucani 424.425
Templa de manubiis exstructa 127
Tempora antiqui per horas non distinguebant 211
Tentamenti vocabulum Vegetio redditum 169
Tentamentum 246
Tentoria 9
Terebra etiam inter machinas 367
eius figura 367
Tessera vocale signum 113
Tessera per taleolam data 113
Tesseræ frumentariæ 113 illæ ex ligno, plumbo 114 etiam ex ære 114
Tesserarij 114
Tessera profectionis 114 prœlij, prandij, euocationis 114
Tesseræ Pharsalicæ pugnæ 114
Tessera vigiliarũ à præfecto legionis data 114 data ab Imperat. & ducibus 114
Tesseram tribuni distribuebant 115
Tesseram quis primus in bello dederit 115
Tessera, Militemus 93
Tessera à quo daretur, à quo distribueretur 233
Tessera sæpe vno verbo data 233
non rarò pluribus 233 interdum sententia pro tessera fuit 233 interdum versus 233

Testimoniales honestè missis dabantur 87
Testudo quid sit 157 origo eius 157
Testudinem in Circo qualem exhibere solent 157 ad imitationem testudinis illius duplicem Romani in exercitu excogitauerunt 158 qualem in campis patentibus exstruxerint 158 inde vt rediuiui redintegrabant prœlium 158 equites & impedimenta in medium recipiebantur 158
Testudinis aliud genus in oppugnationibus 158
Testudo in pugna nauali 158 qua ratione ibi composita 159
Testudinem illam vsui quoque fuisse in in transmittendis impedimentis 159
Testudines in exercitu variæ 357
Testudinis figura 357
Testudo arietaria 358
Thebani sub Epaminunda floruerunt 75
Thoraces squamati cum magnis scutis à Macrino ablati 56
Thoracomachus qualis fuerit 52 vnde dictus 52 eius abusus 53
Thraces bellicæ disciplinæ Rom. magni imitatores 75
Thrasybulus qua caussa in tabernaculo suo interfectus 258
Tiberij nimia crudelitas 179
Tiberius Domini nomen recusauit 77
Tignarij 143
Timidum videri præstat quàm parum prudentem 77
Timor promptos facit ad consultandũ 274
Tituli varij vsus apud antiquos 148
Titulum gestarunt fontes 148
Titulus adfixus in ludis 148 item vendundis ædibus 148
Titulum & fiscus adfigebat 148
Tituli in triumphis 148 amphoris adhibiti 148 victimis alligati 149
Titus xv. Imp. in exercitu 136
Titus Cæsar ipse vigilias circumiuit 265
Tolerantia 8
Tolerantia bonorum militum 347
Tollenon, machina 384 eius figura 385
Torquati nomen T. Manlius meruit 120 Item C. Nonius Asprenas 120
Torques inter dona 122
Torulus in galea 148
Trabes singulari numero 384
Trabibus arietes arcebant 351
Tractoriæ in cursu publico 10
Tradere verbi elegans significatio 140
Traianus in puniendis militibus temperantissimus 277
Transitus militum pecunia hodie redimitur 118 idem quoque apud Roman. factitatum 118
Triarij cæteris vsu & ætate præstabant. 130
Triarij consurgentes ad pugnam, antepilanos omnes intra suos ordines recipiebant 59
Triarij genu dextro innixi signum pugnæ exspectabant 157
Triarij qui 293
Triarij soli fodiunt 261
Triarii veterani & spectatæ virtutis 147
Triariis locus postremus adtributus 59
Tribuli sparsi contra quadrigas falcatas 322
Tribulorum vsus in castris ponendis 322 & in prohibenda eruptione 322
Tribunal cespititium 271
Tribuni ablegare à signis milites sua caussa non debent 176
Tribuni ærarij 216
Tribunian vicarios habuerint 112
Tribuni à tribu 109
Tribuni commeatum dare multis sine consensu Consulis non debebant 172
Tribuni creati à principibus 110
Tribuni etiam imagines & titulos in prouinciis meruerunt 106
Tribuni ipsi animaduerterunt 68
Tribuni militaris officia 260
Tribuni militum comitiis fieri desierunt 110 lecti suffragiis ad legiones 110
Tribuni militum Consulari potestate 109 partim ex plebe, partim ex patribus 109 tres numero 109 sex numero 110
Tribuni consulari potestate viginti 110
Tribuni militum aureis annulis vsi 111
Tribuni militum vicissim imperabant 135
Tribunis interdictum ne milites expilarent 180
Tribunis non semper datum fuit optiones facere 113
Tribunorum commoda 180
Tribunorum creandorum ritus 110
Tribunorum insigne gladius 110 item annuli 111
Tribunus fontes ad pœnam deputabat 68 fustuarium infligebat 68
Tribus Rom. tres 150
Tributa non conferentes admoniti cogebantur 214
Tributa vel possessores vel conductores prædiorum conferebant 217
Tributi alia ratio inferendi 216
Tributi inferendi ratio Romæ mutata 216
Tributum duplex Romæ imperatum 216
Tributum tumultuarium 216 in tabulas ærarij referebatur 216
Tributum ex quo appellatum 215
Tributum quot vicibus inferebatur 213
Trieratchi vnde nuncupati 429
Trochleæ qualia instrumenta 379
Troia ludus equestris 196 à quo inuentus 196
Tropæa post victoriam fixa 126
Tropæa soli duces erexerunt 126
Tropæa vnde dicta 126

Tropæum apud Rom. qui primum constituerint 126
Triumphus belli pretium maximum 128
Triumphus quando concessus 128
quando negatus 128
Triumphus Romæ qua lege concessus 337
Tryphonis stratagema 398
Tuba directa 116
Tuba directa erat 234
Tubarij 141
Tubarij qui 234
Tubicines 234
Tumultuaria castella 267
Tumultuaria certamina 267
Tumultuarij milites 267
Tumultus quid 17
Turma equitum 101
Turma erat equitum XXXII. 108
Turma vnde appellata 150
Turres in muris ciuitatum quomodo extruendæ 338
Turres vnde ambulatoriæ vocentur 371
Turres dissolutæ in exercitu circumlatæ 371
Turris minor alta cubitorum sexaginta. 371
Turris maior alta cubitorum CCXX 371
Turris à Diade excogitatæ figura 372
Turres aliæ quas Vegetius describit 373. 374
Turris Vegetij 373
Turrium ambulatoriarum effectus 375
Turrium metu Galli se dedunt etiam Persæ 375
Turres etiam in nauibus 375 in turribus multi armati 375 item & machinæ in iis per tabulata dispositæ 375
Turres fronte ferrea 375
Turres etiam ipsi obsessi in mœnibus suis exstruxerunt 375
Turres variis modis incensæ 378
ei incendio extinguendo homines destinati 378
Turris minor ex maiori euecta in fraudem opidanorum 374 eius figura 380
Tyrocinium anno XVII. cœpit 278
Tyrones ad militiam adscripti non iusta ætate 26
Tyrones à possessoribus præbiti 27.28
Tyrones & opidanos ad concursum armorum adsuefaciendi modus 243
Tyrones in gymnasiis laminis ferendis exercebantur 48
Tyrones non simul vt inscripti sunt, in legionum numerum relati 97
Tyrones qui dicantur 97
quomodo æstimarentur 97
Tyrones pingues non legendi 21
Tyrones quando primùm cœpti instituí à magistris 40
Tyrones ab equitibus, etiam à senatoribus eruditi 40
Tyronibus non permissum testari 97
Tyronum productio personalis 27
Tyronũ præbitio patrimoniale munus 27
Tyronum exercitatio pacis tempore non negligenda 74
Tyronum numero censentur qui diu pugnare desierunt 186 itidem illi qui nunquam viderunt vulnerari 186
Tyronum examen 24
Tyronum probatores diligenter requisiti 28

V

VACATIONES militum quomodo redimerentur pecunia 181
Vacationes sublatæ ab Othone Cæsare, & persolutæ centurionibus è fisco 181
quod reliqui principes secuti sunt 181
Valens suis neglectis Gothos amplectitur 50 à Gothis aliquoties superatus 50 ab iisdem combustus 50
Valens Valentiniani frater occumbit 2
Valentiniani tertij pater, mater 2
eiusdem vxor 2
Valentiniani tres, omnesque Occidenti præfuerunt 2
Valentinianus primus ab inuentione nouorum armorum celebris 336
Valentinianus primus 2
Valentinianus secundus 2
Valentinianus tertius 2
Valli sudes sunt 257
Valli vnde dicti 402
Vallum quid sit 402
Vegetij locus ex Catone descriptus 304
Vegetij prænomen 1
Vegetius Comes 1
Vegetius epitomen confecit 32
Veget. Florus, alij à Plinio dissentiunt 43
Vegetius fuit Christianus 2
quo Imperatore vixerit 2
Vegetius imitatus Virgilium 425
Vegetius in legione centuriones tantum LV. agnoscit 134
Vegetius libros suos in capita distinxit 3
Vegetius plures auctores inspexit quàm quos nominat 31
Velorum nocturna eruptio 376
Vela nauium tingi solita 416 id inuentum primùm in classe Alexandri Magni 416
Vela quis primus naui apposuerit 416
Velitatio publicæ pugnæ opponitur 274
Velitationibus periculum facere oportet de suis militibus 274
Velites contra elephantos missi 326 hastis latiori ferro contra eos vsi 327
Velites & triarij omnes immunes ab excubiis 261
Velites vt & equites descripti 296
Velitum arma 296 hi equites & pedites pugnabant 296

Velitum parma, & gladius 296
Velitum vsus quando primū repertus 296
Velum purpureum insigne imperatoriæ nauis ad Actium 439
Venandi consuetudo quantum Sertorio profuerit 23
Venatio Circensis 194 sæpe edita à principibus 194 etiam per aliquot dies continuos 194
Venationes noctibus etiam exhibitæ 194
Venatio sumptuosissima ab Imp. Probo edita 194
Venatio triplex 24
Veneris Caluæ templum Rom. ex quo originem ceperit 352
Venti plures tempestatibus magnis simul spirant 418
Venti principales quatuor 417
Ventorum numerus & nomina 417.418
Vento secundo missa tela vlteriùs & maiori impetu feruntur 289
Ver aperit mare 421
Verba actiua sæpe passiuam significationem habent 71
Vercingetorigis res aduersa fortuna auctæ 331
Veredi 10
Verguere, tinguere & multa alia similiter olim scribebant 300
Vestes militibus datæ 123
Vestimenta & calcei militum septimo die inspiciebantur 146
Vestis militi è publico Vegetij æuo non data 175 data olim, sed pretium eius à stipendio detrahebatur 175 id abrogatum lege C. Gracchi 175
Veteranus semel in die exercendus 186
Veterū librorū scriptura examinanda 290
Vexilla in singulis centuriis vel manipulis 295 in iis scriptum quota esset centuria & ex qua cohorte 235
Vexilla nostratium hodie maiora 235
Vexillarij 79
Vexillationes equites 79
Vexillationes vnde nomen habeant 78
Vexillationes diuersæ à legionibus 78
Vexillis milites donati 123
Vexillorum insigna 147
Vexillum apud Rom. purpureum, indicium pugnæ 237
Vexillum olim plures quàm centum milites continebat 147
Vexillum hominum CLXXXIV. 147
Victi interdum recuperant victoriam 331
Victoriæ magna pars institutioni aciei tributa 81
Victoriam duces sibi vindicant rebus diuersis 330 etiam bello nauali 330
Victoria modestè vtendum 331
Victoriam reportasse exercitu incruento, maxima ducum laus est 268
Vigesimatio 229
Vigiliæ in quatuor partes distributæ 264 interdum totam noctem simul omnes vigilabant 264
Vigilias milites agebant ordine suæ matriculæ 262
Vigilium pro *vigilum* 176
Vine corporis an magis animi viribus res militaris procedat 17
Virgilium imitatus Vegetius 379
Virgilius Ennij versum imitatus 377
Vineæ plures fiebant & in vnum cogebantur 366
Vinearum vsus & forma 364
Vinum inter dona militaria 123
Vite Rom. puniebantur 72
Vites & sata abesse debēt à paludibus 209
Vlyssis facundia 348
Vmbri qui 285
Vncia vnde dicta 16
Volatus auium, signum hostis aduentantis vel latitantis 238
Voluptas vrbes perdit 8
Vota suscepta pro exeuntibus militatum 20 quando persoluta 20
Vrbibus nomina ab Imperat. Romanis imposita 334
Vrbibus nomina à cōditoribus indita 334 item ab iis qui amplificarint 334
Vri vbi gignantur 235 eorū cornua 235
Vri à bubalis differunt 235
Vrivox Gallica 235
Vrinator à quo appelletur 442
Vrnis vnde nomen 442
Vrsiliani quomodo vocandi quæsitum 312
Vsu & exercitio seruandum id quod discimus 41
Vtres depicti 248
Vtribus vestimenta quoque iniecta, & iis crates superimpositæ ad transmittendum flumen 248
Vtribus vtebantur Rom. in transeundis fluminibus 247
Vulcanaliorum die à Segedanis recuperata victoria 331

X

X pro S apud Veteres sæpè vsitatū 418
Xantippus Lacedæmonius dux Carthaginiensibus datus 202 Carthaginiensium res vna acie instructione restituit 202
Xerxis exercitus flumina epotauit 203 quantus fuerit 203

FINIS.

INDEX

INDEX EXPLICATIONVM VEL EMENDATIONVM, QVÆ COMMENTARIO STEWECHII ad VEGETIVM continentur.

ÆLIANI *locus fortè sanatus* 290
Alciati emendatio reiecta 95
ab Alciato dissensio 218
Alexandrini Neapolitani error 314
Ammiani locus tentatus 28
Ammiani locus mihi suspectus 46
Ammianus correctus 280. 335
Apuleius emendatus 88. 130. 280. 286. 293
Auctor de viris illustribus fortè an mendosus 102
CAESAR *de mendo suspectus* 259
Cæsar illustratus 264 *idem emendatus* 264
Capitolini scripturam tueor 371
Cassiodori locus in dubium vocatus, fortè emendatus 80
Cassiodoro lux adhibita 214
Cassiodorus correctus 41. 433
Censorinus leuiter correctus 266
Ciceronis lectio confirmata 168
Cicero illustratus 335
Ciceronis locus de coniectura leuiter emendatus 285
EGNATII *error* 180
FESTVS *emendatus* 279
Festi locus mihi suspectus 279
Festi locus tentatus 300 *iterum* 301
Flauius Vopiscus emendatus 260 *iterum* 260
Flori locus tentatus 400
Frontini locus sanatus 258
GLOSSAE *veteres emendatæ* 354
ISIDORVS *correctus* 97. 133
Itinerarium & Æthicus leuiter correcti 410
Iuuenalis leuiter correctus 434
LAMBINVS *à me notatus* 168
Lampridij lectio restituta 142
Lampridius leuiter emendatus 27
Laurentij Vallæ opinio reiecta 232

LEGES *variæ emendatæ, vel explicatæ.*

In Codice.

Explicata l. prima C. de veteranis; & l. iubemus, C. de erogatione militaris annonæ 109
Emendata l. 1 C. de famosis libellis 293
Emendata l. 2. C. de Apostatis 29
Lux data l. 2. C. de exactoribus tributorum. 191
Emendata l. 2. C. de Præfecto Prat. Aphricæ 232
Emaculata l. 3. C. de offic. Præf. vrbi. 276
Emendata l. 4. C. quibus ex caussis seruis pro præmio 91
Interpretata l. 7. C. de donationibus 168
l. 7. C. de excusatione munerum, rectè à Cuiacio emendata 22
Interpretata l. 8. C. de vectigalibus 350
Tentatæ aliquot leges C. de vsuris 50
Emendata l. neque furti, C. quibus ex cau. infam. irrogetur 208

In Digest.

Defensa. l. 1. ff. de iustitia & iure 80
Defensa partim lectio in l. 2 ff. de origine iuris 110
Defensa scriptura vulgata in l. 3. ff. de re militari 370 *item in l. quod si ff. de capt. & postlim. reuersis* 370
Interpretata l. 14. ff. de legationibus 135
Interpretata l. penult. ff. ex quibus caussis maiores. 188
l. vlt. ff. de iure immunitatis, rectè à Turnebo emendata 149
Tentata l. vlt ff. de iure immunitatis 191
Emendata l. vlt. ff. de iure immunitatis 235
Interpretata l. filiusfamilias, ff. de procuratoribus 85

Emendata

Emendata l. deferri, ff. de iure fisci 87
Interpretata l. qui cum vno ff. de re militari 21
Emendata l. munus, ff. de verborum sig. 130

In Institutionibus.

Adhibita lux §. directò, Inst. De codicillis 169 *Item §. Emancipati. Inst. De hereditat. quæ ab intestato* 169
Emendatus §. Illis autem, Inst. De milit. testam. 224
Institutionum Iustiniani locus defensus 29
Institutionum locus restitutus 29

In Pandectis.

Tentatus locus ex Pandectis 29
LIVIVS *correctus* 228
Liuij lectio confirmata 189
Liuij duo loca expendenda 82
Lud. Russardus reprehensus 208
MODESTVS *mendosus* 133
Modij in Vegetium correctio approbata 310. 313
NONII *locus tentatus* 96
Notitia Imperij correcta 335
PLAVTI *versus tentatus* 364
Plinij Panegyr. leuiter emendatus 270
Plinij locus suspectus mihi de glossemate 251
Plinius illustratus 131
Pomponius Lætus emendatus 144
Prudentius illustratus 236
SALLVSTIVS *correctus* 14
Spartiani locus suspectus mihi 109
TACITI *lectio confirmata* 105
Tertulliano lux adhibita 181
Tertulliani locus in dubium vocatus 192
Trebellij locus tentatus 51
Turnebi lapsus 402
Turnebi in Veget. correctio approbata 419
VALTVRII *lapsus* 326
Varronis lectio vulgaru suspecta 47
Vegetius emendatus 6. 11. 14. 15. 37. 45. 47. 48. 62. 63. 69. 73. 74. 90. 97. 133. 137. 138. 139. 140. 141. 143. 146. 161. 162. 168. 169. 171. 172. 182. 183. 184. 188. 190. 191. 199. 200. 205. 208. 210. 213. 218. 219. 225. 232, 239. 240. 241. 242. 245. 246. 250. 256. 257. 258. 265. 266. 279. 280. 281. 282. 284. 285. 286. 287. 293. 294. 295. 297. 300. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 309. 310. 313. 330. 331. 332. 336. 337. 341. 365. 380. 381. 382. 384. 394. 398. 404. 405. 410. 419. 423. 433. 441.
glossemate liberatus 27. 168. 183. 186. 204. 225. 242. 256. 268. 347. 349. 297. 336. 350. 352. 414.
de glossemate suspectus 47, 49
defensa & confirmata eius lectio 16. 46. 139 149. 237. 246. 285. 342. 406. 426
contra Zoilum defensus 398
suppletus 37. 150. 270. 291. 376. 418
eius lectio suspecta 52. 279
audaciter tentatus seu potius emendatus 79
à magno mendo purgatus 71. 75. 96. 97
tentata in eo lectio 147. 161. 196. 208 233. 236. 240. 245. 275. 327. 337. 369. 409. 423
mutata lectio 206. 209. 243, 244. 262 269
in dubium vocatus 211. 266. 343. 344. 345. 346. 363. 364
expensus & examinatus 151. 224. 268. 270. 306. 336
locus in eo hiulcus 331 *scabrosus locus* 426 *desperatus locus* 314
scriptura varia 366. 369
sententia reddita 341
vox ablata 386
verbo auctus 137
illustratus 131. 412
in eum coniectura 416 *& passim alibi*
interpunctio mutata 182. 273
Recte à Cuiacio emaculatus Vegetius 220
Cur ab aliis deprauatus 187
Romana phrasis ei reddita 80
numerorum nomen ei restitutum 84
Iugare verbum, puto illi dandum 86
verbum Samiare ei redditum 153
tentamenti vocabulum ei redditum 169
trepidandi verbum ei redditum 189
rutrum ei restitutum 200
propugnatores ei reddit 244
Vertranij lapsus 222
Virgilius illustratus 25
Virgilius interpretatus 189
Vitruuius à Turnebo emendatus 191
Vopiscus emaculatus 142

Typographvs Lectori S.

BENIVOLE *Lector, Absolueramus iam propemodum secundam hanc Stevvechiani Vegetij editionem, cùm nescio quo casu in epistolam quampiam ipsius Stevvechij, quam ille ad amicum aliquem suum scripserat, incidimus. In quâ hæc reperi, quæ te non ignorare tuâ interesse sum arbitratus: ac in primis illud, quòd Præfatio ad Guilielmum de Spangen, & Walrandum de Haeften &c. bis in hoc opere posita sit; semel ante Modestum, iterum ante Coniectanea in Frontinum. Cui errori hoc remedium adhiberi volebat auctor, vt prior illa præfatio, Modesto præfixa, abijceretur; & postrema hæc quæ est ante Coniectanea in Frontinum, seruaretur. Alterum quod monitum te volebat, est quòd interpretationes adiungendæ fuerint illis figuris quæ sunt paginis 163. 164. 165. & simul characteribus qui inserti sunt figuris paginarum 408. 432. & 441. Nam prioribus illis figuris pag. 163. 164. 165. adiungenda erant nomina militum, quorum ibi scuta depicta: & pag. 408. 432. & 441. desiderantur aliquæ figurarum per se obscurarum explanationes. Quas etsi sedulò à nobis conquisitas, nanciscitamen non potuimus. Quod ideò tantùm monitum te volui, ne fortè existimes planè otiosas esse litteras figuris illis insertas. Restant nunc adhuc paucula quædam errata, non magni momenti, partim à Stevvechio ipso, in eâdem illâ epistolâ adnotata; partim à nobis hac editione animaduersa. sunt autem hæc:*

Pagina 30. *linea* 21. Pandectis Pisarris: *lege* Pand. Pisanis. 87. *in margine* Emeriti stipendia *lege* Emerita stipendia. 133. 5. multæ particulæ *lege* multas particulas. 259. *in margine* Pepatura quid sit *lege* Pedatura quid sit. 295. 24. sed nulli illi *lege* sed nullus illi. 330. 36. pernicioſæ clades *lege* pernicioſa clades. 356. 28. offensis, iratosque *lege* offensos iratosque. 363. 5. scriptoribus, neque nesciuisse *dele* neque *& lege* scriptoribus. nesciuisse. 417. 1. *initio* sale ventisque *lege, duabus vocibus præpositis,* sole nec sale ventisque.

Multa priori editione propter auctoris absentiam malè lecta, mendosè excusa erant. Ea nos vt emendatiùs nunc prodirent, curauimus. quod facilè apparebit ei cui hanc editionem cum illâ conferre placuerit. Vale, & boni consule.



FIGVRA CASTRAMETATIONIS EX POLYBIO.


Fossæ & Valli.
Porta Decumana.
&c.
P.C.C.
Peditibus extraneis adueniẽtibus vacãs locus.
Equitibus extraneis adueniẽtibus vacãs locus.
Pedites sociorum extraordinarij.
Equites sociorum extraordinarij.
Pedites sociorum extraordinarij.
Equites sociorum extraordinarij.
Peditib. extraneis adueniẽtibus hic locus vacat.
Equitib. extraneis adueniẽtibus hic locus vacat.
P.C.
Pedites electi, & voluntarij.
Equites electi, & voluntarij.
Forum.
Prætorium.
Quæstorium.
Equites electi, & voluntarij.
Pedites electi, & voluntarij.
Tentoria
Tribunorum.
P.L.P.C.
P.C. P.C. P.C.XXXIII E QVI TES
P.C. P.C. PRI NCI PES
P.L. P.C. E QVI TES
P.C. P.L. TRI A RII
P.C. P.C. HAS TA TI
P.C. P.C. PRI NCI PES
P.C.XXXIII P.C.C. P.C. E QVI TES P.C. PE DI T P.C. C. AV ES
P.C. P.C. PE DI T P.C. C. AV ES
P.C. P.C. E QVI TES P.C. TRI A RII P.C. E QVI TES
P.C. P.C. HA STA TI P.C. PRI N CI P.C. C. PES
P.C. P.C. PRI N CI P.C. C. PES P.C. C. PRI MA
P.C. P.L. TRI A RII P.C. E QVI TES P.C. TRI A RII P.C. E QVI TES

BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
13894

